DE ORDINIBUS ECCLESIASTICIS. D. GREGORII ROSIGNOLI

Gregorio Rosignoli

Tomo Unico

DE ORDINIBVS ECCLESIASTICIS.

D. GREGORII ROSIGNOLI.

POTESTAS HIERARCHICA
AD REGIMEN MILITANTIS ECCLESIÆ,
TRACTATVS
DE ORDINIBVS ECCLESIASTICIS;

AVCTORE
D. GREGORIO ROSIGNOLO
EX CLER. REG. S. PAVLI
vulgo Barnabitis,

AD ILL.MVM, ET REV.MVM D. D.
ALOYSIVM RVZINVM
VIGILANTISSIMVM BERGOMI EPISCOPVM,
COMITEM &c.
SS. D. N. PAPÆ PRÆLATVM DOMESTICVM, ET ASSISTENTEM &c.

Cum duplici Indice, altero titulorum, altero rerum locupletissimo.



MEDIOLANI, MDCCV.

Ex Typographia Iosephi Pandulphi Malatestæ.
SVPERIORVM PERMISSV;
Et Priuilegio.

ILL.MO, ET REV.MO D. D.

ALOYSIO RVZINO

ECCLESIÆ BERGOMENSIS EPISCOPO VIGILANTISSIMO,
COMITI &c.
SS. D. N. PAPÆ PRÆLATO DOMESTICO, ET ASSISTENTI &c.

DON GREGORIVS ROSIGNOLVS
Felicitatem.

OPtaueram iampridem ILL.ME, & REV.ME DOMINE, aliquod Tibi ſcriptionum mearum penſum offerre, quod obſequium erga Te meum publica typorum teſtificatione firmaret. Sed neque à ſtudijs meis aliquid proficiſci poſſe cenſebam, quod Nomine Tuo inſigniri mereretur; neque aliquid erat in promptu, quod reſponderet optatis. Vbi tamen vltimam huic operi manum impoſui, admonuit me Libri titulus, quidquam hìc eſſe in rem meam opportunum, cui optimi Præſulis patrocinium exorare liceret. Immò quam aliam

malit clientelam POTESTAS HIERARCHICA; cuius Tu solertissimus administrator es, & vigilantissimus Custos? Qui tanto studio in id potissimum incumbis; vt sanctè sancta tractentur; vt Ecclesiasticus Ordo eniteat; vt eos, qui Aris, vel operantur, vel ministrant, non solùm habitus, & tonsura, sed institutum pariter, & vita commendent. Id verò pro votis obtines, quòd Tuos formas moribus Tuis, priùsque præstas, quæ præscribis facienda; & præter vim auctoritatis, lucem operis præfers; quòdque suauissimum, idemque validissimum est imperij genus, iubes exemplo. Hinc euenit, vt quotquot Tuo ductu reguntur facilè ad imitationem veneratio accendat; cùm expressum in Te spectent magisterium virtutis; quod tantò efficaciùs proficit, quantò amabilior est in dignitate moderatio, quæ placidissimum Infulæ apicem reddit, Teque verè Pastorem ostendit, ac Patrem. At fortasse non tam comparata est hæc Virtus, quam hausta cum sanguine: Ex ea quippè Gente natus es, quæ per plura iam secula familiarem gloriam produxit, & ità splendidis honoribus assueuit; vt ad nullum fulgorem caliget. Et ne à Bizantina vsque origine antiqui decoris monumenta repetamus, certè Ruzinorum Gentilis Rosa in Venetum translata solum sexcentos, & amplius annos enumerat intaminati vigoris, & inter Patricia stemmata constantissimè vernat, omnibus ijs ornata insignibus, quæ Togatæ, armatæque Nobilitati deferuntur. Excresceret in Historiam Epistola, si huc reuocarem ex Annalibus inclytos Auos, qui amplissimum Senatus Ordinem, qui Ciuiles, Militaresque Præfecturas illustrarunt. Vt proximiores solùm attingam, an non sufficeret ad cuiusque Familiæ splendorem vnicus Pater? Ille, inquam dignitate, ac merito Excellentissimus Marcus, qui post summa quæque Reip. munera, demum Procurator gloriosam senectutem octogenarius clausit, curis grauior, quàm annis; cùm longæuam vitam communi bono impigrè semper impendisset. Superest par Viro Mater Excellentissima Catharina Zena, quæ cum celeberrimæ Gentis agmen claudat, omnes in se Maiorum laudes collegit. Supersunt digni tantis Parentibus digni Te Fratre Fratres, in quibus auitum decus perennat,

ma-

magiſque augeſcit incrementis. Emicat inter Conſcriptos Patriæ Patres Ioannes Antonius, ſumma ſapientia, parique probitate ſpectandus. Verſatur in omnium ore Carolus, qui clariſſimis pro Rep. legationibus apud Catholicum Regem Carolum Secundum, hinc apud Leopoldum Cæſarem egregiè perfunctus, indè ad Turcarum Imperatorem, cum plena poteſtate ad ſanciendam Pacem miſſus, Principum Aulas prudentiæ, ac dexteritatis ſuæ admiratione compleuit. Nunc demum Prolegatus ad Philippum Quintum Hiſpaniarum Monarcham delectus, felici grauiſſimorum munerum adminiſtratione domi, foriſq; clareſcit. Nec minore ſpiritu enititur in ardua Bartholomæus, qui elapſis proximè bellis Nauium Præfectus ſtrenuè peracta ea expeditione Martiali gloriæ prælusit. At quantùm in demandatis Reip. muneribus, tantumdem Tu in commiſſi Gregis regimine ità præcellis; vt eſſe poſſis egregij Præſulis exemplar. Nam præter ea, quæ à domeſticis Tuorum Imaginibus hauſiſti documenta virtutum, ſpectaſti etiam veneranda veterum Antiſtitum veſtigia, efficiſque, vt Bergomates, qui tua inſtitutione formantur ad cultum pietatis, per Te adhuc vigere ſentiant Narni, Viatoris, Adalberti, aliorumque Patrum Sanctiſſimam diſciplinam. Cùm tanta igitur Tibi ſit Eccleſiaſticæ Hierarchiæ integerrimè moderandæ cura, huiuſmodi Scriptorum genus eſſe credidi offerendum, quod eſſet conſilijs Tuis conforme, quodque Tu grauiſſimo, certiſſimoque ſuffragio probares, hoc eſt viua praxi doctrinæ. Sed neque diutiùs à me diferenda fuerat aliqua grati animi ſignificatio qua, & mea, & communia Prouinciæ, totique Congregationis noſtræ debita profiterer; quòd Noſtros ad imbuendam bonis artibus, moribuſque adoleſcentiam à præclariſſimis iſtis Ciuibus in ſuam Vrbem accitos tanta benignitate complecteris. Eos nimirum reſpicis, vt Pauli filios, & illius Barnabæ Clientes, qui primus Bergomatum Eccleſiam cæleſti Sapientia inſtituit; quam cùm Tu eodem Spiritu erudire nunc ſatagas, adeſſe illi gaudes Apoſtolorum alumnos ad miniſterium ſalutis. Excipe itaque tenue hoc priuatæ, publicæque obſeruantiæ tributum, noſtræque apud Te operæ primitias clementiſſimo dignare patrocinio. Vale.

DON

DON IOANNES CAROLVS FVSCONIVS.
Congregationis Cleric. Regul. S. PAVLI
Vicarius Generalis.

CVm librum, cui titulus est; De Sacramento Ordinis, à R. P. D. Gregorio Rosignolo Congregationis nostræ Presbytero Professo, & in Prouincia Lombardiæ Præposito Prouinciali compositum duo eiusdem Congregationis nostræ eruditi Viri, quibus id commisimus, accurata lectione, & graui iudicio recognouerint, & posse in lucem edi probauerint, nos, vt Typis mandetur, quantum in nobis est, facultatem facimus. In quorum fidem has fieri, sigilloque nostro muniri iussimus. Dat. Romæ in Collegio nostro SS. Blasij, & Caroli hac die 23. Septembris M.DCCII.

D. Io: Carolus Fusconius Vic. Gen.

Locus ✠ Sigilli.

D. Hieronymus Sitonus Cancell.

TRactatum de Sacris Ordinibus ab Adm. Reu. P. D. Gregorio Rosignolo Clericorum Regularium, vulgò Barnabitarum, Præposito Prouinciali plenè, ordinatèque conscriptum, vt meam pro Sancto Officio curam impenderem, diligenter legi; neque in aliquid incidi, quod non fuerit piè, & consideratè expositum ab Auctore; qui benè speculatiuam, moralem, & Canonicam doctrinam nouit. Quapropter, vt hoc etiam Eius Opus literariæ fulgeat Reipublicæ, ardentèr concessum typis illud desidero: vel magis, quià Ecclesiasticæ exindè Reipublicæ Splendor amplificari plurimùm possit. Ità pro meo exiguo captu censui VI. Nonas Iulij, Anno MDCCV.

Ego D. Hieronymus Meazza Clericorum Regularium Visitator, S. Th. Professor, in Sancti Officij Tribunali Consultor, Librorum Censor, &c.

IMPRIMATVR.

F. Prosper de Leonibus Inquisitor Generalis Mediolani &c.

Bartholomæus Crassus Canonicus Ordinarius pro Emin. D. D. Card. Archinto Archiepiscopo.

Angelus Maria Maddius pro Excellentissimo Senatu.

IN-

INDEX
QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, ET SECTIONVM.
PARS I.
DE ORDINIBVS IN COMMVNI.
QVÆSTIO I.
De natura, & quidditate Sacramenti Ordinis.

QVÆSTIO II.
De causis extrinsecis Sacramenti Ordinis & primo de efficiente.

QVÆSTIO III.
De causa subiectiua Sacramenti Ordinis.

QVÆSTIO IV.

De causa formali, & finali Sacramenti Ordinis.

QVÆSTIO V.

De effectibus Sacramenti Ordinis.

PARS II.

DE ORDINIBVS IN PARTICVLARI.

QVÆSTIO I.

De prima Tonsura.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

De Ordine Diaconatus.

QVÆSTIO VIII.

De Ordine Presbyteratus.

IN UNIVERSAS DE SACRAMENTO ORDINIS QUÆSTIONES.

SApientissimus Salomon Ecclesiam DEI Sponsam mistico elogio terribilem, vt castrorum aciem ordinatam designauit. Verè terribilis, nam induta lorica fidei, præcinta zona fortitudinis, sumpto scuto inexpugnabili æquitatis prodit aduersus Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ omnibus timenda, omnibus formidanda, cum & perduelles spiritus perterriti contremiscant, nec aduersos timet impetus, nam mille clypei pendent ex ea. Verè castrorum acies, cui præest Dominus exercituum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, cui tot Duces militant, quot præsunt Ecclesiasticæ militiæ, tot pugnant milites, quot carachtere supremi Ducis obsignati sub vexillum confluunt Crucis triumphantis. Verè ordinata; nam, si ex *D. Augustino lib. 19. de Ciuit. Dei c. 13.* ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio, ita in suo ordine, & rerum serie hæc acies disposita est, vt licet diuisa in classes vnitatem seruet in ordine, distributa in gradus gradualem constituat dispositionem in munere, pluribus conflata membris in misticum corpus coalescat, pluribus, varijsque distincta muneribus pariformitèr, & difformitèr constituatur in vnum. Æmula supremæ cælitum Hierarchiæ ità militat in terris triunphatura, sicut illa triunphat coronata in Cælis, ita in via varijs signata carachteribus fulget, sicut illa in Patria assidet à dextris Dei circundata varietate, ita sub Duce laureato sub velamine Eucharistico (ad quod omnes ordines diriguntur) colendo procedit, sicut illa in eodem contemplando reuelata facie quiescit. In huius Ecclesiasticæ, & militantis Hierarchiæ contemplatione modo insistimus inuestigantes gradus, distinguentes munera, designantes fines, effectus exponentes. Vos, qui huius militiæ fastis adscripti, supremi Ducis carachtere insigniti maiora æmulamini, ad vestra munera, ve-

vestrosque gradus dignoscendos mentem, animumque dirigite; dumque vobis præeo, & viam sterno, vos vestigia sequentes accurrite metam in plena eorumdem cognitione consecuturi,

QUÆSTIO I.

De Natura, & quidditate SACRAMENTI ORDINIS in communi.

LOgica methodus semper in vsu fuit, vt vniuersaliora minus vniuersalibus præmittantur, Ab hac nos non recedimus. Prius generalia de ordine in communi, quam specialia de quolibet in particulari exponimus; & quia essentia, & rerum existentia saltem prioritate naturæ præcedit passiones, & proprietates, ideò nos prius quidditatem, & essentialem rationem eiusdem ordinis secundum se inquirimus, quam eius proprietates, & prærogatiuas,

ARTICVLVS I.

De existentia, & essentia ordinis, & numero,

SVMMARIVM,

Referuntur Hæreticorum errores circa ordinis Ecclesiastici existentiam. 1.
Vindicatur veritas Catholica contra hæreticos, 2.
Sacramentum Ordinis institutum est à Christo Domino in vltima Cœna. 3.
Explicatur essentia eiusdem per suam definitionem, 4.
Septennarius ordinum numerus aduersus Hæreticos propugnatur, 5.
Referuntur argumenta probantia primam tonsuram esse ordinem. 6.
Eadem argumenta dissoluuntur. 7.
Euincitur, primam tonsuram non esse ordinē. 8.
Episcopatus non est ordo distinctus à Sacerdotio. 9.

OMissis varijs acceptionibus, secundum quas ordinem sumunt in vniuersalissima ratione DD. adaptantes varijs rerum ordinibus, sermonem restringimus ad speciem eiusdem, prout Sacramentum est, cuius existentiam sub hoc titulo prius inquirimus, & subinde essentiam.

Quoad existentiam Lutherus flagitiosissimus Ecclesiasticæ Hierarchiæ hostis, & euersor nullum agnoscit ordinem, qui sit Sacramentum, & conferat gratiam, solumque admittit Prædicatorem docens, prædicātem esse Sacerdotem, non prędicantem verò esse solum Sacerdotem æquiuocè. Cohærenter ad hunc errorem alium euomuit æquè peruersum, & noxium asserens, formas Sacramentorum non esse consecratorias, sed merè concionatorias, de quo errore latè egimus in quæstionibus de Sacramentis in genere.

1 *Referuntur hæreticorū errores circa ordinum existentiam.*

Hic error manifestè conuincitur, tum ex sacris literis, tum ex antiquorum PP. traditionibus, tum ex Conciliorum definitionibus; Ex sacris literis, & quidem *prima ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbiteri*; ex quibus verbis colligitur Timotheum in susceptione ordinis Sacerdotalis gratiam accepisse; *Actorum 6.* vbi legitur Diaconos fuisse ordinatos per impositionem manuum Apostolorum, qui recipiebant Spiritum Sanctum, idest gratiam ipsius, quod idem legitur in eisdem *Actis cap. 13.*; Ex antiquorum PP. traditionibus, *Beati Ignatij discipuli B. Ioannis Apostoli in Epist. ad Antiochenos, Saluto Sanctum Presbiterum vestrum, saluto Diaconos, SubDiaconos, Acolitos, Cantores, Lectores, exorcistas &c.* ex quibus elucet etiam ex tempore Apostolorum fuisse in Ecclesia Dei huiusmodi ordines; idem colligitur *ex can. 42., & 43. Apostolor.*, vbi innuitur discrimen, quod intercedit inter Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, & SubDiaconum, Lectorem &c. Ex definitionibus *Concil. Cartaginensis IV. celebrati anno salutis 398. sub Anastasio Papa*, vbi in primo, & secundo decreto datur norma ordinandi Episcopum, in tertio modus ordinandi Presbiterum; in quarto ordinationis Diaconi, & sic successiuè de alijs omnibus; Concilij Trident. *sess. 23. de ordine c. 2.*, vbi septem ordines numerantur.

2 *Vindicatur veritas catholica aduersus hæreticos.*

Vt clariùs innotescat hęc existentia, eius institutio, & tempus institutionis inuestiganda sunt; Pro quo dicimus, Sacramētum ordinis institutum fuisse in vltima Cœna *Lucæ 22 Hoc facite in meam cōmemorationem*, quibus verbis Christus Apostolis contulit potestatem Sacerdotalem, eorumque successoribus, simulque præceptum dedit consecrandi, vt tradit *Conciliū Tridentinum sess. 22. c. 1.*, & licet ibidem videatur solummodo institutus ordo Sacerdotalis, nihilominus ex communi Ecclesiæ,

3 *Ordo institutus est à Christo Domino in vltima Cœna.*

clesiæ, Sanctorumque PP., & Theologorum consensu alios omnes ordines institutos credendum est; quod si solummodo facta fuerit mentio de ordine Sacerdotali hoc fuit, quia in eodem eminentèr continentur alij omnes ordines, qui ad ipsum ordinantur, eidemque inseruiunt, prout tradunt *Valentia disp.9.q.1.punct.4., Henriquez lib. 10. c. 3. num.6., Reginaldus lib. 30. num.6., & alij communitèr.*

Quoad essentiam in varias definitiones abiere DD., quæ tamen, si attentè considerentur inter se, in substantia non differunt, sed dumtaxat in modo significandi.
4 *Statuitur definitio propria ordinis.*
Nos vsitatam, & communitèr receptam amplectimur, qua dicitur, *Ordo est signaculum quoddam, per quod spiritualis potestas confertur ordinato ad Ecclesiastica munera in suo cuiusque ordine obeunda per habitudinem ad Eucharistiam*. Hanc amplectuntur *Magister in 4. dist. 24. lit. L. D. Thomas, D. Bonauentura, & alij antiquiores*. Dicitur *signaculum*, hoc est visibile signum, sub quo genere comprehenduntur omnia Sacramenta, adeoque se habet tanquam genus ad illa. Dicitur *potestas*, & per hanc particulam speciatim distinguitur à Sacramento Baptismatis, quod est potentia passiua receptiua aliorum Sacramentorum, vbi ipse ordo est potius potentia actiua, quæ ex propria sua significatione importatur per ly *potestas*, vt colligitur ex additionibus *D. Thomæ ad 3. partem q. 34. art. 2. ad 3., D. Antonino in summa tit. 14. c. 16.*, & licet per hanc particulam non distinguatur à Sacramento confirmationis, per quod etiam confertur potestas actiua ad fidem profitendam, contra distinguitur tamen ab eodem per subsequentes particulas *ad munera in suo cuiusque ordine obeunda*, quandoquidem, quamuis, tàm in ordine, quàm in confirmatione conferatur potestas actiua, vtraque tamen est in ordine ad diuersa munera, & præcipuè in ordine per habitudinem ad Eucharistiam, tanquam ad vltimatum terminum, vbi potestas in confirmatione sumitur per habitudinem ad fidei professionem. Dicitur *spiritualis*, & per hac contradistinguitur ordo Ecclesiasticus à cæteris ordinibus profanis, & laicalibus.

Quoad numerum tandem ordinum difficultas non modica oritur ex eo, quod
5 *Ordines sunt in numero septem.*
Canonistæ inter ordines computent primam tonsuram, & Episcopatum, adeoq; nouem ordines constituant; item ex eo, quod *D. Ignatius in Epist. ad Antiochenses* inter ordines numerat Cantores, Laborantes, ac Confessores. Nihilominus sentiendum est septennario numero omnes ordines comprehendi. Est communis apud Catholicos. Est tamen quoad primam tonsuram connumeratam inter ordines contra Canonistas, & contra alios nonnullos catholicos, quoad Episcopatum, qui eandem connumerant tanquã ordinem à Sacerdotio distinctum. Est item contra Sectarios præcipuè *Caluinum instit. c. 4., & 19.*, & contra *Kemnitium in examine Trident. sess. 23.* volentes tres tantum esse Ecclesiasticos ordines, Episcopatum scilicet, Presbiteratum, & Diaconatum, reliquos esse figmentum Papistarum. Hæc veritas primo euincitur *ex Concil. IV. Cartaginensi sub Anastasio Papa*, vbi *c. 1., & 2., & seq.* fit mentio omnium, & traditur forma ipsos conferendi. Secundo ex *Concil. Trident. sess. 23. c. 2. de ordine*, vbi fit mentio omnium, & *can. 2.* anathematizantur, qui huiusmodi ordines denegauerint, & *can. 3.* damnantur, qui dixerint esse merum figmentum. Tertio, *ex Clem. lib. 8. constit.*, & *Epist. 2. ad Fratrem Domini*, vbi omnium ordinum ritus exprimit. Quarto, *ex Cornelio in Epistola ad Fabianum Antiochenum*, quam recitat Eusebius *lib. 6. Historiarum c. 33.*, vbi numerat omnes hos ordines.

Nec obstant ea, quæ dicebantur de prima tonsura, & Episcopatu ex mente Canonistarum, qui pluribus mouentur 6
Referuntur argumenta probantia primam tonsurã esse Ordinem.
ad afferendum præcipuè primam tonsuram esse ordinem, & primo *ex c. cum contingat de ætate, & qualitate ordinand.*, vbi vocatur ordo Clericalis, quo nomine appellat etiam eandem *Glosa in c. nullus de tempor. ordin. in 6. in verbo Tonsura*. Secundo, quia tonsurati gaudent clericalibus priuilegijs, quorum sunt incapaces laici iuxta textum *in c. 2. de Instit. & c. ex literis de transact.*, & beneficio canonis, *si quis suadente*, vt notat *Glosa in d. c. cum contingat*. Tertio, quia *Concilium Trident. sess. 14. de reformat. c. 2.* æque suspendit Episcopum alienum tonsurantem subditum alterius Episcopi sine huius facultate, ac suspendat sine tali licentia initiantem minoribus ordinibus *sess. 23. de reformat. c. 4., & 6.* Non obstant, inquam, quia gratis omninò dicitur prima tonsura ordo, quod si *in d. c. cum contingat*, vocetur 7
Eadem argumenta dissoluũtur.
ordo, est latissima vsurpatio ad significandum statum quendam personarum ab alijs distinctum, non ad significandam potestatem quandam exercendi certum ministerium Diuino Sacrificio exhibendum; Nec ex eo, quod gaudeant tonsurati Clericalibus priuilegijs, & beneficio canonis, *si quis suadente*, infertur, quod prima tonsura sit ordo, cum sufficiat pro huiusmodi gaudimento, quod quis sit adscriptus Ecclesiasticę Reipublicæ, nam

etiam solemniter professi in approbata Religione huiusmodi gaudent priuilegijs, nec tamen solemnis professio dicitur, & est ordo. Minus officit id, quod dicebantur *de Concil. Trident.* æquè damnante Episcopum tonsurantem alienum subditum, ac ipsum ordinantem in minoribus sine licentia proprij Episcopi, quandoquidem prohibitio, & pæna comminata non est ratione ordinis, sed ratione deturbatæ quodamodo iurisdictionis, ad effectum, ne quis in alienam messem falcem immittat, & ne in Ecclesiastica Republica confusiones oriantur.

Cæterum, quod prima tonsura non sit ordo conuincentibus rationibus euincitur; & primo argumento quasi negatiuo, quia SS. PP., & Concilia, quæ supra adduximus quæque singillatim omnes ordines retulerunt, nullam penitus in illorum computatione mentionem fecerunt de prima tonsura; improbabile etenim videtur, quod, dum solliciti, vel sollicita fuerunt ad omnia, & singula referenda, & recolenda, omiserint primam tonsuram, si hæc etiam inter eosdem ordines computaretur. Secundo, quia Concilium Trident. sæpè loquens de prima tonsura eandem segregat à minoribus ordinibus sic *sess. 23. c. 2.* asserit. *Vt qui cum Clericali tonsura insigniti sunt per minores ad maiores ascendant*; rursus *eadem sess. c. 6. Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimumquartum annum beneficium possit obtinere*; in quo vtroque loco vides concipere tonsuram, vt à minoribus ordinibus distinctam; ad quid etenim, si sub minoribus ordinibus, seu inter eosdem comprehenderetur, non ipsam cum illis comprehendere? Sicuti vno sermone minorum ordinum vnum, ab altero non distinguit, cur eodem sermone non comprehendit etiam primam tonsuram, si esset ordo, quin potius illam à reliquis sub vno sermone conceptis distinguit? Signum satis clarum, quod Tridentinum inter ordines minores primam tonsuram non computet. Hoc idem colligitur *ex catechismo Romano de Sacramento ordinis*, vbi primam tonsuram, non ordinem, sed præparationem ad ordinem appellat, ibi- *Vt enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus præparari solent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur tanquam aditus ad ordinis Sacramentum illis aperitur*. Ex quibus ad rem nostram sic argues. Ex catechismi dispositione ita comparatur tonsura ad ordines, sicuti exorcismi ad baptismum, & sponsalia ad matrimonium, sed exorcismi, & sponsalia non sunt baptismus, nec matrimonium, ergo neque prima tonsura erit propriè ordo.

8 *Suadetur primam tonsuram non esse ordinem*

Nec item obstant ea, quæ dici possunt de Episcopatu, quod scilicet sit ordo, & vtique distinctus ab ordine Presbyteratus, & per consequens plusquam septem sint ordines; Non obstant, inquam, quia quidquid sit, quod Episcopatus sit ordo, nec ne, de qua re infra agemus ex professo, pro nunc sufficiat dicere, quod dato etiam, quod sit ordo, non sit tamen perfectè distinctus, & adequatè à Sacerdotio, cum nihil aliud sit, quam Sacerdotium magnum, & Episcopus comparatur ad simplicem Sacerdotem, sicut adultus ad impuberem, & sicuti factus vir non distinguitur à se ipso, vt erat impubes, nisi secundum maiorem perfectionem, ita factus Episcopus non distinguitur à se ipso, vt Sacerdote, nisi secundum maiorem extensionem, & perfectionem.

9 *Episcopatus non est ordo distinctus à Sacerdotio.*

Nec item obstant, quæ ex D. Ignatio numerante inter ordines etiam cantores, & laborantes, hoc est sepellientes mortuos, dicebantur. Non obstant, inquam, quia ibi D. Ignatius non numerat solum Ecclesiasticos ordines, sed salutat singillatim omnes, qui exercebant spiritualia munera in Ecclesia Antiochena, cuius ipse erat Episcopus, qualia erant mortuos sepellire, Ecclesiam defendere, acta eiusdem in scriptis redigere &c. Cæterum, vbi Concilia speciatim agunt de ordinibus, non ea munera recitarunt, sed septem præcisè recensitos ordines, & in specie *Concilium Cartaginense IV., & Trident. in loc. cit. supra.*

Explicatur mens D. Ignatij.

ARTICVLVS II.

An omnes recensiti septem Ordines sint Sacramenta.

SVMMARIVM.

Sententia asserens quatuor minores ordines, & Subdiaconatum non esse Sacramenta, eiusque rationes. 1.

Sententia asserens Diaconatum non esse Sacramentum. 2.

Rationes pro hac sententia. 3.

Refertur error sectariorum negantium ordinem esse Sacramentum, & proinde etiam Sacerdotium. 4.

Omnes ordines sunt verè, & propriè Sacramentum. 5.

Concilium Tridentinum indefinitè statuit ordinationem esse Sacramentum. 6.

Propositio indefinita, quando est à lege communi equiualet vniuersali. 7.

Euincitur etiam ex Concil. Florent. 8.

Signantèr probatur Subdiaconatum esse Sacramentum. 9.

Idem

Idem euincitur de Diaconatu. 10.
Idem de Sacerdotio. 11.
Reprobantur argumenta probantia ordines minores non esse Sacramenta, & ostenditur eos esse à Christo Domino institutos. 12.
Apostoli non instituerunt Diaconatum, sed à Christo institutum executi sunt. 13.
Soluuntur argumenta contra ordinem Presbiteratus. 15.

NOn defuerunt, qui quatuor minores ordines, & etiam Subdiaconatũ negarint esse Sacramentũ, tum ex Theologis, tum ex canonistis, & quidem Subdiaconatum non esse Sacramentum asseruerunt *Durandus in 4. dist. 24. q. 2., Caietanus tom. 1. Opusculorum tract. 11., & 3. part. q. 64. art. 3., Martinus de Aiala lib. de tradit. Apost. c. 1. de ordine*; quod idem firmarunt de ordinibus minoribus *Sotus in 4. dist. 24. q. 1. nu. 4. concl. 6., Nauarrus in mau. c. 22. nu. 18., & alij plures*; quorum rationes hæ sunt; & primo, quia non constat, huiusmodi ordines fuisse à Christo Domino institutos, cum de illis nulla fiat in diuinis literis mentio, nec in antiquis Pontificalibus vlla determinata forma horum ordinum reperiatur, quinimo *Vrbanus II. in c. nullus in Episcopum dist. 60.* apertè asserit, *Sacros ordines dicimus Presbiteratum, & Diaconatum; hos siquidem solos primitiua legitur habuisse Ecclesia*; vndè inferunt, quod reliqui Ordines fuerunt pro varietate temporum ab Ecclesia instituti, ergo non sunt Sacramenta, cum solum Auctor Sacramentorum fuerit Christus Dominus. Secundo, quia per huiusmodi ordines minores, & per Subdiaconatum nulla confertur potestas, quæ non possit licitè à laicis exerceri ad differentiam Diaconatus, & Presbiteratus, quorum munera solum exerceri possunt ab initiatis huiusmodi ordinibus; potestas etenim, quæ conferri potest in minoribus ordinibus, & Subdiaconatu est deseruire Diacono in Missa, deferre vrceolos, aut candelabra, profetias legere, aut ianuam Ecclesiæ custodire, quæ omnia præstari possunt à laicis.

1 *Sententia asserens quatuor minores ordines, & Subdiaconatum non esse Sacramentum.*

Rationes pro hac sententia.

Non defuerunt item, qui negarint Diaconatum etiam esse Sacramentum, & inter cæteros *Durandus in 4. dist. 24. q. 2., Caietanus tom. 1. Opusc. tract. 11., & 3. part. q. 64. art. 3., Michael Medina de sacr. hom. continentia c. 26., Dominicus Camerata de Sacram. tract. de Sacram. Ord. c. 1. dub. 5.* Mouentur ad hoc pluribus rationibus, & primo, quia asserunt Diaconos, non à Christo Domino, sed ab Apostolis fuisse institutos, quod colligunt ex *Origene hom. 25. in Matthæum ex D. Cyprian. lib. 3. Epist. 9. ex D. Hieronymo in Epist. ad Eugenium, & ex Damaso Epist. ad Episcop.*, Sacramenta autem solum à Christo Domino sunt instituta. Secundo, quia quando plures actiones confluunt ad vnum terminum tanquam ad finem illa sola actio habet rationem consecutiuam illius effectus, quæ immediatè illum attingit, sed solum Presbiteratus immediatè attingit effectũ, ad quem ordines referuntur, nempè Eucharistiam, pro qua conficienda ordo est institutus, ergo ille solus habet maiorem Sacramenti. Maior apertè euincitur etiam in materia Sacramentorum, & signantèr baptismi, in quo plures actiones concurrunt, nempè exorcismi, vnctio olei, catechismus &c. & tamen sola ablutio habet rationem Sacramenti, & consequitur illius effectum, aliæ autem actiones se habent solum tanquam dispositiones. Minor etiam probatur, quia omnes ordines habent habitudinem ad Eucharistiam, tanquam ad vltimum, & propriũ terminum; Eucharistia autem immediatè solum à Sacerdote attingitur; Tertiò, quia nullus ordo excepto Sacerdotali confert aliquam potestatem conficiendi, seu ministrandi alia Sacramenta, ergo solus ordo Sacerdotalis erit verum, & proprium Sacramentum; Quarto, quia antiquitus in primordijs Ecclesiæ nulla erat præscripta determinata materia, nec certa forma, vt colligitur ex antiquis Pontificalibus, & latè tradunt *Caietanus, & Durandus loc. cit.*

2 *Sententia negans Diaconatum esse Sacramentum.*

3 *Rationes pro hac sententia.*

Non defuerunt alij, hæretici tamen, inter quos *Lutherus lib. de captiuitate Babilonica cap. de ordine, Kemnitius 2. part. examinis Concilij Trident. disp. de ordinis Sacramento, Melancthon in libello*, quem contra Anabatistas scripsit, qui docuerunt ordinem non esse Sacramentum, adeoq; ab eiusdem ratione excludunt etiam Presbiteratum; Mouentur primo ex illo *Augustini tract. 80. in Ioannem, accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; in ordinatione autem, quæ fit à Catholica Ecclesia nullum interuenit elementum, adeoque nec Sacramentum. Secundo, quia Christus Dominus in ordinatione Apostolorum in Sacerdotes solum in eos insufflauit dicens, *Accipite Spiritum Sanctum*, nec adhibuit vnctiones, nec instrumenta, quibus vtitur Ecclesia; hæc autem in ordinatione illis vnctionibus, illisque instrumentis vtitur, non tamen insufflatione, ergo; ordinatio Ecclesiæ Romanæ non est Sacramentum. His tamen omnibus non obstantibus sit

4 *Refertur error Sectariorũ negantium Sacerdotiũ esse Sacramentũ.*

Assertio. Omnes ordines, siue minores, siue maiores sunt verè, & propriè Sacramentum. Est communis apud Theologos, eamque quoad minores ordines sustinent

5 *Omnes ordines sunt propriè Sacramentum*

tinent *D. Bonauentura in 4. dist. 24. art. 2. D. Thomas ibid., & 3. part. q.22. art. 2. in addit., Valentia tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 4. in fin., Bellarminus tom. 3. de Sacrament. Ordinis c.7., & 8., Marchinus tract. de Sacrament. Ordinis in communi part. 1. de natura, & quidd. ordinis c.8. proposit. 2. nu. 13.* qui, quamuis *in propositione* 1. docuerit sententiam negantem huiusmodi ordines esse Sacramentum esse probabilem, probabiliorem tamen hanc nostram diudicat, *Homobonus tract. 3. de art. circa examen 1. tonsuræ, & min. ord. c.8. q. 69.*, &, si hoc afferunt de minoribus ordinibus, à fortiori idem sentire debent de maioribus, & præcipuè de Presbiteratu, ad quem reliqui omnes ordinantur.

Probatur primo in vniuersum *ex Concil. Trident. sess. 23. c. 3., & can. 3.* vbi in-

6 *Euincitur ex Concilio Trid.*

definitè definit Sacram Ordinationem esse Sacramentum non distinguens inter vnum, & alterum ordinem; ergo ipsius definitio indefinitè intelligenda est de omnibus, qui sint ordines; dicta autem *sess. 23. c.7.* numerat septem ordines à nobis recensitos, ergo omnes ordines ex mente eiusdem Concilij sunt Sacramenta; Neque dicas, ad veritatem propositionis indefinitæ, quando non est in materia vel necessaria, vel impossibili, sufficit, quod verificetur de aliqua parte, quæ contineatur sub illa propositione; sic indefinita est hęc propositio homo currit, nec requirit pro eius verificatiuo, quod omnes homines currant, sed sufficit, quod vnus, vel alter currat, quod secus esset, vt innueram, si esset indefinita, vel in materia necessaria, vel impossibili, quia tunc æquiualeret propositioni vniuersali, vt si diceretur homo est animal, homo non est equus, nam tunc ad veritatem eiusdem requiritur, quod omnes homines sint animal, omnes non sint

7 *Propositio indefinita, quando est à lege communi æquiualet vniuersali.*

equus; Propositio autem Concilij indefinita de sacra ordinatione non est in materia necessaria, nec impossibili, ergo ad eius veritatem non requiritur, quod de omnibus ordinibus verificetur, sed sufficiet, quod verificetur de aliquibus, puta de maioribus; Contra enim impugnaberis, quia propositio indefinita non solum habet vim vniuersalis, quando est in materia necessaria, vel impossibili, sed etiam, vt ingenuè fatetur *Marchinus* auctor huius instantiæ *d. tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 1. c. 8. prop. 2. nu. 17. vers. quartus casus est*, quando à lege communi, vel municipali profertur, & quando præsumitur à legislatore vniuersaliter proferri; Quis autem dubitet leges Concilij vniuersalis haberi pro lege communi? Deinde, cum concilium eodem contextu assignet naturam, & formam pro omnibus ordinibus, non solum maioribus, sed etiam minoribus, & deinde sine vlla restrictione dicat ordinationem esse Sacramentum, vtique prȩsumendum est, voluisse propositionem indefinitam extendi ad omnes.

Hoc idem, quod ex mente Concilij Tridentini ad rem nostram deduximus, etiã ex Concil. Florentino in literis Eugenij, 8

Euincitur etiã in Concil. Florent.

& fortè etiam clariùs deducitur, vbi dicit *sextum Sacramentum est Ordo, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo*, & deinde exemplificat assignando materiam omnium ordinum non solum maiorum, sed etiam minorum. Cum ergo primo in genere statuat, Ordinem esse Sacramentum, & deindè numeret species omnium ordinum sine vlla penitus restrictione, certò deducitur, quod voluerit omnes illas species contineri sub illo genere, adeoque omnes participare de ratione generica Sacramenti.

Probatur secundo in specie de ordine Subdiaconatus, quia hic à SS. PP., & à Concilijs ad maiores, & sacros ordines 9

Signanter probatur Subdiaconatũ esse Sacramentum.

refertur, vt videre est *in Epistola D. Ignatij ad Antiochenses, apud Tertullianum lib. de præscript. cap. 41. apud Ciprianum Epist. 55. apud Concil. Rom. III. sub Siluestro, Eliberitan. c. 33. Cartagin. IV. c.5., & seq. Trid. sess. 23. c.2.*, ergo eodem modo de isto erit discurrendum, quo de duobus alijs maioribus, & sacris ordinibus; sed, vt infrà constabit, Ordo Diaconatus, & Presbiteratus sunt verè, & propriè Sacramentum, ergo etiam tale erit ordo Subdiaconatus; Neque dicas ex computatione præcisè Subdiaconatus inter ordines maiores, & sacros, non benè inferri conuenientiam eiusdem cum reliquis maioribus in ratione Sacramenti, quandoquidem in collatione eiusdem non interueniunt ea, quæ indicant collationem gratię, quę propria est Sacramentorum, sicuti interueniunt in collatione Diaconatus, & Presbiteratus, in quibus teste *D. Luca Act. 8.* fit manuum impositio cum collatione Spiritus Sancti, hoc est gratiæ eiusdem ibi *Orantes imposuerunt manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, quod etiam euincitur ex modo ordinationis Diaconi, in qua Episcopus dicit, *Accipe Spiritum Sanctum*. Contra enim impugnaberis, quia ad rationem Sacramenti non est necesse, quod in eius collatione fiat expressa mentio gratiæ sanctificantis, quæ confertur, cum hæc ex natura Sacramentorum consequatur, vt videre est in cæteris omnibus Sacramentis. Quod, si fiat eiusdem mentio in collatione ordinis Diaconatus, & Presbiteratus, hoc non est ad infe-

inferendam rationem Sacramenti, cum Sacramentum non conferatur per illa verba, sed quando oblata congrua materia Episcopus dicit *Accipe potestatem &c.* sed ad indicandam specialiorem dignitatem talium ordinum, qui, cum immediatiùs versentur circa Eucharistiam, præferunt quandam præeminentiam supra cæteros, adeoque exigunt specialiorem quandam Spiritus Sancti assistentiam in ordine ad sua munera exercenda.

10 *Idem euincitur de Diaconatu.* Probatur tertio in specie de Ordine Diaconatus primo *ex D. Dionisio de Eccles. Hierarchia c. 5.* vbi ponit principalius, seu inter principaliores gradus huius hierarchiæ Episcopum, Sacerdotem, & Diaconum, quod incongruè præstaret, si simul cum Episcopatu, & Sacerdotio Diaconatus non esset Sacramentum, quod idem videtur innuisse *Vrbanus II. relatus in c. nullus in Episcopatum dist. 60.* vbi pro sacris Ordinibus sumit Presbiteratum, & Diaconatum. Secundo ratione, quia Sacramentum est signum sensibile inuisibilis gratiæ; sed huiusmodi est ordo Diaconatus, quandoquidem in eius collatione, siuè fiat per manuum impositionem, siue per oblationem materiæ cum debita forma, signa sensibilia adhibentur, & specialius in eodem, vt supra dicebamus, significatur collatio gratiæ per illa verba, *& accipiebant Spiritum Sanctum, Accipite Spiritum Sanctum*, ergo &c. ergo est propriè Sacramentum.

11 *Idem de Sacerdotio.* Probatur quarto specialitèr quoad ordinem Presbiteratus; primo, quia omnia Concilia, omnes Sancti PP., omnes Pontificum Sanctiones clamant septem esse Ecclesiæ Sacramenta, & inter eadem ordinem computari; vel ergo omnes ordines constituunt hoc Sacramentum, vel aliquis determinatus, & in particulari, si omnes; iam omnes, vt Sacramenta inadæquata vnum constituent adæquatum, non enim comparantur ad inuicem, vt vnum tanquam materia se habeat ad alterum, sed, vt vnum tanquam pars cũ altero constituat totum; si aliquis ordo determinatus, & in particulari constituit hoc Sacramentum, potius hæc ratio tribuenda est ordini Presbiteratus, qui potior est in ordine ad alios omnes, quam alteri ipsi inferiori, ergo quomodocunq; sumatur ordo vt constituens Sacramentum, semper verificabitur de Sacerdotio.

Sacra pagina hoc euincunt. Secundo, idem ex sacris paginis euincitur, per quas ostenditur in collatione talis ordinis Sacerdotalis conferri gratiã sanctificantem sic *2. ad Timoth. 1.* legitur *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*; quod pluries in consimilibus terminis dispositum reperitur in Epistolis D. Pauli; per impositionem autem manuum Apostoli consecratus fuit Thimotheus in Sacerdotem Christi; quibus positis sic argumẽtor; Illa manuum impositio, per quam collata dicitur gratia, est signum sensibile eiusdem; ergo est propriè Sacramentum, seu per illam constituitur Sacramentum; per illam autem est ordinatus Sacerdos, ergo eidem collatum Sacramentum Ordinis.

Et SS. PP. auctoritates. Tertio ex pluribus SS. PP. auctoritatibus eadem veritas catholica conuincitur, & primo *ex D. Gregorio lib. 4. Regum c. 5. Is, qui promouetur, benè foris vngitur, si intus virtute Sacramenti roboratur*; ex quibus verbis satis clarè colligitur per ordinationem fieri Sacramentum, & gratiam produci. Secundo *ex D. Ambrosio de dignit. Sacerdotali c. 5. Homo imponit manum, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit ponenti dextera.* Tertio *ex D. Augustino lib. 2. contra Parmenianum c. 13.* vbi loquens de baptismo, & Ordine, *Si vtrumque*, inquit, *Sacramentũ est, quod nemo dubitat, cur istud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda est.*

12 *Reprobantur argumẽta probantia ordines minores non esse Sacramenta.* Iam ea, quæ contra singulos ordines dicebantur, sunt dissoluenda; & prima quoad ea, quæ opponuntur ordinibus minoribus, dicendum est, gratis omnino dici, eosdem non fuisse à Christo Domino institutos, & licet de eisdem non fiat expressa mentio in sacris literis, habetur tamen communis traditio, cui æquè, ac sacris literis credendum est iuxtà illud *2. ad Tessalon. 2. Itaque fratres custodite traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolas nostras, & 2. ad Timot. 2. Tu ergo fili, quæ à me per multos testes audisti, commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere*; vndè meritò *Concilium Trident. sess. 6. c. 1.* docet, quod *qui traditiones contempserit tum ad fidem, tum ad mores attinentes, tanquam à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conseruatas, anathema sit.* Ad id, quod subditur, quod neque in antiquis Pontificalibus reperiatur aliqua determinata materia, nec certa forma pro huiusmodi ordinibus, dicendum est ex hoc non argui huiusmodi ordines non fuisse à Christo Domino institutos, sed tantum reliquisse Ecclesiæ determinationem materiæ, & formæ, quas ipse reliquit indeterminatas, vt latè dicendum de materia, & forma huiusmodi ordinum, vndè mirum non est, quod in eisdem Pontificalibus non fuerit de illis facta determinata mentio, cum fortè tunc non fuerit hæc materia, & forma determinata. Ad illud, quod secundo loco sub-

subdebatur, dicendum est, quod licet illa munera, ad quæ confertur potestas in collatione ordinum minorum, possint exerceri etiam à laicis, non propterea sequitur, quod non fuerit per eosdem ordines collata determinata potestas, quæ non inest laicis, quandoquidem initiati illis ordinibus exercent illa munera ex proprio officio, laici verò tantum materialitèr, & per accidens, non ex aliqua potestate sibi collata.

Quoad ea, quæ opponuntur ordini Diaconatus dicendum est SS. PP., qui videntur dixisse Diaconos fuisse non à Christo Domino, sed ab Apostolis institutos, intelligendos esse quoad executio-

13 *Apostoli non instituerunt Diaconatum, sed institutum à Christo executi sunt.*

nem, non quoad institutionem, quatenus facta a Christo Dño institutione ipsi quodamodo ipsam exequentes primi cõtulerint huiusmodi ordinem, non quatenus ipsi ipsum ordinem instituerint. Ad illud quod primo loco subditur de pluribus actionibus confluentibus ad aliquem effectũ, quod scilicet illa sola actio habeatur pro causa, quæ immediatè attingit effectum, reliquæ se habeant solum, vt dispositiones, dicendum est, hoc verum esse, quando illæ actiones præcedentes, nec ex natura sua, nec ex institutione habent causare aliquem effectum propriũ, & quasi communem cũ actione immediata principaliori, & vltimo effectui, secus, quando ex propria institutione habent causare effectum proprium, & simul disponere ad vltimatam actionem. Ita se habent ordines inferiores, alijq; maiores ad ordinem Presbiteratus, qui, quamuis immediatè solum attingat Eucharistiam, non excludit tamen alios ordines, quin in sua collatione consequantur effectum gratiæ, vndè, & ipsi ordines, quatenus ex propria institutione consequuntur effectũ gratiæ, sunt Sacramenta, quatenus verò ordinantur ad Presbiteratum tanquam ad vltimam, & principaliorem actionem, sunt dispositiones. Ad illud, quod secundo loco subditur, in primis dico falsum esse, quod per ordinem Diaconatus non conferatur aliqua potestas, licet hæc sit limitata, non absoluta; potest enim ex iusta causa ministrare Sacramentum Eucharistiæ, & etiam in multorum sententia saltem ex deputatione solemniter Sacramentum baptismatis. Deinde ad rationem Sacramenti non est necesse, quod conferatur aliqua potestas, quæ sit distincta à potestate in ordine ad munera, quæ sunt propria illius ordinis; sic satis est, quod conferatur potestas legendi solemnitèr Euangelium in Missa, inseruiendi immediatè Sacerdoti celebranti, ministrandi Eucharistiam &c. non autem requiritur, quod conferatur potestas efficiendi alia Sacramenta. Ad illud, quod subditur vltimo loco iam patet quid dicendum.

Quoad ea, quæ opponuntur ordini Sacerdotali, dicendum est, Hæreticos nimis materialitèr sumere verba Augustini di- 14

Soluuntur argumenta contra ordinem Presbiteratus

centis, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, dum intelligunt pro materia Sacramentorum purum elementum; Nomine enim elementi D. Augustinus intelligit rem materialem, seu signum sensibile, secus solus baptismus haberet rationem Sacramenti, cum in ipso solum adhibeatur purum elementum, nempè aqua naturalis, in reliquis verò, vel aliqua actio externa, vel mixtum. Ad illud, quod subditur, repetendum est, quod supra sæpè diximus, Christum Dominum instituisse quidem Sacramentum ordinis relinquendo materiam, & formam determinandam ab Ecclesia. Quod ipse postea Sacerdotes ordinàuerit per solam insufflationem dicens, *Accipite Spiritum Sanctum*, nihil officit, quia ipse potuit per quæcunque signa ordinare, & relinquere Ecclesiæ determinationem signorũ, quibus posteà fieret ordinatio. Deindè falsum est, quod per solam insufflationem ipsos ordinauerit, sed per traditionem materiæ dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*.

ARTICVLVS III.

An Episcopatus sit Ordo distinctus à Serdotio, & an Sacramentum.

SVMMARIVM.

Referuntur sententiæ extremè oppositæ. 1.
Si esset ordo distinctus, essent plusquam septem ordines, & septem Sacramenta. 2.
Non potest validè suscipi Episcopatus, non suscepto Sacerdotio. 3.
Ex diuersitate materiæ, & formæ inferunt diuersitatem ordinis. 4.
Episcopatus confert potestatem ad diuersa munera à Sacerdotio. 5.
Dictum D. Dionisij inferens Episcopatum producere caractherem. 6.
Auctoritates SS. PP., & Conciliorum probantes Episcopatum esse ordinem. 7.
Probabilius est, non esse ordinem, nec Sacramentum distinctum à Sacerdotio. 8.
Ordines sunt instituti propter Eucharistiam tanquam finem. 9.
Episcopatus est potius dignitas, quam ordo. 10.
In consecratione Episcopi non interuenit materia, & forma propriè sumpta. 11.
Ex diuersitate actionis non benè arguitur diuersus ordo. 12.

Pote-

ARduam sanè, & difficultatibus pluribus obnoxiam quæstionem aggredimur, in qua DD. Catholici tùm Theologi, tùm Canonistæ in duplicem classem diuisi acritèr inter se diffident, dum alij volunt Episcopatum nec esse ordinem distinctum à Sacerdotio, nec Sacramentum, alij verò & esse ordinem distinctum, & Sacramentum.

1 *Sententia negans esse ordinẽ, & Sacramentum.*

In classe negante esse ordinem, & Sacramentum numerantur *Abbas in c. ex literis de excessibus Prælat., Alexander Alensis 4. part. q. 20. memb. 8. art. 1., D. Thomas in 4. dist. 24. q. 3. art. 2., & in addit. ad 3. part. q. 40. art. 5., Sotus lib. 10. de iust., & iur. q. 1. art. 2., Reginaldus tract. 1. lib. 30. nu. 5., Bonacina de Sacramentis disp. 8. q. vnica punct. 1. nu. 3., & alij innumeri*. In secunda affirmante recensentur *Nauarrus in man. c. 22. nu. 18., Sotus in 4. dist. 24. art. 2., Michael Medina lib. 1. de cælibatu c. 16., Bellarminus lib. 1. de Sacram. ord. c. 5., Coninchus de Sacramentis disp. 20. dub. 2. num. 9., Toletus lib. 1. summæ c. 71., Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 1. c. 11. num. 2.*

Sententia affirmans.

Pro prima classe negante sequentes militant rationes. Prima deducitur ex vnanimi Ecclesiæ consensu, secundum quem septem tantum numerantur ordines, & septem tantum Sacramenta, sed hic septenarius numerus tàm quoad ordines, quàm quoad Sacramenta non saluaretur, si Episcopatus esset ordo distinctus à Sacerdotio; & Sacramentum, ergo &c. Minor probatur quoad primam partem, quia iam supra septem recensitos ordines numeraretur Episcopatus, qui vtpotè distinctus non posset contineri in aliquo ex prædictis; quoad secundam etiam sic

2 *Si esset ordo distinctus essent plusquã septem ordines, & septem Sacramenta.*

euincitur, quia dato, quod sit ordo, & Sacramentum distinctum à Sacerdotio, non constitueret cum illo vnum Sacramentum, ergo tanquam distinctum octauum constitueret; nec valet dicere, quod sicuti cæteri ordines, quamuis sint distincti inter se, constituunt vnum adæquatum Sacramentum simul cum Sacerdotio, ità ijdem ordines simul cum Sacerdotio constituant vnum Sacramentum cum Episcopatu, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio; Non valet, inquam, quia cæteri ordines simul cum Sacerdotio ordinantur ad vnum, & eundem effectum, & finem Eucharistiæ conficiendæ, quo fine habito per Sacerdotium, non est cur vlterius progrediatur, cum igitur Episcopatus non possit esse ad hunc finem, si est ordo, & Sacramentum distinctum, vt asserunt contrariæ sententiæ assertores, non potest non constituere diuersum ordinem, & Sacramentum.

3 *Non potest valide suscipi Episcopatus non suscepto Sacerdotio.*

Secundo, quia, si esset ordo, & Sacramentum distinctum à Sacerdotio posset validè, quamuis illicitè suscipi Episcopatus non suscepto Sacerdotio, & confici Eucharistia non suscepto ordine Sacerdotij; hoc autem non videtur posse dici, cum sit contra cõmunem Ecclesiæ sensũ, ergo Episcopatus non est ordo distinctus, nec Sacramentum. Maior probatur, quia, sicuti, si quis reciperet ordinem Presbiteratus ante Diaconatum, validè illum reciperet, & posset validè, quamuis illicitè, conficere Eucharistiam, quia Presbiteratus est ordo distinctus, & eminentèr continet Diaconatum, ita, si quis Episcopatum reciperet ante Sacerdotium, validè illum reciperet, & posset Eucharistiam conficere, si esset ordo distinctus, & Sacramentum.

Tertio, quia *Tridentinum sess. 23. c. 1., & 2.* numerans omnes ordines, quos in septennario numero constituit, nullam penitus mentionem fecit de Episcopatu, ergo, quia intelligit inter ordines non numerari; cæteroqui non foret adæquata numeratio, nec præsumendum est, quod Concilium, quod in omnibus tàm exactè procedit, omiserit rem tanti momenti, si esset reuera Episcopatus ordo, & Sacramentum.

4 *Ex diuersa materia & forma inferunt diuersum ordinem*

Pro secunda classe affirmante stant sequentes rationes; prima, quia, vbi est distincta materia, & distincta forma, ibi est distinctus ordo, & Sacramentum, sed in ordinatione Episcopi est distincta materia, & forma ab illa ordinationis Sacerdotis, ergo & distinctus ordo, & distinctumSacramentum. Maior patet, quia distinctio vnius complexi ab altero desumitur à distinctis componentibus, & intrinsecè cõstituentibus. Minor quoad distinctam formam constat ex Pontificalibus; quoad materiam ex eo deducitur, quod in multorum sententia materia Episcopatus est manuum impositio, vel sacra capitis vnctio; materia verò Presbiteratus est traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino, quæ duo sunt valde diuersa.

5 *Episcopatus dicit diuersa munera.*

Secundo, quia per Episcopatum confertur, & vtiquè per signum sensibile spiritualis potestas ad spiritualia munera, nempè ad ordinandum, & confirman-

mandum, quæ potestas non confertur per Sacerdotium, ergo confertur etiam specialis, & distinctus ordo, qui nihil aliud est, quam signum quoddam, per quod confertur spiritualis potestas.

6 *Dictum D. Dionysij inferens Episcopatum gignere characterem.* Tertio, quia in ordinatione Episcopi eidem confertur gratia sanctificans, & in eodem imprimitur caracther, per quem deputatur ad spiritualia munera, ergo proprius, & distinctus ordo confertur. Antecedens probatur primo ex *D. Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia c. 5.*, vbi sic loquitur *Episcopo, Sacerdoti, & Diacono virtus sacratior, habitusque infunditur*, nomine autem virtutis ibi intelligatur character, nomine habitus gratia sanctificans. Secundo, quia ex vna parte, dum Episcopus ordinatur, eleuatur ad dignitatem, quæ in sui executione gratiam requirit, ergo eandem gratiam in receptione illius dignitatis debet à Deo consequi; ex alia parte, cum recipiat in talis dignitatis susceptione potestatem realem, & indelebilem confirmandi, & instituendi Ecclesiæ ministros, vtique debet recipere characterem, per quam illa indelebilis potestas acquiratur. Tertio, quia infallibile est, quod, quando Episcopus in sacra ordinatione dicit, *Accipe Spiritum Sanctum*, verè, & realitèr conferatur eiusdem Spiritus Sancti gratia, vt definit Concil. Trident. *sess. 23. can. 4.* sed in ordinatione Episcopi dicitur, *Accipe Spiritum Sanctum*, ergo verè, & propriè eiusdem gratia confertur.

7 *Auctoritates SS. PP. euincentes Episcopatū esse ordinem.* Quarto, quia Summi Pontifices, & Concilia non obscuris verbis tradiderunt Episcopatum esse ordinem, & vtique à Sacerdotio distinctum; hoc indicauit *Damasus Papa Epist. 4.* dum dixit, *Quia, vt præfixum est, Ordines sunt duo tantum primi in Ecclesia, idest Apostolorum, & septuaginta duorum discipulorum*; nulli autem dubium esse potest quin Episcopi, & Sacerdotes sint successores Apostolorum, & Discipulorum, ergo cum ordines illi duo sint distincti, erunt etiam distincti ordines Episcoporum, & Sacerdotum; Hoc expressè tradidit Concilium Cartaginense IV. vbi distinguens ordines, & à supremo incipiens refert Episcopi Consecrationem, subinde descendit ad ordinationem Sacerdotis, & sic successiuè ad reliquos ergò verè Pontifices, & Concilia sentiunt, Episcopatum esse ordinem, & vtique distinctum à Sacerdotio. Quid iam in hac controuersia resoluendum?

8 *Probabilius non est ordo distinctus.* Assertio. Probabilius esse non esse ordinem, nec Sacramentum distinctum à Sacerdotio. Consentiunt omnes pro prima classe negante allegati, & præcipuè *D. Thomas loc. alleg.* cuius auctoritati hac in re multum deferendum existimo.

Rationes pro prima classe adductæ videntur concludentèr procedere, eamque conuincentèr probare. Fortius tamen in hoc insisto, quod omnes ordines instituti sunt propter Eucharistiam, quia in hac est status graduum, & ordinum ascendentium, ergo cum ad illam fuerit peruentum, in gradibus ordinum non est ascendendum, quia non est necessaria vlterior via, vbi peruentum fuerit ad metam vltimato intentam; per Sacerdotium autem ad eandem Eucharistiam peruentum est, ergo vltra gradum eiusdem Sacerdotij non est alius gradus ordinis. Intra tamen eundem gradum ordinis Sacerdotalis numerantur distinctiones dignitatum, & officiorum, quæ non constituunt diuersum ordinem, Archipresbiter, Episcopus, Archiepiscopus &c. & sic Episcopatus, prout concernit ordinem Sacerdotij potest dici ordo, sed prout quid vltra Sacerdotium importat, dicendus est dignitas, vndè Magister sententiarum *in 4. dist. 24. in lit.* dicit, quod Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarcatus &c. non sunt nomina ordinum, sed nomina dignitatum. 9 *Ordines sunt instituti propter Eucharistiam.*

Fortior ratio pro hac nostra assertione erit solutio contrariarum rationum. Ad primam dicendum est procedere ex falso supposito; supponit enim in Consecratione Episcopi intercedere materiam, & formam, eo modo quo intercedit in ordinatione Sacerdotis, quod tamen verum non est, nisi per quandam similitudinem, eo modo, quo in collatione primæ tonsuræ considerari potest tonsio capillorum tanquam materia, & prolatio verborum tanquam forma, cum tamen nec materia, nec forma propria interueniat, cum nec sit ordo, nec Sacramentum. Quamuis igitur illud, quod in consecratione Episcopi concipitur tanquam materia, & illud, quod concipitur ad modum formæ, sint quid diuersum à materia, & forma Sacerdotij, non propterea arguitur, quod consecratio Episcopi sit diuersus ordo ab ordinatione Sacerdotij, sicut ex eo, quod concipiatur, vt materia primæ tonsuræ tonsio capillorum, & verba, quę tunc proferuntur per modum formæ, quæ sunt diuersa à materia, & forma ostiariatus, non benè arguitur, quod prima tonsura sit ordo distinctus ab ordine ostiariatus. Probandum igitur erat primo, quod Episcopatus esset ordo, & Sacramentum, & deindè ex diuersitate materiæ, & formæ eiusdem ab illa Sacerdotij inferre diuersitatem ordinis, quod rectè processisset; at assignare aliquod conceptum per modum materiæ, & aliquod 10 *Episcopatus est dignitas.* 11 *In consecratione Episcopi non interuenit materia, & forma.*

per

per modum formæ, & ex diuersitate eorundem inferre diuersitatem ordinis non est congrua illatio; Quamobrem *D. Bonauentura in 4. dist. 24. q. 3. in resolutione quæst.* asserit consecrationem Episcopi esse potius sacramentale, quam Sacramentum.

12 *Ex diuersitate actionis non benè arguitur diuersus ordo.*

Ad secundam dico, non quamcunque actionem, nec quodcunque signum sensibile habere rationem ordinis, vel Sacramenti distincti, vt videre etiam est in ordinatione Sacerdotis, in quo duplex potestas confertur, & duplex interuenit actio distincta, altera qua confertur potestas in Corpus Christi Domini reale, altera, qua confertur potestas in corpus misticum eiusdem, nec tamen duplex ordo confertur, nec duplex constituitur Sacramentum, sed in essentia completur ordo, & Sacramentum in prima actione, & in eadem imprimitur character, in secunda postea solum perficitur, & quodamodo augetur. Hoc igitur etiam dicendum est in casu nostro, quamuis enim in ordinatione Sacerdotis, & in consecratione Episcopi duplex actio sensibilis interueniat, nam in prima interuenit traditio patenæ cum pane, & calicis cum vino, & consueta forma, & in secunda manuum impositio cum illis verbis *Accipe Spiritum Sanctum*, non tamen duplex ordo, nec duplex Sacramentum constituitur, sed vnus tantum, qui in substantia ponitur in prima actione, & in quo etiam imprimitur character, & solum in secunda perficitur, & ampliatur; Nec obstat disparitas, quæ potest assignari, quod scilicet duplex illa potestas, quæ confertur in eadem ordinatione eodem quasi contextu, & actione continuata conferatur, vbi potestas, quæ confertur in consecratione Episcopi, non eodem contextu, & actione continuata, sed pro diuerso tempore, & actione omnino disparata tribuatur; Non obstat, inquam, quia etiam secunda potestas in corpus misticum Christi Domini potest ex interuallo conferri, & actione discontinuata, nam, si Episcopus ordinans post collatam primam potestatem inopinato fato decederet, curandum esset, vt notat *Homobonus de exam. tract. 4. de art. circa exam. ad Sacerd. c. 8. q. 76.*, vt huiusmodi potestatis collatio tanquam ad absoluendum essentialis per alium Episcopum suppleretur.

Difficultas solummodo aliqua in hoc versari potest in explicando, in quo consistat illa maior perfectio, seu ampliatio, quæ inducitur in ordinatione Sacerdotij per illam secundam potestatem in ordine ad corpus misticum Christi Domini, & in consecratione Episcopi per potestatem ordinandi, & confirmandi; vel etenim entitatiuè augetur character, in quo augmento, & perfectione entitatiua fundantur illæ potestates, quæ de nouo conferuntur, vel solum importatur quædam habitudo eiusdem characteris prima impressio, & relatione; si primum dicatur; iam noua entitas characteris inducitur, quæ, cum sit quid reale indelebilitèr animæ inhærens, & certè distinctum à primo charactere, vtique nouum characterem constituit, adeoque nouum ordinem, & Sacramentum; si dicatur secundum; nō videtur congruè dici; cum etenim potestas, quam acquirit Sacerdos in secunda actione, absoluendi, & illa, quam acquirit in consecratione Episcopus ordinandi, & confirmandi, sit realis, non videtur in sola habitudine, & relatione posse fundari. Dicendum est igitur, illam maiorem perfectionem, seu quasi ampliationem non importare aliquam entitatem distinctam a charactere Sacerdotij, sed eandem prout coniungitur cum noua aliqua actione, ratione cuius illa prior entitas characteris ad plures effectus extenditur. Hoc exemplificari potest in entitate animæ rationalis, quæ indiuisibilis est, quæ prout recipitur in fætu nondum perfectè formato, exercet solummodò operationes animæ vegetatiuæ, prout postea corpus magis perficitur, & perfectius disponitur, exercet vim sensitiuæ; prout tandem corpus est completè perfectum, vim etiam obtinet ad operationes rationales; sicque ad rem nostram dico, quod character, qui imprimitur in ordinatione Sacerdotis, prout coniungitur solum cum actione prima collationis eiusdem ordinis, vim tribuat solummodo in Corpus reale Christi Domini, prout coniungitur cum secunda actione, nempe impositione manuum, & illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* vim tribuat etiam in corpus misticum eiusdem, prout tandem coniungitur cum consecratione Episcopali, vim tribuat ad specialia munera in eodem corpore mistico abeunda.

13 *In quo fundatur potestas Episcopus ad altiora munera.*

Ad tertiam patet ex mox dictis, quod respondendum; Non enim in consecratione Episcopi imprimitur nouus character, nec noua gratia, sed tantum designatur antiqua; nec aliquid euincit id, quod primo loco subditur ex D. Dionisio, quandoquidem ibi distinguens ordines superiores ab inferioribus dicit, quod primis infundatur virtus, & habitus sacratior, quatenus potestas, quæ illis conceditur, magis ad Sacramentum Eucharistiæ, quæ continet fontem omnis gratiæ, & Sanctitatis, accedit; neque ex eo,

quod numeret inter illos ordines Episcopatum, sequitur, quod hic sit ordo distin-
14 *Explicatur dictum D. Dionisij.* ctus à Sacerdotio, sed solum, quod contineat quandam eminentiam, quæ potius designat dignitatem, quam ordinis diuersitatem, nec nomine virtutis intelligitur character diuersus, & nomine habitus gratia habitualis diuersa, sed solum potestas extensior in ordine ad superiora
15 *Episcopus in sui ordinatione non recipit gratiam ex opere operato.* munera. Ad illud, quod secundo loco subditur, fateor, quod Episcopus in executione dignitatis in collatione ordinum exigat habere statum gratiæ, quia conficit vera Sacramenta, quæ ex dictis de Sacramentis in genere exigunt in conficiente gratiam, cum Sancta sint sanctè pertractanda; ex hoc tamen non sequitur, quod ipse Episcopus in sui consecratione debeat ex necessitate gratiam recipere, cum non recipiat Sacramentum, & si quam recipit, est potius ex opere operantis, quam ex opere operato. Ad illud, quod tertio loco subditur, dicendum est, Concilium Trident. loc. cit. rectè procedere, dum damnat dicentem in sacra ordinatione non conferri gratiam, cum re vera in omnibus Sacramentis feratur, adeoque, dum Episcopus ordinans dicit, *Accipe Spiritum Sanctum*, reuera eadem gratia ex vi Sacramenti infunditur; ex hoc tamen non sequitur, quod extra ordinationem, & extra Sacramentum per illa verba gratia Sacramentalis ex opere operato conferatur, sicuti nec in qualibet vnctione, nam hæc etiam adhibetur in præambulis ad baptismum, & tamen tunc gratia non confertur, quinimmò plurimi etiam docent in ordinatione Sacerdotis non conferri gratiam ex opere operato, quando Episcopus imponens manus super ordinatum dicit *Accipe Spiritum Sanctum*, sed tunc quando per traditionem proportionatæ materiæ dicit *Accipe potestatem*, quia tunc conficitur essentialitèr Sacramentum.

Ad quartam desumptam, ex auctoritate Pontificum, & Conciliorum dico ex
16 *Explicantur dicta SS. PP.* eisdem nihil euinci; Non ex prima Damasi Papæ, quia ibi non loquitur de ordinibus, prout constituunt Sacramentum ordinis, sed de illis, prout important diuersitatem munerum, secus incongruè dixisset fuisse dumtaxat duos ordines; Non ex secundo Concilij Cartag. IV., quia ibi numerat promiscuè omnia, quæ conferunt aliquam potestatem ad Ecclesiastica munera, adeoq; enim Episcopatum, non quatenus ordo est distinctus, sed quatenus dignitas est importans, prout coniungitur cum Sacerdotio potestatem ordinandi, & confirmandi, hancque diuersitatem videtur implicitè innuere, dum loquens de Episcopatu non dicit ordinationem, sed consecrationem, loquens vero de alijs loquitur in terminis simplicitèr ordinationis, quam diuersitatem videtur considerasse *D. Bonauentura in 4. dist. 24. q. 3. in respons. ad obiecta*, dum dicit, quod non dicatur propriè quem ordinari in Episcopum, sicuti dicitur propriè ordinari in Sacerdotem, sed illum magis propriè dici consecrari.

Hæc nostra opinio probata, & vindicata à contrarijs videtur etiam fundamentum non leue sumere à communi consensu Ecclesiæ agnoscentis dumtaxat septem ordines, & septem Sacramenta, quod vix videtur posse saluari in sententia constituente Episcopatum tamquam ordinem, & Sacramentum à cæteris ordinibus distinctum; Neque hic audiendi sunt, qui dicunt, quod, quamuis Episcopatus sit ordo in se ipso distinctus a Sacerdotio, nihilominus, quia inuoluit essentialitèr ordinem Sacerdotij, cum sine isto esse non possit ad diferentiam aliorū *Magis confirmatur nostra sententia.* ordinum, quorum vnus superior alium inferiorem essentialitèr non includit, cum possit validè suscipi superior sine inferiori, nō sic Episcopatus sine Sacerdotio, ideo dicatur quodamodo vnum ordinem cum Sacerdotio componere, qui propterea dicitur Sacerdotium magnum; Non, inquam, audiendi sunt, quia, si re vera est nouus ordo, debet nouū characterem producere, in quo fundaretur diuersa potestas; hic autem nouus character non potest quid vnum constituere cum charactere Sacerdotij, nisi ratione cuiusdam coordinationis, & habitudinis eo modo, quo cæteri ordines possunt dici constituere vnum ordinem adæquatè ratione coordinationis, quam habent adinuicem; sicuti igitur alij ordines non obstante tali habitudine, si considerentur secundum se, sunt distincti, & numero, & specie, ita, & Episcopatus, si reuera distinctum characterem produceret, esset ordo ab alijs distinctus, & ordines essent octo, non septem. Dicere deinde, quod Episcopatus essentialitèr inuoluat Sacerdotium, non sic alius ordo superior inuoluat essentialitèr inferiorem, non euacuat difficultatem; nam vel per ly *inuoluit* intelligunt, quod supponat, adeo vt sine præexistentia illius non possit esse Episcopatus; vel intelligunt, quod essentia Episcopatus constituatur per essentiam ordinis Sacerdotalis; si primum intelligunt, benè procedunt, at ex hoc non benè inferunt, quod vnus tantum sit ordo, cum inuoluant duos characteres, adeòque duas entitates realitèr inter se distinctas, quarum vna alteram suppo-

nit

nist antecedenter productam; si secundū intelligant; iam ordo Episcopatus esset essentialitèr imbibitus in ordine Sacerdotij, & sic non essent duo ordines distincti, sicuti non sunt duæ essentiæ distinctæ. Hoc videtur admittere *Marchinus de Sacramento ordinis in communi part. 1. c. 15. nu. 19.* dum dixit Episcopatum non esse Sacramentum à Presbiteratu omnino distinctum, quamuis asseruerit antecedentèr esse duos ordines omnino distinctos.

ARTICVLVS IV.

Quomodo omnes recensiti ordines constituant vnum, & non plura Sacramenta.

SVMMARIVM.

Numerantur varia vnionum genera. 1.
Omnes ordines non constituunt vnum Sacramentum per vnionem substantialem Phisicam. 2.
Nec per modum subsistentia, & natura. 3.
Nec per vnionem continuatiuam partium quantitatiuarum. 4.
Nec per intensiuam graduum. 5.
Nec per modum totius potentialis. 6.
Nec per modum vnitatis generica. 7.
Nec per modum vnitatis specifica. 8.
Nec per modum vnitatis numerica. 9.
Constituunt vnum Sacramentum vnitate ordinis ad finem. 10.

OMnes ordines, quamuis singuli sint Sacramentum, vnum tamen tantum copulatiuè acceptos constituere Sacramentum indubitatum est apud omnes Theologos, cum omnia concilia, omnes SS. PP. clament septem tantum esse Sacramenta, nec plura, nec pauciora; essent autem plura, si plures ordines constituerent plura Sacramenta, vt per se patet. Difficultas igitur solummodo est in explicando, qua ratione, & modo plures ordines secundum se diuersi in specie, & numero constituant vnum Sacramentum in numero, & difficultas multò magis crescit ex eo, quod non possint coalescere in vnam specificam, & numericam vnitatem, quæ sunt specie diuersa, qualia sunt ordines ad inuicem comparati, item ex eo, quod singuli ordines secundum se sint entia per se, & completa, quæ propterea vnita non possunt vnum per se constituere, cum ex duobus entibus completis, & in actu non possit vnum per se resultare; tum ex eo, quod singuli ordines producunt suum characterem, & quisque est specie diuersus ab altero.

Pro resolutione recolenda sunt varia vnitatum, seu vnionum genera; alia est vnitas complexa, seu vnio substantialis, & Phisica actus, & potentiæ, alia subsistentiæ, & naturæ; alia continuatiua partium quantitatis in continuo vnitarum; alia intensionis plurium scilicet graduum qualitatis in eadem parte subiecti inexistentium; alia ordinis, pluriū scilicet ad eundem terminum, seu finem directorum; alia quasi integralis plurium scilicet membrorum vnum totum integrantium; alia est totius potentialis in suas partes potentiales, & subiectiuas; alia, quo plura sunt vnum, vel vnitate generica, vel specifica, vel numerica. Quibus suppositis sit — 1 *Numerantur varia vnionū genera.*

Assertio. Omnes ordines non constituunt vnum Sacramentum per vnionem substantialem Phisicam actus, & potentiæ, nec subsistentiæ, & naturæ, nec continuatiuam partium quantitatiuarum, nec intensiuam plurium graduum in eadem parte subiecti, nec totius potentialis in partes subiectiuas, & potentiales, nec per vnitatem genericam, specificam, & numericam, sed quasi integralem, & per vnitatem ordinis ad finem.

Prima pars probatur, quia, vel hæc vnio per modum actus, & potentiæ esset vnio actionum, quibus conferuntur ordines, vel vnio characterum, quæ producitur ab eiusdem ordinibus, seu collatione eorundem; non prima, quia actio, qua confertur ordo Ostiariatus, cum sit transiens, non potest componere cum actione, qua confertur ordo Lectoratus, nec vna actio potest esse materia respectu alterius: non secunda, quia ipsi characteres sunt in genere qualitatum spiritualium, & supernaturalium; qualitates autem non possunt se habere per modum potentiæ, nec vna qualitas diuersæ speciei in altera recipitur. Deinde vnum complexum constans sua materia, & forma non potest habere, nec rationem materiæ, nec formæ respectu alterius; omnes autem ordines secundum se habent esse complexa, adeoque &c. — 2 *Non cōstituunt vnū per vnionē substantialem Phyficā.*

Secunda pars etiam sic euincitur, quia in esse Phisico ordines, & Sacramenta sunt composita accidentalia, quorum conditioni non competit posse subsistere; in esse verò morali, quamuis possint dici quoquo modo substantialia, subsistentia tamen circa illa non consideratur, cum etenim sit vltimus terminus Physicè perficiens naturam, illamque constituat existentem in se ipsa, non potest efficere actionem moralem, quæ in primo sui esse desinit. Deindè vel hæc subsistentia, si adesset, multiplicaretur in singulis ordinibus, vel esset vna afficiens omnes, — 3 *Nec per modum subsistētia, & natura.*

eoque

eosque vniens, & constituens in vno supposito; si multiplicaretur in singulis, adhuc remaneret explicandum, quomodo constitueret vnum Sacramentum, sicuti enim omnes ordines adinuicem comparati differunt specie, ita & subsistentia multiplicata in singulis iuxta eorum diuersitatem deberet in singulis differre. Si esset vna afficiens omnes, & constituens quodamodo in vno supposito, imperceptibile videtur, quomodo posset omnes afficere, cum pro diuersis temporibus ordines constituantur &c.

4 *Nec per vnionẽ continuatiuã partium quantitatiuarum.* Tertia pars ex eo euincitur, quod ordines non sunt in prædicamento quantitatis, sed potius actionis, si considerentur in primo suo esse; si vero considerentur quoad effectum sunt in prædicamento qualitatis, sicque non possunt quantitatem constituere continuatam, nec extensiuam. Deindè sunt qualitates supernaturales, & spirituales, si loquamur quoad effectus, quæ non exigunt subiectum extensum, continuatum, & diuisibile, quinimmo recipiuntur in anima, quæ omninò inextensa est, & indiuisibilis.

5 *Nec per intensiuã graduum.* Quarta pars sic euincitur, quia, si considerentur secundum se, constant materia, & forma omninò diuersa, quæ non possunt coalescere in vnam qualitatem intensam, si verò considerentur secundũ effectum characteris, quamuis in qualitate consistat, cum huiusmodi qualitates sint specie diuersæ, & tribuant diuersas potestates, non possunt intensionem inducere, sed ad summum quandam ordinationem.

6 *Nec per modum totius potentialis.* Quinta pars ex eo deducitur, quod, vel nomine totius potentialis intelligunt rationem genericam relatam ad sua inferiora, tanquam partes potentiales, & subiectiuas, vel intelligunt totum ex pluribus partibus integrantibus constitutũ, vel totum aliquod, ad quod alia per quandam analogiam sint reducibilia; si primum asseratur, ex mox dicendis de vnitate generica apertissimè eludetur; si secundum, non discrepat ab ijs, quæ à nobis infra statuentur; si tertium; pro hoc effectu nimis lata est acceptio, nec propriè constituit vnitatem, nam etiam iustitia potentialis dicitur totum in ordine ad virtutes, quæ sunt ad alterum, nec tamen constituit quid vnum propriè cum eisdem virtutibus, & multò minùs cum iustitia commutatiua.

7 *Nec per modum vnitatis genericæ.* Sexta pars de vnitate generica ex eo euincitur, quod nimis etiam lata sit hæc acceptio, nam licet re vera omnes ordines conueniant in genere ordinis vniuersaliter sumpti, non constituunt tamen talem vnitatem, vt dicantur constituere vnam speciem Sacramenti, vt distincti à cæteris; nam etiam omnia Sacramenta conueniunt in ratione generica Sacramenti, & tamen talis vnitas generica non est sufficiens, vt Sacramenta sint vnum. Deindè, quæ conueniunt solum in ratione generica sunt à parte rei plura, & solum quid vnum in intellectu concipiente illa ad modum vnius, sed ordines à parte rei non sunt plura Sacramenta, sed vnum, cæteroqui essent plura, quam septem Sacramenta, ergo non sunt vnum solummodò vnitate generica, quę solum est per intellectum.

Septima pars de vnitate specifica ex eo euincitur, quod singuli ordines adinuicem comparati differunt inter se specie, 8 *Nec per modum vnitatis specificæ.*
cum constet materia, & forma diuersa, & ordinentur ad effectus specie diuersos, ergo non constituunt vnitatem specificam; Neque dicas, quod, quamuis si materialitèr sumantur, differant in specie, non tamen differant, si sumantur formaliter, prout continentur sub ratione communi ordinis, ea proportionali ratione, qua actus vnius, & eiusdem scientiæ secundum se sumpti differunt in specie, secus tamen, prout continentur sub ratione formali talis scientiæ; contra enim impugnaberis, quia admissis his omnibus, quæ potius respiciunt lineam logicam, & prædicabilem, quam vnitatem ex parte rei, & realem, qualis requiritur ad constituendum vnum Sacramentum in re, dico vlteriorem requiri vnionem ad constituendum quid vnum in esse reali, prout requiritur, vt vnum rantũ quoad eos ordines constituatur Sacramentum, de qua vnione infra constabit.

Octaua pars de vnitate numerica ex eo euincitur, quod vnitas numerica, vt 9 *Nec per modum vnitatis numericæ.*
suppono ex metaphysicis desumitur ab entitate rei, sed singuli ordines habent secundum se diuersas entitates, vt constat ex diuersa materia, & forma, quæ componuntur, ergo quoad omnes ordines non potest vnitas numerica considerari. Quod, si dicas dari in compositis vnitatem numericam, quamuis conflentur ex diuersis substantijs; ergo quamuis ordines constent diuersis rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, poterunt vnitatem numericam, & compositam constituere, & si vnus ordo quamuis conflatus ex pluribus, dici potest vnus numero, cur omnes ordines, prout ordinantur tanquam partes ad constituendũ Sacramentum, non poterunt dici vnum numero constituere? statim impugnaberis, quia, si velis, quod omnes ordines propter ordinem, quam seruant ad inuicem, & ad finem, ad quem diriguntur, dicant

dicant vnitatem numericam ex pluribus integrantibus, & ordinatis conflatam, iam à nobis non recedis in substantia, licet discrepes in modo appellans vnitatem numericam, quam nos appellamus vnitatem aggregationis ordinatæ ad vnum finem.

Vltima pars, in qua nostra sententia consistit, sic tandem probatur, quia ex
10 vna parte vnus ordo non est totum Sacramentum ordinis, quamuis secundum se sit Sacramentum; ex altera parte omnes ordines ordinantur ad conficiendum incruentum Sacrificium, tanquam ad vltimum finem, ergo, quia vnus ordo non est totum Sacramentũ Ordinis, computabitur tanquam pars, quia verò ordinantur omnes ordines ad idem Sacrificium incruentum tanquam ad finem, omnes simul cum eodem integrabunt vnum perfectum, & absolutum Sacramentum, quod licet non sit vnum vnitate entitatiua, erit vnum vnitate ordinis. Confirmatur paritate extremæ vnctionis, in qua plures interueniunt vnctiones, quæ tamen vnicum tantum constituunt Sacramentum, quæ propterea ad ipsum comparatæ se habent, vt partes integrantes; Neque dicas, istas vnctiones, cum fiant vnico quasi contextu posse quidem integrare vnum Sacramentum, non verò ordines, qui diuersis recipiuntur temporibus, adeoque, vt distincti, tum physicè, tum moralitèr non posse integrare vnicum Sacramentum; contra enim impugnaberis, quia, quamuis sint disiunctæ actiones, quibus ordines conferuntur, non sunt tamen disiuncti effectus, in quibus virtualitèr perseuerant, adeoque ratione eorundem effectuum perseuerantium possunt quid vnum morale constituere consistens in vnitate ordinis.

Sunt vnum vnitate ordinis ad finem

8

ARTICVLVS V.

De Necessitate Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

Sacramentum Ordinis non est necessarium singulis hominibus. 1.

Congruum est Diuinæ Prouidentiæ, ne omnes promiscuè deputentur ad munera Ecclesiastica. 2.

Est tamen necessarium toti Ecclesiæ ex vi præsentis prouidentiæ. 3.

Hoc exigit reuerentia debita Sacramentis, & regimen Christianæ Reipublicæ. 4.

PRocedit titulus de necessitate ex vi præsentis institutionis, & de lege ordinaria, nam ex vi alterius institutionis, & de lege extraordinaria, nulli dubium, quin Deus independentèr ab hoc Sacramento alitèr Ecclesiæ consulere potuerit, vel alia media ordinando ad fines per se ipsum intentos, vel per se ipsum immediatè eosdem fines operando. Igitur secundum præsentem institutionem quærimus, an ordinis Sacramentum sit necessarium, & qua necessitate, quomodo, & quibus.

Assertio Sacramentum ordinis non est necessarium singulis hominibus, est tamen necessarium toti Ecclesiæ. In hoc arbitror omnes consentire.

Prima pars facile ex eo euincitur, quia, si respectu singulorum hominum esset ordo necessarius, vel esset in ordine ad ipsorum salutem, vel ad bonum aliquod 1
commune, & necessarium Ecclesiæ; at in ordine ad neutrum est necessarium singulis, quin immò, nec conueniens, ergo singulis hominibus non est necessarius. Minor quoad primam partem probatur, quia, si esset necessarius ad salutem, actum esset de salute omnium exceptis Sacerdotibus, quod dici nequit sine horrore, & blasphemia in Deum, qui pro omnibus mortuus est, nec redemptionem alligauit Sacerdotibus, sed omnibus fecit communem; Quoad secundam verò sic euincitur, quia in ordine ad bonum commune Ecclesiæ, iam satis, & congruentèr 2
consultum est per Sacerdotum, aliorumque ministrorum ordinationem, & maximè congruum fuit Diuinæ Prouidentiæ, ne omnes promiscuè ad munera Ecclesiæ necessaria deputarentur; cæteroqui diuinus cultus minueretur, diuinaque omnia facilè vilescerent vndè *D. Ambrosius* exponens illud *ad Ephes. 4. Et ipse dedit quosdam Apostolos, alios Profetas*, sic subdit. *Si omnes eadem possent; irrationabile esset, & vulgaris res, & vilissima videretur; & quidem, si legale Sacerdotium non tam abiectum fuit, vt omnibus sine vlla differentia concessum fuerit*, vt legitur *Exod. 28., & Num. 4.*, & Chore, & Abiron *Num. 16.* absorti sunt viui à terra, quia functi sunt officio Sacerdotis, & 2. Regum 6. Ozias Rex à lepra percussus fuit, quia vsurpauit sibi munus Sacerdotis offerentis incensum super Altare, multò magis est dicendum Sacerdotium Euangelicum, quod certè præferendum est legali, non ita abiectum esse, vt omnibus indefinitè sine differentia concedatur.

Sacramentum Ordinis non est necessariũ singulis hominibus.

Congruũ est Diuinæ Prouidẽtiæ, ne omnes promiscuè admittantur.

Secunda pars ex eo deducitur, quia supposita necessitate Sacramentorum ad 3
salutem, & alligatione eorundem ad certos, & determinatos ministros, cum singulis facultas non sit concessa, non potest Ecclesia fideles ad portum eiusdem salutis

Est tamen necessariũ Ecclesiæ.

tis perducere, nisi per ministros idoneos, & per media ad eandem conducentia, sed ex vi præsentis institutionis non possunt esse ministri idonei, nec media apta ad salutem, nisi tales constituantur per sacram ordinationem, & per ipsos sic ordinatos constituantur talia media, ergo Ecclesiæ ad effectum perducendi fideles ad æternam salutem est necessarius ordo &c. vnde habetur *Prouerb.* 11. vbi non est Gubernator, populus corruet.

4 *Hoc exigit regimen Christianæ Reipublicæ.*

Hæc etiam necessitas respectu totius Ecclesiæ ex alijs capitibus eruitur, & primo ex maiori reuerentia debita Sacramentis, vt honestius, & Sanctius Sancta pertractentur, quæ propterea videntur exigere Sanctificationem in ministro pertractante; Secundo ex prudenti regimine Christianæ Reipublicæ; nam sicuti in quacunque benè ordinata Republica necessarij sunt ministri Principum, qui eidem Principi in varijs muneribus deseruiant, ita necessarij sunt in Ecclesia Dei ministri, qui ex officio ipsi Deo deseruiant; cum in nulla re magis, quam in Ecclesia Dei ordo sit seruandus; & sine talibus ministris distinctis ab alijs specialibus characteribus confusio magna orietur.

ARTICVLVS VI.

De Causis intrinsecis Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

Omnia Sacramenta constant materia, & forma. 1.

Ex determinatione materiæ facta ab Ecclesia arguunt Sectarij ordinem non esse Sacramentum. 2.

Christus Dominus instituit hoc Sacramentum in signo sensibili apto significare non determinando. 3.

Ecclesia determinauit id, quod continetur sub signo sensibili instituto à Christo Domino. 4.

Materia remota ordinum sunt res illæ, quæ ab Ecclesia determinatæ traduntur tangendæ ordinandis. 5.

Materia proxima est earundem rerum traditio. 6.

1 *Omnia Sacramenta constant materia & forma.*

EXaminata essentia metaphysica Sacramenti Ordinis per sua prædicata metaphysica nunc examinandam alludimus eius essentiã Physicam per partes ipsam in esse Physico constituentes; Pro quo recole, quæ dicebamus in quæstionibus de Sacramentis in genere, ea scilicet constare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma iuxta illud Augustini, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; Neque in hoc à cæteris est segregandum Sacramentum ordinis, vndè hic inquirendum remanet, quænam sit materia, & quænam forma constitutiua ipsius.

Ratio dubitandi ex eo potissimum cõsurgit, quod in institutione cæterorum Sacramentorum apparet Christum Dominum saltem implicitè determinasse 2
certam materiam, & formam, vt in baptismo aquam, & verba, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* in confirmatione oleum mixtum balsamo, & implicita verba quibus fit vnctio; in Eucharistia panem, & vinum cum forma, *hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus &c.* & sic de cæteris; In Sacramento autem ordinis, nec implicitè apparet de institutione certæ materiæ, nec formæ determinatæ; quinimmo constat diuersimodè hoc Sacramentum pro diuersis temporibus fuisse collatum; & præcipuè in primitiua Ecclesia per solam manuum impositionem; & nunc etiam diuersa materia, & forma adhibetur in Ecclesia Latina, ac in Græca, nam in ista conferuntur ordines per solam manuum impositionem cum certis verbis etiam valdè implicitis; in illa verò per traditionem certæ rei iuxta diuersitatem cuiuscunque ordinis, & per prolationem determinatorum verborum. Ex defectu institutionis determinatæ materiæ, & certæ formæ non factæ à Christo Domino, & ex variatione earundem arguunt nonnulli Sectarij ordines non esse Sacramentum nouæ legis, cum Sacramenta secundum substãtialia sint à Christo Domino instituta, nec Ecclesia possit eadem variare in substantialibus, vt definiuit Concil. Trident. sess. 21. c. 2. quod licet tribuat Ecclesiæ potestatem in Sacramentis, aliqua circa ritus, & cæremonias variandi, non tamen circa substantialia, vndè subdit, *salua tamen eorum substantia*.

Ex determinatione materiæ facta ab Ecclesia arguunt Sectarij ordinem non esse Sacramentum

His tamen non obstantibus sentiendũ est, & ordines esse verum Sacramentum 3
à Christo Domino institutum, nec desinere esse tale ex eo, quod determinatio materiæ, & formæ non à Christo, sed ab Ecclesia fuerit facta. Esse Sacramentum est de fide definitũ *in Concil. Trid. sess. 7. can. 1.* Non verò desinere esse tale ex eo, quod determinatio materiæ, & formæ sit ab Ecclesia ex eo euincitur, quod Christus Dominus hoc Sacramentum instituit in aliquo signo sensibili apto exprimere potestatem, quæ traditur ordinato, quod satis est, vt dicatur hoc Sacramentum instituisse, cum Sacramentum nihil aliud sit, quam signum sensibile inuisibilis gratiæ; quod deindè Ecclesia determinauerit

Christus Dominus instituit hoc Sacramentum in signo sensibili apto significare.

uerit hoc potius signum, quam aliud ad exprimendam potestatem, quæ per ordinem confertur, est ex speciali dispositione Christi, qui suæ Ecclesiæ libertatem sic determinandi reliquit; cæterum ipse materiam instituit consistentem in signo sensibili apto &c. Ecclesia vero solum determinauit rem, quæ esset apta ad rapręsentationem &c.

Neque dicas, Ordinem nihil aliud esse, quam complexum non materiæ, & formę in genere, sed talis materiæ determinatę,
4 & formæ, sed talis determinata materia, & forma est ab Ecclesia, non à Christo Domino præfinita, ergo & ordo esset præfinitus ab Ecclesia, non à Christo Domino; Contra enim impugnaberis, quia licet illa determinatio sit ab Ecclesia, at tamen relata ad id, quod Christus instituit, & in eo, quod Christus instituit, continetur; instituit enim Christus signum sensibile aptum indicare, & sub hoc signo sensibili continetur id, quod Ecclesia determinat; vnde est Sacramentum à Christo Domino institutum iuxta modum ab ipso præscriptũ, licet determinatio materiæ sit ab Ecclesia ex potestate illi collata ab eodem. Res eodem modo componitur, quo communiter docent Theologi, remedium originalis in statu naturæ fuisse à Deo institutum, quamuis non determinauerit determinatam actionem, sed reliquerit determinandam hominibus in illo statu existentibus. Quamobrem ad argumentum in forma respondeo, concessa maiori, distinguo minorem, est determinata ab Ecclesia simpliciter, nego minorem, iuxta modũ, & qualitates à Christo Domino præfinitas, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad hoc igitur, vt Sacramentum dicatur à Christo Domino institutum, sufficit, quod adimpleatur secundum materiam, & formam aptam significare id, quod ipse in talis Sacramenti institutione voluit significari; quod deinde adhibeatur hæc, vel illa materia, prout eligitur ab Ecclesia, non facit, quod dicatur ab Ecclesia institutum, sicuti non dicitur institutum humana potestate remedium originalis, quamuis actiones, quibus applicatur tale remedium ab hominibus ex potestate ipsis à Deo concessa, determinentur.

Ecclesia determinauit id, quod continetur sub signo sensibili instituto à Christo.

Neque dicas vlterius, non constare ex Sacris Scripturis, neque ex aliqua scriptura canonica, quod Christus Dominus instituerit Sacramentum Ordinis in materia indeterminata, & solum Ecclesiæ reliquerit determinationem talis materiæ, adeoq; gratis hoc à nobis confingatur; contra enim impugnaberis, quia, quamuis de hoc in Sacris paginis expresse non constet, sufficit, quod constet ex traditione Apostolorum, quæ tantam vim habet, ac habeant Sacræ paginæ, vt supra probauimus, & *in c. cum Marthæ de celebratione Missarum* habetur, quod multa tradita sunt ab Apostolis tanquã à Christo Domino accepta, quæ in Sacris paginis non reperiuntur expressa.

Traditio æquiualet sacræ paginæ.

Quamobrem his omnibus suppositis pro nunc statuo in genere materiam remotam ordinum esse res illas, quæ ab Ecclesia determinatæ in singulis ordinibus traduntur tangendæ ordinandis, materiam vero proximam ipsam earundem rerum traditionem; formam vero verba illa, quæ proferuntur ab Episcopo ordinante, dum tradit materiam. Non immoror in assignandis singillatim singulis ordinibus singulas materias, & formas in particulari, quia assignabuntur, dum de singulis agemus. Probatur prima pars ex analogia, quam seruant huiusmodi res ad materiam aliorum compositorum, quæ, sicut habent determinari per formam, ab eaq; compleri in ratione compositi, ita illæ res, quæ in singulis ordinibus traduntur, determinantur à verbis, ab eisq; complentur in ratione complexi Sacramentalis, & in perfecta significatione potestatis, quæ per huiusmodi ordines confertur; cum etenim Sacramenta sint signa significatiua tum gratiæ, tum potestatis, quæ confertur, debent compleri in ratione perfectæ significationis. Ratio secundæ partis est, 6
quia materia proxima in vnoquoque genere illa est, quæ applicata est cum omnibus dispositionibus ad recipiendam formam, & determinata ad illam, sed talis est ipsa actualis traditio, per quam materia remota ab esse indiferenti transit ad esse determinatum ad formam Sacramentalem recipiendam, & per quam applicatur subiecto, in quo recipiendus est effectus, ergo &c.

5 *Res, quæ traduntur tangendæ ordinãdis, sunt materia ordinis.*

Materia proxima est earum rerum traditio.

Hic esset agendum de intentione Ministri ordinantis, an scilicet & ipsa ingrediatur intrinsecè constitutionem ordinum, cum dicatur *in Concil. Florent. in decreto vnionis*, quod omnia Sacramenta tribus perficiuntur rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri, & qualis intentio requiratur in eodem ad valide ordinem conferendum; sed quia de his latè egimus in quæstionibus de Sacramentis in genere, non amplius hic immoramur.

Quæ intentio requiratur ministri.

ARTICVLVS VII.

An ad materiam proximam pertineat contactus, an sit necessarius, & qua necessitate, & an requiratur Physicus, an sufficiat moralis.

SVMMARIVM.

Sententia adstruens non pertinere ad materiam proximam. 1.
Discrimen inter baptismum, & extremam Vnctionem, & Ordinem. 2.
Non est necesse, quod contactus sit pro tempore, pro quo ponitur forma. 3.
Nec Concilia, nec SS. PP. mentionem faciunt de tali contactu. 4.
Probabilius contactus pertinet ad materiam proximam. 5.
Ex modo imperatiuo, quo forma profertur, arguitur necessitas contactus. 6.
Actio actiua, & passiua debent sibi correspondere. 7.
Euacuatur obiectum de discrimine inter baptismum, & extremam vnctionem, & inter ordinem. 8.
Complexum morale non exigit, nisi coexistentiam partium moralem. 9.
Concilia, & SS. PP. loquuntur regularitèr solum de materia remota. 10.
Contactus est necessarius necessitate Sacramenti. 11.
Sufficit si sit contactus moralis. 12.

CVm mox dictum fuerit, traditionem rerum, in quibus consistit materia remota ordinum, esse materiam proximam eorundem, suboritur immediatè difficultas, an contactus ex parte recipientis pertineat ad eandem materiam proximam, & dato etiam, quod ad ipsam non pertineret, an saltem sit necessarius ad receptionem eorundem ordinum, & ex necessitate Sacramenti, an solum necessitate præcepti, & quomodocunque sit necessarius, an debeat esse contactus Physicus, an sufficiat moralis.

In ordine ad primum acritèr contendit *Marchinus tract. pr. de Sacramento Ordinis in communi part. 1. de natura, & quiddit. Ord. c. 16. à nu. 21. ad plures seq.* non pertinere ad eandem materiam proximam, quod pluribus rationibus conatur euincere, & primo ex discrimine, quod intercedit inter baptismum, & extremam vnctionem, & inter ordinem, nam in baptismo, & extrema vnctione contactus ordinatur ad determinatam actionem suscipienti Sacramentum inferendam, puta ad abluendum, & vngendum, in qua tota ratio Sacramenti consistit; in ordinatione verò

1 *Sententia asserens, nō pertinere ad materiā proximam.*

contactus ordinatur solum ad determinandam intentionem ordinantis, quæ determinatio haberi potest per hoc, quod Episcopus materiam exhibeat, & suscipiens illam acceptet, quod videtur consideraste *D. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. pr. quæstiunc. vlt. ad tertium*, vbi sic habet, *Quia potestas ordinis non accipitur à materia, sed à ministro principalitèr, ideo porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti, quam tactus.*

2 *Discrimen inter baptismum, & ordinem.*

Secundo, quia, si contactus pertineret ad materiam proximam ordinis, hic deberet esse pro tempore, pro quo ponitur forma; sed non est necesse, quod sit pro illo tempore, ergo ad eandem materiam proximam non pertinet. Minor probabatur ex consuetudine recepta aliquorū Episcoporum, qui extantibus pluribus ordinandis, seu initiandis eodem ordine proferunt formam in numero plurali dicentes *Accipite &c.* pro quo tempore alii qui solummodo tangunt materiam, deindè finita iam eadem forma eandem materiam aliis tangendam tradunt nō repetita eadem forma, quinimmo alicubi mos inductus est, vt, postquam Episcopus protulit formam in numero plurali aliquibus dumtaxat materiam tangentibus, idem Episcopus aliis non per se ipsum, sed per ArchiDiaconum, seu alium ministrum eandem materiam tangendam tradat; in qua certè actione notabile tempus à prolatione formæ ad vltimum contactum pertransit, ergo &c.

3 *Non est necesse, quod tactus sit pro instanti, pro quo ponitur forma.*

Tertio, quia de tali contactu nulla Concilia, nullæ Pontificum sanctiones mentionem faciunt, nec ex sacris paginis elucescit; improbabile autem valde esset, quod omisissent, si talis contactus pertineret ad materiam proximam Sacramenti, & esset de necessitate eiusdem. Adde, quod, si pertineret ad eandem materiam proximam, non posset per Romanū Pontificem super eo dispensari, quod clarum apparet, cum non constet esse de iure Diuino.

4 *Nec Cōcilia, nec SS. PP. meminerunt cōtactus.*

Sed his non obstantibus sentiendum est, pertinere ad eandem materiam proximā, prout etiam sentiunt *D. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. quæstiunc. vlt. ad 3., & in addit. ad 3. partem q. 34. art. 1. ad tertium, D. Antoninus 3. part. tit. 14. c. 16. §. 5., Caietanus quodlib. 1. q. 16., & tom. 1. opusc. tract. 26., Sotus in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. §. vnum autem, Egidius Coninch. de Sacram. disp. 20. dub. 7. nu. 7., Fernandez in exam. mor. Theol. part. 3. c. 11. §. 6.* Ratio deducitur primo ex forma eorundem ordinum, in qua dicitur, *Accipe hoc, vel illud*, imperatiuo modo, per quę verba imperatur contactus non merè internus, qui fiat per acceptationem,

5 *Probabilius pertinet ad materiam proximam.*

tionem, ergo corporalis, & externus;
6 *Ex modo imperatiuo, quo forma profertur, arguitur contactus.* Quod autem non imperetur actus merè internus, ex eo deducitur, quod actio Sacramentalis, vtpotè ad homines directa debet esse in omni parte sensibilis, non quomodocunque, sed iuxtà modum imperatum; item ex eo, quod Ecclesia de solis interioribus non iudicat; Neque dicas ly *Accipe*, ex vi suæ significationis importare solummodò traditionem materiæ factam per Episcopum personæ præsenti, &, si sit adulta, acceptanti; ad traditionem autem, & acceptationem non est necessarius contactus corporalis, vt videre est in materia matrimonij, in quo fit mutua traditio, & acceptatio corporum sine corporali contactu; contra enim impugnaberis, quia ly *Accipe* cum traditione, vtpotè importans imperium, exigit adimplementum iussionis, quod adimplementum vtpotè corellatiuum ad eandem iussionem, quæ est cum corporali traditione, debet esse cum corporali acceptatione, hoc est cum corporali contactu; nec valet paritas de contractu matrimoniali, quandoquidem, cum consensus ex vna parte exhibeatur per simplicia verba, & consensus ex altera potest sufficienter vel per verba, vel per nutus præberi, cum contractus in solo consensu exhibito sensibilitèr compleatur; in Sacramento autem ordinis idem perficitur non per solum consensum, sed per materiam externam sensibilem, & corporalem, quæ exhibetur, & traditur, adeoque exigit, & correspondentiam in acceptatione corporali.

7 *Actio actiua, & passiua debent sibi correspondere.* Secundo ratio ex eo deducitur, quod in Sacramento ordinis non solum fit complexum ex materia, & forma tanquam ex actu, & potentia, sed etiam complexum actionis complentis causam in ordine ad effectum per tale Sacramentum producendum in subiecto, sicuti autem actio expressa ministri est traditio corporalis, ità & eadem ex parte recipientis debet esse receptio corporalis, quæ non potest esse nisi per contactum. Confirmatur, quia actio actiua, & passiua debent sibi correspondere, sed porrectio ipsa corporalis instrumentorum est essentialitèr requisita ad valorem Sacramentorum, ergo, & receptio corporalis passiua erit necessaria, &c.

8 *Soluitur obiectio de discrimine inter baptismum, & ordinem.* Nec obstant, quę ex aduerso afferebantur; Non primum desumptum ex paritate Baptismatis, & Extremæ Vnctionis, quia discrimen, quod versatur inter ipsa, & Sacramentum Ordinis, non consistit in eo, quod contactus in primis fit ad determinandam actionem suscipienti conferendam, contactus verò in ordinatione ordinetur solum ad determinandam intentionem conferentis, quandoquidem etiam in hac cōtactus ipse determinat actionem ipsi suscipienti conferendam, cum hoc solum discrimine, quod, cum actiones in primis sint ad actualem ablutionem, & vnctionem, requirunt contactum purè passiuum, in hac verò, cum sit solum ad indicandam potestatem, quæ confertur, quæque recipitur, requiritur quoquomodo actiuus. Nec aliquid magis euincit id, quod subditur ex D. Thoma; nam solum vult, quod principalius actio consideretur penes ministrum offerentem materiam, quam per subiectum illam tangens, quod benè procedit; non tamen per hoc tollitur, quin sit de substantia eiusdem etiam receptio passiua.

Non secundum, quia, cum versemur in moralibus, non requiritur coexistentia Physica, sed sufficit moralis, quæ coexistentia moralis potest esse, quamuis mathematicè non sint simul forma, & contactus secundum omnia; neque ex nostra sententia requirente ad subiectum ordinis contactum materiæ sequitur, quod requiratur illa simultas Physica, cum possit compati cum mera coexistentia morali, de qua mox diximus. Sed, an subsistat ille mos, de quo in contrario argumento subditur, quo Episcopus tradit instrumentum ordinationis Archidiacono, vel alteri ministro, vt illud porrigat ordinandis tangendum. Respondendum est subsistere, si sermo sit de collatione ordinum minorum, secus si de collatione maiorum, prout notant *D. Thomas in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2., & in addit. ad 3. part. q. 38. art. 1. ad 2., Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 1. de nat., & quiddit. ord. c. 16. num. 28., & seqq.* quod colligunt quoad ordines maiores *ex c. Subdiaconus dist. 23.*, & quoad minores *ex cap. Acolytus ead. dist.*, vbi expressis verbis hoc vtrumque deciditur. Si autem inquiratur ratio, propter quam sufficit in minoribus, quod materia porrigatur per Archidiaconum, non sic pro maioribus? Dicam hoc inductum esse in maioribus ratione maioris dignitatis, & excellentiæ eorundem supra minores, sicuti concessum est Abbatibus, alijsque Episcopo inferioribus conferre minores, non sic maiores.

9 *Complexū morale non exigit, nisi coexistentiā moralem.*

Non tertium, quia Concilia, & SS. PP. regularitèr solum assignant materiam remotam cuiuslibet ordinis, non autem etiam traditionem eiusdem materiæ, quia hanc supponunt, & sicuti ex eo, quod de tali traditione non faciant mentionem; non sequitur, quod illa non sit de substantia ordinis, ita ex eo, quod non faciant men-

10 *Cōcilia, & SS. PP. loquūtur solum de materia remota.*

mentionem de contactu respectu recipientis, non sequitur, quod hic non sit de substantia. Quod, si supponas, quod in aliquibus Concilijs, vel Pontificum sanctionibus fiat mentio de tali traditione, & non de contactu, dicam, ideò non fieri mentionem, quia in traditione iuxtà naturam correlatiuorum inuoluitur implicitè ipsius acceptio.

11 *Est necessarius contactus necessitate Sacramenti.* Ex quibus sequitur resolutio secundi dubij in principio articuli propositi, scilicet huiusmodi contactum necessarium esse non præcisè necessitate præcepti, sed necessitate Sacramenti; cum etenim simul cum traditione constituat vnum complexum materiæ proximæ, quæ est de necessitate eiusdem Sacramenti, ità & ipse contactus sicuti, & ipsa traditio erit de tali necessitate.

12 *Non sufficit cõtactus moralis.* In ordine ad tertium sentiendum est necessarium esse contactum Physicum, nec sufficere moralem, & in praxi hoc absolutè seruandum est stante præcipuè declaratione Innocentij XI. gloriosæ recordationis, qui die 2. Martij 1679. damnauit propositionem illam, quæ est in ordine prima, qua dicebatur *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori &c.*

QUÆSTIO II.

De causis extrinsecis Sacramenti Ordinis, & primò de efficiente.

AB intrinsecis constitutiuis ad extrinseca efficientia, & recipientia descendimus. Ministros legitimos huius Sacramenti, ipsorum qualitates, & conditiones ad hoc ministerium exercendum requisitas, primò inquirimus; secundò subsequenti quæstione causam subiectiuam extrinsecam, non solum in ordine ad validè recipiendum Sacramentum, & potestatem per ipsum conferendam, sed etiam ad licitè; tertiò aliqua attingemus etiam de causa finali, quæ inter extrinsecas numeratur.

ARTICVLVS I.

Quisnam sit Minister legitimus, & ordinarius Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

MIrum est in quot errores abierint hæretici, vt vel potestatem conferendi ordines ab Episcopali ordine eliminarent, vel eandem alijs ab Episcopis cõmu- 1 *Error Ioannis Hus, & Vuicleffi.*

munem facerent. Ioannes Hus, & Ioannes Vvicleffus impiè docuerunt à solo Deo eligi debere Ecclesiæ Prælatos; vtpotè qui solus scire potest, quinam sint electi ad gloriam, & quinam ad pœnas æternas destinati. Existimant enim isti solos iustos, & prædestinatos posse esse ministros huius Sacramenti. Sed contra hunc perfidum errorem pugnat vniuersalis Ecclesia, quæ etiā in sceleratis Episcopis agnoscit potestatem legitimam consecrandi, & conferendi ordines, vndè *Concil. Constantiens. sess. 8., & 15.* damnauit hanc propositionem *Papa, vel Prælatus malus, & præscitus est æquiuocè Pastor.* Ad hunc errorem eliminandum recolè ea, quæ diximus, dum *De Sacramentis in genere q. 3. art. 4.*, vbi per plures Conciliorum definitiones probauimus, improbitatem, & infidelitatem in ministro non officere validitati Sacramentorum. Deindè fundamentum eorūdem hæreticorum euertitur ex ijs, quæ facta sunt ab ipso Deo, qui Iudam elegit in Apostolum, & Sacerdotem, quem tamen nouerat non esse in libro vitæ, seu prædestinatorum conscriptum, sed in libro mortis, seu damnatorum, quod etiam videre est in Nicolao electo à Deo ministerio Apostolorum *Act. 6.* inter septem Diaconos, qui postea in turpissimam hæresim incidit, & fuit Antesignanus hæreticorum, qui ab eius nomine dicti sunt Nicolaitæ.

1 *Error Ioannis Hus, & Vvicleffi.*

2 *Eliminatur talis error.*

His proximè accedit error Vvaldensium, qui, quamuis sentiant posse etiam ab Ecclesia quemquam habentem requisita eligi in Episcopum, statuunt tamen sic electum per peccatum amittere potestatem Episcopalem, eo quod non dignitas Presbiterum faciat, sed vitæ meritum. Hos secuti fuerunt Apostolici, vt testatur *D. Bernardus serm. 66. super Cantica*, & Vviclephistæ, & Hussitæ, qui omnes non solum asserunt per peccatum amitti potestatem Episcopalem, sed etiam quamcunque aliam, siue Ecclesiasticam, siue laicalem. Sed hic error damnatus est primò *in Concil. Constantiensi sess. 8.* in quo reprobati fuerunt sub anathemate omnes errores Ioannis Vvicleffi, inter quos quartus in ordine est iste, de quo loquimur. Secundò *in Concil. Trident. sess. 7. can. 12.* in quo sic legitur, *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem non conficere, anathema sit*; Tertiò, aduersus eundem errorem notatur *Hieremiæ 27.*, quod Deus vocat Regem Nabucodonosor, qui tamen erat homo pessimus. *Et ego Deus dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonor Regis, & seruient ei omnes gentes, & filio eius &c.*, & Matthæi 23. habetur, *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; Quæcunque dixerint vobis facite, secundum autem opera eorum nolite facere.* Cum igitur dicat, non debere facere secundum opera eorum, vtique intelligit eadem esse praua, & peruersa, & cum dicat facienda esse, quæ dixerint, vtique fatendum est potestatem ab ipsis non esse sublatam, cum imperet eisdem subiectionem in dictis esse habendam.

3 *Error Valdensium exponitur.*

4 *Hic error euellitur.*

Aerius Egiptius viceuersa non solum Episcopis concedit potestatem consecrandi, & ordinandi, sed etiam simplicibus Sacerdotibus; asserit enim Sacerdotes omnes esse pares Episcopis. Hunc etiam errorem per multos annos sepultum ab inferis reuocarunt libidinosi, & infames Pauperes de Lugduno docentes nullum esse inter Sacerdotes discrimen; eidem adhæsit Ioannes Vvicleffus, qui, cum valdè ambierit Episcopatum Vigoriensem, nec obtinere potuerit, calumniari cæpit id, quod ante desiderabat. Sed hic error eliditur primò, quia in veteri lege erat vera distinctio Summorum Sacerdotum a simplicibus Sacerdotibus, & illis maior potestas erat concessa, quæ istis non competebat, nam Aaron erat Summus Sacerdos, & filij eius Sacerdotes simplicitèr, ille habebat insignia diuersa, quæ indicabant diuersam potestatem, vt legitur *Exodi 28., & 29.* illi patebat aditus in Sancta Sanctorum, qui non patebat inferioribus Sacerdotibus, vt habetur *Leuit. 16.*; ille celebrabat festum Expiationis, & non alij inferiores, ergo à fortiori hæc potestatum distinctio inter Episcopos, qui dicuntur magni Sacerdotes, & inter simplices Sacerdotes est admittenda, cum huiusmodi potestates in veteri testamento fuerint figuræ potestatum in nouo iuxtà illud primæ ad Corinth. 10. *Omnia illis in figura contingebant*; & si vmbra hoc præstabat, quanto magis veritas ipsa? Secundò euincitur, in simplicibus Sacerdotibus non adesse potestatem ordinariam ordinandi, ex Gregorio relato *in c. Presbiteri dist. 68.*, qui non habuit pro ordinato, qui non fuit ab Episcopo ordinatus *ex Damaso Papa Epist. 2., & Vrbano II. relata in c. Danabertus 1. qu. 7.* Tertiò, idem euincitur ex Conciliorum definitionibus *Niceno can. 4. Hispalensi 2., c. 57., Auamaliano can. 10., & Trident. sess. 23. de ordine c. 4., & can. 7.*

5 *Error Aerij Egyptij exponitur.*

6 *Eliditur hic error.*

Lutherus in libello contra falsa nomina impiè sentiens de Ecclesia docuit, Episcopos esse indoctas laruas Papales, *& in lib. de Captiuitate Babilonica*, ait, *Omnes quotquot baptizati sumus, Sacerdotes sumus æqualitèr, & quilibet Laicus potest Ecclesias consecrare, & pueros confirmare.* Ad hunc errorem etiam alius reducitur, quem tradit

7 *Errores Lutheri, & Caluini.*

dit *Caluinus lib. 4. instit. c. 3. sect. 15.*, *Kemnitius in examine Trid. sess. 26. can.* 10. Hic docet, potestatem ordinandi de iure Diuino residere penes vniuersalem Ecclesiam, & Clerum, quod, si fiat ab aliquibus deputatis personis, hoc esse ad euitandam confusionem, si indefinitè exerceretur ab omnibus fidelibus; & propterea docet, quod deputati ad hoc munus illam potestatem exerceant nomine, & commissione populi, & sic blasphemiam euomunt in Ecclesiam Romanam, asserentes ministros ab ea deputatos non esse veros ministros, quia hæc ordinat absque populi consensu. Primus error iam sufficientèr confutatus remanet ex ijs, quæ tradidimus cōtra præcedentem errorem; si etenim hæc potestas non residet penes simplices Sacerdotes, multo minus residere potest penes singulares Laicos. Secundus error, qui adiungitur, etiam ex

8 *Eliminantur huiusmodi errores.*

dictis eliditur, & primò, quia in veteri testamento erat distinctum Sacerdotium maius à minori, & minus à non Sacerdotibus, & in illis aderat potestas, quæ non aderat in istis; quod à fortiori verificari debet in lege Euangelica. Secundò ex illo Apostoli, *Quosdam dedit Apostolos, alios Prophetas, numquid omnes Apostoli, numquid omnes Propheta, &c.* ex quibus dignoscitur diuersitas potestatum. Tertiò *ex Concil. Trident. sess. 23. can. 7.*, vbi sic legitur. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris Superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, esse cum Presbyteris communem, vel ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiastica, aut Canonica potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliundè veniunt legitimos esse verbi, & Sacramentorum ministros, anathema sit.*

9 *Excluduntur iura, & rationes quibus innituntur huiusmodi errores.*

Fortior confutatio huiusmodi erroris resultabit ex confutatione rationum, quibus innititur; prima desumitur ex *Act. Apostol. c. 1.*, vbi constat D. Matthiam electum esse communibus Populi suffragijs, nam vbi nostra editio legit, *Et numeratus est cum vndecim Apostolis*, Græca habet, *Et suffragijs addictus est*. Secundò, quia illi septem Diaconi in eisdem *Act. cap. 6.* dicuntur credentium multitudine electi. Tertiò, quia per longa tempora viguit in Ecclesia vsus, & consuetudo, vt Sacerdotes, & Episcopi suffragijs populorum eligerentur; ex quibus omnibus deducunt, quod ordines possint cōferri de mandato populi. Ad primam de D. Matthiæ suffectione in locum Iudæ præuaricatoris dicendum est, electionem posse quidem dici factā ab vniuerso cætu ibi congregato, sed ex permissione D. Petri Principis Apostolorum, vt tradit *D. Chrisostomus hom. 26. in Act. Apostolorum*, vbi agens de electione D. Matthiæ sic ait, *an non licebat ipsi Petro eligere? Licebat, & quidem maximè, verum id non fecit, ne cui videretur gratificari*; ergo non ex iure Diuino hæc facultas competit populo, sed ex permissione quandoque Romani Pontificis; consecratio tamen postea facta fuit ab eodem D. Petro. Idem ferè respondendum est ad electionem septem Diaconorum. Ad illud, quod subditur de illo more, & consuetudine eligendi Sacerdotes, & Episcopos per populorum suffragia fatendum est, re vera talem consuetudinem aliquando viguisse, sed non ex auctoritate, quam populus haberet ex iure Diuino, vt insanè somniarunt hæretici, sed ex permissione Romani Pontificis, quod satis est pro præsenti instituto. Videatur *Marchinus tract. 1. de Sacram. ord. in communi part. 2. de legitimo ordinis ministro c. 3., & 4. per totum*, qui planè discurrit de tali consuetudine, & conuincentèr elidit insanas hæreticorum deductiones. 10

De lege ordinaria soli Episcopi sunt ministri ordinum.

Firma igitur stat veritas Catholica, quod minister ordinum de lege ordinaria sit solus Episcopus, & in hoc consentiunt omnes Catholici. Hoc primò deducitur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine à temporibus Apostolorum ad hæc vsque tempore diffusa, & inuiolabilitèr obseruata; cui consuetudini, & traditioni ex supra probatis tantum deferendum est, quantum sacris paginis? Secundò ex Concil. definitionibus *Nicano can. 4.*, *Hispalensi 2. cap. 57.*, *Ancyrano can. 12.*, *Cartaginensi II. can. 12. Trident. d. sess. 23. c. 3., & can. 7.*

Dixi, *de lege ordinaria*, non etenim negauerim alios ex priuilegio Summi Pontificis posse aliquos ordines conferre, prout 11 tradunt *Henriquez lib. 10. c. 23.*, *Bellarminus lib. de Clericis c. 27.*, *Valentia tom. 4. disp. 9. q. 2. punct. 1.*, *Filliutius tract. 9. c. 5. qu. 2.* Hanc facultatem ex priuilegio quoad primam tonsuram, & minores ordines attribuunt Cardinalibus in ordine ad suos familiares *ArchiDiaconus in cap. nullus Episcopus de temp. ord. in 6.*, *Siluester verb. ordo 3. sub n. 1.*, intellige tamen de Cardinalibus Sacerdotibus, sed de ipsa valdè dubitat *Ioannes Azorius instit. mor. part. 2. lib. 4. c. 3. q. 2. vers. quæres aliquis*, cum dicat de iure communi non competere; de priuilegio ait non constare; de consuetudine asserit, se a fide dignis, & versatissimis in Curia Romana accepisse talem consuetudinem non esse in vsu. Ego consuetudini standum esse arbitror, quæ, si fuerit pro facultate sic ordinandi, poterunt procul dubio Cardinales hoc munus

Ex Priuilegio Pontificis, potest potestas cōferendi aliquos ordines alijs cōpetere.

12 *Quæ facultas competat Cardinalibus.*

nus

nus præstare, secus, si fuerit pro negatione eiusdem; an verò extet, nec ne talis consuetudo? affirmat *Bonacina de Sacram. Ord. disp. 8. q. vnica punct. 4. nu. 3.*, licet Azorius contrarium sentire videatur ex fide versatorum in Curia Romana.

Nonnulli hanc facultatem restrictiuè tamen ad primam tonsuram extenderunt etiam ad Parochos in ordine ad suos subditos, & signantèr *Panormitanus in c. 4. de consuet. nu. 9.*, *Archidiaconus in d. c. nullus Episcopus de temp. ord. in 6.*, & etiam ad Priores, & Guardianos Religionum in ordine ad suos Religiosos *Franciscus Marchus decis. 1082. nu. 9. lib. 1.* Sed merito relatis DD. contrarium sentientibus ipsos reprobat *Marchinus de Sacram. ordinis in communi tract. 1. par. 2. cap. 10. num. 5.*, & quidem congrua ratione, quandoquidem, nec constat de lege communi, nec de priuilegio, & consuetudo est potius contraria. Sed an saltem possint Parochi de mandato sui Episcopi, conferre primam tonsuram suis subditis, & Priores Religionum suis. Absolutè negandum videtur, prout negant *Henriquez lib. 3. c. 23.*, *Marchinus loc. cit.*, *Bonacina d. disp. 8. q. vnica punct. 4. nu. 6.* eum non videatur esse in potestate Episcopi alijs demandare functiones ordinis; Neque obstat, si dicatur, quod prima tonsura non sit ordo; Non obstat, inquam, nam quamuis non sit ordo, est tamen proxima dispositio ad ordines, ad eum autem spectat inducere dispositionem proximam ad formam, ad quem spectat inducere ipsam formam; ex quo sequitur, quod, si Episcopus non potest demandare collationem ordinum alteri, qui non sit Episcopus, nec possit demandare collationem primæ tonsuræ.

13 *Nec Parocis, nec Guardianis competit conferre primam tonsurã.*

Etiam Abbatibus, si fuerint Sacerdotes, consecrati, seu benedicti, aut saltem habeant ex priuilegio Pontificio, vt exercere possint Pontificalia, & sint mitrati, seu ius habeant ferendi annulũ, mitram, & baculum Pastoralem, concessa est facultas conferendi primam tonsuram, & aliquos ordines minores; colligitur *ex c. 1. dist. 69.*, *& ex c. cum contingat de ætate, & qualit.*, *& c. Abbates de priuil. in 6.* vbi etiam dicitur, quod, si in Abbatibus aliqua ex prædictis conditionibus deficiat, irrita sit collatio. Dixi *aliquos ordines minores*, propter antiqua iura, quæ huiusmodi Abbatibus conferunt solum potestatem in ordine ad primam tonsuram, & Lectoratum, sed quia Lectoratus est Superior ad Ostiariatum, ideo, & ad hunc etiam potestas extenditur, ne dicantur Abbates posse, quod maius est, & non quod minus in eadem linea. Sed an modo possint Abbates omnes minores conferre? Affirmant *Bonacina loc. cit.*, *& Marchinus etiam loc. cit. nu. 8.*, qui etiam dicit hanc facultatem ad omnes minores ampliatam fuisse Abbatibus à *Concil. Trid. sess. 23. c. 10. de reformatione*, vbi certè Concilium loquitur de minoribus ordinibus sine restrictione, adeoque videtur omnes comprehendere; sed ex eodem Concilio non arbitror posse sumi sufficiens fundamentum ampliationis, quandoquidem ibi Concilium solum disponit, quod Abbates non conferant cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines, quod debet intelligi de illis ordinibus, ad quos de iure habent facultatem; vndè per hoc non ampliat facultatem, sed potius restringit, ne illam, quam habent, exerceant vltra suos subditos. Quamobrem in hoc videndum est, an alibi fuerit hæc potestas ampliata, vel ex consuetudine, quod mihi non constat.

14 *Quænã potestas competat Abbatibus mitratis.*

Ex eo autem, quod *Concilium Trident. loc. cit.* restringat eisdem Abbatibus potestatem conferendi solummodo huiusmodi ordines Regularibus sibi subditis, plura inferuntur; & primo, quod hæc restrictio seruanda sit etiam in ordine ad laicos, qui subditi sunt eisdem Abbatibus, non obstante, quod per Concilium in tali restrictione non fiat derogatio expressa, & specifica priuilegijs eisdem Abbatibus concessis, & insertis in corpore iuris, & per Concilium Generale, prout videtur requiri ad reuocandum priuilegium à Concilio Generali concessum, & in corpore iuris insertum, vt habetur *ex c. vlt. de capellis Monachorum*, *& c. nonnulli de rescript.* Non, inquam, obstante tali non derogatione seruanda est, quia secus Concilium in tali dispositione restrictoria nihil statuisset, & inane decretum interposuisset, quando autem aliqua noua dispositio nullum effectum potest sortiri, habet vim derogationis specificæ per textum *in l. 2. ff. de lib., & posth.* atque iuxta hunc sensum processit Sacra Congregatio, prout refert *Quaranta verb. Ordo*.

15 *Nõ tamen laicis quãtumuis sibi subditis.*

Infertur secundo, hanc restrictionem referri etiam ad Nouitios, adeo vt isti nõ possint à proprijs Abbatibus tonsurari, & multominus initiari minoribus ordinibus, quidquid ex aduerso dixerint *Suarez tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 2. c. 29. num. 12.*, *Laiman. moralis Theologiæ lib. 5. tract. 9. c. 9. nu. 2.* Hanc restrictionem admittunt magis cõmunitèr tum antiquiores, qui scripserunt ante Concilium Trid. *Ioannes Andreas in c. Abbates in verb. consolauerit de priuil. in 6.*, *Francus in c. cum nullus nu. 5. de temp. ordin. in 6.*; tum recentiores post idem Concil. Trident. *Sai-*

16 *Quinimò nec suis Nouitijs.*

rus

rus de censuris lib. 4. c. 13. nu. 5., Miranda in manuali Prælatorum tom. 1. qu. 38. art. 9. concl. 2., Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episcopi alleg. 3. n. 8. Fateor me assentiri huic restrictioni potius propter communem DD. auctoritatem, quam propter rationes, quæ me ad hoc moueant; tota etenim ratio decidendi pendet ab eo, an Nouitij sint regulares, & subditi Abbati ordinanti, in quo quoad fauorabilia magis propensos video DD. pro affirmatiua sententia; sic gaudent priuilegio canonis, & exemptionis Gabellarum *Molina tom. 3. tract. 2. disp. 671. nu. 2., Graffius de offic. Cleric. effectu 2. nu. 13.,* & absolui possunt ab omnibus casibus, & censuris, & dispensari in omnibus irregularitatibus, à quibus, & in quibus absolui, & dispensari possunt sui Ordinis Professi, *Bordonus de professione Relig. c. 4 q. 56.* nec, si exeant à Religione, reinciduut in easdem censuras, & irregularitates *Rodriquez q. 20. art. 21., Suarez de Religione tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 24. nu. 6.* Accedit, quod de iure antiquo Abbates potestatem habebant initiandi quoscunque etiam Nouitios, nec hæc facultas intelligenda est reuocata *per Concilium Trident. d. sess. 23. de reform. c. 10.,* quandoquidem Nouitij non possunt dici simplicitèr non subditi Regulares, quod quoad hunc effectum videtur considerasse textus *in c. Abbates de priuileg. in 6. in verbo conuolauerint*, quod intelligendum est de his, qui accesserint, non præcisè de his, qui iam professi fuerint. Nihilominus, quia communis opinio stat pro negatione talis potestatis initiandi Nouitios, ab illa non recedo, in cuius confirmationem addo, quod verba Concilij restringentis talem potestatem, vtpotè spectantia ad iurisdictionem non sint amplè accipienda, sed propriè, & in stricta significatione; propriè autem, & in stricta significatione Nouitij non veniunt nomine Religiosorum *Glos. in Clement. Religiosi verb. Religiosi, & ibi, Abbas num. 1., Immola num. 10.*

Hic oritur difficultas, an Abbates, qui olim potestatē habebant initiandi prima tonsura, & minoribus etiam non sibi subditos, quæ modo per Concil. Trident. restricta est ad solos Regulares subditos, possint modo non obstante tali restrictione ordinare Regulares alterius Ordinis accedentes cum dimissorijs suorum Superiorum, & etiam sæculares accedentes cum dimissorijs suorum Episcoporum. Difficultas excitatur propter verba *Trident. d. sess. 23. de reformat. cap. 10. Cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit &c.* Regulares autem alterius ordinis, vel sæculares quantumuis accedant cum dimissorijs suorum Superiorum non possunt dici subditi ipsorum Abbatum, cum non sint sub eius iurisdictione. Propter hanc rationem nonnulli statuerunt non posse ab ipsis Abbatibus initiari prima tonsura, nec minoribus ordinibus; Alij inter quos *Vgolinus de offic., & potest. Episcopi c. 26. §. 19., Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episc. alleg. 3. nu. 13.* valdè dubitant de Regularibus non subditis propter eadem verba, constanter tamen negant de Clericis sæcularibus; atque pro se adducunt decisionem Rotæ Romanæ relatam à *Seraphino decis. 985. part. 1.* Verum his non obstantibus alij sentiunt vtique posse huiusmodi Abbates, & Regulares alterius ordinis, & sæculares alterius iurisdictionis minoribus ordinibus initiare, si accesserint cum dimissorijs suorum superiorum duabus conditionibus, prima, si dimissoriæ, quas receperint à suis respectiuè superioribus, sint speciatim ad recipiendos ordines, ita vt non sufficiat, id generatim ab Episcopo concedi, sed pro singulis dentur literæ huiusmodi; secunda, si accesserit etiam consensus Episcopi loci, in quo ordines suscipere cupiunt. Hæc omnia cum talibus conditionibus colligunt ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium Concil. Trident. interpretum relata à *Quaranta in verb. Ordo vers. notandum, & à Marchino tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 2. de legit. ord. ministro c. 10. nu. 15. vers. cæterum*, in qua declaratione omnia hæc, quæ hic dicuntur, continentur. Neq. obstare asserunt ea, quæ in contrarium fuerunt adducta, quandoquidem dicunt, quod per concessionem literarum dimissorialium quoad effectum illius ordinationis constituuntur subditi. Verum inuenio aliam declarationem eiusdem Sacræ Congregationis emanatam die 23. Nouemb. 1641., per quam prohibetur eisdem Abbatibus initiare non subditos, quamuis accesserint cum dimissorialibus suorum Superiorum apud *Dianam part. 7. tract. 11. resol. 42.* Cui autem sit adhærendum alij videant.

17 *An possint ordinare nō subditos accedētes cum dimissorijs suorum Superiorū remissiuè.*

Sed, an, si Abbates huiusmodi ordines minores conferant non subditis sine literis dimissorialibus proprij Episcopi intelligantur solum illicitè conferre, an etiam inualidè. Affirmat etiam inualidè conferre *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 29. num. 8., & 22.* ea ductus ratione, quod, cum huiusmodi potestas, quam habent Abbates, non sit ordinaria, & annexa proprio officio, sed tantum ex priuilegio, non est extendenda, nisi ad illos, ad quos priuilegium extenditur; cum igitur potestas ipsis concessa sit tantum

18 *Conferētes non subditis sine dimissorijs inualidè conferunt.*

ad

ad Regulares subditos, extra illos non extenditur, & sic defectu potestatis non potest intelligi valida collatio. Contra Suarez stat *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in comm. par. 2. de legit. ord. minist. c. 10. num. 15. vers. sed quid, si Abbas*, qui pluribus rationibus mouetur, primo, quia Concilium Trident. restringens hanc potestatem ad Regulares subditos loquens de alijs non dicit, *Non valeat, sed non liceat*, quæ particula non importat inualidum, sed illicitum esse. Secundo, quia per Sacram Congregationem officij 3. Maij 1594. dictum est tonsuratos ab Abbate non benedicto, vel non habente hanc facultatem ex priuilegio Sedis Apostolicæ debere iterum tonsurari, ex quo infert tunc solum esse repetendam tonsurationem, quando facta est ab Abbate non benedicto. Tertio, quia eadem Sacra Congregatio, vt fatetur *Suarez*, dixit tonsuratos non subditos Abbati tonsuranti manere suspensos, & indigere dispensatione, quod non subsisteret, si esset inualida collatio. Tandem ex eo, quod Potestas collata huiusmodi Abbatibus est ad modum potestatis Episcopalis.

In hoc adhęreo opinioni Suarez propter rationem pro ea adductam; nec me vrgent rationes Marchini, non prima deducta ex verbis Concilij Trident. *Non liceat*, quia, quando huiusmodi verba referuntur ad ea, quæ sunt remouibilia, seu reuocabilia per eum, à quo proferuntur, & statuuntur, habent vim ea auferendi, & reuocandi, & sic cum hæc referantur ad Abbates, quibus non inest potestas ex vi ipsorum dignitatis, sed ex mero priuilegio, quod reuocabile est per idemmet Concilium, vtique intelligenda sunt, eam potestatem auferre, ac reuocare, & per consequens defectu potestatis reddere irritam collationem. Non secunda deducta ex declaratione Sacræ Congregationis, quia hæc duo dicit. Primum tonsurationem factam ab Abbate non benedicto iterandam esse. Secundum, esse item iterandam, si non facta fuerit ab habente facultatem ex priuilegio Sedis Apostolicæ; Non potest autem dici facta ab Abbate quoad non subditum sine literis dimissorijs sui Episcopi esse ab habente facultatem ex priuilegio, cum hoc sit reuocatum ab eodem Concilio Tridentino; vndè per hanc Sacræ Congregationis declarationem potius firmatur, quam euellatur nostra opinio. Non tertia deducta ex eadem Sacra Congregatione, quia de tali determinatione non constat authenticè, &, vbi constaret, dicendum esset, sumi lato modo suspensionem pro irritatione, seu non consecutione effectus; Non tandem quarta, quia potestas in Episcopo est annexa ordini, potestas vero Abbatis est ex priuilegio.

19 *Satisfit rationibus Marchini.*

ARTICVLVS II.

De potestate conferendi Ordines ex priuilegio Pontificis.

SVMMARIVM.

Sententia asserens constitutum in aliquo ordine ex Pontificis commissione posse alteri ordinem, quem ipse habet, conferre. 1.

Sententia asserens Sacerdotem ex commissione Pontificis conferre posse Subdiaconatum, & Diaconatum, non tamen Sacerdotium. 2.

Sententia asserens simplicem Sacerdotem etiā ex commissione Pontificis nullum posse ordinem maiorem conferre. 3.

Sententia asserens posse ex tali commissione conferre Subdiaconatum, non Diaconatū. 4.

Probabilius Diaconus, & Subdiaconus ex commissione etiam Pontificis non potest ordines minores conferre. 5.

Nec simplex Sacerdos Ordines maiores. 6.

Ea, quæ sunt ordinis, sunt in duplici differentia, & explicatur. 7.

De priuilegio concesso ab Innocentio VIII. Abbati Cistercij conferendi ordinem Diaconatus suis subditis, non constat. 8.

Subdiaconus immediatè seruit Altari. 9.

Cur simplex Sacerdos possit ex Pontificis commissione confirmare, non maiores ordines conferre. 10.

Correpiscopi erant in duplici differentia. 11.

SVb hoc titulo duo præcipuè examinabuntur; primum, an non Sacerdos puta Diaconus, vel Subdiaconus, & fortè etiam in minoribus solum constitutus possit ex commissione Summi Pontificis conferre ordines minores, & primam tonsuram. Secundum, an Sacerdos possit ex eadem commissione ordinare Subdiaconum, Diaconum, & etiam alium Presbiterum.

Sub vnica responsione vtrique proposito dubio satisfaciunt, qui dicunt constitutum in aliquo ordine ex Pontificis commissione alijs eos ordines, quos ipse habet, posse conferre, & inter cæteros sic sentit *Innocentius in c. quanto de consuetudine*. Iuxta hanc sententiam Sacerdos legitimè ordinatus non solum ex Pontificis delegatione poterit minores ordines conferre, sed etiam maiores, & item Sacerdotalem, cum ipse sit in ijs omnibus ordinibus constitutus; Diaconus ordinare alios Diaconos, & omnes inferiores. Subdiaconus alios Subdiaconos &c. & sic successiuè; In hanc etiam inclinare videtur *Marchinus*

1 *Prima sententia.*

nus tract. 1. part. 2. c. 13.

2 *Secunda sententia* Alij asserunt posse quidem Sacerdotem ex Pontificis dispensatione conferre minores ordines, & etiam Diaconatum, & Subdiaconatum, non tamen Presbiteratum, atque iuxta hanc sententiam procedunt *Glosa in c. peruenit dist. 95., Angelus verbo ordo 2., Viualdus in candelabro aureo de Sacramento ordinis tit. de Ministro §. octauo si Papa, Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 243. c. 4.*

3 *Tertia sententia* Alij absolutè negant simplicem Sacerdotem etiam ex Pontificis concessione posse ordines maiores conferre; atq; cum his procedunt *D. Thomas in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 3., & in addit. ad 3. partem q. 38. art. 1. ad 3., Siluester verb. ordo 2. q. 7., Sotus in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. in sol. ad 2., Bellarminus de ord. c. 7., & alij magis communiter.*

4 *Quarta sententia* Alij tandem sentiunt non posse conferre Diaconatum, & Presbiteratum benè tamen Subdiaconatum; atq; iuxta hanc opinionem procedunt *Martinus Fornarius de ordine c. 5. in 3. dicto nu. 2., Suarez de Sacramentis disp. 11. sect. 3. § solum posset Domitius Camerota de Sacramentis tract. 11. c. 4. dub. 2.*

Hæ tres postremæ opiniones licet attingant secundum dubium de Sacerdote, an possit conferre de mandato Pontificis ordines, siuè minores, siue maiores intactum tamen relinquunt primum dubium, an scilicet Diaconus, vel Subdiaconus possint de commissione Pontificis minores ordines conferre, in quo nos debemus primo loco insistere.

5 *Nō Sacerdos non potest minores Ordines conferre* Assertio I. Probabilius est non posse etiam ex Pontificis Priuilegio Diaconum, vel Subdiaconum conferre ordines minores. Consentit *D. Thomas in addit. ad 3. partem q. 38. art. 1. ad 3., Siluester verb. Ordo 3. q. 7., Paludanus in 4. dist. 7. q. 4., Victoria de Ordine nu. 233.*

Recito verba D. Thomæ loc. cit. *Ad tertium dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeat immediatam relationem ad verum corpus, & ideò ex eius commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre minores ordines, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos.* Si autem quæratur ratio assertionis, & auctoritatis D. Thomæ, dicam hoc prouenire ex institutione Christi Domini, qui institutis Sacramentis duos ordines elegit maiorem alterum, nempè Apostolorum, alterum minorem septuaginta duorum discipulorum, quorum primis successerunt Episcopi, secundis Sacerdotes, vt habet *Glosa in c. Abbates de priuilegijs in 6. in verbo nota primo.* His Christus Dominus demandauit regimen orbis Catholici, & Ecclesiastici, vt singuli in suo ordine munera demandata exercerent, & non alijs, adeoque Apostolis, & per eosdem Episcopis successoribus concessit ex proprio officio posse conferre ordines, & Discipulis, & Sacerdotibus ex deputatione, non autem alijs minoribus; & hoc etiam arguimus à posteriori, dum Pontifices, apud quos residet plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, concedentes Abbatibus facultatem conferendi primam tonsuram, & ordines minores, addunt conditionem *dummodo fuerint Sacerdotes*, vt habetur *in c. cum contingat de ætat., & qualit.*

Assertio II. Probabilius etiam est, nec ex Priuilegio Pontificis simplicem Sacerdotem posse conferre ordines Subdiaconatus, & Diaconatus, & multò minus Presbiteratus. In hoc consentiunt communitèr Theologi non solum allegati pro tertia sententia; sed vlterius *Durandus in 4. dist. 25. q. 1. nu. 5., Hieronymus Campanilis in diuersorio iuris canon. rub. 6. c. 2. nu. 13., Azorius instit. mor. p. 2. lib. 3. cap. 48. q. 16., Coaruuias lib. 1. var. resol. c. 10. nu. 10., Sairus lib. 6. de censuris c. 6. n. 8., Moisesius in summa tract. 2. c. 2. nu. 3., Martinus Fornarius de ordine c. 5. in 3. d. nu. 2.,* hic tamen vltimus admittit ex commissione Papæ posse Subdiaconatum conferre: *Marcus Antonius Cucus lib. 4. Instit. Canon. tit. 11. nu. 8., Nauarrus lib. 5. consil. tit. de Priuilegijs cons. 13., Augustinus Barbosa de offic. Episcopi alleg. 3. nu. 4.* 6 *Nec simplex Sacerdos ordines maiores*

Probatur primo ex communi Theologorum consensu, cui hac in re plurimum est deferendum. Secundo, quia collatio ordinum sacrorum est actus ordinis Episcopalis, & quidem de iure diuino, vt latè probat *Bellarminus de Sacramento Ordinis c. 7. ad fin., Henriquez lib. 10. c. 23., Suarez tom. 1. disp. 11. sect. 1. nu. 6., Coaruuias lib. 1. var. c. 10. nu. 10.*, sed ea, quæ sunt ordinis, & de iure Diuino affixa ordini non possunt committi illi, qui non habet talem ordinem, ergo collatio sacrorum ordinum, non potest committi alicui, qui non sit Episcopus. Confirmatur, quia, vel collatio sacrorum ordinum dicit essentialem dependentiam à charactere Episcopali, vel non; si non, ergo Episcopus non erit de iure Diuino proprius huius Sacramenti minister; si sic, ergo non poterit conferri potestas ordinandi alteri, qui non habet talem characterem, cum non possit esse valida actio sine principio, à quo essentialitèr pendet.

Dices primò, hæc argumenta nimis probare; probant etenim etiam neque ex auctoritate Summi Pontificis posse per sim-

simplicem Sacerdotem conferri ordines minores, quod est contra superius per nos approbata. Sequela probatur, quia etiam collatio eorundem ordinum minorum est actus ordinis Episcopalis, cum alijs competat non ex vi ordinis, sed ex speciali priuilegio Romani Pontificis, ergo, vel di-

7 *Ea quæ sunt Ordinis sunt in duplici differentia, & quanam*

cendum est, quod nec minores ordines possint ex Pontificis indulto conferri per simplicem Sacerdotem, vel quod, si per ipsum minores possunt conferri, conferri etiam possint maiores. Sed contra, dico, ea, quæ sunt ordinis, esse quodamodo in duplici differentia; alia, quæ habent immediatam, & proximam relationem ad finem vltimum, & principalem intentum à Christo Domino in institutione huiusmodi ordinum, qui finis est constitutio Christi Domini sub speciebus Eucharisticis; alia, quæ non habent illam immediatam relationem ad eundem finem, sed solummodo mediatam, & remotam. Ad ea, quę sunt ordinis primo modo, reducūtur ordines sacri, nempè Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, qui ideo dicuntur sacri, quia proximius accedunt ad fontem Sanctitatis substantialis. Ad ea vero, quæ sunt ordinis secundo modo reducuntur reliqui quatuor ordines. Hinc dico, quod ea, quæ sunt ordinis primo modo, non possint alij committi, qui non habet talem ordinem, ea vero, quæ sunt ordinis secundo modo, licet de potentia ordinaria conueniant soli Episcopo tamquā ministro eorum ordinario, de potentia tamen extraordinaria, & ex speciali priuilegio possint alteri etiam non Episcopo, dummodo Sacerdotali gaudeat caracthere, competere, quia, vt habetur *in c. ex literis de excess. Prælat.* non potest esse potestas conferendi ordines etiam ex commissione, & priuilegio sine potestate supra Corpus Christi verum, & reale.

Quod, si vrgeas gratis confingi, quoad hunc effectum hanc distinctionem eorum, quæ sunt affixa, seu sunt ordinis Episcopalis, ita vt aliqua non sint communicabilia etiam per priuilegium, alia vero cōmunicabilia, cum de eadem nec constet ex sacris paginis, nec ex traditione, nec ex alicuius Concilij definitione; Contra enim impugnaberis, quia in primis de eadem mentionem expressam facit *D. Thomas d. q.*

Hæc differentia colligitur ex D. Thoma.

38. art. 1. ad 3. ibi *Nec item Sacerdos maiores ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi supra quod consecrandum Papa non habet maiorem potestatem, quam simplex Sacerdos*, & auctoritati D. Thomæ plurimum est deferendum præcipuè, cum rectæ rationi innitatur, quam considerauit *D. Bonauentura in 4. dist. 25. art. 1. q. 1. in resolutione*, dum dixit secundum sacros Canones non posse aliquem ordines sacros dispensare, nisi sit Episcopus, cum particula restrictiua *solus*; quod colligit ex sacra scriptura, quia cum Dominus duo genera discipulorum habuit, Apostolos scilicet, & septuaginta duos discipulos, in primis fundauit Ecclesiam, ipsos tamen primo fundando ex se, eisdemque primo contulit potestatem imponendi manus, & consecrandi, non sic autem simplicibus discipulis, sicut patet ex textu, & Glos. *Actor. 8.* Apostolis autem successerunt Episcopi, & Discipulis Sacerdotes, vt habetur *in c. in nouo testamento dist. 21.*, hinc patet, quod auctoritas ordinandi, consecrandi, & manus imponendi, (quod fit in collatione ordinum maiorum) Episcopis approprietur, vndè, & Apostolus *prima ad Thimotheum 5.* dicit, *Manus citò nemini imposueris*. Deinde quasi à posteriori hoc idem deducitur quandoquidem, vt notat *Azorius Instit. mor. part. 2. lib. 3. c. 48. q. 16.* nunquam certè visum est talem potestatem Romanum Pontificem contulisse, sicuti contulit pro ordinibus minoribus conferendis.

Quod, si *Nauarrus cons. 13. lib. 15. de priuileg., Rodriquez de reg. tom. 1. q. 18. art. 3., & 4., Marchinus tract. 1. part. 2. c. 13. nu. 9.* 8

De hoc priuilegio authenticè non constat.

referunt priuilegium Innocentij VIII. concessum cuidam Ioanni Abbati Cistertij, vt posset suos subditos initiare subdiaconatus, & Diaconatus ordine, de hoc dicendum est autentice non constare, & vbi constaret, *Camerota de Sacrament. tract. 11. c. 4., Viualdus in candelabro aureo de Sacramento Ordinis tit. de Ministro*, asserunt hoc priuilegium esse per Concilium Tridentinum reuocatum; sed hæc ipsorum assertio nō euacuat difficultatem, nam dato, quod esset reuocatum, sequitur, quidem, quod non possit amplius executioni mandari, non autem sequitur, quod non fuerit potestas in Pontifice validè illud concedendi, & si Pontifex potuit tunc concedere, poterit etiam nunc concedere, vel derogare reuocationi Concilij. Quare sistendum est in negatione concessionis.

Dices secundo, Subdiaconatum non habere immediatam relationem cum vero, & reali Corpore Christi Domini, ergo saltem poterit Subdiaconatus per simplicem Sacerdotem ex Pontificis concessione 9

Subdiaconus immediatè deseruit Altari.

conferri, sicuti possunt ex superius dictis conferri cæteri minores. Consequentia probatur, quia minores possunt conferri, eo quod non habeant illam immediatam relationem, ergo, si eandem non habet Subdiaconatus, & ipse poterit conferre. Sed contra, quia, cum immediatè Subdiaconus altari deseruiat in solemni Sacrificij celebratione, propter quod eius munus computatur inter ordines sacros, per consequens

sequens habet quandam proximam relationem ad idem Corpus Christi licet non ita immediatam sicut habet Diaconus, quæ proxima relatio sufficiens est, vt collatio proprij ordinis exigat in Ministro ordinem præeminentiæ, qui ordo solum residet in Episcopo.

Dices tertio, simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis potest confirmare, quamuis potestas confirmandi sit ordinis Episcopalis, quod clarè euincitur ex *D. Ambrosio in c. 4. Epistolæ ad Ephes.* vbi

10 tradit Sacerdotes Egypti absente Episcopo ex Pontificis concessione confirmationis Sacramentum aliquibus in locis contulisse, quod idem confirmat *Gratianus in c. peruenit dist.* 95. de Sacerdotibus Sardiniæ ex concessione Gregorij I., ergo ex eadem concessione poterit Sacerdos ordines sacros conferre, quia non minus annexa est potestas ordinandi ordini Episcopali, ac potestas confirmandi. Sed contra concesso antecedente, neganda est consequentia, si procedat de ordinibus sacris; & ratio est, quia sicuti ordines minores, cum non habeant immediatam relationem cũ Corpore Christi, possunt per simplicem Sacerdotem ex commissione Papæ conferri, ita etiam confirmatio, quæ nullam habet ad idem Christi Corpus reale relationem, sed solum refertur ad corpus misticum eiusdem; hoc autem non potest extendi ad ordines sacros propter illam immediatam relationem.

Simplex Sacerdos potest ex commissione Pōtificis confirmare.

Dices quarto ex *Gelasio I. Epist. 1. cap. 8.* vbi loquens de Presbyteris sic ait, *Nec sibi meminerint vlla ratione concedi sine summo Pontifice Subdiaconum, aut Acolytum habere ius ordinandi*, ergo cum Summo Pontifice, hoc est cum eius concessione poterit Subdiaconum ordinare; cum etenim Pontifex æque prohibeat Sacerdoti ordinare Subdiaconum, ac Acolytum sine Summo Pontifice, incongruè in eadem serie posuisset eosdem, si nec etiam ex ipsius commissione posset Presbyter Subdiaconum ordinare. Sed contra, quia Pontifex in eo loco solum intendit indicare sine Pontificis auctoritate Presbyterum simplicem nullam habere potestatem quoscunque ordines conferendi, ex quo tamen non sequitur, quod sicuti ex ipsius dispensatione potest Acolytũ ordinare, ita possit Subdiaconum, nam in assumpto solum dicit id, quod non potest Presbyter facere non designans ex quo capite proueniat impotentia; in eo verò, quod ex illo assumpto deducitur, supponitur, quod impotentia ad vtrumque ex eodem fonte, & capite proueniat, & à contrario sensu deducitur, quod, cum Pontificis dispensatione possit vterque ordo per simplicem Sacerdotem conferri, quod non rectè procedit, cum proueniat ex falsa suppositione, quod impotentia ordinandi Subdiaconum proueniat solummodò ex negatione Pontificiæ dispensationis, quod verum non est cum aliundè habeatur talis impotentia. Hæc omnia vnica paritate euincuntur. Non valet hoc argumentum, Nec oculus corporeus, nec intellectus sine eleuatione possunt Deum videre, ergo sicuti intellectus cum eleuatione potest Deum videre, ita, & oculus corporeus poterit cum eadem Deum videre; ergo neque valebit hoc aliud Presbyter simplex, nec Subdiaconum, nec Acolytum sine Romano Pontifice potest ordinare, ergo sicuti cum Romano Pontifice potest ordinare Acolytũ, poterit etiam cum eodem ordinare Subdiaconum.

Argumentum à contrario sensu in hoc non valet.

Dices quinto Correpiscopi, vt legitur *in Concil. Antiochenо can.* 10. ordinabant Subdiaconos; sed Correpiscopi erant solummodo Sacerdotes, vt habetur *in Concil. Neocæsariensi c. 13. ex D. Isidoro lib. 2. de offic. Eccles. c. 6.*, ergo simplices Sacerdotes ex Pontificis Romani dispensatione poterunt ordinare Subdiaconos. Sed contra dicendum est, fuisse antiquitus duo genera Correpiscoporum, alterum simpliciũ Sacerdotum, qui tamen dicebantur Correpiscopi, quatenus erant quodamodo Vicarij Episcopi iuxta id, quod asserit *D. Isidorus loc. cit.*, alterum Episcoporum qui tamen cum essent subiecti, quasi suffraganei Episcopis exercebant solummodo munera in eorum Diæcesi, quæ ab eisdem Episcopis ipsis demandabantur; dum igitur dicitur, quod Correpiscopi ordinabant Subdiaconos, hoc intelligendum est de Correpiscopis, qui fulgebant dignitate Episcopali, non de simplicibus Sacerdotibus, vt colligit *Bellarminus de Sacram. Ord. c. 7. ex Epist. 4. Damasi Papæ.*

11 *Correpiscopi in dupli ci differentia.*

ARTICVLVS III.

De conditionibus requisitis in ordinante vt possit ordines conferre.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi sub hoc titulo. 1.
Episcopus præcisè electus, & confirmatus non potest validè conferre ordines. 2.
Potest tamen Episcopo consecrato delegare ordinationem suorum subditorum. 3.
Episcopus consecratus per saltũ potest ordines, quos non recepit, validè alijs conferre. 4.
Intellige nisi ordo, quem non recepit, sit Presbiteratus. 5.
Episcopus consecratus per saltum, & absolutus à suspensione inde contracta, probabilius non

non potest ordines licitè conferre, nisi prius recipiat ordinem non receptum. 6.

Episcopus per saltum consecratus, potest solum mediatè secum dispensare. 7.

Episcopus suspensus, excommunicatus, hæreticus, & irregularis potest validè ordines conferre. 8.

Esset tamen illicita ordinatio. 9.

Ordinatus ab excommunicato nõ tolerato ignorans potest à proprio Episcopo dispensari. 10.

Episcopus potest validè ordinare non suum. 11.

Plures tamen pœnas subiret. 12.

CONditiones aliæ se tenere possunt ex parte Episcopi ordinantis, aliæ ex parte subiecti ordinandi, aliæ ex parte temporis, aliæ ex parte loci. Sub hoc titulo agemus solummodo de conditionibus, quæ se tenent ex parte Episcopi ordinantis; in subsequentibus de alijs.

Articuli examinandi sub hoc titulo.

1 In ordine igitur ad conditiones se tenentes ex parte eiusdem, inquiremus primo, an ex necessitate ad conferendos ordines debeat esse electus, confirmatus, & consecratus, an vero sufficiat, quod sit præcisè electus, vel confirmatus. Secundo, an debeat ipse habere ordines, ad quos intendit alios ordinare. Tertio, an, si fuerit suspensus, excommunicatus, depositus, & degradatus, hæreticus validè possit ordinare. Quarto, an debeat habere iurisdictionem aliquam erga personam ordinandam, & quamnam.

Episcopus præcisè electus, & confirmatus non potest validè ordines cõferre.

2 Assertio I. Episcopus præcisè electus, & confirmatus non potest validè conferre ordines, nisi etiam sit consecratus, quantũ est ex vi proprij muneris; potest tamen alteri Episcopo consecrato delegare ordinationem suorum subditorum. In hoc arbitror omnes consentire. Dixi *quantum est ex vi proprij muneris*; non etenim negauerim, posse ex Romani Pontificis dispensatione etiam ante consecrationem conferre ordines minores; sed tunc non conferret formaliter, vt Episcopus, & ex vi ordinis, sed vt delegatus, & ex vi priuilegij.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia collatio ordinum, quæ fit per potestatem ordinis dependet essentialitèr tanquam à principio à caracthere Episcopali, vt habetur *in c. inter corporalia de transl. Episcop.*, sed caracther Episcopalis non imprimitur, nisi per consecrationem, ergo ante eandem consecrationem, non potest fieri valida collatio ordinum, quia non potest esse talis collatio sine principio, à quo essentialitèr pendet, ex quibus sequitur, quod Episcopus electus, & etiam confirmatus ante consecrationem non possit ea munera exercere, quæ sunt ordinis Episcopalis; vnde etiam nonnulli contendunt, quod ante consecrationem non possit dici Episcopus, sed dumtaxat Prælatus.

Potest delegare ordinationẽ suorũ subditorum Episcopo consecrato.

Ratio secundæ partis ex eo desumitur, quod per electionem, & confirmationem 3
licet non acquirat potestatem ordinis acquirit tamen potestatem iurisdictionis, vt colligit *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 2. c. 11. nu. 2 ex d. cap. inter corporalia de transl. Episc.*, ergo poterit delegare alteri Episcopo potestatem initiandi sacris ordinibus suos subditos, seu suæ iurisdictioni subiectos arg. eorum, quæ tradit *Abbas in c. cum ex illis de transl. Episc.*, *& in c. suffraganeis de elect. n. 6.* Neque dicas, non potest quis alteri delegare potestatem, quam non habet in se ipso, sed Episcopus præcisè electus non habet in se potestatem ordinandi, ergo nec poterit talem potestatem alteri Episcopo delegare; contra enim impugnaberis, quia non delegat potestatem ordinis, sed dumtaxat iurisdictionis, qua vtique ipse gaudet, nec alius Episcopus consecratus, vt ordinet alterum subditum, alio indiget, nisi iurisdictione.

Episcopus consecratus per saltum potest ordines, quos nõ recipit, conferre.

Assertio II. Episcopus, qui ante consecrationem non recepit aliquos ordines, & 4
postea eisdem adhuc non receptis consecratus est, probabilius potest ordines, quos non recepit, alijs conferre, excipe nisi ordo, quem ipse non recepit, sit Presbyteratus. In hanc consentiunt *Gabriel Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 243. n. 24., Molfesius in summa tract. 2. c. 17. n. 5., Marchinus tract. 1. de Sacram. ord. in communi part. 2. c. 19.*, quidquid ex aduerso dixerint *Suarez de censuris disp. 31. sect. 1., & alij.*

Episcopus ordinatus per saltum est verè Episcopus.

Probatur primo, quia Episcopus ordinatus per saltum est verè Episcopus, & verè recepit caractherem Episcopalem, per quem eidem confertur potestas exercendi ea omnia munera, quæ sunt annexa tali ordini, ergo re vera poterit validè conferre omnes ordines, cum hoc sit proprium munus ordinis Episcopalis. Consequentia probatur, quia data sufficienti potestate ad aliquem effectum non est, cur ille effectus poni non possit; & quamuis talis Episcopus ordinatus per saltum illicitè conferret, non posset tamen dici conferre inualidè; sicuti, vt infrà dicemus, Episcopus excõmunicatus, suspensus &c. quamuis nequeat licitè Sacramenta administrare, & ordines conferre, potest tamen validè.

Collatio ordinũ, non dependet, nisi à potestate Episcopali.

Probatur secundò, quia collatio ordinum non dependet nisi ab ordine, & potestate Episcopali, non verò ab alijs ordinibus, qui in Episcopo ordinãte præsupponantur; nam licet isti ex Ecclesiæ præscripto

ſcripto debeant præcedere ad licitam ſuſceptionem ordinis Epiſcopalis, non habent tamen influere tanquam cauſę in ordines, qui ab eodem Epiſcopo conferuntur, ergo poſito ordine, & poteſtate Epiſcopali etiam, ſi non ſint alij ordines in ipſo habente talem poteſtatem Epiſcopalem, poterit eſſe valida eorundem ordinum collatio. Conſequentia probatur ſuppoſita non dependentia ab alijs ordinibus, & ſolum à poteſtate Epiſcopali, non eſt cur hac poſita non poſſit eſſe valida ordinum collatio, nam poſito ſufficienti principio, non eſt, cur non debeat ſequi effectus.

Dices primo. Nemo dare poteſt id, quod non habet, nec quis poteſt plus iuris in alium transferre, ac habeat in ſe, ergo Epiſcopus eos ordines, quos ipſe non recepit, cum fuerit per ſaltum ordinatus, non poterit alijs conferre. Sed contra licet Epiſcopus non habeat illos ordines formaliter, habet tamen eminenter, cum inferiores eminentèr contineantur in ſuperioribus.

Dices ſecundo. Si Epiſcopus eſſet conſecratus non recepto prius Sacerdotio, nec
5 ordinem Sacerdotalem poſſet conferre, ergo, ſi eſſet conſecratus non receptis alijs ordinibus non poterit alios ordines, quos non recepit conferre. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio negationis eſt, quia caracther Sacerdotalis eſt eſſentialiter imbibitus in ordine Epiſcopali, adeo, vt non poſſit eſſe Epiſcopus, ſi non ſit Sacerdos; poteſt autem eſſe Epiſcopus quāuis non ſit formaliter Diaconus, vel ſubDiaconus, cum caracther Diaconatus, & ſubDiaconatus licet ex Eccleſiæ præſcripto prærequiratur, non eſt tamen eſſentialiter incluſus in caracthere Epiſcopali.

Si ordo, quem nō recepit, ſit presbiteratus non validè conferret.

Sed hic oritur difficultas, an, ſi Epiſcopus, qui per ſaltum promotus eſt ad ordinem Epiſcopalem, ratione cuius ſuſpenſus remaneret ab exercitio ordinis Epiſcopalis, à ſuſpenſione liberaretur ad conferendos poſtea licitè ordines, teneretur ordines, quos non recepit, recipere, an
6 vero poſſet ſine alio remota ſuſpenſione validè ordinare etiam quoad ordines, quos non recepit. Videtur aſſerendum poſſe præcisè remota ſuſpenſione ordines conferre, cum ordo Epiſcopalis alios eminentèr contineat, & det ſufficientem poteſtatem ordinandi. Nihilominus probabilius crederem, teneri ordines prætermiſſos recipere, & poſtea poteſtatem exercere alios ordinandi, quod colligo *ex c. 1. de Cler. per ſaltum promoto, & ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. de reform. c. 14.* atque ita ſtatuunt *Sairus lib. 7. c. 10. nu. 40., Reginaldus lib. 30. tract. 2. num. 191., Hugolinus de irreg. c. 38., Henriquez lib. 14. c. 6. §. 3.* Hic tamen aduerte, quod, ſi Epiſcopus ſic per ſaltum promotus ante diſpenſationem ſuper irregularitate, & ſuſpenſione exercuerit ordinem Epiſcopalem ordinando, contrahat irregularitatem à ſolo Pontifice diſpenſabilem, quod videtur colligi *ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 14.* vbi tribuit facultatem Epiſcopis diſpenſandi, ſi non miniſtrauerint, ergo, ſi miniſtrauerint, non poterunt &c.

Epiſcopus conſecratus per ſaltum, nō poteſt licitè ordines conferre, niſi recipiat ordinē, quem non recepit.

Alia hic ſuboritur difficultas, an, ſi Epiſcopus per ſaltum promotus non exercuerit ordinem Epiſcopalem, poſſit ſecum in irregularitate diſpenſare, ſicuti poteſt cum alijs. Reſpondendum eſt poſſe ſaltem mediatè, quatenus poteſt alij demandare, vt ſecum diſpenſet, vel abſoluat à ſuſpenſione. Dixi *ſaltem mediatè*, quia potiſſimum in ordine ad ſuſpenſionem, cum requiratur abſolutio, exigit alium habere, à quo abſoluatur, cum ſit relatiua, quæ non poteſt eſſe ad ſe ipſum. 7

Poteſt ſe ipſum diſpenſare mediatè.

Aſſertio III. Etiam ab Epiſcopo ſuſpenſo, excommunicato, irregulari, hæretico, & degradato poteſt valide conferri ordo. Eſt veritas catholica communiter recepta contra Agripinum Epiſcopum Cartaginenſem, cui viſus eſt adhæſiſſe D. Ciprianus, qui tamen ſolum docuerunt non poſſe ab hæreticis, & ſciſmaticis conferri; item contra Donatiſtas, qui docuerunt etiam non poſſe conferri à publicis peccatoribus; item contra Albigenſes, & Valdenſes, qui ſentiebant etiam à peccatoribus occultis non poſſe conferri, & contra alios nempè Huſſitas, & Vuiclephiſtas, qui eo dementiæ deuenerunt, vt aſſererent nō prædeſtinatos à Deo non poſſe Sacramenta conficere. 8

Suſpenſus, excommunicatus, &c. poteſt valide ordinare.

Non diu immorandum in probatione huius aſſertionis, & confutatione contrariorum errorum, quandoquidem de eis latè egimus in quæſtionibus *de Sacramentis in genere q. 3. art. 4. aſſert. 1. per tot.* vbi ex pluribus Conciliorum definitionibus, & rationibus hanc ſententiam comprobauimus, & à contrarijs omnibus vindicauimus. Recole, quæ ibi dicta ſunt, non enim vacat hic ea repetere.

Quamuis autem collatio ab eiſdem ſit valida, denegari tamen non poteſt, quin ſit illicita, vt notat *D. Thomas 3. part. q. 64. art. 6., & ibi Caietanus, Gonetus diſp. 6. art. 4., Suarez diſp. 15. ſect. 4.*, quod adeo verum eſt, vt & ille, qui ab huiuſmodi Epiſcopi affecto talibus qualitatibus, & non tolerato recipit ordinem, intelligatur ſuſpenſus à tali ordine, & vt aſſerit *Reginaldus lib. 30. tract. 2. num. 190. vers. 4. propoſitio*, etiam irregularis, quod intelligunt verificari de eo, qui ſic ordinaretur etiam in gradu 9

Eſſet tamen illicita ordinatio.

gradu Episcopali *Sairus de censuris lib. 2. c. 1. n. 11., Sanchez de censuris disp. 31. n. 65. & Vasquez tom. 3. in 3. partem disp. 243. c. 2.* Dixi *non tolerato*, nam, si toleratus esset, nullam pænam, nec culpam contraheret post *extrauag. Concil. Constantiensis sub Martino V.*, quæ incipit *ad euitanda scandala*, & qua solum prohibemur excommunicatos non toleratos euitare. Aduerte tamen, quod, quamuis Episcopus ordinans non esset toleratus, si tamen ab ipso ordinatus probabilitèr ignorauerit denuntiationē, possit ab Episcopo proprio dispensari super irregularitate contracta, prout colligitur *ex c. 2. de ordin. ab eo, qui Episc. renunt. & ex c. statuimus 1. q. 1.*

10 *Ordinatus ab Episcopo non tolerato ignorans, potest dispensari à suo Episcopo.*

Assertio IV. Episcopus etiam alienus potest non subditum validè ordinare, non tamen licitè, immò, & ipsum Episcopum varias pænas iuris Canonici, & etiam ipsum ordinatum incurrere, certum esse, de quibus immediatè subdam eas in particulari enumerando.

Ratio primæ partis est, quia, & in Episcopo est sufficiens potestas conferendi, & in ordinando, quantumuis non subdito capacitas recipiendi ordinem, & caractherem, ergo non est, si conferat, quod validè non conferat, & re vera caractherem imprimat. Antecedens patet, quia potestas, quam habet Episcopus ex vi ordinis, est absoluta, & non limitata ad determinata subiecta, cæteroqui etiam ex facultate Episcopi, cuius ordinandus est subditus, non posset conferre, cum proprius Episcopus non possit alteri ordinanti conferre potestatem ordinis, quam non habet, & subiectum supposita potestate in Episcopo ordinante non potest non recipere effectum, si habeat saltem intentionem habitualem ipsum recipiendi. Neque dicas, quod, quamuis habeat potestatem ordinis absolutam, & illimitatam, non habeat tamen in illam personam, quam ordinare intendit, iurisdictionem, defectu cuius non potest validè ordinare; contra enim impugnaberis, quia ad validam collationem, si excipias Sacramentum pænitentiæ, non est necessaria potestas iurisdictionis, vt videre est in Sacramento Baptismatis, confirmationis &c.

11 *Episcopus potest validè ordinare non suũ.*

Confirmari potest primo, in Episcopo excommunicato nominatim denuntiato; qui durante excommunicatione priuatus est iurisdictione, & tamen ex superius dictis, si conferat ordines, validè confert, ergo ad validam ordinum collationem non est necessaria iurisdictio. Confirmari potest secundò, quia ordinatus ab alieno Episcopo sine consensu proprij remanet suspensus ab exercitio illius ordinis per textum *in c. illud 1., & c. si quis ausus 3. dist. 71., & ex Trident. sess. 23. c. 8. de reformatione*, & exercitium eiusdem recuperat ex ratihabitione proprij Episcopi sine alia collatione *Nauarrus c. 24., & 25. de tempor. ordin., Maiolus de irregul. lib. 1. c. 10. nu. 1.*, & suspensio ab eodem proprio Episcopo potest auferri ob priuilegium ipsi concessum à *Trident. sess. 23. c. 8. de reformat.* Quomodo autem posset dici suspensus ab exercitio illius ordinis, si validè ipsum non recepisset? Quomodo suspensio posset ab Episcopo proprio auferri, ita vt sine alio posset exercitium ordinis suscepti habere, si illo ordine non esset validè initiatus? ergo a primo ad vltimum asserendum est validam esse illius ordinis collationem.

Secunda pars clarè deducitur *ex c. cum nullus de tempor. ord. in 6., & ex Concil. Trident. sess. 14. de reformat. c. 2., & sess. 23. c. 8. item de reformat.*, vbi prohibetur quilibet Episcopus, ne alienum subditum ordinet sine proprij Episcopi consensu. Item deducitur ex varijs pænis comminatis, tam contra ordinantem, quam contra ordinatum, si ille fuerit alienus, & iste non subditus; ex quibus textibus, & pænis clarè elucet, Episcopos non posse licitè ordinare sibi non subditos. De talibus autem pænis agemus infra.

12 *Plures tamen pænas subiret.*

ARTICVLVS IV.

Quisnam dicatur proprius Episcopus, qui possit licitè Ordines conferre.

SVMMARIVM.

Episcopus proprius, vel potest esse ratione originis, vel ratione domicilij, vel ratione beneficij. 1.

Vt sit talis ratione originis ad effectum conferendi ordines non sufficit quod ascendentes ordinandi nati sint in eius Diæcesi. 2.

An sufficiat, quod Pater ordinandi, natus sit in eadem Diæcesi triplex sententia assignatur, sed probabilior est, quod sufficiat. 3.

Intellige dummodo eius Pater ibi permanenter haberet domicilium. 4.

Explicantur textus in c. cum nullus, & c. quod translationem de temp. ord. 5.

Ad contrahendam subiectionem ratione domicilij, duo requiruntur, vt scilicet quis actu habitet in tali loco, & animum habeat ibi permanendi. 6.

An sufficiat, quod quis habitauerit per decem annos in aliquo loco, vt dicatur subditus illius loci remissiuè. 7.

Fixo domicilio per actualem habitationem cum animo ibi permanendi illud non tollitur per solam voluntatem ab illo recedendi. 8.

Potest quis habere domicilia duo, si aquè in vtro-

1 *Tria subiectionum genera*. CVm ex mox dictis alienus Episcopus, non possit licitè ordines conferre sibi non subdito, sed requiratur proprius, quærimus modo quisnam dicatur Episcopus proprius ad effectum, vt possit licitè ipsos ordines dare. Tripliciter autem potest Episcopus dici proprius, & alter illi subditus; primo, ratione originis; secundo, ratione domicilij, & habitationis; tertio, ratione beneficij.

Episcopus, cui ordinandus subditur, vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel ratione beneficij potest iustè dici proprius, eidemque licitè conferre ordines suppositis tamen conditionibus, quæ requiruntur, vt possit dici talis ratione illius triplicis subiectionis, prout expressè habetur *in c. nullus de temp. ord. in 6.*

Singulas subiectiones examino in particulari; & primo de subiectione ratione originis aduerto primo ad contrahendam eandem non sufficere, quod eius ascendentes nati sint in aliquo loco subiecto eidem Episcopo, cæteroqui posset quis dici subditus originis in loco, in quo natus est abauus, Proauus &c. quod a nemine admittitur. Sed an sufficiat, quod eius Pater natus sit in tali loco, vt eius filius licet alibi natus, possit gaudere priuilegio originis in tali loco, & ab Episcopo eius loci ordinari video DD. in tres classes diuisos. 2 *Quid requiratur, vt sit talis ratione originis*

Prima illorum est, qui docent ad hunc effectum, vt quis possit ordinari ab Episcopo talis loci non sufficere originem paternam in tali loco atque ità signantèr sentiunt *Iacobus de Graffis par. 2. decis. lib. 3. tit. de Clericis circa ordines c. 23. n. 4.*, *Henriquez lib. 10. c. 22.*, *Quaranta verbo Ordo vers. quoad tertium*, *Mauritius Alzuedo in praxi Epis. part. 2. c. 5. n. 44.*, *Casar de Graf. decis. 15. sub tit. de prob.* Secunda illorum est, qui statuunt antefactum non esse approbandam originem paternam pro sufficienti, vt ipsius filius possit ordinari ab Episcopo illius loci, in quo Pater habet originem, post factum tamen posse collationem ordinum haberi pro rata, & excusandos tàm ordinantem, quàm ordinatum; atque iuxta hanc secundam classem transeunt communitèr *Canonista in d. c. cum nullus de temp. ord. in 6. signantèr Geminianus ibid. n. 10.*, *Ioannes Andreas nu. 3.*, *Francus n. 4.* Tertia illorum est, qui admittunt tanquam sufficientem originem paternam ad hunc effectum, & iuxta hanc procedunt *Panormitanus in c. fin. de Parochis, & in c. postulasti de foro compet.*, *Nauarrus de temp. ord. in veteri edit. cons. 11. & in noua cons. 19. August.*, *Barbosa de off. & potest. Episc. part. 2. alleg. 4. nu. 7.*, *Paulus Comitolus resp. mor. lib. 6. q. 45.*, *Aloysius Riccius in praxi for. Eccl. resol. 257. nu. 4.*, *& in praxi de Sacram. ord. c. 298*, *Diana mor. resol. part. 4. tract. 4. resol. 148.*, *& alij magis communitèr*, quibus adhærendum existimo, tum propter communiorem DD. cõsensum, tum propter varias Sacræ Congregationis declarationes *die 16. Decembris 1599.*, *& 12. Augusti 1628.*, *& 7. Aprilis 1616.* de quibus testatur *Diana d. resol. 148.* 3 *Sufficit, vt eius Pater natus sit in tali loco.*

Intellige dummodo Pater reuera in tali loco originem habuerit, quatenus ibi natus fuerit, & eius parentes ibi tunc habuerint domicilium, nam, si Pater fortuito natus esset, & in itinere quodamodo, seu transitu, sicut ipse non diceretur habere ibi originem quantum ad effectum, vt gaudere posset iuribus talis loci ad *not. in textu in l. filios C. de mancip. lib. 10.*, ita nec originem filio in tali loco posset communicare. Hæc tertia opinio, cui nos adhæremus non modicum habet robur *à l. assumptio §. 1. ff. ad municip.*, vbi filius dicitur originarius loci, ex quo Pater natura- 4 *Intellige dummodo eius Pater ibi permanenter haberet domicilium.*

turalem duxit originem, quod idem docuit *Panormitanus in d. c. fin. de Paroch.* dum dixit filium licet alibi natum consequi ciuilitatem Patris.

Hic tamen aduerte, quod si Pater in alieno loco, vbi eius filius natus est, tandiu, ac eo animo permanserit, vt inibi verè domicilium de iure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitimè contractum pro ordinatione eiusdem filij attendi debeat, prout expressè nuper constituit *Innocentius XII. in sua Constitut., qua incipit Speculatores domus Israel edita anno 1694. pridiè nonas Nouembris*.

5 *Explicatur textus in c. cū nullus de tempor. ordinat.*

Neque obstare potest id, quod obijcit *Graffius* ex textu *in d. c. cum nullus de temp. ord.* vbi ponderans illa verba, *licet alibi natus*, vult attendendam esse originem propriam eiusdem filij, non paternam; neque textus *in c. quod translationem de tempor. ordin.* vbi dicitur, quod, si Græcus subditus sit Episcopo Latino ab eodem ordinari debeat, non à Græco, quamuis præsumatur originarius loci Græcorum. Non, inquam, obstare potest textus *in d. c. cum nullus*, quin potius manifeste nostræ fauet sententiæ, secundum quam diximus, quod, quamuis filius nascatur alibi, sequatur tamen originem Patris, neque item textus *in c. quod translationem*, quia, vt notat *Ioannes Andræas ibi*, ille Græcus, nec originem propriam, nec paternam habebat in loco Græcorum, sed vtramque sub Episcopo latino.

6 *Requisita, vt quis dicatur subditus ratione domicilij.*

Secundo, loquendo de subiectione ratione domicilij aduerto ad contrahendum domicilium in aliquo loco non sufficere, quod quis pro aliquo tempore habitet in tali loco, nisi intentionem habeat ibi perpetuo permanendi, vndè Scholares, qui in aliqua Ciuitate studiorum causa morantur, perfecto studiorum curriculo inde discessuri, non dicuntur in tali Ciuitate domicilium contraxisse; Neque sufficere, quod animum habuerit transferendi in illam Ciuitatem domicilium, & perpetuam habitationem, nisi simul actu illuc eandem habitationem transtulerit, & euellerit à loco, in quo prius habitabat; ex quibus sequitur, quod ad contrahendum domicilium in aliquo loco duo necessario requiruntur, & quod actu ibi habitet, & animum habeat ibidem perpetuo habitandi; quinimmo est necesse, quod aliquo considerabili tempore ibi habitauerit, & declarauerit se habere votum ibi perpetuo permanendi; & hoc iuramento affirmet, prout statuit idem *Innocentius XII. ibidem*.

Vbi autem diù puta per decem annos in tali loco habitauerit, nec constet de animo ibi permanendi, ex diuturnitate talis temporis potest haberi præsumptio de contracto ibidem domicilio, quæ præsumptio etiam ex alijs capitibus potest deduci, puta ex traductione maioris partis bonorum suorum ad talem locum, ex emptione domus causa ibi habitandi, ex celebratione festorum in tali loco, quæ tamen præsumptiones non efficacitèr euincunt ibi acquisitum domicilium, sed contrarijs præsumptionibus possunt elidi; De hac re plura scribunt *Mascardus de probationibus concl. 334., Menochius de arbit. Iud. lib. 2. cent. 1. cas. 86. n. 18., & alij*. Sed an, si quis habitationem in aliquem locum transtulerit cum animo declarato ibi perpetuo permanendi, & postea talem animum mutauerit, etiam non continuata habitatione ibidem per decennium, adhuc dicatur incola talis loci, & possit ab Episcopo illius loci ordinari, si tamen adhuc ab illo loco habitationem ad alium locum non transtulerit? Sentit *Sanchez lib. 3. de matrimon. disp. 23. nu. 16.*, & cum eo *Marchinus tract. 1. de Sacram. ord. in communi part. 5. c. 7. n. 9.* adhuc remanere incolam talis loci, & posse ab Episcopo eiusdem ordines recipere, addita etiam ratione, quia, cùm acquisierit ibi domicilium, nempè per actualem habitationem, & per animum exhibitum ibi perpetuo permanendi, per solam voluntatis mutationem non potest tolli, quin verè ibidem domicilium acquisierit; atque ab his non recedendum existimo; quorum dictum ex eo confirmo, quod supra innuebam, nempè quod, si quis statuerit suam habitationem in alium locum transferre ibi perpetuo permansurus, nec tamen actu transtulerit non intelligatur per illam intentionem sine actuali translatione factus subditus illius loci, ad quem intendit se transferre, sed adhuc remaneat subditus loci, à quo intendit recedere; ità vt possit ab Episcopo illius loci ordinari, ergo idem sentiendum est in casu, de quo loquimur.

7 *An sufficiant decem anni habitationis sine alio.*

8 *Per solam voluntatē recedēdi non tollitur domiciliū.*

Hic obiter inquirendum remanet, an quis possit habere duo domicilia, & æquè possit ab Episcopo vtriusque domicilij ordinari. Respondendum est, quoad primum vtique posse, si in vtroque æquè habitet ex consueto. Dixi, *æquè*, hoc est pro æquali parte anni, & non pro aliqua minima parte, vt contingit in ijs, qui recreationis, vel negotiorum gratia in villis morantur breui tempore in Ciuitatem reuersuri, vbi fixum habent domicilium, & pro maiori parte anni habitant. Dixi, *ex consueto*, quatenus ex eorum stilo morantur æstate, v.g. in vno loco, & hyeme in alio; si etenim ex consueto pro maiori

9 *An, & quomodo quis possit habere duo domicilia.*

parte anni habitarent in vno loco, & pro minima parte in alio puta ruri, vbi recreationem accipiunt, & contingeret per accidens quandoque, vt pro maiori parte habitarent ruri, puta ad peragendum aliquod negotium, non propterea dicerentur habere domicilium ruri, quia illa diutina habitatio est accidentalis, & non cum animo ibi figendi domicilium, prout colligitur *ex c. is, qui de sepult. in 6.* Respondendum etiam quoad secundum, vtique posse ab vtroque Episcopo recipere ordines, si in vtroque loco, iuxtà mox dicta habeat æquè, & ex consueto domicilium; atque ità statuunt *Riccius in sua praxi de Sacram. Ord. decis. 304., & 305., Molfesius in summa tract. 2. c. 2. n. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia textus *in d. c. cum nullus de tempor. ordin. in 6.* solum requirit, vt sit subditus domicilij; respectu autem vtriusque Episcopi dicitur habere domicilium subditum vtrique; Limitant tamen *Quaranta verb. Ordo vers. circa tertium, Piaseccius in sua praxi tit. de ordinibus n. 9. vers. ampliant 2., Iulius Cæsar Madius de Sacris Ordin. c. 8. n. 11. vers. quod de Clerico*, quoad ordines maiores in casu, quo vnus Episcopus ordinasset ad titulum beneficij requirentis residentiam, vel ad titulum patrimonij ob necessitatem suæ Ecclesiæ; tunc etenim, si Subdiaconum illum ordinasset, pro reliquis ordinibus esset ad ipsum remittendus.

10 *Limitatio ad prædicta.*

Tertiò, loquendo de subiectione ratione beneficij *ex eod. c. cum nullus de temporibus ord. in 6.* manifestè apparet Episcopum loci, in quo est huiusmodi beneficium, posse illum, qui gaudet eodem, ordinare; Difficultas solummodo est, quale debeat esse hoc beneficium, vt constituat possidentem subditum Episcopo loci, in quo est ipsum beneficium, an scilicet sufficiat simplex, an debeat esse residentiale, an debeat esse pingue, an sufficiat quodcunque, quamuis tenue. Quamuis *Abbas in c. 1. de for. compet., Angelus verb. domicilium, Marcus Antonius Ianuensis in sua praxi c. 48. n. 3.* asserant beneficium debere esse ad hunc effectum residentiale; communius tamen, & quidem rectius statuunt sufficere non residentiale, & simplex *Henriquez in summa lib. 10. c. 22. §. 1. in glos., Nicolaus Garzias de beneficijs part. 2. c. 4. num. 9., Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episcopi alleg. 4. n. 46.*, & alij innumeri apud *Marchinum tract. 1. de Sacram. Ordinis in communi part. 5. c. 8. num. 4.* addita etiam ratione, quia textus *in d. c. cum nullus de tempor. ord. in 6.* loquitur indefinitè de quocunque beneficio, qui propterea non restringendus est ad merè residentiale. An verò sufficiat ad hunc effectum

11 *Ratione beneficij potest quis ordinari ab Episcopo, in cuius loco est beneficium.*

beneficium tenue, an verò requiratur pingue sufficiens ad victum. Affirmant sufficere tenue *Garzias de benef. part. 2. c. 4. n. 8., Henriquez in summa lib. 10. c. 22. §. 1., Barbosa de offic. Episc. alleg. 4. n. 44.* propter eandem rationem, quod textus *in d. cap. cum nullus de temp. ord. in 6.* loquitur simpliciter de habente beneficium in tali loco, nec exigit beneficium pingue, & ad hoc confirmandum *Augustinus Barbosa de iur. Pontif. lib. 1. c. 39. n. 17.* affert declarationem Sacræ Congregationis in vna Ianuensi *die 18. Martij 1628.* vbi dicitur *Promotum ad ordines cum collatione beneficij duorum scutorum annuorum gaudere priuilegio fori*. Contrarium tamen statuunt *Sotus de iust. lib. 11. q. 5. art. 3., Riccius in praxi fori Eccl. resol. 260., Molfesius in summa tract. 2. c. 2. n. 7.*, eo quod inuerisimile videatur, quod iura ob tenue beneficium voluerint subijcere iurisdictioni Episcopi ipsi alioqui non subditum. Quænam opinio ex his duabus sit amplectenda? Non est amplius in hoc ambigendum, quin requiratur beneficium pingue sufficiens ad congruam sustentationem ordinandi detractis etiam oneribus, nec possit suppleri per patrimonium, & hoc pacificè possideatur, prout statuit idem *Innocentius XII. in allegata sua Constit.*, qui etiam vult, quod in hoc casu hic beneficiarius ordinandus teneatur deferre literas testimoniales sui Episcopi domicilij.

12 *Non requiritur, quod beneficium sit residentiale.*

Supposita iam hac triplici subiectione sufficiente, vt quis possit ab Episcopo, cuiuscunque ex his locis ordines recipere multæ hic insurgunt rationes dubitandi, quæ per subsequentes dubitationes, & earum respectiuè resolutiones diluentur.

Dubitatur primò, an ratione domicilij Episcopus dicatur proprius respectu Regularium habentium Monasterium, in quo degunt in Diæcesi eiusdem Episcopi. Videtur absolutè negandum, quia Regulares sunt exempti à iurisdictione ordinaria Episcoporum, & immediatè subiecti sedi Apostolicæ. Nihilominus quoad hunc effectum sentiendum est Episcopum, in cuius Diæcesi est Monasterium Regularium, esse proprium eorundem Regularium. Hoc expressè declarauit Sacra Card. Congregatio Concilij Tridentini interpretum, quam declarationem Clemens VIII. mandauit seruandam esse ab omnibus Regularibus, cuius mandati tenor est sequens. *Tenore præsentium mandatur omnibus, & singulis quorumcunque Regularium Superioribus, vt de cætero obseruent, & obseruari faciant ea, quæ in decreto Sacræ Congr. Concil. Trid. continentur, cuius tenor est talis. Congregatio Concilij censuit Superiores Regulares posse suo sub-* dito

13 *Regulares degentes in loco Episcopi dicuntur subditi illius quo ad hoc.*

dito identidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimmissorias concedere ad Episcopum tamen Diæcesanum, nempè illius Monasterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit, & si Diæcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum &c. & ibi etiam præscribitur, quod Superiores Regulares, quando Episcopus Diæcesanus est absens, vel non habiturus est ordinationem, teneantur in literis dimmissorijs ad alium Episcopum directis exprimere causam absentiæ Episcopi Diæcesani, vel ordinationum ab eo non habendarum, quod, si non fecerint, iniunguntur contra ipsos pænæ priuationis officij, ac dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ &c. Atque hoc Clementis VIII. mandatum emanauit *die 15. mensis Martij 1596.*, quod refert de verbo ad verbum *Quaranta verb. Ordo vers. de mandato S. D. N. Clementis &c.*

14 *An, & quomodo possit Episcopus suos familiares ordinare.* Dubitatur secundò, an Episcopus dicatur proprius respectu suorum familiarium, qui pro aliquo tempore eidem inseruiunt quoad hunc effectum ordinationis, quantumuis ex alio capite ipsi familiares non sint eidem Episcopo subditi. Respondeo, posse dici talem interuenientibus sequentibus conditionibus; primò, si familiaris per triennium eidem Episcopo inseruierit, & cum eodem habitauerit; circa hanc conditionem aduerte, triennium debere esse completum, cum sit in præiudicium Episcopi proprij, quod propterea est strictè accipiendum; item debet esse in actuali, & præsentiali famulatu ipsius Episcopi, cuius dicitur familiaris; non enim sufficit, quod eidem inseruierit eiusdem negotia gerendo in remotis partibus, vt notat *Maiolus lib. 4. de irregul. c. 2. n. 5., Quaranta verb. Ordo vers. limita Lopez ad Diaz c. 26.* hocque statuunt ob eam rationem, quod in ipsius absentia non potest eius mores, & honestatem dignoscere; non requiritur tamen, vt hoc triennium incipiat, & duret pro tempore, quo ipse, cuius est familiaris, est Episcopus, cum potuerit incæpisse, antequam crearetur Episcopus, & sufficiat, quod computato principio, in quo non erat Episcopus, perseueret per triennium, cum *Concilium Trident. sess. 23. de reformat. c. 9.* præscribens triennium non limitet ad seruitutem post Episcopatus assecutionem; atque ità declarasse Sacram Congregationem testatur *Riccius decis. 110., Aula 3. part. disp. 6. dub. 7.* Secundò, quod immediatè post Episcopus conferat eidem familiari beneficium; Dixi *immediatè*, quod tamen patitur aliquam dilationem non tantam, quantam requirit *Gabriel Vasquez in 3. part. tom. 3. disp. 243. num. 49.* volens ly *statim*, seu *immediatè* importare quam primum beneficium vacauerit, quia hæc expositio nimis lata est, & vacatio posset ad annos, & annos diferri; nec item tantam, quantam alij volunt, scilicet debere esse intra annum; nam hæc etiam expositio tam lata reprobata est à Sacra Congregatione, testibus *Flaminio Parisio de resignatione beneficiorum lib. 4. q. 2. n. 92., & Nicolao Garzia de benefic. part. 2. c. 5. num. 85.*; nec item tantam, vt licitè fiat collatio post sex menses, nam hæc etiam fuit reprobata ab eadem Sacra Congregatione, teste *Zerola in praxi Episcop. part. 1. §. dimmissoria, & part. 2. verb. Ordo vers. quinto dubitatur*. Hæc omnia congruè intellecta præscribuntur à *Concil. Trid. d. sess. 23. de reform. c. 9.* Innocentius XII. *in allegata sua Constit.* ad hoc vt Episcopus potiit suum Familiarem ordinare vltra prædicta duo requirit; primum, vt familiaris ordinandus deferat testimoniales literas Episcopi sui proprij originis, seu domicilij; secundum, quod Episcopus ordinans saltem intra terminum vnius mensis à die factæ ordinationis teneatur beneficium sufficiens conferre, & in ordinationis testimonio expressam familiaritatis, & literarum prædictarum testimonialium mentionem facere teneatur. Hæc tamen facultas concessa Episcopis ordinandi suos familiares, qui per triennium ipsis inseruierunt suppositis prædictis conditionibus non extenditur ad Episcopos titulares, vt definiuit idem *Concil. Trident. sess. 14. cap. 2.* Nec solum Episcopus habens iurisdictionem suppositis debitis prædictis conditionibus, potest ordinare suum familiarem triennalem, sed etiam eidem literas dimmissorias concedere, vt ab alio Episcopo ordinetur, vt notat *Barbosa de offic., & potest. Episcopi alleg. 5. num. 16.*, qui enim habet potestatem ordinandi, habet etiam potestatem literas dimmissorias concedendi.

15 *Triennium debet esse cõpletum, & præsentiale.*

16 *Quid importet ly, quam primũ.*

17 *Episcopus merè titularis nõ potest suos familiares ordinare.*

Dubitatur tertiò, an talis potestas Episcopi ordinandi suos familiares triennales extendatur ad omnes ordines, ità vt etiam, si ordinet dumtaxat in minoribus, vel fortè etiam in prima tonsura teneatur beneficium congruum conferre; an verò sufficiat, quod conferat solummodo post collatum ordinem Subdiaconatus. Videtur prima fronte sufficere, quod conferat post collationem ordinis Subdiaconatus immediatè, cum antè talem collationem ordinatus liber remaneat, vt possit ad statum laicalem redire, & munera sæcularia exercere, propter quam ratio-

nem iura non exigunt, vt ad collationem minorum prærequiratur beneficium, vel patrimonium, quæ requirunt ad Subdiaconatum, cum eodem habito non sit amplius facultas ad sæcularia redeundi, ac proindè ne teneatur turpitèr mendicare, voluerunt, vt vel beneficio, vel congruo patrimonio gauderet. Nihilominus in hoc speciali casu dicendum est, non posse etiam ad minores promouere familiarem triennalem, quinimmò, nec ad primam tonsuram, nisi immediatè conferat beneficium *Nauarrus de tempor. ordin. cons. 24. n. 1. in antiqua edit.*, *Rota Rom. part. 1. diuers. decis. 731. n. 15.* Ratio est, quia in

18 *Non potest minores ordines etiam conferre, nisi statim conferat beneficium.*

hoc speciali casu requiritur talis beneficij collatio non ad alium effectum, nisi, vt familiaris constituatur subditus illius Episcopi, nam secus remaneret solum subditus Episcopi domicilij, vel originis. Quod, si dicas, quod Episcopus non acquirat iurisdictionem in eundem familiarem triennalem, nisi post collatum beneficium, ergo non potest ordinare ante talem beneficij collationem, quandoquidem ante illam non est eiusdem Episcopi subditus; vel ergo dicendum est, non esse necessariam illam collationem præposteram, vt acquirat iurisdictionem, & sic falsum est, quod dicitur, quod illa collatio requiratur, vt fiat subditus, vel ex alio capite requiri à Concilio illam immediatam beneficij collationem, quod ad aliud non potest referri, nisi ad illud, quod consideratum est in ratione contrariæ sententiæ, & sic requiratur solum post collationem Subdiaconatus; Si, inquam, hæc dicas; statim impugnaberis, quia hoc est speciale priuilegium Episcopi in ordine ad suos familiares triennales, respectu cuius titulo familiaritatis vult iurisdictionem sufficientem ad hunc effectum acquiri per ordinem ad collationem immediatè futuram; nam, si antecedenter ad illam conferret, posset conferre etiam independenter ab illa triennali familiaritate, vt mox subdo.

19 *Si conferat beneficiũ antè cõpletum trienniũ potest ordinare.*

Dubitatur quartò, an Episcopus conferendo antecedenter beneficium suo familiari possit ante completum triennium illi ordines conferre. Respondendum est affirmatiuè, prout affirmatiuè respondent *Sanchez in opusc. tom. 2. dub. 20. nn. 24., & seq.*, *Diana part. 4. tract. 4. resol. 145. in fine*, *Marchinus tract. 1. de Sacrament. Ord. in communi part. 5. c. 8. n. 9. ampl. 6. in fine, & c. 9. n. 8.* Intellige tamen, si beneficium collatum fuerit sufficiens ad ordinandi congruam sustentationem, & ordinandus deferat literas testimoniales sui Episcopi domicilij, seu originis, vt supra. Ratio ex eo deducitur, quia ex *d. c. cum nullus de tempor. ordin. in 6.* expressè habetur, quod ratione beneficij quis constituitur subditus Episcopo, in cuius territorio est beneficium ad effectum, vt ab illo possit ordinari, sed hic familiaris antecedentèr ad ordinationem haberet beneficium in territorio Episcopi, cuius ipse est familiaris, ergo esset illi sufficienter subditus, adeoque etiam non expectato triennio posset ab illo ordines recipere. Accedit, quod, si alter à familiari Episcopo, vel ab eodem Episcopo, vel à Romano Pontifice acquireret aliquod beneficium in territorio eiusdem Episcopi posset immediatè post ab eodem ordinari ex vi eiusdem textus *in c. cum nullus*, cum hic textus solum requirat, vt ordinandus habeat beneficium in territorio Episcopi, non autem exigat, vt potius ab vno, quam ab alio habeat, vel quod habeat à multo tempore, vel solum immediatè antea; ergo, & ipse familiaris, quantumuis solum immediatè antè collationem habeat beneficium ab Episcopo, cuius est familiaris, poterit ab ipso ordinari; non enim ex eo, quod sit familiaris Episcopi debet esse deterioris conditionis ab alijs.

Si autem quæratur ratio, propter quam *Concil. Trid. d. sess. 23. de reform. c. 9.* statuerit, vt statim post collationem ordinis conferat Episcopus beneficium suo 20
familiari sic ordinato, cum potuerit immediatè antè conferre; si enim debet immediatè post ordinem collatum beneficium conferre, vtique supponit, quod Episcopus, tunc illud habeat in sua potestate; ad quid ergo præcipere, vt post conferat, & non antè? Ad hoc responderi potest, quod ideò Concilium Tridentinum statuerit immediatè post esse beneficium conferendum, quia supponit familiarem Episcopi nullo ordine, nec prima tonsura esse initiatum, adeoque non esse capacem beneficij recipiendi; vndè ex vna parte voluit fauere Episcopis, vt supposito triennali famulatu possent eosdem familiares ordinare cum solo onere conferendi postea beneficium, & ex alia supposita capacitate ad beneficia in eodem familiari voluit, vt perfectè constitueretur subditus ratione beneficij collati. Cæterum, si familiaris antecedenter habuerit aliquos ordines, ratione quorum esset capax beneficij, non video, cur Episcopus non posset antè aliorum ordinum collationem conferre beneficium, & etiam non expectato triennio ad alios ordines promouere.

Ratio propter quam Concil. Triden. vult vt immediatè post ordinem conferatur beneficiũ.

Dubitatur quintò, vtrum Episcopus possit suum familiarem triennalem promouere ad ordines titulo pensionis, vel patrimonij non collato eidem beneficio.

Cre-

Crederem absolutè non posse, quia per pensionem præcisè, seu per patrimonium,
21 quod quis habeat, non constituitur subditus Episcopi, nisi aliunde habeat subiectionem vel ratione domicilij, vel originis, & beneficij; Ad hoc autem, vt Episcopus possit aliquem ordinare, debet hic eidem esse subditus aliquo ex prædictis titulis, per textum *in d. c. cum nullus de tempor. ord. in 6.*, & solum conceditur per *Trident. loc. cit.*, vt possit ordinare familiarem triennalem supposita immediata collatione beneficij.

Non sufficit, quod cōferat pensionem.

Dubitatur sextò, an quando quis est subditus alicui Episcopo ratione domicilij, alteri ratione beneficij liberum eidem sit eligere pro ordinatione quemcunque ex his voluerit, & facta semel electione vnius quoad primos ordines possit ab eodem recedere quoad alios, & velle ordinari ab alio. Quoad primum sentiendum est, eidem liberum esse eligere quemcunque voluerit. Hoc clarè deducitur ex *eodem textu in c. cum nullus de tempor. ord. in 6.* vbi tribuitur indefinitè potestas cuicunque ex allegatis Episcopis ordinandi subditos quocunque ex allegatis titulis subiectos, nec potius vnum, quam alterum determinat, ergo liberum erit ordinando quemcunque ex illis eligere. Quoad secundum in varias classes diuisos inuenio DD. Alij inter quos *Molfesius tom. 1. part. 2. c. 2. n. 10.*
22 sentiunt habentem duos, vel tres Episcopos teneri omnes ordines sacros ab vno, & eodem recipere, & statim, ac Subdiaconatum recepit ab vno expirare optionem alium eligendi. Alij verò, inter quos *Zippæus lib. 1. de ætate, & qual. ord. conf. 2.* sentiunt adhuc vno ordine, quantumuis sacro recepto ab vno posse alios ab alio recipi, quandoquidem nullibi reperitur legem disponere, vt recepto vno ordine ab vno alij sint ab eodem recipiendi. Alij quasi limitatè procedentes dicunt, quod, si fuerit ordinatus ab Episcopo originis ad titulum beneficij requirentis residentiam vel ad titulum patrimonij pro necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ suæ non possit postea, quantumuis alio habitationem, & domicilium transtulerit ab alio in alio superiori ordine initiari, sed remittendum esse ad Episcopum, a quo fuit primo ordinatus, vt resideat, & inseruiat Ecclesiæ, cui fuit adscriptus; vndè à contrario sensu videantur sentire, quod, si non fuerit ordinatus ad titulum beneficij requirentis residentiam, & non ad necessitatem, & vtilitatem Ecclesiæ possit ab alio ordinari. In hoc standum est dispositioni *Innocentij XII. in allegata sua Constit.* qui statuit in hunc, qui sequitur, modum.

An initiatus vno ordine ab vno Episcopo ratione originis possit alio initiari ab alio ratione domicilij.

Præterea Clericum, qui legitimè iam à proprio Episcopo ad eandem Clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione ac titulo cuiuscumque beneficij in illius Diœcesi obtenti ad vlteriores ordines promoueri, nisi ante earundum susceptionem testimoniales literas proprij Episcopi tam originis, quam domicilij super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conseruandas exhibuerit.

Dubitatur septimò, an sicuti Episcopus potest familiares suos triennales ordinare 23
collato eisdem beneficio possit item famulos suorum familiarium seruatis eisdem conditionibus ordinare. Affirmant *Sanchez in opusc. lib. 7. c. 1. dub. 20. n. 24.*, *Diana part. 4. tract. 4. resol. 144.* intelligendo tamen, si viuant expensis Episcopi, quia, & ipsi dicuntur familiares ipsius, quod etiam in similibus videtur sensisse *Mandosius reg. 3. Cancellariæ q. 16.*, vbi asserit famulos familiarium Cardinalium gaudere priuilegio familiarium eorundem Cardinalium; sed non libentèr adhærerem huic opinioni, quandoquidem cum hoc priuilegium exorbitet à iure communi, non videtur extendendum.

Probabilius nequit famulos familiarium ordinare.

ARTICVLVS V.

An Episcopus alienus possit ordinare sibi non subditum ex facultate Episcopi, seu Superioris ipsius ordinandi non subditi, & quomodò.

SVMMARIVM.

Considerabilia circa titulum, tam ratione principij, quam ratione ordinum, & ratione modi. 1.

Episcopus, qui potest ordinare suos, potest eisdem dimmissorias concedere, vt ordinentur ab alio. 2.

Si Episcopus fuerit excommunicatus nominatim denuntiatus probabilius non potest dimmissorias concedere. 3.

Episcopus conscius excommunicationis Episcopi remittentis, si ordinet, incurrit pœnas iuris. 4.

Si dimmissorias dederit antè excommunicationem, & postea fuerit excommunicatus denuntiatus, potest Episcopus, ad quem datæ sunt eadem dimmissoriæ licitè eas exequi. 5.

Gratia non expirat morte concedentis. 6.

Episcopo nominatim excommunicato non potest eius Vicarius dimmissorias concedere. 7.

Vicarius Generalis ex vi proprij officij, non potest

potest dimmissorias concedere. 8.
Excipe in casu, quo Episcopus longè abesset. 9.
Potest tamen concedere ex præsumpta Episcopi concessione. 10.
Vicarius Capitularis sede vacante intra annum non potest dimissorias concedere. 11.
Potest tamen dare literas testimoniales. 12.
Non potest Vicarius Capitularis concedere alieno Episcopo exercenti Pontificalia in sua Diœcesi, vt suos subditos intra annum vacantis Ecclesiæ ordinet. 13.
Episcopus seruatis debitis conditionibus potest suo familiari triennali concedere dimmissorias, vt ab alio Episcopo ordinetur. 14.
Prælati regulares possunt concedere dimmissorias suis subditis, vt ab alieno Episcopo ordinentur. 15.
Conditiones, quæ ad hoc requiruntur. 16.
Non tamen Nouitijs. 17.
Dimmissoriæ istis sunt dandæ per Episcopum originis, vel habitationis. 18.
Archiepiscopus non potest concedere dimmissorias subditis suffraganeorum. 19.
Episcopus alienus, nec primam tonsuram potest dare sine dimmissorijs proprij. 20.
Non sufficit simplex concessio, sed requiruntur dimmissoriæ. 21.
Huiusmodi dimmissorijs credendum est. 22.
Non expirant morte concedentis. 23.

CErtum est ex supradictis, alienum Episcopum non posse sibi non subditum ordinare. Modo iam quæritur, an ex facultate, & concessione proprij Episcopi, seu Superioris possit illi ordines conferre, pro cuius resolutione plura veniunt consideranda, alia ex parte principij concedentis, alia ex parte ordinum conferendorum, alia ex parte modi talis concessionis; ex parte principij concedentis considerandum est. Primò, an solus Episcopus proprius possit talem facultatem concedere. Secundò, an eius Vicarius Generalis. Tertiò, an Vicarius Capitularis sede vacante. Quartò, an Episcopus in ordine ad suum familiarem triennalem suppositis conditionibus, de quibus supra. Quintò, an Superiores Religiosorum, & quinam. Sextò, an Archiepiscopus respectu subditorum suorum Suffraganeorum.

1 *Considerabilia circa titulum ratione principij.*

Ex parte ordinum conferendorum considerandum erit. Primò, an prohibitio ordinandi alienum subditum sine facultate proprij Superioris afficiat solum Episcopum quoad ordines maiores, an verò etiam quoad minores. Secundò, an etiam quoad primam tonsuram.

Ex parte ordinum.

Ex parte modi talis concessionis considerandum erit, an sufficiat simplex concessio, an verò requirantur literæ dimmissoriæ. Secundò, quales esse debeant huiusmodi dimmissoriæ. Tertiò, quantam fidem mereantur huiusmodi literæ. Quartò, an expirent morte concedentis, & cessatione ab officio.

Ex parte modi concessionis.

Incipiendo ab ijs, quæ se tenent ex parte principij, indubitati iuris est proprium Episcopum sicuti potest per se ipsum suum subditum ordinare, ità posse committere alteri Episcopo ordinationem sui subditi. Ab hoc nostro asserto neminem arbitror dissentire; nec difficilis est eius probatio, quandoquidem id, quod Episcopus potest per se ipsum, potest etiam per alium præstare, qui habeat eandem potestatem ordinis, non enim confert, nisi potestatem iurisdictionis, quæ vtique delegabilis est, ergo &c. Accedit, quod tam iura antiqua, quam noua prohibent sub pæna suspensionis Episcopis, ne ordinent non suos sine dimmissorijs proprij Episcopi, vt colligitur *ex c. 2. de temp. ord. in 6.*, *& ex Trident. sess. 23. de reform. c. 8.*, & ex *Bulla Vrbani VIII. contra malè ordinantes, & malè ordinatos*; ergo, si ordinent ex commissione, & facultate proprij Episcopi nullam noxam, nullamque pænam contrahent argumento a contrario sensu deducto.

2 *Episcopus, qui potest ordinare suos, potest eisdem dimmissorias concedere.*

Hæc sine difficultate procedunt. Difficultas modo est, an, si Episcopus fuerit excommunicatus nominatim, suspensus, & degradatus possit hanc facultatem ordinandi sibi subditum alteri Episcopo cõmittere. Episcopum excommunicatum etiam publicè denuntiatum, suspensum, depositum, & degradatum validè ordines conferre iam patet ex supradictis; ex quo videtur posse inferri, quod, si potest per se ipsum, non obstante tali statu, possit etiam hoc præstare per alium. Sed absolutè crederem non posse hoc præstare licite, quia illa commisio est actus iurisdictionis, non ordinis; Episcopus autem excommunicatus publicè, & nominatim denuntiatus, depositus &c., intelligitur priuatus quacunq; iurisdictione, per textum *in c. ad probandum de re iud.*, *c. 1. de suppl. defect. Prælat. in 6.*, quam propterea nequit alteri conferre; sed an Episcopus alienus, qui ex tali commissione ordinat, contrahat pænas perindè, ac si ordinaret non suum sine facultate proprij Episcopi; cum distinctione procedendum crederem; vel etenim Episcopus ordinans verè conscius esset excommunicationis publicæ Episcopi committentis, vel non esset conscius; si non esset conscius, certũ est, quod nullas pænas contraheret, cum haberet fundatam intentionem in illa facultate sibi concessa, nec titulum haberet præsumendi de tali excommunicatione;

3 *Excommunicatus publicè denuntiatus non potest dimmissorias concedere.*

ne; Si verò esset conscius; non eximerem ipsum à pœnis comminatis contra ordinantes non suos: intellige tamen, si Episcopus committens sit excommunicatus vitandus, nam, si esset toleratus, sicuti per ipsum gesta quantumuis pertineant ad iurisdictionem, valida sunt sicuti de communi testatur *Bonacina de excommunicatione disp. 2. q. 2. punct. 5. prop. 2. num. 3.*, & nos latè docebimus, dum de censuris, ita valida, & licita erunt, quæ per alterū fient ex eius commissione. Ratio autem, cur non eximatur ab huiusmodi pœnis Episcopus exequens commissionem Episcopi vitandi, quando nouit ipsum esse taliter excommunicatum ex eo deducitur, quod nouit talem commissionem sibi factam inualidam esse, ac proindè se habere, ac, si non esset facta, ergo perinde se haberet, ac si ordinaret sine illa commissione.

4 *Episcopus ordinans cum his dimmissorijs conscius excommunicationis, pœnas iuris incurrit.*

Sed quid esset dicendum, si literæ commissionis datæ essent ab Episcopo, antequam contraheret excommunicationem, propter quam sit vitandus, & præsentarentur post contractam excommunicationem iam notam Episcopo commissario, an tunc hic posset licitè eas exequi ordinando. Sentiendum est licitè posse eas exequi ordinando. Ita in similibus sentiunt *Sairus lib. 1. cap. 5., & lib. 2. cap. 6., & c. 11. nu. 11., Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 3., Auila 2. part. c. 6. disp. 6. dub. 3. ad finem, Bonacina de excommun. disp. 2. q. 2. punct. 5. n. 13.*, qui loquentes de facultate facta ab Episcopo ministrandi Sacramenta, antequam incideret in excommunicationem, asserunt eum, qui talem facultatem habuit, posse eandem exequi etiam post excommunicationem ab Episcopo contractam. Ratio ex eo deducitur, quia facultas ab Episcopo concessa per literas dimissoriales, vt quis ab alieno Episcopo ordinetur, non expirat morte concedentis *Rebuffus in praxi beneficiorum lib. 1. cap. 10. nu. 43., Nauarrus lib. 1. consil. in 2. edit. cons. 5. tit. de rescriptis, & in c. placuit de pænit. d. 6. n. 34., Rodriquez in summa part. 2. c. 14. nu. 5., Vgolinus de potest. Episcopi c. 26. §. 20. n. 14., Emanuel Sà verb. dimissoriæ num. 1., Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. num. 83., Suarez de leg. lib. 8. c. 31. num. 19., & alij innumeri*, ergo, nec expirat morte spirituali; hoc est per excommunicationem ipsius concedentis, nam non minus per hanc mortem ciuilem, quam per mortem naturalem potestas Episcopalis extinguitur, ergo sicuti, si concessa est ante mortem naturalem, perseuerat adhuc, etiam concessa ante mortem ciuilem, debet perseuerare.

5 *Si datæ fuerint dimissoriæ ante excōmunicationem, potest Episcopus alter illas exequi.*

Neque obesse potest, si dicatur primo, mandatum morte mandantis expirare per textum *in l. & quia ff. de iurisdictione omnium Iud.* secundo priuilegium durare, quidem post mortem concedentis, quando priuilegiatus incæpit eodem vti, seu re non integra, secus autem re adhuc integra, vt docet *Felinus in c. licet vndique de offic. deleg. nu. 1., Siluester verbo Gratia q. 2.* Non, inquam, obesse potest, non primum, quia hæc concessio non est simplicitèr mandatum, quin potius gratia; gratia autem concessa non extinguitur morte concedentis, per textum *in c. si super gratia de off. deleg. in 6., & c. cui nulla de præbend. in 6., Nauarrus cons. 1. sub tit. de priuilegijs*. Non secundum, quia gratiæ etiam integra re non expirant morte concedentis, prout sentiunt communitèr DD. *Maiolus lib. 5. de irregularitate c. 51. nu. 6., Ioannes Paulus in pract. Cancellariæ, tit. declaratoriæ super proponente, seu vouente, §. præstantissime Doctor, Rebuffus in concord. vbi de mandatis Apostolicis, §. 1. verbo sui Pontificatus vers. licet quidam Doctores, Mandosius regula Cancellariæ 10. de annali possessore q. 2. num. 4.*, & ratio est, quia, quando gratia concessa est determinatæ personæ, illa persona acquisiuit ius ad illam rem, cuius ipsi facta est concessio, quando autem iam acquisiuit ius, hoc demi non potest nec per mortem naturalem, nec ciuilem tolli.

6 *Gratia non extinguitur morte concedētis.*

Sed, an saltem excommunicato Episcopo nominatim possit eius Vicarius Generalis literas dimmissorias concedere ad alium Episcopum pro ordinatione sui subditi? Absolutè negandum existimo, prout negant *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 30., Sairus lib. 1. c. 5. n. 37., & lib. 2. cap. 6. num. 3., & 19., Suarez tom. 5. disp. 15. sect. 2. num. 4., Auila 2. part. c. 6. disp. 0. dub. 4., Vgolinus tab. 1. c. 2. §. 23., Alterius lib. 3. disp. 7. c. 4.* Ratio ex eo deducitur, quod potestas Vicarij est omninò dependens à potestate Episcopi, ergo sublata potestate iurisdictionis Episcopo intelligitur & sublata, illa Vicarij Generalis, quia sublato principali tollitur accessorium dependens ab illo arg. textus *in c. primo de offic. Vicar. in 6.* Neque dicas, quod sublata potestate delegantis per eiusdem mortem, non remaneat sublata potestas delegati, ergo sublata potestate Episcopi per mortem ciuilem ipsius non erit sublata potestas iurisdictionis in Vicario; contra enim impugnaberis, quia dispar omninò est ratio de delegante ad delegatum, & de Episcopo ad eius Vicarium Generalem, quia Vicarij, & Episcopi est vnum, & idem Tribunal, non sic delegati, & delegantis, & à Vicario ad Episcopum non datur appellatio, à delegato autem ad dele-

7 *Episcopo nominatim denuntiato nō potest eius Vicarius dimmissorias concedere.*

delegantem datur. Deindè non ita verum est, sicut præsumunt auctores istius instantiæ, quod sublata potestate delegantis per mortem vel naturalem, vel ciuilem eiusdem non auferatur potestas delegati re adhuc integra permanente.

Præscindendo iam à iurisdictione Episcopi suspensa ratione excommunicationis ab ipso contractæ, & considerando ipsum in tota latitudine suæ potestatis quærimus iam, an eius Vicarius Generalis ex proprio officio possit literas dimmissorias concedere subdito, vt ab alio Episcopo ordinetur. Absolutè negandum est, quantum est ex vi proprij officij, vt in specie tenent *Rebuffus in praxi benef. part. 1. tit. de forma Vicarij num. 47.*, *Sbrozius de Vicar. Episc. lib. 2. quæst. 41.*, *Mandosius de reg. Cancellariæ tom. 2. reg. 24. quæst. 2.* Deducitur *ex c. 3. de tempor. ord. in 6.* vbi latè *Glos. in expos. cas.* Dixi, *ex proprio officio*, non etenim negauerim ex commissione Episcopi siue speciali, siue generali posse talem facultatem habere, & concedere suo subdito, vt ab alieno Episcopo ordinetur. Excipitur tamen *in eod. c. 3. de tempor. ord. in 6.* in casu, quo Episcopus longè abesset, hoc est existeret in remotis regionibus. Sed, an in hoc casu Vicarius hanc facultatem habeat ex præsumpta Episcopi absentis concessione, an vero ex dispositione Romani Pontificis. Arbitrarer esse ex concessione Romani Pontificis etiam independenter à præsumpta voluntate Episcopi absentis, quandoquidem concessio in hac hypothesi est inserta in corpore iuris, & est exceptio à communi regula, secundum quam Vicarius Generalis non potest hanc facultatem concedere, nisi ex commissione Episcopi vel reali, vel præsumpta; si autem esset ex præsumpta Episcopi voluntate hæc facultas, incongrue esset exceptio à communi regula, cum contineretur in regula præsumptæ concessionis. Si autem quæratur quantum Episcopus debeat abesse, vt eius Vicarius possit hanc facultatem exercere concedendi dimmissorias, & dimittendi subditum ad alienum Episcopum pro ordinatione. Plures circa hoc sententias refert *Glosa in d. c. cum nullus in verb. remotis de tempor. ord. in 6.*, prima est eorum, qui dixerunt debere esse citra, vel vltra montes arg. deducto *ex c. nihil de elect.*; sed hanc eadem Glosa reprobat, quia textus *in d. c. nihil*, loquitur de loco valdè remoto, hic autem est sermo simplicitèr de loco remoto. Secunda illorum est, qui dicunt sufficere absentiam extra prouinciam. Tertia, illorum, qui asserunt sufficere, si distet per duas dietas, alij per

8 *Vicarius Generalis ex vi proprij officij non potest dimissorias cõcedere.*

9 *Excipe in casu quo Episcopus longè abesset.*

vnam dumtaxat. Hoc nos cum eadem Glosa *loco citato*, remittendum arbitramur arbitrio Iudicis.

Cum autem dixerimus, posse Vicarium Generalem hanc potestatem exercere nedum ex reali Episcopi concessione, sed etiam ex præsumpta oritur modo dubium, ex quonam possit deduci hæc præsumpta concessio? Dico primo, posse deduci ex eo, quod præsente, & sciente Episcopo hanc facultatem concedat, & literas huiusmodi conferat per ea, quæ docent *Cresentius decis. 1. n. 4. sub tit. de offic. Vicarij*, *Quaranta verb. Ordo vers. vertitur in dubium*. Secundò, quando Vicarij Prædecessores præsentis Vicarij consueuerint huiusmodi facultatem concedere, & ipse eisdem successisset. *Mendosius de reg. Cancel. tom. 2. reg. 24. quæst. 6. num. 15.*, *& alij*.

10 *Potest tamen concedere ex præsumpta Episcopi licentia.*

Vicarius Capitularis sede vacante intra annum, quo sedes vacauit, non potest concedere facultatem suis subditis, vt ab alieno Episcopo ordinentur, nec literas dimmissorias pro eodem effectu. Hoc clarè deducitur *ex Concil. Trident. sess. 7. de reform. c. 10.*; fit tamen ibidem exceptio, nisi occasione beneficij recepti, seu recipiendi quis arctaretur ad ordines suscipiendos. Verba Concilij Tridentini sunt huiusmodi. *Non liceat capitulis Ecclesiarum sede vacante infra annum à die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reuerendas, vt aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusuis priuilegij aut consuetudinis vigore alicui, qui beneficij Ecclesiastici recepti, siue recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere*. Licet autem capitulum, seu Vicarius Capitularis non possit facultatem concedere, vt intra annum vacationis Ecclesiæ, quis ordinetur ab alieno Episcopo, non prohibetur, quin possit literas testimoniales dare de vita, & moribus sui subditi ordinandi in hypothesi, scilicet qua à Romano Pontifice obtinuisset posse ab alieno Episcopo extra suam Diæcesim ordinari; tunc enim indigeret huiusmodi testimonialibus, quæ ex decreto *Concilij Trident. sess. 23. de reform. c. 8.* sunt dandæ ab ordinario; in eo autem casu Capitulum, seu Vicarius Capitularis esset proprius ordinarius.

11 *Vicarius Capitularis sede vacante intra annum non potest dimissorias cõcedere.*

12 *Potest tamen dare literas testimoniales.*

Sed, an Vicarius Capitularis sede vacante, quamuis non possit intra annum literas dimmissorias concedere subditis suis, vt ab alio Episcopo extra Diæcesim ordinentur, possit tamen intra eundem annum per alium Episcopum Pontificalia exercentem in sua Diæcesi curare suorum subditorum ordinationem. Ratio dubitandi ex vna parte ex eo proue-

nit,

nit, quod in hac hypothesi non indigeret literas dimissorias conficere, cum sufficeret eidem Vicario constare de debitis requisitis ipsius ordinandi; Ex alia parte non videtur saluari finis talis prohibitionis; ideo enim Ecclesia vetuit, ne intra annum vacationis Ecclesię concederetur facultas, & darentur literæ dimissoriæ pro ordinatione subditorum talis Ecclesiæ, quia ille annus est luctus, sterilitatis, non lætitiæ, & propagationis; hæc autem ratio æquè militat pro negatione concessionis, vt subditus ordinetur extra Diæcesim, ac ordinetur intra eandem, ergo, si Vicarius Capitularis sede vacante nequit intra annum concedere facultatem, & literas dimissorias, vt subditus ordinetur extra Diæcesim, non poterit etiam concedere, vt ordinetur intra eandem. Propter rationem dubitandi pro prima parte *Nauarrus conf. 27. de temporib. ord. Ferrarius de ord. c. 5. n. 7. vers. quarto nota, Molfesius in summa tract. 2. c. 2. nu. 28.* statuunt Vicarium Capitularem posse intra annum per alium Episcopum Pontificalia exercentem intra Diæcesim ordinare Diæcesanos suos; atque ad hoc referunt declarationem Sagræ Congregationis. Propter rationem vero dubitandi pro secunda parte, *Quaranta verb.*

13 *Capitulum Sede vacante vers. vndecimo quæro*, asserit posse quidem Capitulum sede vacante concedere licentiam extero Episcopo exercendi Pontificalia in Ecclesia vacante, non tamen ordinandi subditos, vel eos, qui sunt sub iurisdictione ipsius Capituli sede vacante, & fundantur in decreto *eiusdem Concil. Trid. sess. 7. c. 10. de reformat.* atque idem sentit *Henriquez in summa lib. 10. de ord. c. 22.*, quod nos etiam probabilius, & certius credimus. Dixi *subditos, vel eos, qui sunt sub iurisdictione ipsius Capituli sede vacante*, non etenim negauerim posse licentiam cōcedere ordinandi Regulares, vel subditos ipsius exteri Episcopi, cum isti non cadant sub prohibitione Trident.

Nō potest concedere, vt alienus Episcopus intra suā Diæcesim ordinet suos.

Episcopus, qui ex superius dictis potest

14 ordinare suum familiarē triennalē collato immediatè post ordinationē beneficio, potest etiam eidem facultatem, & dimissorias concedere, vt ab alio Episcopo possit ordinari seruatis etiam conditionibus; vt tradunt *Barbosa de offic., & potest. Episc. alleg. 5. nu. 16., Marchinus tract. 1. de Sacram. ord. in communi part. 5. c. 9. num. 10.*, cui etenim competit facultas ordinandi, competit etiam facultas concedendi huiusmodi dimissorias. Sed, an possit cum eodem dispensare super interstitia, videbimus latè in subsequentibus.

Episcopus suo familiari triennali potest concedere dimissorias.

Prælati Regulares iam extra controuersiam possunt suis subditis Regularibus professis dimissorias concedere ad Episcopum Diæcesanum, si adsit, & ordinationes habeat, vel ad quemcunque alium Episcopum, si Diæcesanus absit, vel ordinationes non habeat; quod non solum deducitur ex *Concil. Trid. sess. 23. c. 10.* vbi prohibet Abbatibus, alijsque Prælatis exemptis, ne subditis sæcularibus dimissorias concedant, ergo concedit eisdem, vt subditis suis Regularibus possint tales dimissorias conferre arg. iuris, quod exclusio vnius sit inclusio alterius; sed etiam ex declaratione Sacræ Congregationis iussu Clement. 8. edita, quæ in hæc verba cantat *De mandato Sanctissimi Domini nostri Clementis Diuina Prouidentia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus, & singulis quorumcunq; Regularium Superioribus, vt de cætero obseruent, & obseruari faciant ea, quæ in decreto Sacræ Congregationis Concilij Trident. continentur*, cuius tenor est huiusmodi *Congregatio Cōcil. censuit Superiores Regulares posse suo subdito identidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diæcesanum nempè illius Monasterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet, is regularis positus fuerit, & si Diæcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, & dummodo ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarū in id tempus, quo Episcopus Diæcesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes: Verum, cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diæcesano absente, vel ordinationes non habente, literæ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ Diæcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. quod qui non fecerint, officij, ac dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ priuationis, & alias arbitrio eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ reseruatas pœnas incurrent. In quorum fidem. Dat. Romæ die 15. mensis Martij 1596.* 15

Prælati Regulares possunt dimissorias cōcedere suis subditis.

Ex hac declaratione habes primo potestatem Prælatorum Regularium concedendi suis subditis Regularibus dimissorias, non autem sæcularibus quantumuis subditis. Secundo teneri literas ad Diæcesanum Episcopum dirigere, si adsit, & teneat ordinationes priuatiuè quoad alios; vel si non adsit, vel ordinationes non habeat, ad alium allegata tamen causa in literis dimissorijs absentiæ, vel non habendæ ordinationis, nec de hoc necesse est, vt habeat à Curia Episcopi Diæcesani fidem authenticam. Tertio, non eximi Regulares, qui cum dimisso- 16

Conditiones, quæ ad hoc requiruntur.

rijs sui superioris accedunt, ab onere examinis eiusdem Episcopi ordinantis.

Difficultas solummodo est, an etiam possint ipsi superiores Regulares dimissorias concedere Nouitijs in suis Monasterijs existentibus? Difficultas hæc non videtur posse habere locum quoad Ordines maiores, quandòquidem per Pium V. in Bulla edita anno 1568. Incip. Romanus Pontifex sacrorum &c. relata per extensum *à Quaranta verb. Ordo vers. 2. constitutio est*, vetitum est Nouitijs ante emissam professionem sacros Ordines recipere; procedit igitur solummodò de minoribus, pro quibus absolutè dicendum est, non posse Nouitios per literas dimissorias suorum superiorum promoueri. Consentiunt *Homobonus consult. mor. part. 4. resp. 99. vol. 1.*, *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 6. cap. 4. n. 10.*, *& seqq.*, *Alexander Peregrinus in comment. Constit. sui Ord. part. 1. cap. 4.*, *& in addit. quæst. 10.*, cum propriè Nouitij non computentur inter subditos Regulares, atq; ad hoc plurimum conferunt ea, quæ ex communi DD. consensu retulimus supra *quæst. 2. art. 1. vers. inferetur secundò*, vbi quod Abbates habentes potestatem ordinandi suos subditos Regulares in minoribus, hanc potestatem non habeant in ordine ad Nouitios.

17 *Non tamen Nouitijs.*

Si quæratur autem à quonam dandæ sint huiusmodi litteræ dimissoriales pro Nouitijs? In primis moneo Nouitios nullo iure prohiberi, quo minus ordines minores possent recipere, vt docent *Suarez de Censuris disp. 50. sect. 15. nu. 13.*, *Sanchez de præcept. Decalog. lib. 6. cap. 10. num. 19.*, *Rodriquez tom. 1. qq. Regul. qu. 13. art. 4. in fin.*, Neque obstat textus *in c. Monasterijs 19. quæst. 3.*, vbi dicitur, quod superiores non audeant ante biennium Nouitios tonsurare; Non obstat, inquam, quia ibi non est sermo de susceptione ordinum, sed de professione, in qua fiebat Monastica tonsura, ad quam debebat præcedere biennalis probatio. Supposito igitur, quod possint minoribus ordinibus initiari, à quonam debent habere dimissorias, cum illas habere nequeant à Prælatis Regularibus? *Marchinus tract. 1. de Sacramento Ord. in communi part. 6. c. 4. nu. 15.* sentit dimissorias expediendas esse ab Episcopo, in cuius Diœcesi est Nouitiatus, ea motus ratione, quod per mutationem status mutauit domicilium, quod solo temporis momento cum animo permanendi perfectè acquiritur. Sed, quamuis hoc possit admitti, non tamen admitterem priuatiuè quoad Episcopum domicilij, a quo recessit; & in hoc arbitror consentire *Homobonum consult. mor. part. 4. resp. 99. vol. 1.*, dum indistinctè loquens dicit pertinere ad Episcopum habitationis. Rationem primæ partis quoad Episcopum domicilij ex ijs deduco, quæ suprà dicebamus, nempè Episcopum domicilij esse proprium Episcopum quoad hunc effectum ordinationis præstandæ, nec hoc desinit per ingressum Religionis, & licet, quamuis non deficiet originis locus, deficiat tamen per mutationem in statum Religionis potestas ordinandi in Episcopo domicilij, cum Religiosus factus sit sub plena potestate Religionis, hoc tamen in præsenti hypothesi non obest, cum ante professionem elicitam sit adhuc sui iuris, nec transierit sub perfecto iure Prælatorum Regularium. Rationem secundæ partis ex eo etiam deduco, quod non sit sub plena potestate Religionis, sed adhuc remaneat sub potestate Patris, nec adhuc sit mortuus ciuilitèr.

18 *Dimissoriæ Nouitijs sunt dandæ per Episcopum originis, vel domicilij.*

Tandem Archiepiscopus nec potest ordinare subditos suorum suffraganeorũ, nec eisdem literas dimissorias concedere, vt latè docent *Glos. in Clem. Archiepiscopo de priuil.*, *& excess.*, quam communitèr sequuntur DD., *& Paul. de visit. part. 2. qu. 4.*, quod etiam tradit *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 5. cap. 5. num. 8.*, qui etiam allegat textum *in cap. saluo 9. quæst. 3.*, *& cap. 1. de temp. ord. in 6.*, qui tamen textus non videntur, nisi ad summum indirectè conferre ad præsens institutum. 19

Archiepiscopus non potest dare dimissorias subditis suffraganeorum.

Iam descendimus ad inuestigandum, quid possit Episcopus alienus circa ordines in ordine ad subditum alterius Episcopi, sine facultate, seu dimissorijs eiusdem? Dicendum est primo, nec maiores, nec minores ordines posse conferre. Expresè colligitur *ex Trident. sess. 6. de reform. cap. 3.*, *& sess. 14. cap. 2.*, Quoad maiores non est hæsitandum, quandòquidem omnia iura, quæ vetant Episcopis ordinare non suos, procul dubio intelligenda sunt de maioribus ordinibus, & si quæ admittenda esset exceptio, vtique hæc esse deberet quoad minores, quæ tamen etiam in ordine ad ipsos non est admittenda, quod euincitur ex eodem *Concil. Trident. d. sess. 14. cap. 2.* ibi *Ad quoscunque sacros, aut minores ordines &c.*, & licet *Nauarrus in Manuali c. 25. num. 70.*, *Rebuffus in praxi beneficiorum part. 2. tit. de Cler. ad sacr. Ord. malè prom. glos. 3.*, *Mandosius in reg. 24 Cancel. q. 1.* sistètes præcisè in Constitutione Pij II. edita Romæ anno 1461. dixerint initiatos præcisè minoribus Ordinibus non incurrere suspensionis pænam; vigore tamen *Concil. Trident. d. sess.*

d. sess. 14. cap. 2. huiusmodi pænam, aliasque non euitant. Dicendum secundò, ne dum non posse Episcopum ordinare non suum in minoribus, sed nec etiam prima tonsura initiare. Hoc etiam expressè colligitur *ex eodem Trident. loc. cit.*, & quamuis prima tonsura propriè non sit ordo, est tamen signum quoddam irriterabile, ratione cuius tonsuratus adscribitur Ecclesiasticæ militiæ, & eximitur à potestate laicali, & iura vetant, ne ab alieno Episcopo conferatur.

20 *Episcopus alienus, nec primam tonsurã potest conferre sine dimissorijs proprij Episcopi*

Tandem ex parte modi concessionis arbitror regularitèr loquendo non sufficere simplicem concessionem, sed requiri literas dimissorias, prout in specie docent, *Mandosius reg. 24. Cancellariæ de malè promotis q. 3. nu. 11., & seqq., Cherubinus ad const. 40. Clementis 8. scolio 1., & 2., Marchinus tract. 1. de Sacram. Ordin. in communi part. 6. cap. 2. num. 2.* Et ratio est, quia debet constare Episcopo ordinaturo de Natalibus, ætate, & moribus, nec non de præuio examine proprij Episcopi, prout apparet *ex Concil. Trid. sess. 23. c. 3. de reformat.*, & quoad Regulares requiritur expressio causæ, ob quam Episcopus Diœcesanus ordinationes non habeat, vt supra diximus, quoad etiam olim obseruabatur in literis dimissorijs pro ordinandis Clericis sæcularibus, vt constat *ex cap. 1. de temp. ord. in 6.*, & etiam modo seruatur ab Episcopis sapientioribus, licet apud alios non sit in vsu.

21 *Non sufficit simplex cõcessio.*

Huiusmodi literis dimissorijs plena fides præstanda est, vt latè probant, *Abbas in cap. tua nos de Cler. pereg. num. 3., Mascardus de probat. concl. 1145. in fin.*, vndè rigor nonnullorum examinatorum non videtur approbandus, qui præcipuè in ordine ad Regulares fidem non adhibent dimissorijs attestantibus de susceptione præcedentium ordinum, sed requirunt de eisdem authentica instrumenta; si enim credunt eisdem literis quoad ea, quæ spectant ad natalia, ætatem, & similia, quodnam fundamentum habent non credendi quoad ea, quæ pertinent ad susceptionem præcedentium ordinum? Debent tamen huiusmodi literæ esse firmatæ sigillo proprij Prælati, vt fidem mereantur, prout scribit *D. Augustinus in Epistola ad Victorinum*, quæ est in ordine 217.

22 *Fides præstanda est huiusmodi dimissorijs*

Nec huiusmodi literæ dimissoriæ expirant morte concedentis, prout latè docent *Rebuffus in praxi beneficiorum lib. 1. cap. 10. num. 43., Nauarrus lib. 1. consiliorum in secunda edit. cons. 5. tit. de rescript., Rodriquez in summa part. 2. cap. 14. num. 5., & de Regular. tom. 1. qu. 9. art. 1.* Recole, quæ supra diximus *in hoc eodem art. vers. Hæc sine difficultate procedunt*, dum de morte ciuili eiusdem per excommunicationem, quæ possunt præsenti casui adaptari.

23 *Non expirant morte concedentis.*

ARTICVLVS VI.

De Pœnis ordinantis non suos subditos sine dimissorijs proprij Episcopi, & ordinati sine eisdem.

SVMMARIVM.

Episcopus ordinans non suum sine dimissorijs suspenditur à collatione ordinum per annum. 1.

Initians prima tonsura non suum etiam per annum suspenditur à collatione eiusdem. 2.

Hæc pœna afficit etiam Abbates, aliosque conferentes. 3.

Afficit etiam si tonsuret non Clericum alterius Diœcesis, sed laicum. 4.

Quid veniat nomine ignorantiæ affectatæ. 5.

In dubio præsumitur pro ignorantia affectata. 6.

Suspensio hæc annalis non est tantum in ordine ad ordines indebitè collatos, sed quoad omnes. 7.

Non excusat ab hac suspensione præsumpta ratihabitio proprij Episcopi. 8.

Hanc pœnam incurrit etiam, qui dat dimissorias non suo. 9.

Ordinatus à non suo sine dimissorijs sui suspenditur ab vsu ordinis ad beneplacitum sui Episcopi. 10.

Hæc suspensio est ipso iure. 11.

Ex vi Concil. Trid. hæc suspensio est tantum quoad ordines indebitè susceptos, non quoad alios. 12.

Ex vi Constitutionis Vrbani VIII. ante sententiam Iudicis est tãtum ad ordines sic susceptos; Post sententiam est indirectè ad omnes. 13.

Durante hac suspensione sic ordinatus est incapax beneficij obtinendi non tamen priuatur beneficio obtento. 14.

Ordinantes vltramontanos etiam accedentes cum dimissorijs suspenduntur à Pontificalibus per annum, nisi dimissoriæ fuerint approbatæ. 15.

Quomodo facienda sit hæc approbatio. Ibid.

Itali ordinati cum falsis dimissorijs secuta sententia priuantur beneficio fori, & subduntur potestati laicali. Ibid.

Ordinantes Regulares vltramontanos accedentes cum dimissorijs suorum superiorum secundum Marchinum non subduntur huiusmodi pœnis. 16.

Probabilius non sunt admittendi, nisi per superiores loci, in quo ordinantur attestatio.

stationes habeant de legitimitate earundem dimissoriarum, ibidem.

HActenus egimus de iuribus vetantibus ordinationem non sui; nunc agimus de pœnis, quæ incurruntur ob transgressionem huiusmodi iurium. Aliæ autem sunt contra Episcopos ordinantes, aliæ contra non subditos ordinatos. De singulis sub hoc titulo, sed primo de primis.

1 *Ordinãs nõ suum sine dimissorijs suspenditur per annum à collatione ordinum.*

Assertio I. Contra Episcopum ordinantem non suum sine facultate proprij Episcopi, & sine dimissorijs eiusdem lata est pœna suspensionis a collatione ordinum per annum. Hoc expressè habetur *in cap. 2. de temp. ord. in 6.* Ibi *Eosque Clericos Parochiæ alienæ superioris ordinandorum licentia scientèr, seu affectata ignorantia, vel quocunque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare per annum à collatione ordinum decernimus esse suspensos.* Idem habetur *in Concil. Trident. sess. 23. de reform. c. 8.* Ibi *Quod, si quis ab alio promoueri petat nullatenus id ei cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas, aut mores ordinarij sui testimonio commendentur; si secus fiat ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Tertio ex Bulla Vrbani VIII. contra male ordinantes, & malè ordinatos Ibi *aliàs promouentes ad annum ab exercitio Pontificalium suspensus maneat.*

2 *Initians prima tonsura non suũ etiam suspenditur.*

Circa hæc iura plurimæ consurgunt rationes dubitandi, quarum prima est, an in dispositionibus eorundem quoad pœnas intelligantur etiam conferentes primam tonsuram. Affirmatiuè respondendum est, quidquid ex aduerso plurimi dixerint non comprehendi, ea moti ratione, quod pœnæ non intelligantur illatæ, nisi in casibus à iure expressis; iura autem omnia recensita loquuntur præcisè in collatione ordinum, in quibus prima tonsura non comprehenditur. Ratio responsionis fũdatur *in c. fin. de temp. ord. in 6.* Ibi *Sed nec absque sui superioris licentia homini Diœcesis alienæ Clericalem præsumat conferre tonsuram &c. Qui vero contrafecerit (vt in eo, in quo peccauerit, puniatur) per vnum annum à collatione Clericalis tonsuræ dumtaxat nouerit se suspensum;* hoc idem habetur *in cap. primatum dist. 71., & c. cum contingat de ætat., & qualit.*, & licet recensita iura loquantur præcisè de collatione ordinum, loquuntur relatiuè ad sacros Canones, in quibus quandoque sub nomine ordinum comprehenditur prima tonsura. Hanc nostram opinionem sustinent, *Bonacina de Sacramentis disp. 8. q. 4. punct. 4. num. 26. Rebuffus de literis dimissorijs num. 5.*, & alij.

3 *Hæc pœna etiã afficit Abbates.*

Secunda ratio dubitandi est, an hæc dispositio pœnalis comprehendat etiam Abbates, & quoscunque habentes potestatem conferendi ordines? Affirmatiuè respondendum est, & colligitur ex lato modo, quo vtitur textus *in d. c. 2. de temp. ord. in 6.* Ibi *Eos, qui*, qui est terminus vniuersalis cõprehendens omnes, qui possunt ordinare, vt videtur colligi *ex c. quia circa de priuileg.* quinimmò *Concil. Triden. sess. 23. c. 10.* contra concedentes dimissorias contra formam decreti suspendit ipso iure ab officio, & beneficio, quæ pœna a fortiori videtur infligi contra Abbates ordinantes.

4 *Etiam si tonsuret non Clericum, sed laicum alterius Diœcesis.*

Tertia est, an si Episcopus non Clericum alterius Diœcesis sine dimissorijs sui Episcopi ordinauerit, sed laico alterius Diœcesis primam tonsuram contulerit, intelligatur pœnam prædictæ suspensionis incurisse. Ex eo, quod *in d. c. 2. de temp. ord. in 6.* dicatur *Eos, qui Clericos Parochiæ alienæ &c.* videtur dispositio pœnalis restringi ad ordinationem Clerici, non laici, cum pœnę vtpotè odiosæ sint strictè interpretandæ, non extendendæ vltra id, quod verba sonant; cum igitur verba solum Clericos comprehendant, non videntur ad ordinationem laicorum extendenda. Nihilominus absolutè sentiendum est, extendi etiam ad tonsurationem laicorum, quod expressè colligitur *ex c. fin. de temp. ord. in 6.* per quem textum fit extensio *d. c. 2. eod. tit.*

5 *Quid veniat nomine ignorantiæ affectatæ.*

Quarta est in explicando quid veniat nomine ignorantiæ affectatæ, cum qua si Episcopus ordinet non subditum, incurrit suspensionem illatam *in d. c. 2. de temp. ord. in 6.* Textus ipse comparat ipsam cum scientia, dum dicit *scienter, seu cum affectata ignorantia*; illa etenim particula *seu* est relatiua ad præcedens, & importat idem cum ipsa saltem quoad effectum intentum, vt habetur *in c. cum inhibitio de cland. desp.*, idem etenim est scire, ac scire debere; ipse autem Episcopus ordinaturus tenetur inquirere qualitates, & conditiones ordinandi, quod, si à tali inquisitione desistat, imputatur ipsius negligentiæ culpabili, ac proindè habebitur, vt sciens. Aduerte tamen, quod, cum requiratur *in d. textu c. 2. de temp. ord. in 6.* ad incurrendas pœnas ibi comminatas ignorantia affectata, non incurrat easdem Episcopus alienum ordinans in duplici casu; primo, quando ipso probabilitèr ignorante alienus Clericus furtiuè, & ex simplicitate se ingesserit in numero ordinandorum. Secundò quando ordinandus

nandus detulerit falsas dimissorias, in quo casu supponitur probabilis facti ignorantia.

6 *In dubio præsumitur pro ignorantia affectata.* Sed, an in dubio quod fuerit ignorãtia affectata, an vero probabilis, præsumendum sit pro prima, an pro secunda. Videtur pro probabili præsumendum ex textu *in l. verius, ff. de probat.*, *& c. præsumitur de reg. iuris*. Nihilominus melius crederem pro affectata præsumendum, nisi contrarium probetur per textum *in c. innotuit de elect.*, quia ex proprio officio tenetur perscrutari qualitates ordinandorum per textum *in cap. qui Episcopus dist. 23.*, *& cap. quando dist. 34.*; sufficientèr autem crederem posse probare ignorantiam per iuramentum.

Quinta est, an suspensio annalis à collatione ordinum contra ordinantem alienum subditum intelligatur solummodò quoad ordines, quos indebitè, & sine facultate contulit, an verò quoad omnes, ità vt per annum durantis suspensionis nullum ordinem possit conferre. Vim facere videtur pro restrictione suspensionis ad ordines quos contulit, textus *in c. fin. de temp. ord. in 6.*, vbi primo dicitur per interpositam parentesim, *vt in eo, in quo peccauerit, puniatur*, peccauit autem solummodò in collatione illius ordinis, ad quem initiauit non subditum, ergo in illo tantum est puniendus. Secundò, quia ibi loquens de tonsura collata, non subdito subdit. *Qui verò contrafecerit per vnum annum à collatione Clericalis tonsuræ dumtaxat nouerit se suspensum*, vbi nota illam particulam *dumtaxat*, quæ est restrictiua, & priuatiua quoad alia; si ergo per collationem primæ tonsuræ indebitam priuatur tantum per annum à iure eandem conferendi, non autem à iure conferendi alios ordines, ergo etiam per collationem indebitam alicuius alterius ordinis priuabitur solum iure conferendi per annum illum ordinem, & non alios. Propter has rationes sustinent Episcopum sic ordinantem suspendi à sola collatione illorum ordinum, quos indebitè contulit. *Ioannes Monachus, & Philippus Francus in d. c. 2. de temp. ord. in 6., Nauarrus conf. 31., & 39. de temp. ord., Riccius in praxi decis. 297. num. 1., Molfesius in summa tract. 2. cap. 2. num. 12.* Extendunt tamen dispositionem ad suspensionem à quocunque ordine *Glosa in d. c. 2. de temp. ordin. in 6. in verb. omnium, Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episc. allegat. 8. n. 1., Campanilis in diuers. iuris Canonici rub. 9. cap. 1. num. 16.*, quod mihi probabilius videtur; textus etenim *in allegat. cap. 2. de temp. ord. in 6., & Concil. Trident. d. sess. 23. de reformat. cap. 10., & Vrbanus VIII. in allegat. constit.* loquútur indefinitè de collatione ordinum; propositio autem indefinita sumenda est pro vniuersali, & si allegata iura voluissent in dispositione cadere solum illum, vel illos ordines, ad quos indebitè Episcopus ordinauit, expressissent, sicuti expresserunt *in d. cap. fin. eod. tit.* dum de prima tonsura collata indebitè subdito alieno laico. Ibi *à collatione Clericalis tonsuræ dumtaxat*. Secundò, quia incongruum omninò videtur, quod, si ordinasset indebitè alienum in Diaconum, non posset per annum ordinare Diaconum, posset verò ordinare Sacerdotes, aliosque in alijs inferioribus ordinibus à Diaconatu, nam de iure frui non debet maioribus, qui minoribus caret per textum *in l. cui pacto, ff. de seru. expor.* Tertiò, quia Vrbanus VIII. in allegata sua Constitut. magis amplè loquens contra malè ordinantes non solum à collatione omnium ordinum per annũ suspendit, sed etiam ab exercitio Pontificalium. *Satisfit rationibus oppositis.* Nec deducta *ex eod. c. fin.* quidquam euincunt; non primum quo dicitur, *vt in eo, in quo peccauerit, puniatur*, quia per suspensionem à collatione omnium ordinum verè punitur, in quo peccauit; peccauit etenim in potestate ordinis, & per suspensionem annalem ab eadem mulctatur; neque dicas, quod, cum defecerit dumtaxat circa vnum ordinem in eodem simpliciter sit puniendus, cæteròqui pæna excederet culpam; contrà enim impugnaberis, quia iura quandòque grauius puniũt ad deterrẽdos delinquentes a delictis, vt videre est in similibus. Deindè in hac speciali hypothesi pænam, quam fortè grauiorem iniurunt in extensione, temperant in duratione, dum ad annum restringunt; Non secundum, quia in hoc est specialis dispositio propter minorem læsionem Episcopi proprij, cum alienus sola prima tonsura initiauerit laicum, qui non est subditus priori Episcopo, nisi ratione domicilij, non autem ratione status Clericalis, cum nondum esset adscriptus militiæ Ecclesiasticæ, quæ dispositio non est extendenda in ordine ad Clericos iam ratione status Ecclesiastici subiectos proprio Episcopo; quod magis colligitur ex eo, quod in hoc facta fuerit à Pontifice specialis restrictio, quæ non facta est in alijs; vndè sicuti in hoc restrinxit pænam, vtique in alijs restrinxisset, si voluisset.

7 *Hæc suspensio est in ordine ad omnes ordines.*

Sexta est, an ratione præsumptæ ratihabitionis proprij Episcopi possit Episcopus ordinans non suos ab hac pæna annalis suspensionis excusari. Affirmant *Mandosius de reg. Cancellariæ reg. 24. qu. 4., Fornarius de ordine cap. 5. num. 4., Diana*

mor.

mor. resol. part. 2. tract. 4. resol. 191., & alij, qui præcipuè mouentur *ex c. vlt 9. quæst. 2.*, vbi excusatur factum D. Epiphanij, qui sub spe ratihabitionis ordinauit subditos D. Ioannis Chrysostomi; Item ex eo, quod ad incurrendam hanc pænam requiritur præsumptio, quæ non potest concipi, vbi est bona fides, & spes ratihabitionis. Sed non libentèr adhærerem huic opinioni, sicuti nec ad ærent *Salzedo in sua practica c. 26.*, *Rebuffus tit. de literis dimissorijs num. 11.*, *Quaranta verb. ordo vers. amplia hanc extrauagantem*, *Bonacina de Sacram. disp. 8. quæst. vnica punct. 4. num. 28. vers. hoc tamen limita*. Rationem ex eo deduco primo, quia vbi agitur de iurisdictione non est de facili præsumenda ratihabitio, & facilè perturbarentur iurisdictiones, & iura Episcopalia, si sub præcisa spe ratihabitionis posset vnus in messem alterius falcem immittere, vndè his nostris temporibus continuò cernimus altercationes de iurisdictione. Accedit, quod requirantur literæ dimissoriæ in promouendo ad ordines alienum subditum, etiam si essent persona cognita, & eius qualitates supponantur, cum Constitutio Pij II. literas dimissorias requirat pro forma, cum non solum disponat super illo actu faciendo, sed vltra procedat suspendendo, quando autem data est forma, semper ea omninò seruanda est per textum *in cap. cum dilecti de rescript.*, ex quibus rectè deducitur, quod non sufficiat mera spes ratihabitionis; Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur; non primum deductum *ex cap. vlt. 9. quæst. 2.*, quia ibi solum dicitur, quod D. Ioannes Chrysostomus tolerauit suos Clericos ordinatos à D. Athanasio, quatenus nullam pænam imposuit, & Pontifex ibidem dicit, quod ex misericordia, si Clerici ordinati bonæ vitæ sint, & si sine prauitate fuerint ordinati, possint dispensari, iniuncta tamen eisdem pœnitentia competenti, quod importat aliquā culpam. Dicere etiam possumus, quod licet antiquitus attenta bona fide, & spe ratihabitionis tolerarentur tam ordinantes, quam ordinati, ex quo tamen de præsenti requiruntur *ex d. Constitutione Pij II.* literæ dimissoriæ, non sufficiat hæc spes ratihabitionis præcipuè cum his temporibus conualescant magis contentiones de iurisdictione; Non secundum, quia præsumptio sufficienter habetur ex eo, quod Episcopus ordinans nouerit ordinandum esse alienum, & iura obstare, & nihilominus voluerit ordinare, nec spes ratihabitionis potest eidem suffragari, cum requirantur pro forma literæ dimissoriæ.

8 *Non excusat ab hac pæna ratihabitio præsūpta proprij Episcopi.*

Septima est, an æquè eandem pænam suspensionis annalis contrahat, qui literas dimissorias concedit non subdito, ac qui non subditum ordinat. Cum pænæ sint strictè interpretandæ, collatæ contra malè ordinantes nō suos, sine dimissorijs proprij Episcopi non videntur porrigendæ contra concedentes dimissorias non suis, quia aliud est ordinare, aliud conferre literas, vt ordinatio ab alijs fiat. Nihilominus ex quo *D. Augustinus Epist. 137. ad Clerum Hypponensem* æqualem esse culpam nouerit ordinare indignum, ac indigno dimissorias concedere, videtur etiam congruenter deduci æqualem esse culpam ordinare non suum, ac literas dimissorias nō suo concedere, ex quo etiam videtur deduci eandem pænam incurrere. Addi etiam potest, quod æquè pænas subeat, qui ordinatur à non suo, ac qui literas dimissorias recipit à non suo ergo etiam easdem debet subire ordinans non suum, ac literas dimissorias concedens non suo. 9

9 *Hanc pænam incurrit etiam, qui dat dimissorias non suo.*

Assertio II. Ordinatus à non suo Episcopo sine dimissorijs proprij suspensus remanet ab vsu ordinis ad beneplacitum proprij Episcopi. Expressè hæc pæna habetur *in cap. eos, qui de tempor. ord. in 6. & ex Trident. sess. 6. cap. 5. de reformat., & sess. 14. cap. 2. item de reform., & sess. 23. cap. 8. item de reformat.* Hæc pæna modo incurritur ipso iure, nec est simpliciter ferenda. Dixi, *modo*, nam in antiquis iuribus erat tantum ferēda ab Episcopo proprio, vt colligitur *ex cap. quoad translationem de temp. ord.*, quod autem modo sit de facto, expressè colligitur *ex extrau. Pij II. Incipiente cum ex sacrorum*, vbi dicitur, quod, si quis indebitè ordinatus, hoc est sine dimissorijs proprij Episcopi exercuerit ordinem susceptum, fiat irregularis, quod esse non potest, nisi intelligatur immediatè, & ipso facto suspensus; hoc idem habetur *ex Trid. loc. allegatis*, in quibus hæc censura ponitur per verba importantia immediatum incursum eiusdem nempè *sit suspensus*. Erat item hæc pæna ex vi Constitutionis Sixti V. reseruata Romano Pontifici, sed postea moderata fuit à Clemente VIII. in Bulla, quæ incipit *Romanum Pontificem decet*, per quam reducta est ad terminos Concil. Tridentini, & Constitutionis Pij II. in quibus relaxatio eiusdem remittitur arbitrio proprij Episcopi.

10 *Ordinatus à nō suo sine dimissorijs suspensus est ab vsu ordinis ad beneplacitū sui Episcopi.*

11 *Hæc suspensio est ipso iure.*

Circa hanc pænam nonnullæ etiam consurgunt rationes dubitandi, quarum prima est, an hæc suspensio intelligatur præcisè quoad ordinem sine dimissorijs susceptum, an verò quoad alios omnes antea ritè susceptos. Ex eo, quod *Concil. Trid.*

12 *Ex vi Trident hac pæna est tantum quoad ordines sic susceptos.* *Trid. sess. 14. cap. 2.* dixerit *Talitèr verò promotus ab executione ordinum sic susceptorũ donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure sit suspensius* videtur expreſsè, quod pæna non incurratur, niſi quoad ordines ſic malè ſuſceptos, non quoad alios, illa etenim particula *ſic* denotat tantum ordines cum illa qualitate inordinatæ ſuſceptionis. Ex eo tamen, quod *Vrbanus VIII. in ſua conſtitutione edita die 11. Decembris 1624. Incipiente, Secretis æternæ prouidentiæ conſilijs* dixerit ordinatos ad primam tonſuram, vel ad alium ordinem maiorem, vel minorem cum falſis dimiſſorijs priuari priuilegio fori, & ſæculari poteſtati ſecuta Iudicis declaratione ſubmitti, videtur inferri, etiam ſuſpendi ab exercitio omnium ordinum; videtur enim incongruum, quod actu in ſuſceptis ritè ordinibus altari deſeruiat, & ſubdatur ſæculari poteſtati priuatus priuilegio fori. Accedit, quod ex ſuperiùs dictis Epiſcopus ſine dimiſſorijs proprij Epiſcopi ordinans alienum ſuſpenſus remaneat à collatione omnium ordinum, ergo, & ordinatus ſuſpenſus remanere debet ab exercitio omnium ordinum, non illorum ſolum, quos recepit ab alieno ſine dimiſſorijs proprij. Quid ergo, in hoc ſentiendum? Crederem poſt Conſtitutionem

13 *Post Vrbanum VIII., quid ſentiendũ.* Vrbani VIII. ante ſecutam Iudicis ſententiam ſuſpendi dumtaxat ab exercitio ordinum malè ſuſceptorum; poſt illam verò indirectè ab exercitio omnium. Prima pars ex eo euincitur, quia independentèr à tali conſtitutione ſuſpenſio erat ſolum quoad ordines ſuſceptos ſine dimiſſorijs, vt videtur expreſsè colligi *ex Trident. loc. cit.* per ly *ab executione ordinũ ſic ſuſceptorum*, & expreſse tradunt *Suarez de Cenſuris diſp. 31. ſect. 1. ſuſp. 6., Quaranta verb. ordo verſ. quarta limitatio aſſignanda*, ergo etiam dependentèr à tali conſtitutione ante ſententiam Iudicis ſecutam ſuſpenſio erit ſolum quoad ordines ſuſceptos ſine dimiſſorijs. Conſequentia probatur, quia eadem conſtitutio Vrbani ſolum conſtituit pænam priuationis fori, & ſubiectionis poteſtati ſæculari poſt ſententiam Iudicis, ergo ante illam ſic ordinatus erit in pleno iure, in quo erat antecedentèr ad illam conſtitutionem; antecedentèr autem erat ſuſpenſus dumtaxat quoad exercitium ordinum indebitè ſuſceptorum. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod priuatio fori, & ſubiectio poteſtati ſæculari non videtur congruè compati cum exercitio ordinum maximè ſacrorum, ergo ex tali priuatione, & ſubiectione videtur ſaltem indirectè deduci ſuſpenſio ab exercitio omnium ordinum.

Secunda ratio dubitandi eſt, an ratione talis ſuſpenſionis ordinatus ſine dimiſſorijs proprij Epiſcopi intelligatur incapax beneficij obtinendi, & priuatus beneficio, quo gaudet. Cum tali ſuſpenſione compati capacitatem ad beneficiũ obtinendum, & ius ad retinendum beneficium iam obtentum docet *Suarez de Cenſur. diſp. 26. ſect. 3. num. 8., & diſp. 27. ſect. 1. num. 26.*, quem tamen reprobat, *Garzias de benef. part. 7. cap. 14. num. 1., & ſeqq.* adductis pluribus rationibus, & allegatis Rotæ Romanæ pluribus deciſionibus. Quamobrem ſentiendum eſt, durante ſuſpenſione incapacem eſſe ad beneficium obtinendum, non tamen ipſo iure priuari beneficio iam obtento. In hoc conſentiunt. *Nauarrus conſ. 25., & 26. de temp. ord., Bonacina tract. de Sacram. diſp. 8. qu. vnica punct. 4. num. 26., Augustinus Barboſa de offic., & poteſt. Epiſcopi allegat. 8. num. 13., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur in ordine ad beneficium obtinendum, quod ſuſpenſus ab vſu ordinis eſt incapax beneficij per textum *in c. cum dilectus in verſ. quia nobis de conſuet., & c. cum bona de ætate, & qualit.* ordinatus autem ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſorijs proprij per ſuperiùs allegata intelligitur ab vſu ordinis ſuſpenſus, ergo, quouſque non remoueatur ſuſpenſio, erit incapax beneficij; Neque dicas, quod allegata iura procedant dumtaxat de ſuſpenſione abſoluta, & quoad omnia, non autem de limitata, & quoad exercitium ſolummodò ordinum malè ſuſceptorum; ſicuti enim quamuis ſuſpenſus à malè ſuſceptis poteſt aliorum ritè ſuſceptorum vſum habere, ità poterit, & beneficium obtinere; contra enim impugnaberis, quia ſicuti ratione talis ſuſpenſionis redditur incapax ad alios ſuperiores ordines recipiendos, ita redditur incapax ad beneficium obtinendum; vnde ex inſtantia allata ità eſſet arguendum, quod ſicuti ratione talis ſuſpenſionis non impeditur ab exercitio aliorum ordinum ritè ſuſceptorum, ita non impediatur à retinendo beneficium item legitimè receptu, & è contra, ſicuti impeditur ratione eiuſdem ad recipiendos alios ordines, ità impediatur ab obtinendo alio beneficio; vndè meritò, *Garzias*, *Nauarrus*, *Bonacina*, *& Barboſa* pro noſtra ſententia citati, qui aſſerunt impediri ſolum ab exercitio ordinum malè ſuſceptorum, aſſerunt etiam impediri à conſecutione beneficij. Deindè hæc inſtantia ceſſat ſtante cõſtitutione allegata Vrbani VIII. ſecundum quam, ſicuti priuatur priuilegio fori, & ſubijcitur poteſtati ſæculari, ratione cuius diximus indirectè ſuſpendi

14 *Durante hac ſuſpenſione eſt incapax beneficij obtinendi, non tamen priuatur obtento.*

ab

ab exercitio omnium ordinum, ita & per consequens contrahere suspensionem absolutam, & simplicitèr, cum qua, vt ipsi aduersarij fatentur, non potest compati noui beneficij consecutio. Quod deindè ipso iure non priuetur beneficio iam obtento, ex eo potest euinci, quod etiam per excommunicationem, cum non sit perpetua, eodem beneficio saltem in habitu non priuetur. Verum tamen est, quod, si per annum sordescat in eadem suspensione ex sua culpa, asserit Nauarrus, quod tanquam suspectus de hæresi possit beneficio priuari, quod deducit ex *Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat.* Sed, si benè perpendatur Concil. Trident. loquitur de sordescente in excommunicatione, non in suspensione, quæ non priuat communicatione diuinorum, sicut excommunicatio. Sed, an ex suspensione perseuerante culpabilitèr per annum oriatur illa suspectio de hæresi, sicuti ex excommunicatione non est huius loci examinare.

Assertio III. Aduersus Episcopos ordinantes vltramontanos etiam accedentes cum dimissorijs propriorum Episcoporum lata est pæna suspensionis Pontificalium per annum, nisi ædem dimissoriæ à nuntijs Apostolicis, vel à collectore in illis partibus commorante, deindè à Vicario Papæ in alma vrbe fuerint examinatæ, & probatæ, & contra talitèr ordinatos pæna perpetua suspensionis indispensabilis, seù sine spe impetrandæ dispensationis, & aliæ grauiores pænæ arbitrio Pontificis pro tempore existent.s. Contra veros Italos ordinatos cum falsis dimissorijs, pæna priuationis priuilegij fori, & subiectionis sæculari potestati, secuta tamen Iudicis sententia. Hæc omnia colligo ex Bulla prædicta Vrbani VIII. quam de verbo ad verbum referũt *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ordin. in communi part. 5. cap. 12. num. 16.*, & alij.

15 *Ordinantes vltramontanos, etiam cum dimissorijs suspenduntur à Pontificalibus per annum, nisi dimissoriæ fuerint approbatæ, & quomodò.*

16 *Quid sentiendum sit de Regularibus vltramontanis.*

Solum oritur hic difficultas, an huiusmodi pænæ comminatæ in hac Constit. Vrbani VIII. comprehendant etiam Regulares vltramontanos. Negat *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 5. cap. 11. n. 17.*, ex eo, quod in dicta Constitutione Vrbani nulla prorsus fit mentio de Regularibus, quæ propterea vtpotè pænalis nõ est ad ipsos extendenda, tum ex eo, quod concessio dimissoriarum respectu Regularium, non pertinet ad Episcopum loci, in quo morantur, sed ad eorum superiores, vtsupra diximus, & vt plurimum ad Generales, & Prouinciales. Sed, quidquid sit, quod comprehendantur, vel non comprehendantur sub tali constitutione, si accederent cum dimissorijs suorum superiorum degentium vltramontes, non admittendos crederem, quantum est ex vi earundem dimissoriarum, cum possit contingere, quod sint profugi, & Apostatæ, & dimissoriæ illæ falsæ sint; vndè saltem requirerem attestationes superiorum habitantium in loco, in quo essent ordinandi, attestantium de legitimitate earundem dimissoriarum, & de statu talis Regularis.

ARTICVLVS VII.

De conditionibus requisitis in ordinatione ex parte temporis.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi sub hoc titulo. 1.

Prima tonsura potest quacunque die conferri siue manè, siue vesperè. 2.

Minores ordines extra tempora diebus festiuis possunt conferri, nisi ordinandi sint tot, vt inferant solemnem ordinationem. 3.

Quot requiruntur ad constituendam solemnem ordinationem. 4.

In rigore iuris possunt etiam conferri die non festo. 5.

Et etiam à prandio. 6.

Omnes minores ordines possunt simul vna, & eadem die conferri. 7.

Et simul etiam cum prima tonsura. 8.

Maiores ordines, non possunt conferri, nisi præscriptis temporibus. 9.

Enumerantur quænam sint præscripta tempora. Ibid.

Ordinati extra tempora suspenduntur ab ordinum executione. 10.

Hæc pæna est perpetua, & Pontifici reseruata. 11.

Maiores ordines nequeunt conferri extra missam, & post prandium licitè. 12.

Inter susceptionem vnius, & alterius debet annus mediare. 13.

Intellige etiam inter susceptionem vltimi ordinis minoris, & subdiaconatum debere annum intercedere. 14.

Hoc tempus est dispensabile ab Episcopo intercedente causa. 15.

Contra recipientem eadem die duplicem ordinem sacrum imposita est pæna suspensionis ipso facto. 16.

Et contra sit ordinatum pæna suspensionis illorum ordinum, quos indebitè contulit, non remissibilis, nisi à Romano Pontifice. 17.

Dispensante Episcopo possunt minores die immediatè præcedente Sabbatum quatuor temporum à prandio conferri, & die Sabbati Subdiaconatus. 18.

Et etiam eadem die ordinationis minores cum Subdiaconatu. 19.

Recepto

Recepto die ordinationis Subdiaconatu, non potest continuato ieiunio die Dominico sequenti recipi Diaconatus. 20.

Nulla facta ordinatione Sabbato quatuor temporum, & continuato ieiunio ad diem Dominica proxima potest in eodem fieri ordinatio. 21.

Non consulendum tamen, vt hoc fieret nulla extante consuetudine. 22.

Episcopus etiam interueniente graui causa non potest duos ordines sacros eadem die conferre. 23.

Qui contra voluntatem Episcopi furtiuè duos ordines suscepit contrahit suspensionem non remissibilem ab eodem Episcopo. 24.

Ex concessione Pontificis possunt tres ordines sacri tribus diebus festis immediatè sequentibus recipi. 25.

Si sic priuilegiatus in primo examine non fuerit idoneus repertus, sententia asserens priuilegium immediatè expirare. 26.

Sententia asserens expirare, si data fuerint vota exclusiua, secus non. 27.

Probabilius potest admitti ad nouum experimentum. 28.

Concesso alicui indulto, vt possit tribus diebus festis ordinari potest vnum recipere die Sabbati ordinationum, si tunc occurrat, & reliquos duos duobus diebus festis. 29.

Recepto die Sabbati ordinationum vno ordine sacro potest alter recipi die Dominica immediatè sequenti. 30.

Quinam dies habeantur pro festis ad hunc effectum. 31.

1 *Articuli examinandi sub hoc titulo.*

PLurima sub hoc titulo examinanda veniunt, quæ in alijs dispersa reperiuntur. Non erit hic sermo de ætate requisita ex parte recipientis, nam de eadem erit sermo infrà, dum de conditionibus requisitis ex parte subiecti, & dum de singulis ordinibus in particulari. Nunc agemus de temporibus, quibus haberi possunt ordinationes, tum in ordine ad primam tonsuram, & ordines minores, tum in ordine ad maiores, & non solum iuxta præscriptum Ecclesiæ consuetum, sed etiam iuxta concessiones particulares Romani Pontificis extra tempora consueta Ecclesiæ. Hic etiam examinabimus tempora, quæ debent intercedere inter susceptionem vnius, & susceptionem alterius ordinis.

2 *Prima tonsura potest quacunque die conferri*

Quoad primam tonsuram conueniunt omnes, quod possit quacunque die etiam feriata conferri, & non solum manè, sed etiam à prandio, & hoc non solum deducitur ex lege non scripta, hoc est de iure consuetudinario cummuniter recepto, de quo *Tabiena verb. ordo* §. 2., sed etiam deducitur *ex c. consultationi de temp. ord.*, vbi, cum prohibeatur collatio sacrorum ordinum extra tempora à iure præscripta, restringitur prohibitio ad ordines, non ad primam tonsuram, quæ ordo non est.

3 *Minores ordines possunt diebus festis conferri*

Quoad ordines minores *in cap. de eo de tempor. ord.* habetur quod etiam extra tempora, Dominicis tamen, & alijs solemnibus diebus conferri possint, dummodò tamen ordinandi non sint tot, vt videantur solemnem ordinationem constituere. Sed hic immediatè suboritur difficultas, ad quemnam numerum ordinandi sint restringendi, ne dicatur ordinatio solemnis? Ex eo, quod dicatur *in d. c. de eo de tempor. ord.*, quod licitum est Episcopis Dominicis, aut alijs festiuis diebus vnum, aut duos ad minores ordines promouere, videtur iustè inferri, excessum supra duos importare quodamodò solemnem ordinationem, quantum ad effectum, ne plures, quam duo possint ordinari. Nihilominus, non ita strictè accipienda res est, vt, si etiam tres, vel quatuor eadem die Dominica, vel festiua ordinarentur, redderetur solemnis, & illicita ordinatio, vt notant *Glosa in d. c. de eo de temp. ord.*, *Siluester verb. ordo* 2. *qu.* 6., vndè ad textum allegatum dicendum est, quod ly *vnum, aut duos*, non positum sit restrictiuè, sed exemplificatiuè.

4 *Quot requirantur ad constituendã solemnẽ ordinationem.*

Quod, si quæratur, quot requirantur determinatè ad constituendam solemnem ordinationem; dicam hoc arbitrio regulato, seu iudicio prudentum remittendum esse.

5 *In rigore iuris possunt conferri die etiã nõ festo.*

Quamuis autem allegatus textus *in c. de eo* permittat promotionem ad minores ordines extra tempora à iure præscripta festiuis diebus, in rigore tamen iuris, non prohibentur conferri alia quacunq; die maximè intercedente aliqua iusta causa, vt videtur colligi *ex c. quando dist.* 75., vbi libertati Episcopi permittitur electio temporis, & loci conferendi ordines minores vsque ad Subdiaconatum, restringitur verò facultas quoad ordines maiores ad tempus publicæ ordinationis.

6 *Et etiã à prãdio*

Sed vtrum à prandio conferri possint minores ordines? *Siluester verbo ordo* 2. *qu.* 6., *Angelus verb. ordo* 4., asserunt, æquum non esse, vt illi à prandio conferantur. Sed consuetudo modo obtinuit, vt conferantur etiam à prandio, cum sæpius ante diem Sabbati solemnium ordinationum die præcedenti à prandio conferantur.

7 *Possunt omnes eadẽ die conferri*

Sed, an minores ordines possint vna, & eadem die conferri. De consensu Episcopi posse affirmant *Bonacina de Sacram. ord. disp.* 8. *qu. unica punct.* 5. *num.* 54., *Homobonus tract.* 2. *de formali causa exam. c.* 1. *quæst.* 14., *Glosa in c. de eo de temp. ord. verb.*

ad minores, vbi ponderat, quod textus dicit indeterminatè, quod Episcopus possit ad minores promouere; concessio autem indeterminata refertur ad omnes in eo genere, quod etiam clarius deducitur ex *c. cum H. lator de eo, qui furt. ordin. suscep.*, vbi, cum delatum esset ad Celestinum III. summum Pontificem, quod quis eadem die ordinatus fuerat, seu initiatus quatuor minoribus ordinibus, & simul temerario ausu Subdiaconatum etiam receperat, mandauit Diœcesano Episcopo, vt eum in minoribus ordinibus dumtaxat ministrare permitteret, quod sufficientèr indicat non esse vetitum minores ordines simul eadem die conferri, secus Pontifex non concederet in eisdem posse ministrare, quod rectè ponderauit *Glosa in d. c. cum H. Lator in verb. minores*, vbi dicit ex hoc textu expressum haberi, quod omnes minores ordines vna die conferri possint *arg. textus in c. 1. de tempor. ord.* Sed, an etiam eadem die possint conferri omnes ordines minores simul

8 *Et simul etiam cum prima tonsura.* cum prima tonsura? Negat *Bonacina loc. cit.*, non tamen aliquem textum, aut rationem prohibentem adducit. Quamobrem sentiendum est, vtique posse maximè aliqua causa intercedente simul conferri nullo iure obsistente, quin potius consuetudine fauente.

9 *Maiores ordines, non possunt conferri, nisi præscriptis temporibus.* Quoad ordines maiores certum est, nõ posse conferri, nisi præscriptis temporibus, quæ sunt dies Sabbati omnium quatuor temporum, & Sabbati ante Dominicam Passionis, & Sabbati Sancti tempore Missæ; prout expresè habetur *in c. 3. de temp. ordin.*, *Rebuffus in praxi beneficiorum part. 2. tit. de Clericis ad sac. ord. malè promotis*, & etiam habetur *in cap. quando dist. 75.* Hoc expressius habetur ex eo, quod promotus extra legitima tempora

10 *Punitur pœna suspensionis.* absque speciali summi Pontificis dispensatione contrahit suspensionem ab ordinis executione, vt habetur ex Extrauag. Pij II., quæ incipit *cum ex sacrorum*, quæ pæna, an sit remissibilis à proprio Episcopo, negatiuè resoluit *Rota Romana in vna Malet. Abbatia die Mercurij 24. Ianuarij*

11 *Hæc pœna est perpetua reseruata.* *1590. coram Gypsio*, vbi asserit, hanc pænam esse perpetuam, adeoque Romano Pontifici reseruatam, prout notant, *Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episc. allegat. 17. num. 14.*, *Bonacina de Censuris disp. 5. quæst. 6. punct. 5. num. 6.*

12 *Nequeunt conferri extra Missam, & post prandium.* Sed, an maiores ordines conferri possunt post prandium, & extra missam. Sentiendum est, licitè non posse extra missam conferri, adeoque nec post prandium. In hoc iustè damnatus est *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 7. c. 5. num. 17.*, qui cum dixerit minores absq; dubio conferri posse extra missam, immediatè subdidit, idem credendum est de maioribus omnibus, cui Marchini opinioni, vbi aliud non obstaret, obstaret contraria consuetudo, secundum quam nunquam conferri consueuerunt sacri ordines, nisi intra missarum solemnia. Dixi *licitè*, non etenim negauerim, quod, si conferantur extra missam, & post prandium seruata debita materia, & forma, & legitima intentione, validè conferantur, quia quod conferantur in missa est tantum de præcepto, non de natura ordinis, & Sacramenti, quod præcipuè ex eo euincitur, quod Christus Dominus ordinauit Sacerdotes Apostolos post cœnam.

Nec solum ordines sacri conferri debent statutis ab Ecclesia temporibus, sed etiam comparando eosdem adinuicem, ita debent conferri, vt inter susceptionem vnius, & susceptionem alterius annus intercedat, prout definiuit *Concil. Trident. sess. 23. de reformatione cap. 11. in fine*, vbi loquens de ijs, qui minores susceperunt subdit. *Hi verò, non nisi post annũ à susceptione postrema gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iuditio Episcopi aliud exposcat.* Rursus eadem *sess. 23. cap. 13.*, loquens de maioribus ordinibus sic ait *Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Rursus *ead. sess. cap. 14.* præscribit, ne à Diaconatu ad Presbiteratum, quis ascendat, nisi in Diaconatu per annum integrum ministrauerit. 13 *Inter susceptionẽ vnius & alterius debet annus mediare.*

Ex ijs, quæ mox dicta sunt, plura inferuntur, & primo, quod, quamuis minores ordines possint non seruatis interstitijs suscipi, si ad inuicem comparentur, non possit tamen suscipi Subdiaconatus non seruatis interstitijs à postremo ordine minori suscipi, vt expresè colligitur *ex Trid. sess. 23. cap. 11. de reformatione*. Secundò hanc prohibitionem seruandi interstitia, seu lapsum vnius anni inter susceptionem vltimi ordinis minoris, & susceptionem subdiaconatus, & inter susceptionem vnius ordinis maioris, & susceptionem alterius, non esse ita rigorosam, vt vetet, ne possit Episcopus super illis dispẽsare. Tertio nullam in hoc impositam esse pænam, cum de ea in nullo ex allegatis capitibus Tridentini mentio habeatur. 14 *Etiam inter Acolitatum, & subdiaconatũ debet annus mediare.* 15 *Hoc tempus est dispensabile ab Episcopo.*

Quamuis autem nulla reperiatur pæna imposita, nec contra ordinatos, nec contra ordinantes ob nõ seruatam legem interstitiorum, imposita tamen reperitur contra ordinatos eadem die duplici ordine

16 *Contra recipiētes, eadem die duplicem ordinem sacrum imposita est pæna suspensionis.*

ordine sacro *in c. literas de tempor. ordin.*, pæna suspensionis, quod idem habetur *in cap. innotuit de eo, qui furtiuè ord. suscep.*, quæ pæna, vt colligunt *ex eod. c. innotuit Nauarrus cap. 25. num. 71.*, *Sorbus in verb. ordines sacri*, *§. est tamen aduertendam*, *Rodriquez tom. 3. qq. Reg. qu. 27. art. 5.*, est latæ sententiæ, & ipso facto incurritur, nec solum contra ordinatum duplici ordine eadem die pæna suspensionis imponitur, sed etiam contra Episcopum sic ordinantem pæna suspensionis a collatione illorum ordinum, quos inordinatè contulit, vt expressè colligitur

17 *Et etiā contra ordinātem.*

ex d. c. literas, atque hæc pæna non est remissibilis, nisi à Romano Pontifice, vt *ex eod. c. literas habetur* - Ibi *tamdiu volumus remanere suspensos, donec de illis aliter disponamus.*

Circa hanc prohibitionem conferendi duos ordines sacros eadem die plura contingunt in præsenti dubitari, & primò, an stante hac prohibitione prohibeatur etiam conferri ordines minores die immediatè præcedente Sabbatum solemnium ordinationum à prandio, & ipso die Sabbati ordinem Subdiaconatus? Ex eo, quod *in Concil. Trid. d. sess. 23. c. 11.*, dicatur à susceptione postremi ordinis mino-

18 *Dispensante Episcopo die præcedenti possunt minores ordines recipi, & die ordinationis subdiaconatus*

ris debere annum intercedere ad susceptionem ordinum sacrorum, videtur congruè inferri, non posse die præcedenti à prandio conferri minores, & die sequenti subdiaconatum, & per consequens hanc ordinationem cadere sub dispositione *d. c. literas de temp. ord.*, cum dies immediatè præcedens incipiens à prandio computetur pro eadem die simul cum Sabbato, & sicuti eadem die Sabbati non possunt conferri minores simul cum subdiaconatu, & si conferantur, videtur cadere sub tali dispositione, ita nec videntur ordines minores posse conferri die præcedenti, & subdiaconatum die immediatè sequenti. Nihilominus plerique arbitrantur hunc casum non cadere sub dicta dispositione textus *in c. literas de temp. ordinat.*, cum textus loquatur præcisè de duobus ordinibus sacris eadem die collatis, qui propterea non est extendendus ad ordines minores simul cum subdiaconatu, nec ex eo, quod *Concil. Trid. alleg. sess. 23. c. 11.* disponat, quod à susceptione postremi ordinis minoris ad susceptionem subdiaconatus, debeat annus intercedere, sicut debet intercedere inter susceptionem vnius ordinis sacri ad susceptionem alterius, sequitur, quod sicuti duo ordines sacri nequeunt vna, & eadem die conferri, ita nequeant eadem die siue reali, siue fictione iuris conferri minores simul cum subdiaconatu. Non, inquam, hoc sequitur, nam *Concilium Trid. loc. cit.*, & textus *in d. c. literas* diuersa respiciunt; primum quippè solum constituit legem interstitiorum, quam regularitèr seruari præcipit, nisi aliud necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ iudicio Episcopi exigat; secundus verò præcipit strictè pluralitatem dierum in collatione huiusmodi ordinum sacrorum. Primum præceptum Tridentinū est dispensabile ex causa per Episcopum, non sit secundus textus *in d. cap. literas*. Deficientem in primo casu Tridentinum nulla afficit pæna, deficientem in secundo textus punit pæna suspensionis, à diuersis autem non fit illatio. Hinc afferunt vsum obtinuisse non solum in Hispanijs, vt testantur, *Villalobos in summa tom. 1. tract. 11. dub. 13. num. 4. Henriquez lib. 10. cap. 12. num. 12.*, *Sairus lib. 7. de censuris c. 10. nu. 26.*, *Vasquez tom. 3. in tertia parte disp. 246. cap. 5. num. 48.* vt ordines minores die immediatè præcedenti Sabbatum ordinationum conferātur, & ipsa die Sabbati subdiaconatus, de quo vsu in Italia etiam pluribus in locis recepto fidem faciunt, *Molfesius, in summa tract. 2. cap. 14. num. 13.*, *Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 1. cap. 5. num. 26.*, *Diana tom. 1. tract. 16. resol. 28.* Sed, quamuis hic casus non contineatur sub *d. cap. literas* continetur tamen sub *cap. 2. de eo, qui furt. ord. susc.*

Sed, an eadem die Sabbati ordinationum possit Episcopus ex causa conferre simul ordines minores, & subdiaconatum? Negant absolutè *Maiolus de irregularitate lib. 4. cap. 11. num. 1*, *Lopez in addit. ad pract. crim. Bernardi Diaz cap. 25. vers. vna, & eadem die*, *Siluester verb. ordo 2. quæst. 7.*, qui omnes asserunt necesse esse ad Romanum Pontificem confugere, nec posse Episcopum per se ita ordinare sine incursu suspensionis. Affirmant verò absolutè *Gutierez lib. 1. qq. canon. quæst. 26. nu. 31.*, *Miranda in manuali Prælati part. 1. quæst. 38. art. 8. in secunda concl.*, *Molfesius in summa tract. 2. cap. 8. num. 27.*, *Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 246. c. 5. nu. 48.*, qui omnes eò fundamēto nituntur, quod nullo iure canonico id prohibeatur, cum omnes allegati textus *in c. literas de temp. ord.*, *& c. innotuit de eo, qui furt. ord. suscep.* solū loquantur de duobus ordinibus sacris, quod idem habetur *ex Concil. Trid. d. sess. 23. de reform. cap. 13.*, & licet *idem Concil. ibid. cap. 11.*, exigat à suscep- 19

Et etiā eadem die ordinationis minores cum subdiaconatu.

tione vltimi ordinis minoris ad susceptionem subdiaconatus lapsum anni, hoc respicit præcisè legem interstitiorum, à qua Episcopus ex causa potest dispensare, vt subdit *ibid. idem Concilium*. Alij media, quasi via procedunt asserentes, id posse

 fieri

fieri, vbi consuetudo ità obtinuit, non sic vbi ista non est recepta; atque ita fuisse declaratum à Sacra Congregatione testantur *Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. num. 41., Fornarius de ord. cap. 8. num. 3.* addita etiam ratione, quod Concilium Tridentinum non intelligitur auferre consuetudines nisi id expressè declaret. Hanc tertiam opinionem probabiliorem crederem retenta etiam secunda, tanquã probabili, nisi obstaret textus *in d. cap. 2. de eo, qui furt. ord. suscept.*

20 Secundò contingit dubitari, an recepto vno sacro ordine die Sabbati ordinationum, possit alter continuato ieiunio conferri, & recipi die Dominico immediatè sequenti. Negatiuè respondendum est, prout expressè definitur *in d. c. literas de temp. ordin.*, vbi etiam redditur ratio, quia scilicet, si non licet eadem die duos ordines sacros conferre, nec licet vnum conferre vno die, & alterum altero die sequenti continuato ieiunio, cum propter cõtinuationem ieiunij illi duo dies fictione iuris ad eundem diem pertinere dicantur. Quod, si dicatur, quod, quando conferuntur ordines minores die Veneris à prandio immediatè præcedente diẽ Sabbati ordinationum habeantur, ac si essent collati eadem die Sabbati, hoc magis confirmat nostrum assertum, quod scilicet illi duo dies fictione canonica computentur pro vno.

Recepto die ordinationis subdiaconatu, non potest continuato ieiunio die sequenti recipi Diaconatus.

Ex eo autem, quod hic dicatur, quod continuato ieiunio à die Sabbati ad diem sequentem Dominicæ vtraque dies computetur pro eadem die fictione iuris, seu canonica, oritur hic difficultas, àn Episcopus, & ordinandi, si ieiunium continuent ad diem Dominicæ, possit idem Episcopus nulla facta ordinatione ex aliqua causa superueniente in ipsa die Sabbati, eandem habere die Dominica sequenti. Ex eo, quod vtraque dies

21 computetur ratione continuationis ieiunij pro vna, & in tantum non possit vnus ordo sacer conferri die Sabbati, & alter die Dominica sequenti, in quantum haberentur, vt collati vna, & eadem die quod vetitum est, videtur absolutè dicendum, quod non facta ordinatione die Sabbati ob causam impedientẽ fieri possit die Dominica seruato eodem ieiunio, cum dies Dominica in hanc hypothesi computetur cum eadem Sabbati. In hac difficultate *Glosa in d. cap. literas in verbo vno die de temp. ordin.*, asserit in hoc textu prohiberi solum, ne eidem per Episcopum vno die vnus ordo sacer conferatur, idest die Sabbati, & alter die Dominicæ, non autem prohiberi, quin, si Episcopus incæperit ordinationem die Sabbati, & ipsa die v. g. omnibus ordinandis in Diaconos talem ordinem contulerit, & deindè superueniente causa, non potuerit ipsa eadem die ordinare alios in Sacerdotes, possit ipsos die sequẽti Dominicæ in Sacerdotes ordinare, cum continuatio de duobus faciat vnum *arg. textus in cap. placuit 16. quæst. 3.*, & ad hoc confirmandum adducit textum *in c. quod à partibus dist. 75.* Nonnulli explicant hunc textum procedere dumtaxat de ordinatione habenda in Sabbato ante diem Resurrectionis Christi Domini, in quo Sabbato antiquitus consueuit in Vesperis Missa celebrari, vt habetur *in cap. Sabbato de consecr. dist. 3.*, quod patet ex eo, quòd dicitur in Oratione *Deus, qui hanc sacratissimam noctem*, nam tunc, si continuato ieiunio differatur vsque ad sequens manè ordinatio, dicitur eodem die fieri. Sed retenta doctrina *Glosæ in d. cap. literas* admittendum censeo, quod etiam in alijs diebus Sabbati ordinationum continuato ieiunio possint in die sequenti Dominicę perfici ordinationes inceptæ. Sed difficultas in eo solum procedit, quod eadem Glosa supponit, quod ordinatio fuerit incæpta die Sabbati ordinationum, ita vt possit perfici die sequenti Dominicæ, quid verò erit dicendum, si non fuerit die Sabbati incæpta, sed dilata in totum ex superueniente causa in ipsum Dominicæ diem? Adhuc 22 in hac hypothesi sentio, posse die Dominicæ fieri integrè ordinantiones; si enim quoad vnum ordinem sacrum ratione talis continuationis potest fieri ordinatio in Sabbato, & quoad alterum in die Dominico, cur seruatis omnibus conditionibus, non poterit fieri integrè quoad omnes in die Dominico? Hæc procedunt sistendo in rigore iuris; cum tamen consuetudine non sint firmata, an in praxim possint reduci, vos videritis.

Nulla facta ordinatione die Sabbati potest fieri continuato ieiunio die sequenti.

Nõ consulendũ tamen non extante consuetudine.

Tertio contingit dubitari, an saltem interueniente aliqua graui, & rationabili causa possit Episcopus duos ordines sacros vna, & eadem die conferre? Mouet rationem dubitandi *Sixtus V. in sua Constitutione contra malè promotos edita anno 1588. nonis Ianuarij*, quæ incipit 23 *Sanctum, & salutare*, vbi postquam prohibuit, ne aliquis vno die, seu continuatis diebus ad plures ordines sacros, vel post vnum ordinem susceptum, antequam tempus à Concil. Trident. præfixum elabatur, ad alium ordinem promoueatur, addit *sine rationabili causa*, ergo existente rationabili causa poterit vno die, vel diebus continuatis quis promoueri ad plures sacros ordines. Sed his minimè obstantibus sentiendum est, neque

Episcopus etiã interueniente causa, non potest simul duos ordines sacros conferre.

que ex rationabili causa posse Episcopum ad plures ordines sacros quemquam vno die, vel continuatis diebus promouere obstantibus tot allegatis canonicis constitutionibus, & Concilio Trident; nec præsumendum est Sixtum V., qui ne dum confirmauit omnia antiqua iura, quin potius grauiores pænas contra sic promotos, & promouentes iniunxit, voluisse in hoc iura eadem antiqua relaxare. Quamobrem, vt respondeamus obiecto desumpto ex illis verbis *sine rationabili causa* aduertendum est Sixtum V. applicuisse illa verba non ad omnia præcedentia, sed solummodo ad illa, *vel post vnum ordinem susceptum, antequam tempus ab eodem Concilio Tridentino præfixum elabatur ad alium ordinem promoueatur*, ex quibus deducitur respexisse præcisè ad dispensationem circa tempora interstitiorum, non ad collationem duorum sacrorum ordinum vno, vel continuatis diebus.

24 *Suscipiens furtiuè duos ordines simul suspenditur irremissibilitèr*

Quartò contingit dubitari, an, si quis furtiuè contra voluntatem Episcopi duos sacros ordines eadem die recipiat præter suspensionem ab exercitio eorundem ordinum incurrat aliquam aliam pænam, & quamnam. *In cap. innotuit de eo, qui furtiuè ordines suscepit* habetur, quod, si Episcopus sub excommunicationis sententia inhibuerit, ne quis se ad duos ordines suscipiendos ingereret, & nihilominus Subdiaconatus, & Diaconatus ordinem quis clandestinè susceperit, de iuris rigore in susceptis ordinibus ministrare non debeat; ex quo textu eruitur, quod lata sententia excommunicationis sic ordinatus contrahat suspensionem non præcisè, sed eandem, vt non remissibilem ab eodē Episcopo, cum excōmunicatus Diuina præsumpserit tractare. Verū, tamen est, quod fauore Religionis, si sic ordinatus ad eandem transierit, & peracta pœnitentia per Episcopum Diœcesanum ibidem laudabilitèr fuerit commoratus, possit ab eodem Episcopo ex cōcessione Pontificis dispensari, vt postmodum susceptorum ordinum executione lætetur.

25 *Ex indulto Pontificis possunt ordines sacri tribus diebus festis recipi.*

Quamuis autem regularitèr loquendo nequeant ordines sacri conferri, nisi consuetis, & præscriptis ab Ecclesia temporibus, quæ sunt dies Sabbati omnium quatuor temporum, & Sabbati ante Dominicum Passionis, & Sabbati ante Dominicam Resurrectionis Christi Domini, non repugnat tamen, quin ex speciali Romani Pontificis concessione possint alijs diebus conferri, quinimmò in dies cernimus ab eodem emanare huiusmodi concessiones, vt tribus diebus festis possit quis ad tres ordines sacros promoueri, dummodò per diligentem examinatorem fuerit idoneus reputatus, & dummodò aliud impedimentum canonicum non resistat.

26 *Si priuilegiatus in primo examine non fuerit idoneus inuētus secundū aliquos priuilegium expirat.*

Circa huiusmodi concessiones dubium oritur primo, an si ille, qui impetrauit à Romano Pontifice huiusmodi indultū, fuerit examinatus, & non idoneus inuentus, immediatè expiret huiusmodi indultum, an vero solummodò suspendatur, donec processu temporis facto per nouum examen experimēto idoneus inueniatur. *Nicolaus Garzias de benef. part. 6. cap. 2. num. 255.* sentit, quod, si primo per examinatores non fuerit idoneus inuentus, concessio non possit eidem suffragari, sed protinus extinguatur deducto fundamento ex textu *in l. boues, §. hoc sermone, ff. de verb. signific.*, vbi habetur, quod dispositio relata ad actum intelligatur de primo actu. *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi c. 6. n. 2.* refert se vidisse practicari Florētiæ, quod, si qui impetrauit huiusmodi indultum, fuerit examinatus, non tamen approbatus absque eo, quod tamen examinatores deuenerint ad vota exclusiua, possit iterum processu temporis ad nouum examen admitti, in quo, si approbetur, concessio eidem suffragatur, secus verò, si datis votis per examinatores fuerit exclusus, ipse tamen Marchinus reiecta ista distinctione absolute asserit post primum examen, in quo non fuit idoneus inuentus, concessionem absolutè expirare, nec posse amplius eidem suffragari.

27 *Secundū alios expirat, si data fuerint vota, secus nō*

Ego minus rigorosè agens arbitrarer immediatè non expirare post primum examen, sed posse post aliquod temporis ad nouum experimentum admitti, in quo, si approbetur, possit ex vi illius concessionis ordinari, & hoc ex præsumpta Pontificis concedentis voluntate, qui per illam conditionem non est præsumendus aliud velle, nisi vt in ordinatione habeat ordinandus qualitates idoneitatis, quas licet non haberet pro statu primi experimenti, haberet tamen, antequam ordinaretur, quod est meta Pontificiæ intentionis, quæ voluit quidem derogare temporibus ordinationum, non conditionibus requisitis ex parte ordinandi, nec textus *in d. l. boues, §. hoc sermone de verb. signif.* aliquid euincit, quandoquidem, ibi est sermo de dote data fæminæ addita conditione restitutionis faciendæ danti, si ab eo viro, cui ipse dans dotem obtulit, diuertat, quod certè non est applicabile casui nostro, in quo Pontifex concessit indultum, vt quis possit ordinari tribus diebus festis supposita idonei-

28 *Probabilius, potest admitti ad nouū experimentū.*

tate

tate per examinatores approbata, non restricta facultate ad primum experimentum, sed ad idoneitatem cognitam per eosdem examinatores.

29 *Possunt stante tali indulto duo ordines cōferri duobus diebus festis, & alter die Sabbati ordinationum.* Secundo dubium est, an concessa per Romanum Pontificem facultate, vt quis tribus diebus festis succedentibus possit tribus ordinibus sacri initiari, si mediet inter eosdem dies festos Sabbatum solemnis ordinationis possit in eodem vnum sacrum ordinem recipere? Videtur prima fronte negandum, quia illa verba *tribus diebus festiuis* posita sunt tanquam forma concessionis, qua deficiente actus concessionis non subsistit. Nihilominus absolutè sentiendum est, licitè in tali die Sabbati solemnium ordinationū posse illum sacrū ordinem recipere, quia non præsumendum est, quod Pontifex illum, quam voluit honorare, voluerit communi iure priuare; vndè illa verba *tribus diebus festiuis* intelligenda sunt ampliatiuè ad communem regulam, non restrictiuè, & priuatiuè quoad ius commune.

Tertio dubium est, an in hypothesi præcedentis dubij, si dispensatus, vt tribus diebus festiuis possit tres sacros ordines recipere, vnum ex illis occurrente Sabbato solemnium ordinationum receperit, possit ex vi talis concessionis alium sequenti die Dominicæ recipere. Ex prædictis iuxta textum *in d. c. literas de temp. ord.* videtur dicendum non posse recipere, quia dies Sabbati præcedens, & dies Dominicæ immediatè subsequens fictione iuris, & canonica computantur pro vna die; licet autem Pontifex concesserit, vt tribus diebus festiuis quis possit tres ordines sacros recipere, non tamen intelligitur concessisse, vt vna, & eadem die possit duos ordines sacros recipere, cum hæc duo valdè diuersa sint. Nihilominus sentiendum existimo licitè posse recipere, & sic semper vidi in praxi obseruari. Ratio ex eo deducitur, quia, si occurrant duo festi immediatè sequentes, potest in quolibet eorum vnus ordo sacer recipi, ergo etiam poterit vnus in Sabbato solemnium ordinationum, tunc occurrente suscipi, & alter die Dominicæ immediatè sequenti; nec obstant ea, quæ dicebantur *ex d. cap. literas de temp. ord.*, scilicet diem Sabbati cum die Dominicæ immediatè sequenti computari fictione iuris pro vna, & eadem die. Non obstant, inquam, quia ea, quæ ibi dicebantur, procedebant, quando ieiunium continuabatur ad eum finem, vt dies Dominicæ computaretur pro die Sabbati, quod non militat in præsenti hypothesi, in qua supponimus perfici ordinationes die Sabbati ante prandium, & postea per prandium ieiunium solui, vndè eadem dies nec fictione iuris intelligitur continuari. Possent hæc clariùs elu- 30 *Recepto vno ordine sacro die Sabbati ordinationum non potest alter recipi die Dominico immedia sequenti*
di stante decreto Gelasij Papæ in Epistola ad omnes Episcopos, qua mandabat ordinationes circa vesperas Sabbati quatuor temporum haberi, ex quo plurimi testantur, quod antiquitus habebantur generales ordinationes tam serò in Sabbatis quatuor temporum, vt potius diei Dominicæ, quam Sabbato attribuerentur, & iuxta hanc acceptionem asserunt procedere textum *in d. c. literas de temp. ord.*, ex quibus potest inferri, quod tunc illud vespere Sabbati computaretur pro eadem die saltem Ecclesiastica cum Dominica, quod secus euenit præsentibus temporibus, in quibus ordinationes habentur ante prandium Sabbati. Hæc certè doctrina magis euacuat obiectum, sed non videtur congruere cum supradictis.

Quartò dubium est, quinam dies pro festis habeantur, vt in eisdem habentes diploma Pontificium possint ad sacros ordines promoueri, *Rodriquez tom. 2. de Regul. qu. 23. art. 5., Stephanus Fegundez de quinque præceptis lib. 1. cap. 2. num. 12.* intelligunt pro diebus festis illos, qui habent officium duplex, quamuis non sit feriatum ab operibus seruilibus; atque quoad hunc effectum asserunt, ita fuisse decisum in quadam Congregatione PP. Societatis Iesu, atque sic practicatum à nonnullis Episcopis doctissimis. Dies verò feriatos ab operibus seruilibus ex præscripto Ecclesię requirit ad hunc effectum *Azorius instit. mor. lib. 1. cap. 27. quæst. 19. part. 2.* atque iuxta hunc sensum cōmuniter accipiuntur dies festi, & regularitèr nonnisi his diebus consueuerunt huiusmodi ordines conferri. 31 *Quinam dies habeātur pro festis ad hunc effectum.*

ARTICVLVS VIII.

An Regulares per extra tempora possint ex priuilegio sacris ordinibus initiari.

SVMMARIVM.

Recensentur priuilegia concessa Regularibus. 1.

An fuerint reuocata per Tridentinum remissiuè. 2.

Post Tridentinum fuerunt de nouo concessa à Clem. VIII. 3.

Priuilegia Societatis Iesu fuerunt Congregationi nostræ concessa, non per modum communicationis, sed per modum concessionis absolutæ. 4.

Clericis

Nostra Congregatio gaudet priuilegijs Teatinorum sine exceptione. Ibid.

Hoc priuilegium quoad nostros in praxi seruatur. 5.

1 *Recensentur priuilegia concessa Regularibus.* RAtio dubitandi in eo potissimum consistit, quod, si quæ priuilegia in hoc genere fuerunt concessa Regularibus, vt ab Alexandro VI. Monacis Sancti Hieronymi, & ab Eugenio IV. Monacis D. Benedicti, intelliguntur reuocata per Concilium Tridentinum, &, si post idem Concilium Tridentinum hoc priuilegium fuerit de nouo concessum à Gregorio XIII. in Bulla habita Tusculi 21. Septembris 1582., ita tamen fuit concessum, vt prohibuerit communicari alijs ordinibus, quantumuis participantibus priuilegia concessa Societati Iesu, ex quibus videtur dicendum, hoc priuilegium modo non competere alijs Regularibus ab illis Societatis Iesu.

2 *An fuerint reuocata per Trident. remissiuè.* Quicquid tamen sit, an priora priuilegia fuerint per Concilium Tridentinum reuocata, cum *Rodriquez tom. 1. qq. Reg. quæst. 55. art. 17., & tom. 3. quæst. 13. art. 5.*, doceat expresse non esse reuocata.

Sentiendum est, speciatim Congregationem nostram Clericorum Regulariũ S. Pauli Barnabitarum hoc priuilegio gaudere, quod multis rationibus probo, primo, quia dato etiam, quod per Concilium Tridentinum fuerint huiusmodi priuilegia reuocata, post dictum Concilium Tridentinum fuerunt de nouo

3 *Fuerunt de nouo concessa à Clem. VIII.* concessa à *Clemente VIII.* 23. Nouembris 1596. Congregationi S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia, prout testatur *Portellus de dubijs Reg. verb. Ordines sacri num. 4.* afferens, ita practicari, quod idem firmat *Diana resol. mor. part. 2. tract. 2. de dub. Reg. resol. 31., & resol. 112.*, & ex vi huius concessionis non solum Congregatio nostra, sed quotquot participant priuilegia eiusdem Congregationis Sancti Ioannis Euangelistæ, possunt tali priuilegio

4 *Priuilegia Societatis Iesu nobis plenè concessa.* gaudere. Secundo specialitèr pro nostra Congregatione hoc idem euincitur, quia post Gregorium XIII. per alios Pontifices successores fuerunt priuilegia eiusdem Societatis Congregationi nostræ communicata, absque vlla penitus restrictione ergo in hoc etiam priuilegio communicat.

Clericis Regularibus Teatinis fuerunt concessa omnia priuilegia Societatis Iesu talitèr, ac si eisdem concessa nouitèr essent, & primo.

Quibus stantibus in dies cernimus à doctissimis, & grauissimis Episcopis nostros extra tempora tribus diebus festiuis immediatè subsequentibus sacris ordinibus iniciari; quinimmò, cum aliqui de communicatione talis priuilegij dubitarent, certiores tamen facti per exhibitionem diplomatum de huiusmodi priuilegio nobis communicato cognoscentes se trepidasse timore, vbi non erat timor, plena libertate huiusmodi ordines contulerunt, & perseuerarunt in successiuis collationibus, donec viuerent. 5 *Quoad nostros hoc priuilegiũ viget in praxi.*

ARTICVLVS IX.

De interstitijs, & potestate super eis dispensandi.

SVMMARIVM.

Quid sint interstitia. 1.

Articuli circa eadem examinandi. 2.

Non licet sine causa dispensare super interstitijs. 3.

Causa dispensationis assignata à Concilio Tridentino. 4.

In promouendo ab vltimo ordine minore ad subdiaconatum requiritur vrgens causa, vel vtilitatis, vel necessitatis. 5.

In promouendo ad Diaconatum sufficit minor necessitas, vel vtilitas. 6.

In promouendo ad Sacerdotium requiritur simul necessitas, & vtilitas. 7.

Assignantur alia causa dispensationis. 8.

Demptis priuilegijs Regulares subiacent legibus interstitiorum. 9.

Dispensatio quoad Regulares pertinet ad Episcopum ordinantem. 10.

Ratio Marchini reijcitur. 11.

Quoad Clericos sæculares probabilius est, quod dispensatio pertineat potius ad Episcopum ordinantem, quam ad Episcopum remittentem. 12.

Nec Vicarius Generalis, nec Capitularis dispensat super interstitijs. 13.

Quamuis tam ordinatus, quam ordinans non seruatis interstitijs sine dispensatione grauiter peccent, non incurrunt tamen pœnam. 14.

Tempus interstitiorum non est astrologicè, sed Ecclesiasticè metiendum, & quomodò. 15.

Episcopus ordinans familiarem suum triennalem dispensat cum eodem super interstitijs. 16.

Facultas dispensandi est accessoria ad potestatem ordinandi. 17.

NOmine interstitiorum veniunt tempora, quæ interiacere debent inter susceptionem vnius, & alterius ordinis, quæ tempora à susceptione vltimi ordinis minoris ad subdiaconatum, à subdia- 1 *Quid sint interstitia*

subdiaconatu ad Diaconatum, à Diaconatu ad Presbiteratum important integros annos, hoc est vnum relatiuè ad vnum ordinem, alterum relatiuè ad alterum, & sic successiuè, vt definit *Trident. sess. 23. cap. 11. de reform., & cap. 13., & cap. 14.* Hæc tempora, quamuis regularitèr sint seruanda, non tamen ita strictè obligant, vt non possint dispensari.

2 *Articuli circa eadem examinandi.* Quamobrem circa hanc potestatem dispensandi, & dispensationem ipsam plura veniunt sub hoc titulo examinanda; & primò, an requiratur aliqua causa dispensationis, & quænam. Secundò, an Regulares adstringantur legibus interstitiorum, & vbi adstringantur, à quonam habenda sit dispensatio, an à Prælato suo Regulari, an ab Episcopo ordinante. Tertiò, an si Clericus sæcularis cum dimmissorijs sui Episcopi trásmittatur ad alienum, vt ordinetur, pertineat ad proprium Episcopum dispensationem concedere super eisdem interstitijs, an verò ad Episcopum alienum ordinantem. Quartò, an soli Episcopo competat facultas dispensandi subditos super interstitijs, an verò etiam eius Vicario Generali, & an etiam Vicario Capitulari sede vacante, & an Abbatibus mitratis in ordine ad suos subditos. Quintò, an sit culpa grauis inobseruantia interstitiorum non intercedente dispensatione super illis, & an afficiatur aliqua pæna. Sextò, an tempus interstitiorum sit astrologicè, an Ecclesiasticè metiendum. Septimò, an Episcopus possit familiarem suum triennalem, cæteroqui non subditum super his dispensare.

3 *Non licet sine causa dispensare super interstitijs.* Assertio I. Non licet sine causa rationabili dispensare super huiusmodi interstitijs. In hoc communiter consentiunt, & inanitèr esset constituta interstitiorum lex, si nulla interueniente causa esset remissibilis; vndè Concil. Trident. loc. cit. non quomodocumque hanc facultatem committit Episcopo, sed eius iuditio, quod debet esse regulatum ex causa legitima; quinimmò ibidem restrictiuè assignat causas aliquas dispensationis, per particulam, *nisi*, nempè vtilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ. Ibi. *Hi verò nonnisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.*

4 *Causa dispensationis assignata à Côcil. Trid.* Ex his habes duas causas, ob quas potest fieri dispensatio super huiusmodi interstitijs. Sed, an vtraque hæc causa copulatiuè requiratur, & eodem modo ad dispensandum super interstitijs, quando quis ab vltimo ordine minore promouendus est ad subdiaconatum, ac quando ab ordine subdiaconatus ad Diaconatum, ac quando ab isto ad Presbiteratum est promouendus? Difficultatem mouet *Concil. Trid.*, quod *sess. 23. c. 11.* loquens de promouendo ad subdiaconatum ponit disiunctiuè vtilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ, sed hoc remittit iudicio Episcopi, loquens verò de promouendo à subdiaconatu ad Diaconatum *cap. 13. eiusd. sess.* nulla facta mentione vtilitatis, vel necessitatis Ecclesiæ dispensationem soli Episcopi arbitrio remittit; loquens tandem de promouendo à Diaconatu ad Presbiteratum *c. 14. eiusdem sess.* requirit vtramque causam per particulam copulatiuam. Quamobrem non renuerem asserere, quod in promotione ab vltimo ordine minore ad subdiaconatum sufficiat vna, vel altera causa disiunctiuè, quia tamen Concilium non merum arbitrium requirit, sed iudicium Episcopi videtur exigi maior causa vtilitatis, aut necessitatis; in promotione verò à subdiaconatu ad Diaconatum, licet nulla in eodem Concilio fiat mentio vtilitatis, vel necessitatis, vna tamen, vel altera requiritur, vel aliqua alia causa ex infrà enumerandis, non tamen ita grauis, vt in promotione ab ordine vltimo minore ad subdiaconatum, quod ex eo potest deduci, quod remittatur arbitrio; in promotione tandem ad Presbiteratum, vtraque causa requiritur, cum id præscribatur per particulam copulatiuam *ac*. Si autem requiratur ratio huius diuersitatis, dicam eam esse, quod ab ordinibus minoribus fit transitus ad ordinem, qui constituit in ordine Ecclesiastico indissolubilitèr, adeoque requiratur stricta probatio, & etiam maior causa dispensationis; ab ordine deindè Diaconatus ad Presbiteratum fit transitus ad ordinem omnibus præcellentiorem, adeoque exigentem maiorem probationem in taliter promouendo, & propterea exigit causam potiorem dispensationis, & maturius iudicium in dispensante, quod, secus se habet in promouendo à subdiaconatu ad Diaconatum, cum non fiat transitus à statu non obligatorio ad obligatorium, cum iam promouendus sit obligatus, & licet fiat transitus ad statum magis perfectum, hic tamen talis non est, vt mutat notabilitèr statum, adeoque &c.

5 *In promouēdo ab vltimo ordine minore ad subdiaconatū requiratur maior necessitas, vel vtilitas.*

6 *In promouēdo ad Diaconatū requiritur minor causa.*

7 *In promouēdo ad Sacerdotium requiritur simul necessitas, & vtilitas.*

8 *Assignatur aliæ causæ dispensationis.* Quamuis autem Concilium Tridentinum numeret præcisè illas duas causas vtilitatis, & necessitatis, non excluduntur, tamen aliæ causæ sufficientes pro tali dispensatione, quarum altera est nimis prouecta ætas ordinandi iuncta

cum

cum eius integritate; inter alias etenim causas, ob quas emanauit lex interstitiorum ea est, quam statuit *Trident. d. sess. 23. cap. 11.*, vt scilicet in promouendis cum ætate vitæ meritum, & maior doctrina accrescat, & *cap. 12. eadem sess.* subdit, dignos dumtaxat ad hos ordines debere assumi, quorum probata vita senectus sit; si igitur ætas prouecta cum integritate vitæ concurrat, non erit, cur non attenta lege interstitiorum non possint promoueri. Altera est fauor studij in aliqua vniuersitate, ob quem iura concedunt plura priuilegia, vt patet ex *c. fin. de Magistris, & c. cum eo de elect. in 6.* Altera est arctatio ad recipiendos ordines sacros ratione beneficij recepti, vel recipiendi, prout colligitur *ex eod. Trid. sess. 7. de reform. cap.* 10.

9 *Regulares subiacent legibus interstitiorum.* Assertio II. Vbi priuilegium Regularium, vt possint ordinari extra tempora per tres dies festiuos immediatè succedentes non subsisteret, vel vbi tale priuilegium non esset alicui ordini communicatum, Regulares subiacerent legibus interstitiorum, & dispensatio super eisdem non dependeret à Prælatis Regularibus, sed ab Episcopo ordinante. Dixi *vbi priuilegium non subsisteret, vel vbi non esset cõmunicatũ alicui ordini*, nam data subsistentia priuilegij, vel communicatione eiusdem Religionibus, sicuti ex priuilegio Regulares talium ordinum possent sacris ordinibus initiari tribus diebus festiuis sibi immediatè succedentibus, ita ex consequenti possent ordinari non seruatis temporibus consuetis, seu legibus interstitiorum. Prima pars est communis. Secunda pars est *Vgolini de potest. Episcopi part. 2. cap. 26. §. 27. num. 3.*, *Genuensis cap. 83. num. 1.*, *Rodriquez tom. 3. de Regul. quæst. 27. art. 3.*, *Augustini Barbosæ de potest., & offic. Episc. allegat. 18. num. 10.*, *Bonacina de Sacrament. disp. 8. quæst. vnica punct. 3. num. 34.*

Prima pars ex eo euincitur, quia lex interstitiorum est generalis, non limitata ad Clericos laicos, ergo, vbi non est derogatio legis per priuilegium subsistens, vel communicatum, eadem lex obligat omnes, quantumuis Regulares, quod etiam

10 *Dispensatio quoad Regulares pertinet ad Episcopum ordinantẽ.* videtur innuisse Sixtus V. in sua constit. edita anno 1588. nonis Ianuarij Incip. Sanctum, & salutare. Ibi *quemcumque sæcularem, vel cuiusuis ordinis, aut militiæ regularem*.

Secunda pars definita remanet à Sacra Congregatione Concilij, quæ *die 7. Septembris 1593.* censuit superiores Regulares non posse dispensare super interstitijs Regularium ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensationis iudicium suum formare debet ex attestatione superiorum Regularium, vt testatur *Ioannes Baptista Confalctius in collatione priuilegiorum sui ordinis*; & hoc magis videtur firmari *ex Concil. Trident. locis supra allegatis*, vbi hanc facultatem dispensandi arbitrio, & iuditio Episcopi committit, non alijs.

Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 7. c. 2. num. 3. probat hanc secundam partem ex eo, quod hæc facultas dispensandi sit annexa collationi ordinis, sed collatio ordinum ad Episcopum spectat, & non ad Prælatum Regularem, ergò, & facultas dispensandi. Sed hæc probatio non videtur congruere cum ijs, quæ ibidem docet *idem Marchinus num. 5.*, quod scilicet, si Episcopus Diœcesanus alio trasmittat suum subditum cum dimmissorijs ab alio Episcopo ordinandum; nõ ad Episcopum ordinantem pertineat cum ordinando dispensare super interstitijs, sed ad Episcopum, qui subditum transmittit cum dimmissorijs; si etenim potestas dispensandi est annexa collationi ordinis, ergo ad eum spectat dispensare, qui confert ordinem, ergo sicuti, quia Prælatus Regularis non confert ordinem non potest dispensare, ità quia Episcopus Diœcesanus non confert ordinem, non potest dispensare. Quod, si Marchinus diceret, quod Episcopus Diœcesanus, licet non conferat ordinem, habet tamen potestatem conferendi, quam non habet Prælatus Regularis, adeoq; ipse possit dispensare, non Prælatus Regularis, statim impugnaretur, quia iam non esset alligata potestas dispensandi collationi ordinum, sed potestati illos conferendi non quomodocunque, sed cum iurisdictione, quod non dixit idem Marchinus. Secundò, quia ipse Marchinus *ibid. num. 6.* aperto ore fatetur Vicarium Generalem Episcopi posse dispensare super interstitijs, quod etiam extendit ad Capitulum sede vacante, & tamen nec Vicarius Generalis, nec Capitulum, seu eius Vicarius Capitularis habet potestatem ordinis, seu ordinandi. Quamobrem, vel Marchinus tenetur asserere, quando Episcopus ad alium Episcopum suum subditum transmittit cum dimmissorijs pro ordinatione, debere exigere dispensationem pro eodem subdito ab Episcopo ordinante, si potestas dispensandi est annexa collationi ordinum, vt ipse asserit *num. 2.*, vel probationem ab ipso adductam pro statuendo Prælatum Regularem non posse cum suo

11 *Ratio per Marchinum adducta reijcitur.*

H sub-

subdito dispensare, sed dispensationem ipsam pertinere ad Episcopum ordinantem, nullius roboris esse.

12 Assertio III. Probabile valdè est etiam quoad ordinandos Clericos sęculares dispensationem pertinere ad Episcopum ordinantem potius, quam ad Episcopum remittentem suum subditum cum dimmissorijs ad eundem ordinantem. Est directè contrà *Marchinum loc. cit. num. 5., Sorbum in compend. priuileg. mendicantium verb. ordines sacri.*

Quoad sæculares etiã pertinet ad Episcopum ordinantem.

Rationem ex eo deduco, quod asserebat Marchinus, facultatem scilicet dispẽsandi annexam esse ordinum collationi; Nec valet ratio, quam deducit *ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 16. de refo mat. Marchinus loc. cit.*, nempè nullum deberi ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, aut suæ Ecclesiæ necessarius; suus autem Episcopus non est ille, qui ordinat, sed ille, qui remittit pro ordinatione ad Episcopum ordinantem cum dimmissorijs; Non valet, inquam, quia aliud est, quod non sit ordinandus quis sine iudicio proprij Episcopi de eius vtilitate, aut necessitate Ecclesiæ, cum ad ipsum vel pertineat ordinare, vel ad alium remittere pro ordinatione, cum suis dimmissorijs; aliud est, quod supposita vtilitate, seu necessitate attestata per eundem proprium Episcopum cum facultate per dimmissorias concessa alteri Episcopo non possit super interstitijs dispensari; nam etiam Episcopus sine dimmissorijs Prælatorum Regularium non potest eorum subditos ordinare, & tamen suppositis eorum dimmissorijs potest eorum subditos super interstitijs dispensare; Nec item obstat, quod subditur per eundem *Marchinum loc. cit.*, quod scilicet solum proprius Episcopus possit cognoscere vtilitatem, seu necessitatem propriæ Ecclesiæ, quæ sunt causæ præcipuè dispensationis. Non, inquam, obstat, quia etiam solum Prælatus Regularis potest cognoscere vtilitatem, & necessitatem suæ Ecclesiæ, & tamen non ipse, sed Episcopus ordinans dispensat super interstitijs, sicuti igitur quoad Regulares Episcopus ordinans stare debet in hoc attestationi, & fidei Prælatorum, ita, & Episcopus ordinans alienos stare debet attestationi Episcopi proprij ipsorum.

Rationes pro asserto.

13 Hinc cessant duo dubia in principio tituli proposita, an Vicarius Generalis Episcoporum, & Capitularis sede vacante possint super interstitijs dispensare; nam, sicuti Episcopus proprius, quando subditum ad alium Episcopum transmittit, non dispensat super eisdem, ita nec eius Vicarius Generalis, nec Capitularis, quando ad Episcopum alienum pro ordinatione suum subditum transmittunt, quod idem dicendum est de Abbatibus mitratis.

Nec Vicarius Generalis, nec Capitularis dispensat.

Assertio IV. Quamuis grauitèr peccent tam ordinatus, quam ordinans, si ille ordinet, hic ordinetur non expectatis temporum interstitijs, nec posita dispensatione ex iusta causa, nullam tamen pænam vterque incurrit. Consentiunt *Nauarrus cons. 4., & 6. de temp. ord. Iulius Cæsar Maddius de sacr. ordin. cap. 9. num. 11. Suarez de Censuris disp. 31. sect. 1. num. 43., & alij magis communiter.*

Quod grauiter vterque peccet euincitur contra *Henriquez lib. 6. cap. 10. nu. 3.* 14
ex eo, quod vterque est transgressor sacrorum canonum in materia graui, cuiusmodi est illa ordinum; & frustra insudassent tot Concilia, & Summi Pontifices vnanimes in prohibenda grauibus verbis hac extemporanea ordinatione, si leuibus de causis, & tantum sub leui posset transgredi.

Ordinãs & ordinatus non seruatis interstitijs grauitèr peccant.

Quod verò nullam vterque contrahat pænam ex eo deducitur, quod nulla in iure expressè reperitur imposita; quod autem ius maximè in materia pænarum non imponit, nec nos imponere debemus, atque ita præter præcitatos DD. sentiunt *Piasecius in praxi Episcop. tit. de conferen. ordin. num 50., Zerola in praxi part. 2. verb. ordo num. 8., Filliutius tom. 1. tract. 20. cap. 7. num. 190., Riccius in collect. decis. part. 3. collect. 596.* Neque ex eo, quod nulla imponatur pæna, arguendum est, quod nulla, vel saltem non grauis culpa in eius transgressione committatur; quandoquidem plura sub graui vetantur, quæ tamen alicui pænæ non subduntur, nisi æternæ, nisi remittantur.

Non tamen subeunt aliquã pænam.

Assertio V. Tempus interstitiorum non est astrologicè, sed Ecclesiasticè metiendum, adeo vt, si quis ad subdiaconatus ordinem quatuor temporibus Quadragesimæ, quæ nonnisi circa medietatem Martij contigerunt, fuerit promotus, possit anno sequenti eisdem quatuor temporibus Quadragesimæ ad Diaconatum promoueri, quantumuis quatuor tempora anni sequentis contigerint mense Februarij. Consentiunt in hoc *Quaranta verb. ordo in fin. Vgolinus de offic., & potest. Episc. cap. 26. §. 27. n. 6., Sorbus in compend. priuileg. mendic. verb. ordines sacri, §. circa idem, Campanil. in diuers. iur. can. rub. 6. cap. 3. num. 12., Fornarius de ord. c. 3. num. 6.*, qui refert, ita Sacram Congregationem determinasse. 15

Interstitia non sunt astrologicè metienda.

Ratio ex eo deducitur, quia Ecclesia sacra

sacra quatuor tempora designauit, in quibus constituit fieri sacras ordinationes, ergo, dum constituit inter susceptionem vnius ordinis sacri, & susceptionem alterius, debere interstare annum, debet intelligi de anno incipiendo à Sabbato vnius ex eisdem quatuor temporibus ad alium Sabbatum correspõdentem eidem præcedentis anni v.g. à Sabbato quatuor temporum Quadragesimæ ad Sabbatum eorundem quatuor temporum sequentis Quadragesimæ; cæteròqui contingeret, quod quandoque, non per annum tantum curreret lex interstitiorum, sed per annum, & circa tres menses; nam demus v.g., quod quatuor tempora Pentecostes vnius anni contingerent circa medium Maij, & eadem quatuor tempora sequentis Pentecostes contingerent die 8. eiusdem mensis Maij certè in hac hypothesi, si annus metiendus esset astrologicè, non posset; qui ordinatus est subdiaconatus sacris temporibus præcedentis Pentecostes, ordinari Diaconus, nisi post tres, vel quatuor menses à temporibus sequentis Pentecostes, nempè temporibus sacris Septembris. Confirmari potest paritate præcepti Paschalis, & annualis communionis; quæ computanda est à Paschate ad Pascha quamuis inter vnum Pascha, & aliud non mediet annus Astrologicus, sed tantum Ecclesiasticus ergo &c.

Explicatur quomodo sint sumenda.

Assertio VI. Potest Episcopus familiarem suum triennalem, quem ordinat collato postea eidem beneficio dispensare super interstitijs. In hanc *consentiunt Ioannes della Croce in directione conscientiæ part. 2. de Sacramento Ordinis dub. 4., Diana resol. moral. part. 2. tract. 4. resol. 190., Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 15. in fine.*

16 Stantibus nostris principijs tribuentibus facultatem dispensandi super interstitijs Episcopo ordinanti hæc nostra assertio vix pati potest difficultatem, siquidem, si quando Episcopus proprius transmittit suum subditum cum dimmissorijs ad alienum Episcopum ordinandum, qui ordinat, dispensat super interstitijs, vtique, & Episcopus ordinans familiarem suũ triennalem debet ipsum super interstitijs dispensare, quamuis non sit ipsius subditus, quia ipse est, qui ordinat.

Episcopus ordinans suum familiaré triennalem cum ipso dispensat.

Sed pręscindendo etiam à nostris principijs euincitur etiam ex eo, quod promouendus ratione beneficij collati constituitur subditus Episcopo, cuius dicitur familiaris, ergo concurrente in eodem Episcopo, & potestate ordinis, & iurisdictionis poterit per ipsum fieri cum eodem dispensatio super interstitijs. Rursus maior requiritur subiectio in ordinando ab Episcopo ordinante quoad ipsã substantiam ordinationis, ac requiratur quoad dispensationem super interstitijs, siquidem potestas dispensandi consequitur ad potestatem ordinandi, ergo, si Episcopus potest familiarem suum triennalem ordinare independentèr a concessione Episcopi cuius ordinandus est subditus, poterit etiam eundem dispensare super interstitijs independentèr ab eodem.

Dices primò *ex Marchino d. tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 7. cap. 4.* potestatem ordinandi, & dispensandi super interstitijs esse diuersas; à diuersis autem non fieri illationem *arg. textus in l. Papinianus, ff. de minoribus, & cap. ad audientium de decimis* accedente potissimum ratione, quod potestas ordinandi familiarem triennalem est exorbitans a iure communi, nouumque priuilegium à Trident. inductum, quod propterea non est extendendum *argum. textus in cap. quæ à iure de reg. iur. in 6.* Sed cõtra, quia licet potestates huiusmodi sint diuersę vna tamen est accessoria ad alteram, & sine altera non potest subsistere, & quamuis principalis possit esse sine accessoria, non est tamen præsumendum, quod Tridentinum, quod contulit potestatem ad principalem, non contulerit simul potestatem ad accessorium, potissimum, cum Concilium requirat beneficij collationem, vt ordinatus ab Episcopo non suo ratione beneficij efficiatur de eius foro, sitque ei subditus *Rota Romana vol. 1. diuers. decis. 371. num. 15.*, quæ colligitur ex *Gemin., & Franc. in cap. cum nullus de tempor. ord. in 6.*, vndè quodamodo ipsę Episcopus constituitur ordinarius ipsius; & ordinarius non solum habet potestatem ordinandi, sed etiam dispensandi super interstitijs. Quamobrem ad id, quod subditur, dicendum est, non exorbitare à iure, quod Episcopus sibi subditum ratione beneficij eidem collati possit ordinare, & per consequens non fit extentio exorbitantis à iure. 17

Facultas dispésandi est accessoria ad potestatem ordinandi.

Dices secundò, ad dispensandum super interstitijs requiri vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, quam nequit dignoscere Episcopus in cuius triennali famulatu ordinandus vixit. Sed contra primo, quia Episcopus potest cognoscere vtilitatem, vel necessitatem beneficij, cui triennalem familiarem præfecit. Secundo, quia non solum pro tali dispensatione vtilitas, vel necessitas Ecclesiæ est attendenda, sed etiam aliæ causæ prouectæ ætatis, permanentiæ in vniuer-

ftate in ftudijs, & exercendi munera beneficij obtenti &c.

ARTICVLVS X.

De conditionibus requisitis in ordinante ratione loci.

SVMMARIVM.

Explicatur, in quo sensu procedat titulus. 1.
Refertur dispositio Concilij Tridentini requirentis vel Cathedralem, vel digniorem Ecclesiam. 2.
Procedit solummodò quoad collationem maiorum ordinum. 3.
Minores ordines possunt conferri in quocumque loco honesto. 4.
Intelligitur dispositio Conciliaris de solis solemnibus, & publicis ordinationibus. 5.
Priuatæ ordinationes possunt fieri extra Cathedralem, vel digniorem Ecclesiam in quacunque Ecclesia. 6.
Dispositio Concilij est potius consultiua, quam coactiua. 7.
Potest Episcopus concedere alteri Episcopo facultatem ordinandi in propria Diœcesi. 8.
Vicarius Generalis non potest, nisi cum expressa, vel tacita facultate Episcopi. 9.
Vicarius Capitularis potest etiam in ordine ad suos subditos intra annum sedis vacantis ex declaratione Sacræ Congregationis. 10.
Episcopus alienus conuocatus in alterius Diœcesi ad ordinandos subditos illius Diœcesis, potest etiam ibi ordinare suos. 11.
Non tamen extraneos accedentes cum dimissorijs suorum Episcoporum. 12.
Nec eisdem potest conferre primam tonsuram. 13

1 *Explicatur, in quo sensu procedat titulus.* Locus, in quo fieri possunt sacræ ordinationes, vel esse potest intra fines iurisdictionis Episcopi ordinantis ex iure proprio, vel extra fines eiusdem ex commissione, & facultate alterius, in cuius finibus est locus, in quo fieri debent ordinationes. Rursus, si locus sit intra fines Episcopi ordinantis, quæri potest qualis debeat esse talis locus, &, an idem requiratur pro omnibus ordinibus, &, an possit esse diuersus pro diuersis; si verò locus sit extra fines propriæ Diœcesis ex concessione alterius, plura quæri possunt, & primo, cuius sit concedere Episcopo alieno facultatem in eo ordinandi, an solius Episcopi loci, an verò etiam Vicarij Generalis, an etiam Vicarij Capitularis sede vacante. Secundò, an habita tali facultate possit solummodò in eo ordinare subditos illius loci, seu Diœcesis, an vero etiam proprios, an etiam quoscunque alienos. Tertiò, an quamuis non posset alienos in illo loco ordinare, possit tamen ipsos prima tonsura initiare. Quartò, an, si Episcopus, vel in sua, vel in aliena Diœcesi conferret primam tonsuram alieno sine proprij Episcopi facultate, contrahat suspensionem, vel aliquam aliam pœnam.

Loquendo de loco Diœcesis, in quo proprius Episcopus potest, & debet ordines conferre *Concilium Trident. sess. 23. cap. 8. de reformat.* loquitur in hæc verba, *ordinationes sacrorum ordinum statutis à iure temporibus ac in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis publicè celebrentur, si autem in alio Diœcesis loco præsente Clero loci, dignior quantum fieri poterit Ecclesia, semper adeatur.* 2 *Dispositio Concil. Trid*

Circa hanc conciliarem dispositionem plura contingunt in præsenti dubitari; & primo, an talis dispositio procedat dumtaxat quoad collationem sacrorum ordinum, an verò etiam quoad collationem minorum, & primæ tonsuræ? Sentiendum existimo, procedere dumtaxat quoad collationem ordinum maiorum. Ita *Siluester verb. ordo 2. quæst. 8. Maiolus lib. 3. cap. 23. num. 5. de irregularitate, Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 7. cap. 6. num. 18.* & expressè ex eodem *Trident. loc. cit.* Ibi *ordinationes sacrorum ordinum*, quæ verba sunt accipienda secundum communem sensum, secundum quem nomine sacrorum ordinum veniunt dumtaxat maiores, qui magis propriè dicuntur tales, quia proximius accedunt ad Sacramentũ Eucharistiæ conficiendum, ad quod omnes ordines, tanquam ad vltimatum finem ordinantur, & licet alij minores ordines dici etiam possint sacri, tum ratione cæremoniæ sacræ, qua conferuntur, tum ratione formæ, qua fiunt, tum ratione finis, ad quem diriguntur, nihilominus, quia proximè non accedunt ad Eucharistiam, nec inducunt aliquam obligationem seruandi castitatem, nec onus recitandi diuinum Officium, non dicuntur in toto rigore sacri, vndè secundum communem acceptionem nomine sacrorum ordinum veniunt dumtaxat maiores, & sic sumendo in rigore verba Concilij, eorum dispositio solum referenda est ad maiores. Quamobrem dicendum est minores ordines posse conferri in quolibet honesto loco, non præcisè in Ca-

3 *Procedit solũ quoad collationem maiorum ordinum.*

4 *Minores ordines possunt conferri in loco honesto.*

Cathedrali, vel alia digniori Ecclesia.

5 Secundò contingit dubitari, an Conciliaris dispositio intelligenda sit solummodò de solemnibus, & generalibus ordinationibus, an verò etiam de priuatis, quæ fiunt pro paucis personis, non vniuersaliter pro omnibus in Sabbatis quatuor temporum, vel festiuis diebus pro aliquibus ex indulto Pontificio, vel ex priuilegio respectu Regularium. Sentiendum est intelligi dumtaxat de solemnibus, & generalibus ordinationibus. Colligitur ex verbis eiusdem Concilij, in quibus, cum asserat *statutis à iure temporibus*, vtique refert ad ordinationes pro tempore, quo solemniter, & generaliter fieri solent; cum dicatur *vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis*, vtique indicat solemnitatem, quæ in communibus functionibus requiritur; cum tandem dicatur *publicè* denotat non priuatas, sed publicas, & solemnes ordinationes. Quamobrem sentiendum est, quod priuatæ ordinationes, quæ fiunt extra sacra tempora diebus festiuis vel ex indulto Pontificis, vel ex Regularium priuilegio, vel etiam in sacris temporibus pro certis, & paucis personis, quæ non constituunt solemnem ordinationē,

Concilium loquitur solum de solemnibus ordinationibus.

6 fieri possunt extra Cathedralem in Ciuitate, & extra digniorem Ecclesiam in Diœcesi, sed in alia quacunque beneuisa Episcopo, & fortè etiam in proprio sacello; & ratio est, quia exceptis solemnibus, & publicis ordinationibus nulla in iure reperitur facta restrictio quoad determinatas Ecclesias, ergo in omnibus suæ iurisdictioni subiectis poterit licitè ordinare. Sed, an possit in Ecclesijs Regularium ipsis non consentientibus ordinare? Negat absolutè *Diana part. 3. tract. 2. resol. 109. Pairinus in priuil. minor. tom. 1. Constit. 26. Leonis X. §. 24. num. 47.*, quia ordinatio est actus iurisdictionis, quem nequit Episcopus in Ecclesijs exemptis exercere.

Priuatæ ordinationes possunt fieri, in quacunque Ecclesia.

Tertiò dubitari contingit, an dispositio Concilij Trident. de ordinationibus solemnibus in Cathedrali, vel in digniori Ecclesia faciendis sit coactiua, & necessitate præcepti, an tantum consultiua, & ex necessitate congruentiæ. Ex eo, quod continuato sermone Concilium dicat, *statutis à iure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia publicè celebrentur, & si in alio Diœcesis loco, dignior, quantum fieri potest, Ecclesia semper adeatur*, videtur eodem iure præcipi fieri ordinationes solemnes in Cathedrali, & digniori Ecclesia, ac celebrari statutis à iure temporibus; cum igitur celebrari sacras, & solemnes ordinationes statutis à iure temporibus sit ex necessitate præcepti, ità celebrari in Cathedrali, vel in digniori Ecclesia videtur esse ex eadem necessitate. Nihilominus arbitror, non ita esse coactiuum celebrare solemnes ordinationes in Cathedrali, vel digniori Ecclesia, 7 ac easdem celebrare statutis à iure temporibus. Ratio est, quia de ordinationibus temporibus à iure præscriptis faciendis habetur expressum præceptum; quoad easdem habendas, in Cathedrali, vel Ecclesia digniori, nullum reperitur expressum præceptum; nec Concilium Trident. ibi ponit præceptum, sed solum numerat ea, quæ fieri consueuerunt in solemnibus ordinationibus, siue sint ex præcepto, siue ex congruitate fundata in consuetudine, quæ potius confert ad maiorem decentiam, quam ad necessitatem, cæterum, si omnia ibi enumerata essent de necessitate præcepti, deberent etiam ex necessitate interesse omnes Canonici in Cathedrali, & omnes Clerici in Ecclesia digniori, quod non seruatur in praxi.

Dispositio Concilij non est coactiua, sed consultiua.

Loquendo verò de loco extra Diœcesim, in qua Episcopus ex commissione 8 ordinarij talis loci habiturus est ordinationes certum est primò, quod Episcopus ordinarius talis loci possit eidem Episcopo alieno facultatem concedere ibi ordinandi; cum iurisdictio illa sit alteri delegabilis habenti potestatem ordinis, & hoc in dies cernimus in hac Mediolanensi Metropoli, in qua Archiepiscopus vel Episcopis suffraganeis, vel etiam alijs non suffraganeis facultatem committit non solum priuatas habendi ordinationes, sed etiam solemnes. Sed, an eius Vicarius Generalis possit hanc facultatē 9 concedere alieno Episcopo arbitrarer posse solum ex expressa, vel etiam tacita licentia Episcopi hoc concedere. An verò Vicarius Capitularis possit sede vacante concedere hanc facultatem alieno Episcopo ordinandi in sua Diœcesi? Indubitatum est post annum à morte Episcopi posse, cum plenam habeat iurisdictionem ordinariam, quam habebat Episcopus, nec aliquo iure interdicatur a tali concessione; Sed quid intra annum à morte eiusdem Episcopi? *Henriquez lib. 10. c. 22. num. 1.*, *Diana part. 5. tract. 10. resol. 46. §. secundo* asserunt vtique posse concedere, non tamen pro subditis sedis vacantis, sed pro subditis Episcopi ordinantis, quos arbitror ea ratione moueri, quia Vicarius Capitularis intra annum à morte Episcopi non potest dimmissorias concedere subditis ad alienum Episcopum, vt ab ipso ordinentur, vt habetur in Concil.

Episcopus potest alteri Episcopo facultatē cōcedere ordinādi in propria Diœcesi.

Vicarius Generalis ex se non potest.

Concil. Trident. sess. 7. de reformat. cap. 10., nisi beneficij Ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione coarctetur, ergo neque intra eundem annum poterit concedere Episcopo alieno, vt in propria Diœcesi
10 ordinet subditos eosdem. Contrarium tamen statuunt *Nauarrus cons. 27. de temp. ord.*, *Ferrarius de ordin. cap. 5. num. 7. vers. quarto nota, Molfesius in summa tract. 2. c. 2. num. 28.* asserentes, quod quamuis Capitulum sede vacante non possit intra annum concedere dimmissorias suis subditis, vt ab alio Episcopo in ipsius Diœcesi ordinentur, possit tamen intra eundē annum per alium Episcopum ex ipsius Capituli facultate exercentem Pontificalia, in loco eiusdem Capituli suos subditos ordinare, & ad hoc refert *Nauarrus loc. cit.* declarationem Sacræ Congregationis. Si autem quæratur ratio, cur nequeat Capitulum, seu eius Vicarius intra annum a morte Episcopi concedere subditis dimmissorias, vt ab alieno Episcopo extra propriam Diœcesim ordinentur, possit tamen intra eundem annum concedere, vt per alienum Episcopum ex facultate eidem concessa exercentem Pontificalia in propria Diœcesi ijdem sui subditi ordinentur. Existimarem hoc prouenire, quia iura tantum vetant, ne intra illum annum dimmissoriæ concedantur; quando autem in propria Diœcesi eiusdem Capituli per alienum Episcopum, quis subditus eidem Capitulo ordinatur, non indiget dimmissorijs, vt per se patet. Fateor me adhærere huic secundæ opinioni præcisè propter declarationem Sacræ Congregationis de qua meminit *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 6. cap. 3. num. 16.*; nam sistendo in rationibus non video, cur, si prohibentur media, quibus quis consequi possit finem, nempè dimmissorias, quibus possit consequi ordinationem, non prohibeatur etiam finis, vt possit intra annum a morte Episcopi ordinari.

Quid in hoc possit Vicarius Capitularis.

11 Hic iam oritur difficultas primò, an, si Episcopus Diœcesanus, vel Vicarius Capitularis sede vacante post annum à morte Episcopi alienum Episcopum inuitent ad propriam Diœcesim ad ordinandos subditos illius Diœcesis possit ibi hic ex vi illius inuitationis, seu conuocationis etiam proprios subditos ordinare? Ratio dubitandi ex eo desumitur, quod habet *Concil. Trident. sess. 6. de reformat. cap. 5.* Ibi *nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu, nisi de ordinarij loci expressa licentia Pontificalia exercere, & in personas eidem ordinario subiectas tantum, si secus factum fuerit Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi*; vbi nota inprimis illam particulam *expressa licentia*, quæ videtur excludere tacitam, præsumptam, & interpretatiuam; nota vlterius, *& in personas eidem ordinario subiectas* cum particula restrictiua, & limitatiua *tantum*, quæ particulæ excludunt alios quoscunque, qui non sint subditi eidem ordinario; ex quibus videtur inferri, quod nisi accesserit expressa licentia Episcopi Diœcesani, vel Vicarij Capitularis non possit Episcopus inuitatus suos subditos ordinare. Contrarium tamen sustinent *Turrianus de Censur. lib. 5. disp. 46. dubio vltimo, Diana part. 5. tract. 10. resol. 45. §. notandum*, quibus videtur adhærere *Bonacina de Sacram. Ord. disp. 8. quæst. vnica punct. 4. num. 29.*, quibus adhærendum existimo sic exigente omni æquitate; non enim credendum est, quod Episcopus Diœcesanus, vel Vicarius Capitularis, qui conuocarunt alienum Episcopum ad ordinandos subditos ipsius conuocantis, voluerit excludere proprios Episcopi conuocati, & ordinantis; Nec allatæ ponderationes desumptæ ex verbis Concilij videntur aliquid euincere, quia debent intelligi relatæ ad extraneos tum Episcopi Diœcesani, tum Episcopi ordinantis cum ipsorum exclusione, non autem ad subditos Episcopi ordinantis, & licet Episcopus extra propriam Diœcesim non possit suos subditos ordinare sine licentia Episcopi illius loci; supposita tamen tali licentia, & facultate exercendi ibi Pontificalia, & habendæ ordinationis nil deest, quominus possit ibi illos promouere, ne, dum beneficium subditis illius loci impertitur ipsos ordinando, ipse priuetur iure suos promouendi.

Episcopus alienus conuocatus ad ordinandos subditos alienæ Diœcesis potest ibi etiā ordinare suos.

Oritur secundò difficultas, an in data hypothesi, qua Episcopus inuitatus est à Diœcesano, vel à Vicario Capitulari sede vacante ad conferendos ordines in illorum Diœcesi possit extraneis accedentibus cum dimmissorijs proprij Episcopi ordines conferre. Negat *Barbosa de potest. Episcopi parte secunda alleg. 4. nu. 64.* eo, quia in ordine ad istos requiratur expressa licentia stante *Tridentino d. sess. 6. cap. fin.* Affirmat verò *Alzedus part. 2. cap. 5. num. 30.* existimans sufficere inuitationem illam factam ab Episcopo Diœcesano, vel Vicario Generali; vndè ad Concil. Trident. respondet ipsum procedere dumtaxat, quando Episcopus ordinaret in aliena Diœcesi ratione priuilegij Papalis, non quando id præstaret ratione inuitationis factæ ab Episcopo, vel Capitulo Diœcesano. Ego probabilius 12

Non tamen extraneis accedentibus cū dimmissorijs suorum Episcoporum.

lius arbitror non sufficere illam inuitationem factam pro ordinandis subditis illius loci, vt Episcopus inuitatus possit extraneos ordinare, quia Episcopus Diœcesanus potest velle recognoscere dimmissorias extraneorum, & quid diuersum est inuitare alienum Episcopum ad ordinandos subditos illius loci, ac ad ordinandos alienos cum recognitione dimmissoriarum ipsorum; vnde in dies comperimus in hac Mediolanensi Metropoli, in qua quandoque ob impedimenta Archiepiscoporum inuitantur alij Episcopi etiam non suffraganei ad ordines conferendos, si accedant extranei aliarum Diœcesum, ipsorum dimmissorias literas non ab Episcopo ordinante, sed à ministris Archiepiscopi inuitantis recognosci, & sine tali recognitione non ordinari, quod omninò iustum, & rationi consonum existimo.

Oritur tertiò difficultas, an, quamuis Episcopus siue in propria, siue in aliena Diœcesi non possit extraneis conferre ordines sine dimmissorijs proprij Episcopi, possit tamen illis primam tonsuram conferre. Affirmant aliqui, ea ducti ratione, quod prima tonsura non sit ordo, & sicuti exercens Pontificalia in sua Diœcesi potest confirmare alienos, ita & alienis primam tonsuram conferre. Nihilominus absolutè sentiendum est non posse, & contra Episcopum sic conferentem illata est pœna suspensionis a collatione primæ tonsuræ *ex c. fin. de temp. ord. in 6.*, & contra sic tonsuratum priuatio priuilegij tonsuræ, vt constat *ex c. illud quoque, & c. si quis ausus dist. 71.* Sed, an Episcopus possit primam tonsuram conferre proprio subdito extra propriam Diœcesim. Affirmant *Henriquez lib. 3. c. 6. n. 6.*, & alij, eo quia collatio illius non videatur pertinere ad actum Pontificalem, cum possit fieri in priuato cubiculo, nec ad contentiosam iurisdictionem, sed ad voluntariam; actus autem iurisdictionis voluntariæ potest Episcopus etiam extra Diœcesim exercere. *Gratianus decis. 108. per tot. Peregrinus tract. var. lib. 1. tit. de iurisd. ord. & deleg. n. 52., & seqq.*, cui opinioni adhærendum existimo, si talis collatio priuatim fieret, secus, si solemniter, & in loco publico, quia tunc ratione solemnitatis speciem quandam indueret contentiosæ iurisdictionis.

13 *Nec eisdem potest conferri primam tonsurā.*

QVÆSTIO III.

De causa subiectiua Sacramenti Ordinis.

HActenus de efficiente; nunc de causa subiectiua ordinis, quæ & ipsa inter extrinsecas computatur, latè differendum. Hic capacitatem ipsius remotam, & proximam; hic conditiones omnes ex parte ipsius requisitas tum ad validum, tum ad licitum esse examinabimus; sed quia conditiones aliæ sunt positiuæ, quas ordinandus debet habere, aliæ negatiuæ, quibus debet carere, hæ omnes per sua capita cadent sub examine in præsenti quæstione.

ARTICVLVS I.

Quodnam sit subiectum remotum, & capax ordinis.

SVMMARIVM.

Soli homines sunt capaces ordinum. 1.
Errores hæreticorum admittentium fœminas ad ordines. 2.
Confutantur huiusmodi errores primo auctoritatibus SS. PP. 3.
Secundò rationibus. 4.
Tertiò ex vsu vniuersalis Ecclesiæ. 5.
Posita incapacitate ad Sacerdotium intelligitur incapacitas ad alios ordines. 6.
Refellitur tanquam fabula Pontificatus Ioannæ. 7.
Nec etiam fœminæ sunt capaces primæ tonsuræ. 8.
Hermaphroditæ sunt in triplici differentia. 9.
Si sexus fœmineus præualeat, vel sit æqualis Hermaphroditus probabilius non potest ordinari. 10.
Præualente sexu virili potest validè, non licitè ordinari. 11.
Si mutetur sexus fœmineus in virilem potest validè, non licitè ordinari. 12.

CErtum est solos homines ex vi præsentis institutionis esse capaces Sacramenti Ordinis, cum Sacramenta omnia ad ipsos solummodò, non ad Angelos fuerint ordinata, vt latè probauimus, in quæstionibus *de Sacramentis in genere quæst. 4. art. 2. in assert.* ex quo eruitur, quod, si ipsi solum sunt subiecta Sacramento- 1 *Soli homines sunt capaces ordinum.*

mentorum, & ipsi solum sint subiecta ordinis. Difficultas solum hic est, an sicuti soli, ita omnes sint eiusdem ordinis capaces; circa quam, si loquamur de capacitate remota dubium solum potest esse circa fæminas, & participantes de fæmineo sexu, nam ex dictis *loco cit.* remotè omnes masculi sunt capaces, licet defectu alicuius conditionis proximam quandoque non habeant capacitatem.

2 *Errores hæreticorum admittentium fæminas ad ordines.* Loquendo igitur de fæminis non est colluctatio cum Catholicis, cum omnes easdem à participatione ordinum excludant, sed cum Hæreticis, qui fæminas ad sacros ordines admittebant, inter quos numerantur primo cathaphrigæ, quorum meminit *D. Ambrosius in prima ad Timoth. cap.3.* Secundò Peputiani, & Papuritæ, de quibus *D. Epiphanius hæres.* 49. Tertiò Gnostici, de quibus *Tertullianus lib. de Præscript. hæret. cap.* 41. Vltimo Vuiclefus, & Lutherus, qui docuerunt mulieres sacri baptismatis fonte ablutas statim Sacerdotissas consecrari, de quibus *Thomas Valdensis lib. de Sacramentali cap.* 59., *& Rophensis art.* 13. *contra Lutherum.*

3 *Confutantur auctoritatibus SS. PP.* Sed aduersus hunc errorem militant sacri Canones *in cap. noua de pænit.*, *& remiss.*, militant SS. PP. *D. Cirillus super cap.* 6., *Ioannis, D. Ambrosius cap.* 15. *in Epist. ad Rom.*, *D. Chrysostomus in illud secunda ad Thimot.* 2. *mulier autem seducta in præuaricatione fuit*; Militant etiam rationes, quæ omnes in hanc vnicam adunantur. Sacerdoti ex officio tria competunt, per quæ à non Sacerdote distinguitur; primum est, quod ad ipsum pertinet Corpus reale Christi Domini ex pane conficere; secundum potestatem exercere in Corpus ipsius misticum fideles absoluendo a peccatis; Tertium populos docere, & instruere ex officio; sed

4 *Rationibus.* nullum ex his potest mulieribus competere; non primum, quia, quando Christus Dominus potestatem contulit Apostolis consecrandi eius Corpus, & Sanguinem, tunc nulla ibi erat mulier præsens, vt euincitur *ex Luca* 22. Non secundum, quia potestas in misticum Corpus Christi Domini fundatur in potestate in Corpus reale eiusdem, ergo, si nulla competit potestas fæminis in Corpus reale, nec competet in Corpus misticum. Rursus, quando Christus Dominus post Resurrectionem stetit in medio discipulorum suorum, & contulit eis potestatem absoluēdi nulla aderat mulier, sed solum Apostoli, vt refert *Ioannes Euangelista cap.* 20., adeoque potestas non est ad fæminas relata. Non tertium, quia munus docendi, quod ex Malachia Propheta Sacerdotis proprium est, *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius*, non potest teste Apostolo *prima ad Thimoth.* 2. competere fæminæ -Ibi *mulier in silentio discat, cum omni subiectione. docere autem mulieri non permitto,* neque *dominari in virum*, ergo cum fæminis non possint munera Sacerdotis propria competere, nec eisdem potest competere ordo Sacerdotalis.

Accedit vsus Sanctæ Catholicæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ, quæ nunquam consueuit ad Sacerdotalia munera fæminas admittere, & quidem congruè fæminæ à participatione ordinum excluduntur; siquidem eorum genus est garrulum, leue, fragile, & inconstans, vt habetur *Prouerb.* 31. *mulierem fortem, quis inueniet? & Theofilatus* interprætans illud Pauli *prima ad Thimoth.* 2. dicit *nam semel mulier virum edocuit, & cuncta peruertit*; fuit igitur maximè congruum, quod Christus Dominus solidissima suæ Ecclesiæ Sacramenta sexui fragili, & tot defectus patienti non committeret. 5 *Ex vsu vniuersalis Ecclesiæ.*

Neque refert, si dicatur primo, quod quamuis ex allegatis iuribus, & auctoritatibus euincatur, quod fæminæ non possint ad Sacerdotium promoueri, ex eisdem tamen non possit euinci, quin possit ad alios inferiores ordinari. Non refert, inquam, quia, cum alij ordines inferiores à Sacerdotio ad ipsum referantur, vt ad finem posita incapacitate ad ipsum, incapacitas intelligitur etiam in ordine ad alios, quæ se habent, vt media ad ipsum. 6 *Posita incapacitate ad Sacerdotiū est incapacitas ad alios ordines.*

Neque refert, si dicatur secundo, quod contra allegatum vsum fuerit quædam fæmina Ioannę nomine ad Summū Pontificatum assumpta, prout referunt *Martinus Monachus Cisterciensis, Marianus Scotus, Sotus in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 2., *Petrus Messias in silua variarum lectionum part.* 1. *cap.* 9., & alij. Nec item, quod in iure fiat mentio Diaconissæ, Præsbiterissæ, & Episcopissæ, vt videre est *in cap. Diaconissam* 27. *quæst.* 1., *& cap. mulieres dist.* 32., Non refert, inquam, quia id, quod dicitur de Ioanna est mera fabula, talemque esse probant *Papirius Maso Gallus in lib.* quem scripsit *de Vrbis Episcopis Floriuncendus de Remundo in libro* quem inscripsit *Error popularis de Ioanna, seu de Pontifice dicta Papissa, Onophrius Panuisius in suis annot. ad Platinam, Bellarminus lib.* 3. *de Pontifice Romano cap* 24. *Baronius tom.* 10. *anno Christi* 853. *num.* 86. Deindè dato etiam, & nunquam concesso, quod illa Ioanna verè fuisset electa in Pontificem ex errore eligentium, nun- 7 *Refellitur tanquam fabula Pontificatus Ioannæ.*

nunquam fuisset Pontifex, nec habuisset facultatem ligandi, atque soluendi, & omnia eius acta fuissent irrita; nec diu Deus Optimus Maximus eam permisisset viuere, ne confusio in Ecclesia Dei oriretur. Ad illud, quod subditur dicendum est cum *Baronio ad annum Christi 34. n.280., Campanili in diuers. iuris can. rub. 11. c.2., Vasquez to. 3. in 3. part. disp. 245. c. 3.* tali nomine appellari, quia viri earum ad Diaconatum, Præsbiteratum, & Episcopatum assumebantur, & ideò vxores Diaconorum Diaconissæ, Præsbiterorum Præsbiteræ, & Episcoporum Episcopissæ dicebantur denominatione desumpta ab earum maritis, & etiam appellabantur tales, quia Diaconis, Præsbiteris, & Episcopis in proprijs muneribus deseruiebant.

8 *Etiam primæ tonsuræ sunt incapaces fæminæ.*

Hic solum aliqua oritur difficultas, an, quamuis fæminæ non sint capaces ordinum, sint saltem capaces ex Romani Pontificis dispensatione primæ tonsuræ? *Paludanus in 4. dist. 25. qu. 3. art. 1. concl. 1.* affirmat fæminas ex Pontificis dispensatione esse capaces primæ tonsuræ, ea motus ratione, quod prima tonsura non est Sacramentum, sed Sacramentale; Sacramentalium autem sunt fæminæ capaces. Sed nec assertum Paludani, nec ratio, cui innititur, est subsistens. Non assertum, quia, cum prima tonsura sit dispositio ad ordines, posita incapacitate ad ordines intelligitur, & incapacitas ad dispositionem. Non ratio, cui innititur, quia non repugnat, quod fæmina recipiat ordinem, quia Sacramentum est, sed quia tale Sacramentum est, non ordinatum ad fæminas, & sic etiam non repugnat, quod primam tonsuram recipiat, quia Sacramentale est, sed quia tale Sacramentale ordinatum ad suscipiendos ordines, ad quos non est ordinata fæmina ex diuina institutione.

9 *Hermaphroditæ in triplici classe.*

Probato iam, quod fæminæ non sint capaces ordinum, subordinatè sequitur alia difficultas, an Hermaphroditæ sint eorundem capaces. In triplicem classem diuidunt DD. Hermaphroditas; alios, in quibus præualet sexus fæmineus, alios, in quibus sexus virilis; alios, in quibus sexus vterque est æqualis. Sentiendum est, quod, si sexus fæmineus præualet, vel etiam, si fuerit æqualis, non possit Hermaphroditus validè ordinari, si verò præualeat sexus virilis possit validè ordinari, non tamen licitè. Ita quoad primam partem *Valentia tom. 4. disp. 9. qu. 4. punct. 1., Suarez tom. 5. disp. 51. sect. 2., Henriquez lib. 10. cap. 16., Fornarius de ordine cap. 3. num. 1., Siluester verbo Hermaphroditus, Nauarrus cons. 8. de ætat., & qualit. ordinan., Auila de censuris part. 9. disp. 3. dub. 5.* Quoad secundam *Nauarrus in man. cap. 27. num. 203., Toletus lib. 1. cap. 25. num. 4., Suarez de censur. disp. 52. sect. 3., Molfesius in summa tract. 2. c. 1. num. 48.* 10

Præualente sexu fæmineo, vel existẽte æquali non potest ordinari.

Prima pars, quando præualet sexus fæmineus ex eo deducitur, quod præualente sexu fæmineo Hermaphroditus habetur pro fæmina per textum *in text. l. quæritur 10. ff. de statu homin.*, quando verò sexus est æqualis ex eo euincitur, quod talis non potest magis dici masculus, quam fæmina; subiectum autem ordinum debet esse determinatè masculus ex diuina institutione. Secunda pars ex eo euincitur, quam præualente sexu virili reputatur vt masculus ad terminos *d. l. quæritur, ff. de statu hom.*, & hoc satis probat, quod possit validè ordinari; ex eo tamen, quod multi arbitrantur talem esse irregularem, vt *Nauarrus in man. cap. 27. num. 203., Toletus lib. 1. cap. 25. num. 4., Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 245. cap. 2. num. 3.*, & alij, sequitur non posse licitè ordinari. Sed, an verè sit irregularis non apparet, nisi in auctoritate huiusmodi DD., cum nullum textum assignent inducentem talem irregularitatem. Quomodocunque tamen res se habeat arbitrarer non ordinandum, nisi accedente Pontificis dispensatione. 11

Præualente sexu virili potest validè non licitè ordinari.

Sed quid erit dicendum, si quis sexum muliebrem permutaret in virilem, an tunc posset validè, & licitè ordinari. 12 Nunc casum possibilem esse, & quandoque euenisse refert *Plinius lib. 7. cap. 4.*, & alij plures; quo supposito assero validam fore ordinationem, sed illicitam; validam, quia verificaretur verè, quod esset masculus, & præcedentia sexus fæminei non officit, quia consideratur, quod modo non est, non quod erat; illicitam propter admirationem, quam gigneret videre modo ad Altare celebrantem, quæ antea fuerat visa fæmina exercens muliebria munera, quæ deformitas videtur damnata in ordine ad hunc effectum per textum *in cap. 2. de Cleric. ægrot.*

Mutato sexu fæmineo in virilẽ potest validè non licitè ordinari.

ARTICVLVS II.

An in ordinando requiratur Baptismus, Confirmatio, Fides, & vsus rationis.

SVMMARIVM.

An validam susceptionem ordinum requiritur in subiecto Baptismus. 1.

Confirmatio non requiritur ex necessitate Sacramenti. 2.

Ex tamen necessaria necessitate præcepti. 3.

I Hoc

Hoc praeceptum obligat sub graui. 4.
Non tamen sub aliqua censura. 5.
Fides necessaria est ad licitam ordinum susceptionem, non tamen ad validam. 6.
Ad validam receptionem ordinum non est necessarius vsus rationis. 7.
Si Episcopus conferat ordines alicui ante vsum rationis illicitè confert. 8.
Quæ dicta sunt de paruulis ante vsum rationis, intelligenda sunt de perpetuo amentibus. 9.
Si amens aliquandò gauisus fuerit vsu rationis, & tunc protestatus fuerit se nolle ordinari, validè eidem ordo non conferretur. 10.
Si verò pro tempore sanæ mentis petierit ordinari, validè ordinaretur. 11.
Si pro eo tempore merè negatiuè, se habuerit probabilius non posset validè ordinari. 12.
Ætas requisita ad ordines suscipiendos. 13.
Ordinans in minoribus ante septennium non contrahit aliquam censuram. 14.
Initiatus sacris ordinibus ante legitimam ætatem contrahit suspensionem ab exercitio susceptorum ordinum. 15.
Hæc censura durat donec absoluatur. 16.
Hæc censura afficit etiam Regulares ordinatos scienter ante legitimam ætatem. 17.
Si ignoranter fuerit promotus non incurrit hanc censuram. 18.
Si ministret durante suspensione fit irregularis. 19.
Non tamen fieret irregularis ex eo præcisè, quod in ordinatione Sacerdotij concelebret cum Episcopo. 20.
Neque ex eo, quod exerceat aliquos actus distinctos à Sacerdotio, & quomodò. 21.
Episcopus ordinans ante legitimam ætatem scienter contrahit suspensionem. 22.
Hæc suspensio est latæ sententiæ. 23.
Ad ætatem pro sacris ordinibus recipiendis non sufficit, quod vltima dies sit incohata sed debet esse completa. 24.

1 *Baptismus omninò necessarius est.*

INcipimus examinare conditiones, quæ prærequiruntur in subiecto ad validè, & licitè recipiendum Sacramentum Ordinis; & quidem loquendo de Baptismo indubitatum est apud omnes, quod prærequiratur ad susceptionem ordinum, cum sit ianua omnium Sacramentorum, sine qua non patet aditus ad ipsa, vt patet *ex c. veniens de Præsbit. non baptiz.* quamobrem retenta necessitate eiusdem ad valorem ordinum suscipiendorum me confero ad Sacramentum Confirmationis, de quo plura inquiro primo, an sit necessarium necessitate Sacramenti, adeò vt, si non præcedat, inualida sit collatio ordinum. Secundò, an saltem sit necessarium necessitate præcepti. Tertiò supposita necessitate præcepti, an hoc obliget sub graui, an tantum sub leui. Quartò, an, si suscipiatur ordo ante confermationem, contrahatur aliqua censura, & quænam.

Ad primum sentiendum absolutè est ex necessitate Sacramenti non prærequiri confirmationem *D. Thomas 3. part. quæst. 35. art. 4., Siluester verb. ordo 2. quæst. 1., Nauarrus in man. c. 22. num. 9.*, & in hoc communitèr consentiunt. Probatur, quia nec ex natura sua, nec ex diuina institutione Sacramentum Ordinis habet connexionem, & dependentiam à Sacramento Confirmationis, ergo ex necessitate Sacramenti non prærequiritur Confirmatio ad Ordinem. Antecedens quoad primam partem ex eo euincitur, quia sunt duo Sacramenta omninò distincta, nec Sacramentum Confirmationis inducit in subiecto potentiam passiuam ad ornes suscipiendos, cũ talis potentia intelligatur inducta per Sacramentum Baptismi, & licet Sacramentum Confirmationis possit dici quoquo modo dispositio ad eosdem ordines, nõ est tamen talis quoad necesse esse, sed ad summum quoad conuenientius esse. Confirmatur, quia maior est connexio inter ordinem inferiorem, & superiorem, quam sit inter Confirmationem, & Ordinem, sed potest validè conferri ordo superior non recepto prius inferiori, vt quando ordines accipiuntur per saltum, in quo casu nullus negat ordinem superiorem esse validè receptum, ergo potest etiam validè suscipi ordo non recepta prius Confirmatione, ergo ex necessitate Sacramenti non prærequiretur susceptio Confirmationis ad susceptionem Ordinis. Antecedens etiam quoad secundam partem sic euincitur, quia ex diuina institutioue non habet maiorem connexionem Sacramentum Confirmationis cum alijs Sacramentis, ac habeat cum Sacramento Ordinis, sed ad alia Sacramenta validè suscipienda ex diuina institutione non prærequiritur confirmatio, vt est inconfesso apud omnes, ergo nec ad susceptionem ordinis. Maior patet, quia non est assignabile in quo consistat hæc maior connexio.

2 *Confirmatio non est necessaria necessitate Sacramenti.*

Rationes pro hoc asserto.

Ad secundum probabilius arbitror ex necessitate præcepti recipiendam esse Confirmationem ante susceptionem ordinum *Suarez de Sacrament. disp. 38. sect. 1. in fine, Chamerota de Sacram. tract. 11. cap. 5., Bonacina de Sacram. Ord. tract. 8. quæst. vnica punct. 4. prop. 2. num. 9.* Expresse colligitur *ex Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 4.* Ibi: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*; ex quibus verbis colligitur, quod, si ad susceptionem primæ tonsuræ

3 *Est necessaria necessitate præcepti.*

tonsuræ, ex præcepto prærequiritur confirmatio, à fortiori prærequiretur ad susceptionem ordinum, nam isti sunt Sacramenta, non sic prima tonsura; Neque hic audiendi sunt *Salzedo in practica crim. c.24., & Rodriquez in summa part.2. c.17. num.10.*, dum dicunt verba Concilij non esse præceptiua, sed tantum importare quandam decentiam, & congruitatem. Non, inquam, audiendi sunt; nam in primis verba Concilij concepta sunt modo imperatiuo, & prohibitiuo *non initientur*, & cum versentur in materia Sacramenti, plusquam congruitatem videntur importare.

4 *Hoc præceptum obligat sub graui.* Ad tertium probabilius est, hoc præceptum obligare sub graui *Bonacina de Sacramento Ordinis disq. 8. quæst. vnica punct. 5. num.9. vers. sed ego non facilè.* Ratio ex eo deducitur, quia qui reciperet scientèr ordines non recepta confirmatione transgrederetur præceptum in materia graui, & contra consuetudinem in Ecclesia receptam. Dixi, *scienter*, nam si intercesserit vel ignorantia iuris, vel facti certè excusaretur à culpa saltem graui.

5 *Nō tamen sub aliqua censura.* Ad quartum, quidquid dixerint *Maiolus de irregul. lib. 4. cap. 14., Toletus lib. 1. cap. 71.*, sentiendum est, quod, si suscipiatur ordo ante confirmationem nulla contrahatur censura, nec irregularitas. *Suarez de censuris disp.42. sect. 3. in fine, Sairus lib. 7. de censuris cap. 10., Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4., Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episcopi allegat. 2. nu. 14.* & alij magis communitèr. In sententia illorum, qui statuunt non contrahere grauem colpam, qui recipit ordines ante confirmationem, vix videtur posse esse difficultas, cum æquum non sit, vt quis propter leuem culpam contrahat graues pœnas censurarum. In nostra verò sententia statuente grauem culpam in transgressione huius præcepti sic euincitur, quia in Concil. Tridentino, à quo imponitur præceptum non recipiendi ordines ante susceptionem confirmationis, nulla statuitur pæna censurarum contra transgressores talis præcepti, ergo nec nos statuere debemus; quod enim iura non statuunt, non est à nobis statuendum; nec valet paritas de suscipiente ordines maiores non susceptis inferioribus, quandoquidem contra istos expressè est imposita pæna suspensionis in iure, quæ non reperitur imposita contra suscipientes ordines non suscepta confirmatione.

Iam discendimus ad fidem, quam necessariam esse asserimus ad licitam ordinum susceptionem, non tamen ad validam. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, cum ordines sint Sacramentum exigunt in suscipiente statum gratiæ, & exclusionem cuiuscunque obicis ad ipsam; vbi autem fides non est, non potest esse status gratiæ, quinimmò adest positiuus obex ad ipsam, ergo licitè ordines nequeunt ab eo suscipi, in quo fides non adest. Recole ea, quæ in hoc genere dicta sunt, dum de Sacramentis in genere. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod docuimus in quæstionibus *de Sacrament. in genere qu. 3. art. 4.*, nempè, quod improbitas, & infidelitas in ministro, si cætera requisita non desint, non vitient Sacramenta, nec irritam reddant eorum collationem, vt ibi ex pluribus Concil. Definitionibus, & rationibus, ergo neque improbitas, & infidelitas in subiecto vitiabit Sacramentum Ordinis, nec inualidam constituet eiusdem receptionem licet obstat collationi gratiæ. Consequentia probatur, quia, quid magis requiritur ad confectionem, quam ad receptionem Sacramentorum? 6 *Fides necessaria est ad licitam, non ad validam susceptionē*

Tandem descendimus ad inuestigandum, an ad receptionem ordinum requiratur vsus rationis in recipiente. Respondendum est ad validam receptionem non esse necessarium, benè tamen ad licitam saltem quantum est ex parte conferentis. Quoad primam partem consentiunt *D. Thomas in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1., & 3. parte quæst. 39. art. 2., D. Bonauentura ead. dist. 25. art. 2. quæst. 2., Valentia tom. 4. disp. 9. quæst. 4. punct. 1., Vasquez tom. 3. in tertiam partem disp. 246.*, & alij magis communitèr. Quoad secundam quot quot sustinent ad primam tonsuram requiri septennium completum, de qua re infrà. Prima pars euincitur primo ex textu *in cap. vnico de Cler. per saltum promoto*. Ibi. Eo quod tempore quo ordines inferiores susceperat infrà annos discretionis fuerat constitutus, & ibi dicitur, quod possit in Diaconum promoueri, vndè *Glosa ibid. in verbo Discretionis* subdit *Infra annos discretionis benè recipit quis sacros ordines, licet conferri non debeant.* Secundò ratione, quia supposito in paruulis Baptismo ante vsum rationis nihil est, quod possit obsistere validæ receptioni ordinis; non institutio Diuina, quia nec ex sacris paginis, neque ex aliqua traditione constat, quod Christus Dominus alligauerit susceptionem huiusmodi ordinum alicui determinatæ ætati, quinimmò, vt notat *Cacheranus de Sacram. in genere cap. 3. §. 2. num. 8. vers. dixi suscipiendi* validè olim conferebatur Eucharistia, Confirmatio, & Ordo paruulis etiam vsu rationis carentibus; non natura rei, quia ipsi paruuli sūt capaces caractheris, & gratiæ, & sicuti sunt capaces Baptis- 7 *Vsus rationis non est necessarius ad validè recipiendum.*

mi, cur non erunt etiam capaces Confirmationis, & Ordinis? Neque dicas ad validam receptionem Sacramentorum requiritur in recipiente intentio saltem habitualis, quæ non potest considerari in paruulis; contra enim impugnaberis, quia huiusmodi intentio requiritur quidem respectiuè ad adultum nedum in Sacramento Ordinis, sed etiam in Sacramento Baptismatis, non autem respectu paruulorum, respectu quorum sicuti defectum intentionis supplet fides offerentium in Sacramento Baptismatis, ita in Sacramento Ordinis talem defectum intentionis supplet Ecclesia.

8 *Benè tamen ad conferendum licitè.*

Secunda pars ex eo euincitur, quod Ecclesia præfiniuit certa tempora, ante quæ vetuit, ne ordines conferrentur, & primo pro prima tonsura septennium completum, vt colligitur *ex Bulla Pij II. relata à Quaranta verb. ordo in princip., & ex c. nullus de temporibus ordinat.*, vbi etiam præscribuntur tempora pro ordinibus siue minoribus, siue maioribus, adeo vt pro minoribus requiratur saltem idem septennium completum, pro Subdiaconatu anni 22. incohati, ad Diaconatum viginti tres etiam incohati, ad Præsbiteratum 25. item incohati, ergo, si Episcopus conferat huiusmodi ordines ante tempora præscripta illicitè conferre dicendus est.

Dixi, *quantum est ex parte conferentis*; nam ex parte recipientis ante vsum rationis non potest esse illicita ordinis receptio, quia potius esset eidem vtilis, & fructuosa, vt probauimus in quæstionibus *de Sacramentis in genere quæst. 3. art. 4. assert. 2.*, non enim in paruulis ante vsum rationis potest considerari obex ad gratiam, & Sacramenta infallibilitèr in subiecto capaci, & non habente obicem gratiam, & caracterem producunt.

9 *Quæ dicta sunt de paruulis procedũt etiã de perpetuò amentibus.*

Hæc, quæ diximus de paruulis ante vsum rationis proportionalitèr possunt intelligi de perpetuo amentibus, qui nunquam gauisi fuerunt vsu rationis, quandoquidem omnes rationes, & omnia iura, quæ pro paruulis militant, militant etiam pro perpetuo amentibus, nam quamuis isti materialitèr quoad ætatem intelligantur adulti, formalitèr tamen, & quoad effectum, de quo hic agitur, non intelliguntur tales, & computantur pro paruulis. Dixi, *qui nunquam gauisi fuerunt vsu rationis*. Sed quid erit dicendum, si gauisi fuerint pro aliquo tempore vsu rationis, & postea in amentiam inciderint? Tunc cum triplici distinctione procedendum est; vel etenim isti, antequam in amentiam inciderent, potestati fuerunt se nolle ordinari, vel petierunt ordinari, vel nec petierunt ordinari, nec non ordinari, sed merè negatiuè se habuerunt; Iuxtà primum membrum asserendum est, non validè ordinari, obsistente voluntate de non recipiendo ordines; nam licet in paruulis, & perpetuo amentibus non requiratur positiua intentio eosdem ordines recipiendi; in ijs tamen, qui gauisi fuerunt vsu rationis, si non requiritur positiua intentio, de qua re agemus mox, dum de tertio membro huius distinctionis, requiritur tamen vt nõ sit positiua intentio eos nõ recipiendi, qua contraria intentione existente non potest esse valida collatio. Iuxta secundum membrum sentiendum est, validè ordinari; quandoquidem ibi interueniunt omnia requisita ad validam collationem, & receptionem, nempè potestas in conferente capacitas in suscipiente, & intentio eiusdem manifestata, antequam in amentiam incideret; vndè etiam nos docuimus *in quæst. de Sacrament. in gen. d. quæst. 3. art. 4. sub assert. 3. vers. sed quid erit dicendum*, quod non solum possit, sed etiam debeat conferri Eucharistia illi, qui antequam incideret in amentiam, ostẽdit signa deuotionis, & exhibuit signa pænitentiæ; quæ quoad validam collationem videntur etiam militare in ordine, cum hoc tamen discrimine quod, cum Eucharistiæ sumptio maximè in articulo mortis cadat sub præcepto Diuino non solum potest, sed etiam debet fieri, ordinis vero collatio, cum non cadat sub præcepto, quinimmò, nec debeat poni, nisi seruatis requisitis, quæ in hoc genere præscripta sunt, licet validè ponatur, non debeat tamen, nec possit licitè poni, vndè sicuti non licitè ordinaretur puer ante vsum rationis, ità nec licitè amens perseuerante amentia. Hæc omnia quoad validum esse colliguntur *ex cap. maiores de Baptismo, & eius effectu, §. item quæritur in fine*; vbi sic legitur. Dormientes autem, & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, caracterem non suscipiunt Sacramenti; secus autem, si prius cathecumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi; quæ verba licet procedant de Sacramento baptismatis, proportionalitèr tamen sunt etiam intelligenda de Sacramento Ordinis.

10 *Qui gauisus est vsu rationis, & protestatus est se nolle ordinari, non validè ordinatur.*

11 *Si petierit ordinari validè ordinaretur.*

Iuxtà tertium membrum difficultas ex eo oritur, quod, cum iste gauisus fuerit vsu rationis per aliquod temporis non potest considerari, vt paruulus ante vsum rationis, adeoque computandus sit,

vt

vt adultus, respectu cuius videtur re-
12 *Si nec petierit ordinari nec non ordinari inualidè ordinaretur.* quiri aliquis ipsius actus positiuus ad differentiam paruuli, & amentis, qui nunquam vsu rationis gauisus fuit. Circa quam difficultatem communius sustinent DD. non validè ordinem conferri propter rationem mox adductam, quod consideratur, vt adultus, respectu cuius non sufficit merus actus negatiuus, seu mera non repugnantia, sed requiritur aliquis actus positiuus; contra Caietanum asserentem validè conferri ex eo, quod in *d. cap. maiores de Baptismo, & eius effectu in d. §. item quæritur* habentur sequentia verba *tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem*; quando autem merè negatiuè se habet, non habet contrariam voluntatem obsistentem. Communiorem opinionem, de non subsistentia ordinis in hac hypothesi sustinet *Sotus in 4. dist. 5. quæst. vnica prop. 3., Valentia tom. 4. disp. 4. quæst. 3. punct. 2. vers. sic etiam opinionem Caietani Suarez de Sacram. disp. 14. sect. 2.* Rationes pro hac communiori opinione recole ex ijs, quæ dicta sunt *in quæst. de Sacram. in genere d. quæst. 3. art. 3. per plures vers. in principio*, vbi etiam soluitur argumentum desumptum *ex d. cap. maiores de Baptismo.*

Ex occasione eorum, quæ hic dicta sunt, nempè non posse licitè conferri ordi-
13 *Ætas requisita ad ordines suscipiẽdos* nes puero ante vsum rationis, sed requiratur determinata ætas in suscipiente, quam pro prima tonsura, & pro minoribus diximus esse septennium completum, pro Subdiaconatu vigesimum secundum annum incohatum, pro Diaconatu vigesimum tertium item incohatum, & pro Sacerdotio vigesimum quintum item incæptum; multæ insurgunt rationes dubitandi, & primo, an, si prima tonsura, & minores ordines conferantur ante septennium completum conferens contrahat aliquam censuram. Secundò, an censuram contrahat tam ordinans, quam ordinatus per ordinationem collatam, & receptam ante ætatem præscriptam. Tertiò, an hæc ætas præscripta sit rigorosa metienda, an verò admittat aliquam modicam præuentionem. Quartò supposita rigorosa acceptione talis ætatis quomodò computandus sit annus bissextilis.

In ordine ad primam rationem dubitandi sentiendum est initiantem prima tonsura, & minoribus ordinibus ante completum septennium non incurrere aliquam censuram. In hoc arbitror communitèr DD. consentire. Ratio ex eo deducitur primo, quia nullibi hæc censura contra sic initiantem reperitur dis-
posita, ergo nec nos de illa debemus dis- 14 *Ordinãs ante septennium non contrahit aliquam censurã.*
ponere. Secundò, quia iura omnia disponentia de censura suspensionis loquuntur expressè, & præcisè de ordinibus sacris; vt videre est *in Bulla Pij II. edita anno 1461. Incip. cum ex sacrorum ordinum relata à Quaranta verb. ordo in princip.* Ibi- *Ad aliquem ex sacris ordinibus, se fecerint promoueri*, quod idem habetur *ex Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 12.*, ergo nec est extendenda ad primam tonsuram, & ad ordines minores; incongruè autem loqueretur solum de maioribus, si ad minores etiam extenderetur.

In ordine ad secundam rationem du- 15 *Ordinatus in sacris ante ætatem contrahit suspensionem.*
bitandi asserendum est initiatum scientèr sacris ordinibus ante legitimam ætatem ipso iure suspensionem incurrere ab exercitio susceptorum ordinum, prout habetur expressè in Bulla Pij II. Incip. cum ex sacrorum ordinũ collatione, circà quam suspensionem disputant DD., an hæc suspensio perseueret solummodò vsque dum ordinatus peruenerit ad legitimam ætatem, an verò perpetuò, donec absolutionis beneficium impetrauerit. Ratio dubitandi ex eo oritur, quod *in d. cap. vel non est compos de temp. ordin.*, dicitur *ab executione officij Diaconi vsque ad ætatem legitimam in iniuriam suspendimus ordinantis*, nec in hoc Pius II. in allegata Bulla videtur quid innouare, dum dicit præcisè *à suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint*, propter quam rationem *Coaruuias in Clement. si furiosus part. 1. §. 1. n. 44. de homicidio* asserit esse communem opinionem, quod hæc censura perseueret solum vsque ad legitimam ætatem, qua accedente cesset impedimentum.
Nihilominus *Rebuffus in praxi benef. part. 2. tit. de Cler. sacris ordin. malè promoto glos. 4. nu. 3., Toletus in summa lib. 1. c. 61.* 16 *Hæc censura durat donec absoluatur*
asserunt ex vi dictæ Bullæ Pianæ hanc censuram esse perpetuam, & durare, donec ab eadem fuerit absolutus, quod ego quoque certiùs arbitror, nam quamuis Pius II. dicat præcisè *à suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint*, nec suspensionem dilatet expressè vsque ad absolutionem, hæc tamen dilatio ex natura suspensionis videtur emanare, quandoquidem suspensio non tollitur, nisi per absolutionem, vndè *Sixtus V.* eandem sibi reseruauit suisque successoribus, sed Clemens VIII. hanc reseruationem reduxit ad terminos Constitutionis Pij II., & Concil. Trid. Ex quibus deducitur ab hac suspensione posse Episcopum, postquam sic promotus peruenerit ad legitimam ætatem, absoluere.

Hæc autem pœna suspensionis illata contra

17 *Hæc censura afficit etiã Regulares.*

contra scientèr ordinatum ante legitimam ætatem non solum afficit Clericos sæculares, sed etiam Regulares non obstantibus quibuscunque priuilegijs; vt docent *Rodriquez tom. 3. de Regul. quæst. 24. art. 8.*, *Augustinus Barbosa de potest. Episcopi allegat. 16. num. 24.*, quandoquidem lex prohibens Clericum ordinari ante legitimam ætatem est vniuersalis, & afficit omnes siue sæculares, siue Regulares, sicuti lex prohibens, quem ordinari extra statuta tempora, afficit tam sæculares, quàm Regulares.

18 *Si ignoranter fuerit promotus non cõtrahit*

Dixi *initiatum scientèr ante legitimam ætatem*, nam si ignorantèr, & bona fide, qui ex testimonio parẽtum ordines susciperet ante ætatem præscriptam non contraheret hanc suspensionem, prout notant *Nauarrus in man. cap. 27. num. 156.*, *Toletus in summa lib. 1. cap. 15. num. 4.*, *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 30. propè finem*, *Suarez de censuris disp. 31. sect. 1. num. 26.* Ratio ex eo deducitur, quia iura inducentia hanc pænam loquuntur in terminis temerè se promouere facientium ad sacros ordines, vndè Pius II. *Nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes*, supponit præsumptionem, quæ nequit considerari ex eo, qui bona fide, & fretus testimonio parentum ita se facit ordinare, & prosequitur, quod, si hic postea in suscepto ordine ministrauerit, non contrahat irregularitatem, quamuis cautiùs esset, si postea cognita minoritate ætatis abstineret ab exercitio illius ordinis.

19 *Si ministret durantè suspensione fit irregularis.*

Ex eo autem, quòd scientèr promotus ante legitimam ætatem contrahat ipso iure pænam suspensionis, sequitur, quod, si ministret in suscepto ordine durante adhuc suspensione, afficiatur irregularitate, prout colligitur ex dicta Constitutione Pij II. Ibi *Et si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.*

20 *Non tamen fit irregularis ex eo, quod in ordinatione concelebret, cũ Episcopo.*

Sed, cum dicatur, quod ante legitimam ætatem promotus ministret in susceptis ordinibus contrahat irregularitatem, oritur immediatè ratio dubitandi, an, si ante legitimã ætatem, quis ordinetur Sacerdos ex eo, quod celebret, & sacrificium offerat cum Episcopo ordinante intelligatur ex illa concelebratione cum Episcopo irregularitatem incurrere? Affirmant *Nauarrus cons. 4. de Clerico excomm. Couarruuias in relect. cap. alma mater part. 1. §. 3. sub num. 5.*, atque ita iudicasse testatur *Lopez ad Diaz in pract. crim. can. 26.* in facti contingentia grauissimos quosdam Theologos Societ. Iesu, quandoquidem in eodem actu ordinationis verè vtitur ordine Presbiteratus, postquam illum suscepit concelebrando, & consecrando cum Episcopo. Contrarium tamen, & quidem rectiùs sentiunt *Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 9.*, *Sairus lib. 4. Thesauri cap. 16. num. 23.*, *& lib. 7. c. 12. dub. 11. vers. dubium quartum*, *Suarez de censuris disp. 31. sect. 1. num. 70.* Ratio ex eo deducitur, quia ille actus concelebrationis cum Episcopo, se habet per modum vnius actus cum eadem ordinatione, siquidem ex consueto Ecclesiæ illa concelebratio est actus concomitans eandem ordinationem, quæ regularitèr non confertur, nisi ille ponatur, & eodem autem actio, quo imponitur pæna suspensionis, non incurritur pæna irregularitatis.

Quamuis autem ad incurrendam pænam irregularitatis requiratur distinctus actus ab illo, quo incurritur pæna suspensionis; ex quolibet tamen actu distincto, non incurritur eadem irregularitas

21 *Neque ex eo, quod exerceat aliquos actus distinctos à Sacerdotio.*

sed tantum ex illis actibus, qui sunt proprij caractheris Sacerdotalis, vndè, si Regularis v. g. post susceptum ordinem Sacerdotalem sederet inter Sacerdotes, vteretur voce actiua, & passiua, qua solum gaudent Sacerdotes in eiusdem Religione, non contraheret illam irregularitatẽ, vt notant *Rodriquez tom. 3. qq. Regul. q. 23. art. 12.*, *Quaranta verb. Ordo vers. ampliatur*, quod adeò verum est, vt, si præfati actus ex particulari statuto alicuius Religionis essent alligati ordini Sacerdotali, non propterea, qui post susceptum ante ætatem ordinem Sacerdotalem illis vteretur, afficeretur irregularitate, vt docuit *Nauarrus cons. 9. de Cleric. excommun. ministraut. in non. Rodericus tom. 3. qq. Regul. qu. 23. art. 12.*, *& in summa part. 1. cap. 166. concl. 1.* addita etiam ratione, quia illi actus non sunt Diuina officia.

Hactenus de suspensione respectu scientèr ordinati sacris ordinibus ante legitimam ætatem. Sed quid erit sentiendum

22 *Episcopus ordinans ante ætatẽ cõtrahit suspensionem.*

de Episcopo ordinante in legitima ætate, non constitutum? In textu *in cap. vel non est compos de tempor. ord.* contra Episcopum ordinantem Clericum ante legitimam ætatem præscribitur pæna suspensionis, sed, an hæc pæna sit latæ sententiæ, an ferendæ. Sistendo *in d. cap. vel non est compos* videtur potius ferendæ, quam lata, cum ibi dicatur. *Discretioni vestræ mandamus, quatenus, si rem inueneritis ita esse, prædictum Episcopum à collatione ordinum suspendentes &c.*, quæ certè verba suspensionem ferendam, non latam important. Ex vi tamen constitutionum Alexandri VI., & Innocentij VIII.

23 *Hæc suspensio est latæ sententiæ*

ipso

ipso iure Episcopum sic ordinantem afficit hæc pæna, vndè, si postea ministret in suo ordine, incurret irregularitatem; atque sic sentiunt *Maiolus lib. 1. de irregularit. cap. 30. num. 9.*, *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 5. cap. 3. num. 17.*

In ordine ad tertiam rationem dubitandi, cum requiratur ad Subdiaconatum annus 22. incohatus, & 23. ad Diaconatum, & 25. incohatus ad Sacerdotium, non videtur sufficere, quod vigesimus primus annus pro primo, vigesimus secundus pro secundo, & vigesimus tertius pro tertio sit completus, sed quod in primo inceperit vigesimus secundus, in secundò vigesimus tertius, in tertio vigesimus quintus, prout sentit *Pontius lib. 7. cap. 65. art. 1.*, adeò vt in hoc non detur paruitas materiæ, seu temporis paritate adducta ex præcepto prohibente esum carnium in die Veneris, quæ dies incipit à media nocte post diem præcedentem Iouis, vnde qui nocte Iouis statim post signum mediæ noctis ederet carnes, non excusaretur ex paruitate materiæ, quam paritatem applicat casui nostro; immò strictius procedendo ad hoc, vt dicatur in Subdiaconatu annus vigesimus secun-

24 dus incohatus, in hac sententia non videtur sufficere, quod vltima dies vigesimi primi anni sit completa, & quomodocunque incæperit prima dies vigesimi secundi anni, sed requiritur, quod etiam horæ computentur, adeò vt, si compleat vigesimum primum annum die v.g. 25. Martij hora vigesima non possit ea die ordinari, nisi elapsis horis, quibus completur idem vigesimus primus annus, & iam incæperit vigesimus secundus; atq; iuxtà hanc sententiam procedunt *Suarez tom. 3. de Religione lib. 5. cap. 15. num. 1.*, *Bartholomæus de Vecchis disp. 11. dub. 4. sub num. 3.* Contrarium tamen *Henriquez lib. 13. de excomm. cap. 40. num. 2.*, *Rodriquez tom. 3. de Regul. quæst. 15. art. 4.*, *Gratianus tom. 3. discept. for. cap. 413. à num. 16. ad 32.* ex generali regula, qua habetur, quod in fauorabilibus dies cæpta habeatur pro completa. Sed non recederem à priori opinione, tanquam tutiori, quia annus vigesimus secundus incohatus pro ordine Subdiaconatus præscribitur, tanquam forma, quæ ad vnguem est seruanda; nec in hoc valet regula, quod in fauorabilius dies cæpta habeatur pro completa; nam hic non versamur in fauorabilibus simpliciter, cuiusmodi sunt condere testamentum, libertates, & honores consequi, quæ exigunt certam ætatem; in ijs etenim sufficit diem esse incæptam; sed versamur, in ijs, quæ, licet

Nõ suffi cit, quod dies fuerit incohata, sed debet esse cõpleta.

fauorem importent, inducunt tamen simul, & semel onera, cuiusmodi est professio in Religione emittenda, & ordo suscipiendus, nam per illam inducitur vinculum subiectionis perpetuæ, in isto onus sacrarum horarum recitandarum, & castitatis seruandæ; in ijs autem non sufficit diem esse incæptam, sed debet esse completa, prout definiuit *Rota Romana inter recentiores apud Farinacium decis. 175. num. 7.*, atque iuxtà hunc sensum teste *Bonacina de Sacram. Ord. disp. 8. qu. vnica punct. 5. num. 15.* procedit praxis hic Mediolani recepta, quod ad Sacerdotium non admittitur, qui eadem hora, in qua habetur sacra ordinatio complet 24. annum.

In ordine ad secundum video DD. in computatione diei bixestilis tam pro ordinibus suscipiendis, quam pro professio ne solemni in Religione emittenda acritèr inter se dimicantes, dum aliqui, inter quos *Panormitanus in cap. quæsiuit de verb. signif. Henriquez in summa lib. 10. cap. 19.*, *Aloysius Riccius in praxi fori Eccl. post resol. 276. in notabilibus de materia Sacram. Ord. vers. quoad interstitia in secunda edit.*, *Barbosa de offic. & potest. Episcopi allegat. 101. num. 13. vers. ego verò*, sustinent non esse necessario computandum pluribus ad hoc rationibus adductis, & primo, quia annus in iure constituitur ex diebus 365., ergo, vbi elapsi fuerint huiusmodi dies 365., habebitur annus completus tam pro professione emittenda, quam pro sacris ordinibus suscipiendis etiam non computato die illo bixestili, qui est extra illos dies 365. Secundò, quia iura in computandis annis attendũt ad id, quod est per se, non ad id, quod per accidens euenit; quod autem pro aliquo anno dies bixestilis interueniat est per accidẽs. Alij è contra, & quidem congruentiùs sustinent, diem illum bixestilem esse computandum, adeovt quoad huiusmodi effectus illo non computato non habeatur annus completus; atque hi sunt *Molfesius in summa tract. 2. cap. 12. num. 8.*, *Bonacina de Sacram. Ord. disp. 8. q. vnica punct. 5. num. 15. vers. sed contrarium*, *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ordin. in communi part. 5. cap. 4. num. 24.*, & alij innumeri penes eosdem. Rationes plurimas pro hac opinione adducunt; & pri- 25
mò, quia in hoc genere attendendus est annus Ecclesiasticus; cum enim versemur in dispositionibus Ecclesiasticis, tempus ad earum adimplementum requisitum attendendum est iuxtà leges Ecclesiasticas; sed iuxtà leges Ecclesiasticas dies bixestilis computatur in illo anno, ergo &c. Secundò, quia, si dies bixestilis huius

Sententia asserens diẽ bixestilem non esse computandũ

Probabilius dies bixestilis in anno non est computanda.

huius anni v. g. non esset computandus, nec essent computādi dies bixestiles aliorum annorum præcedentium, cum sit eadem ratio de omnibus; quo supposito demus, quod quis natus fuerit die 23. Martij anni millesimi octuagesimi primi, à qua die ad diem 23. eiusdem mensis anni præsentis 1701. elapsi fuerunt anni 21., intra quos annos plures mediarunt anni bixestiles, hic certè, si dies bixestiles non essent computādi posset ordinari Subdiaconus quinque, vel sex diebus ante diem vigesimam tertiam præsentis anni, cum computatis omnibus annis vitæ suæ intercesserint quinque, vel sex dies bixestiles, quod est contra communem vsum, & praxim Ecclesiæ. Tertiò, quia dies illa bixesti est complementum quadriennij præcedentis, quæ deerat ad complementum integri circuli solis per zodiacum, ergo computanda est. Quartò, quia duo illi dies pro vna computantur per textum *in l. cum bixestus, ff. de verb. signific.*, ergo computanda est.

Annus Ecclesiasticus admittit extensionem.

Nec me premunt, quæ pro contraria sententia afferebantur, non primum, quia licet annus, vt plurimum constituatur ex illis diebus 365., annus tamen Ecclesiasticus, prout sumendus est in hac materia, non consistit indiuisibilitèr in illis, sed secundum variationem temporum admittit extensionem, vndè cum eadem extensione est metiendus. Non secundum, quia annus, vt Ecclesiasticus non per accidens, sed per se includit diem illum bixestilem.

ARTICVLVS III.

An in ordinando requiratur scientia, & quænam, & testimonium morum.

SVMMARIVM.

Scientia in promouendis ex sacris literis requiritur. 1.

Quænam scientia in singulis ordinibus requiratur. 2.

Probabilius tanta scientia requiritur in Regularibus, quanta in sæcularibus. 3.

In promouendo ad Sacerdotium non requiritur scientia necessaria ad audiendas confessiones. 4.

Quænam ignorantia inducat irregularitatem. 5.

Quodnam morum testimonium requiratur in promouendo. 6.

1 SCientiam in ministris Dei, & Ecclesiæ requiri ex sacris paginis concludentèr euincitur, & præcipuè ex illo *Osea* 4. *quia scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris.* Solum difficultas viget in exquirendo, quænam scientia in singulis ordinibus requiratur?

Scientia in promouendis ex sacris literis requiritur.

Nec in hoc diutius immorandum, cum expressè definitum habeamus *in Concilio Tridentino sess.* 23. per plura capitula, & quidem *ibid. cap.* 4. in promouendo ad primam tonsuram præscribit, vt rudimenta fidei rectè teneat, & saltem sciat legere, & scribere; in promouendis ad ordines minores *d. sess.* 23. *cap.* 11. requirit, vt linguam teneant latinam; in promouendis ad Subdiaconatum, & Diaconatum *ibid. cap.* 13. requirit, vt optimè norint ea, quæ pertinent ad illos ordines, & ad illorum exercitium; in promouendis verò ad Præsbiteratum *ibidem cap.* 14. requirit tantam scientiam, quanta necessaria est ad perfectam cognitionem illius ordinis, & munerum, quæ exercere debet, & vlterius ad docendum populum ea, quæ ad salutem necessaria sunt, & ad ministerium Sacramentorum. Hæc autem scientia respectiuè ad singulos ordines non est necessaria necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti; vndè, si quis ordines reciperet sine sufficienti scientia requisita ad singulos, vtique caractherem, sed non licitè, reciperet. 2

Quænā scientia in singulis ordinibus requiratur.

Circa hanc scientiam requisitam, in promouendis in ordinibus modo plura insurgunt dubia. Primum est, an respectiuè requiratur tanta scientia in Regularibus promouendis ad ordines, quanta in Clericis sæcularibus. Minorem scientiam desiderari in Regulari, quam in sæculari statuunt *Siluester in verb. Clericus* 2. *nu.* 1., *Iacobus de Graffis decis. aurear. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 24., *Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episcopi allegat.* 46. *num.* 14., qui ea mouentur ratione, quod propter consortium aliorum præsumatur faciliùs in literis profecturus. Sed non libenter adhærerem huic opinioni, quia, vt quis promoueatur ad ordines, requiritur, vt tunc, quandò promoueri debet, habeat sufficientem literaturam, nec sufficiat, vt illam possit habere, vndè *Concilium Trident. sess.* 23. *c.* 5. non solum sæculares Clericos, sed etiam Regulares de sufficientia scientię ab Episcopis examinari, & approbari iubet. Accedit, quod à *Concil. Trident. d. sess.* 23. *de reformat.* per plura capita supra enumerata, non requirit, nisi scientiam in promouendis ad minores, quæ versetur circa latinam linguam, & in cæteris maioribus, nisi illam, quæ versatur circa substantiam, & munera talium ordinum, quos quis debet recipere; incongruum 3

Probabilius tanta scientia requiritur in Regularibus, quanta in sæcularibus.

gruum autem maximè videtur, vt etiam Regularis promoueatur ad ordines ignarus Latinæ linguæ, & nesciat munera, quæ debet exercere.

Secundum dubium est, an promouendus ad Sacerdotium tantam habere debeat scientiam, quanta necessaria est ad audiendas sacramentales confessiones? Ex eo, quod *Concilium Tridentinum sess. 23. de reformat. c. 14.* dixerit, debere tanta scientia pollere, vt populum docere valeat, & ministrare Sacramenta, & ex eo quod in ordinatione tradatur eidem potestas ordinis ad absoluendum à peccatis, videtur congruè inferri, in sic promouendo requiri talem scientiam, vt possit confessiones sacramentales audire, & recipere. Nihilominus sentiendum est, talem scientiam non esse necessariam, quod colligitur ex *Concil. Trid. d. sess. 23. de reformat. cap. 15.*, vbi asserit, nullum Sacerdotem, quantumuis Regularem admittendum esse ad confessiones sæcularium, nisi prius facto experimento per Episcopum idoneus reperiatur, ergo supponit, prius quem esse Sacerdotem, quàm examinetur super idoneitate ad confessiones audiendas. Deindè vsu compertum est, quod in examine ad Sacerdotium non fiat experimentum de idoneitate ad confessiones audiendas. Neque obstant ea, quæ ex aduerso afferebantur, quandoquidem Concilium Tridentinum, per ly *docere populum* non intelligit doctrinam sufficientem ad audiendas confessiones, sed ad instruendum populum in rudimentis fidei, nec potestas absoluendi, quæ confertur in collatione ordinis Sacerdotalis, exigit pro tunc sciētiam requisitam ad ministerium absolutionis sacramentalis, cum talis potestas suspendatur, donec facto experimento idoneitas ab Episcopo approbetur.

4 *In promouēdo ad Sacerdotium non requiritur scientia necessaria ad audiendas confessiones*

Tertium dubium est, an defectus scientiæ requisitæ efficiat ordinandum irregularem. Breuitèr respondendum est, quod, si defectus fuerit talis, vt ipso stante nequeat cognoscere, quæ necessaria sunt ad ordinum susceptionem, illorumque exercitium, vtique intelligatur irregularis, secus autem, si defectus non fuerit talis, sed solum minor eo, quem excludit Tridentinum. Prima pars est *Nauarri in manuali c. 27. num. 205.*, *Suarez de Censur. disp. 51. sect. 1. num. 8.*, *Vasquez tom. 3. in tertia part. disp. 246. cap. 3.*, & expresè deducitur *ex cap. illiteratos dist. 36.* Secunda pars est *Marchini tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 5. cap. 1. n. 14.*, *Sayri de Censur. lib. 6. cap. 13. num. 8.*, *Homoboni de exam. Eccles. tract. 4. c. 9. qu. 72.* Rationem ex eo deduco, quod textus *in d. cap. illiteratos* procedit absolutè, & negatiuè, adeoque supponit pro negatione literaturæ, non positiuè pro minori literatura, & sic eius dispositio non est trahenda ad hunc secundum casum.

5 *Ignarus penitus est irregularis.*

Circa secundum punctum in titulo propositum de testimonio morum non est, cur immoremur, cum *Concilium Trident. d. sess. 23. de reformat. cap. 5.* statuat, quod ad minores ordines promouendi bonum à Parocho, & à Magistro scholæ, in qua educantur, habeant testimonium; illi verò qui ad singulos maiores ordines sunt assumendi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus, ac desiderio eorum, qui volunt promoueri publicè in Ecclesia propositis de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligentèr inquirat, & literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quam primum transmittat.

6 *Quodnā morum testimonium requiratur in promouendo.*

ARTICVLVS IV.

De minus honesta intentione ordinandi.

SVMMARIVM.

De quanam intentione procedat titulus. 1.
Suscipiens primam tonsuram ad finem præcisè declinandi forum laicale sine intentione Deo inseruiendi peccat lathalitèr. 2.
Etiam Episcopus sciens illum finem, & ordinans grauiter peccat. 3.
Suscipiens ordines minores non intendens ascendere ad maiores, sed nubere, contrahit grauem noxam. 4.
Suscipiens ordines cum intentione principali obtinendi pingue beneficium non eximitur à graui culpa. 5.
Ordinatus ad finem consequendi beneficium cum intentione illud dimittendi, cum inuenerit vxorem diuitem, & peccat, & tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum. 6.

NOn est hic sermo de intentione requisita in ordinando ad suscipiendos ordines, quandoquidem ex dictis in quæstionibus de Sacramentis in genere patet in adulto requiri intentionem saltem habitualem, sed de intentione praua remouenda, qualis est illa, quam potest habere ad aliquem finem minus congruum intentioni Dei, & Ecclesiæ; puta ob declinandum præcisè forum laicale, ob præcisè consequendum aliquod bene-

1 *De qua intētione procedat titulus.*

beneficium, vel ob aliquem alium finem cum intentione non perseuerandi in ordine Ecclesiastico. De hac minus recta intentione modo inquirimus, an inducat aliquam noxam tam respectu ordinati, quam respectu ordinantis, si hic nouerit talem intentionem.

2 Assertio I. Si quis suscipiat primam tonsuram ex fine præcisò declinandi forum laicale absque proposito Deo inseruiendi contrahit noxam, & quidem lethalem. *Bannes secunda secundæ quæst. 12. art. 1. concl. vlt., Rodriquez in summa c. 17. num. 2. part. 2., Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episcop. alleg. 10. num. 20., & alleg. 11. num. 12., Molfesius in summa tract. 2. cap. 18. num. 2.*, quidquid ex aduerso dixerint *Bonacina de matrim. qu. 3. punct. 9 nu. 5., Homobonus de exam. Eccles. tract. 1. quæst. 2., Diana part. 1. tract. 16. resol. 10.*

Peccat grauitèr qui recipit primam tonsuram ex fine præcisè vitandi forum laicale.

Probatur primo ratione, quia recipere primam tonsuram ex fine præcisè declinandi forum laicale est abuti re spirituali, rerumque ordines peruertere constituendo in medio finem, & in fine medium, hoc est ordinando res spirituales ad temporalia, quod est id, in quo peccatum constituit D. Augustinus dicens, peccatum est fruendis vti, & vtendis frui, ergo recipere primam tonsuram ex illo fine præcisè est peccatum, & vtique graue, cum deordinet res in materia graui.

Probatur secundò, quia per talem receptionem cum illa præcisè intentione fit iniuria, & vtique grauis Deo, Ecclesiæ, & potestati laicali, ergo est grauitèr peccaminosa illa receptio. Antecedens probatur quoad primam, & secundam partem, quia per illam intentionem quodammodo Deum, & Ecclesiam illudit, cum constituerint tonsuram, vt quis initietur militiæ Ecclesiasticæ, & per illam ascendat ad ordines sacros ad finem deseruiendi Deo viuenti, & ipse quodamodo eos fraudat, dum recipit, non vt eis deseruiat, sed potius, vt ipsi sibi deseruiant constituendo immunem à potestate laicali. Quoad tertiam etiam sic euincitur, quia pallio quodamodo emendicato se subtrahit à foro laicali, in quo noxam agnoscit *Concil. Trident. sess. 23. de reformat. c. 4.*, dum dicit. *Prima tonsura non initientur &c. de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis iuditij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent hoc vitæ genus elegisse*; vbi vides, quod, cum Concilium appellet hanc receptionem primæ tonsuræ absque proposito Deo deseruiendi fraudem sæcularis iuditij, vtique agnoscat graue præiuditium, & detrimentum Reipublicæ; Nec obstare potest, si dicatur, quod in tali promotione vtatur iure suo se subtrahendo à potestate laicali per media tali subtractioni proportionata, cuiusmodi est susceptio tonsuræ clericalis; Non, inquam, obstare potest primo, quia non potest dici habere ius ad illum effectum, quando vtitur fraude ad illum requirendum. Secundò, quando etiam daremus habere ius, non potest tamen eodem vti in detrimentum alterius.

Euincitur ex dispositione Concil. Trident.

3 Ex his, quæ hactenus diximus, sequitur, quod Episcopus conscius de illa praua intentione ordinandi, illum promouet ad primam tonsuram, grauiter peccet, quia cooperatur peccato eiusdem, quin immò ipse deficit à proprio munere, cum teneatur arcere à consecutione ordinum, qui prauo fine, & non ordinato ad intentionem Dei, & Ecclesiæ ad ipsos accedit.

Etiam Episcopus sciēs peccat grauitèr

4 Assertio II. Si quis accederet ad ordines minores cum positiua intentione non ascendendi ad maiores, quin potius cum animo recedendi à statu clericali, & accedendi ad statum coniugalem, non eximeretur à graui culpa. Consentiunt *Franciscus Victoria in summa tit. de Sacram. Ord. num. 240, Petrus de Ledesma de Sacram. Ord. dub. 5. concl. 2., Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 8. cap. 1. prop. 2.* Dixi *cum positiua intentione non ascendendi ad maiores*, quinimmò cum animo recedendi, & accedendi ad statum coniugalem; nam licet in accessu non teneretur habere positiuum animum perseuerandi, tenetur tamen non habere positiuum, & formale propositum non perseuerandi; hoc etenim positiuum propositum non perseuerandi iniquum est, nec potest aliqua ratione iustificari.

Suscipiens minores cū animo nubendi grauitèr peccat.

Probatur, quia illa positiua intentio, nō perseuerandi declinat à fine, ad quem ordines instituti sunt, vt scilicet medijs eisdem perueniatur ad confectionem Eucharistiæ, quæ est vltimatus finis huiusmodi ordinum, adeoque est illusoria Christi institutoris, & Ecclesiæ, ergo peccaminosa est. Accedit primo, quod non licet positiua intentione, & animo deliberato intendere commixtionem sacrorum cum profanis, siquidem ex illa commixtione non seruatur debita reuerentia rebus sacris, ergo nec licebit eadem intentione positiua, & deliberata intendere susceptionem ordinum, & simul, & semel recessum ab eisdem, quandoquidem, cum caracther ordinum perseueret, adeoque illo insignitus sit addictus sacris, vtique per recessum ab eisdem, & accessum ad statum coniugalem fieret confusio sacrorum cum profanis, & non quidem

Rationes pro asserto.

ex

ex causa subsequente, sed ex præuia, & præmeditata intentione.

Soluitur instantia cõtraria Neque obstare potest, si dicatur, quod quis nullo iure teneatur ad sacros ordines suscipiendos, ergo neque tenetur habere intentionem illos suscipiendi, nemo etenim tenetur intẽdere aliquem actum, qui non cadat sub præcepto, seu obligatione; Non, inquam, obstare potest, quia licet secundum se nullus teneatur sacros ordines suscipere, adeoque neque habere intentionem illos suscipiendi; ex quo tamen vult minores ordines, debet habere intentionem ordinatam, & non positiuè contrariam fini ordinum, quos suscepit, cæteroqui simul vellet illos ordines excludendo positiuè finem, ad quem ordinantur, quod certè non cohæret rectæ rationi, cum intenderet ad finem contrarium, ad quem isti ordines sunt instituti.

5 *Suscipiens principalitèr ob pingue beneficium peccat.* Assertio III. Si quis susciperet ordines cum intentione principali obtinendi pingue beneficium, sine qua intentione illos ordines non susciperet, non eximeretur à graui culpa. Consentit *D. Thomas secunda secundæ quæst. 185. art. 1., Petrus Soto lect. 3. de scientia, & moribus Sacerdotis vers. secundum intentio præpostera*.

Ratione euincitur. Probatur primò, quia recipere ordines cum illa intentione principali obtinendi pingue beneficium est illos recipere principalitèr propter lucrum, adeoque ordinare res spirituales, tanquam medium ad temporales, tanquam ad finem, quæ ordinatio est inordinata, magnãq; infert iniuriam rebus sacris, quamobrem *D. Bonauentura tract. de præparat. ad Missam cap. 9.* huiusmodi suscipientes ordines principaliter ad hunc finem acritèr sic reprehendit. *Væ væ Domine Deus. Quanti homines infelices ad sacros ordines accedunt, & Diuina Mysteria accipiunt non cælestem panem, sed terrenum quærentes, non spiritum, sed lucrum, non Dei honorem, sed suam ambitionem, non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum, non Christo seruire mundo corde, & corpore in sacris Mysterijs, sed delitiari, non vocati à Deo, sed impulsi à Diabolo tanquam Dathan, & Abiron*, vbi notate illa verba repetita *Væ væ*, quæ certè important grauitatem sceleris.

Et etiã auctoritate D. Thomæ. Probatur secundò auctoritate D. Thomæ *loc. cit.*, vbi docet appetentem Episcopatum propter diuitias læthalitèr delinquere, cui auctoritati cõgruit id, quod habet *Cathechismus Romanus de Sacramento Ordinis* Ibi. *Quamuis enim ex Apostoli sententia natura, & diuina lex iubeat, vt qui Altari seruit, de Altari viuere debeat; tamen quæstus ac lucri causa ad Altare accedere maximum est sacrilegium. Alios honorum cupiditas, & ambitio ad Sacerdotalem ordinem ducit. Alij verò, vt diuitijs affluant initiari volunt &c.*

Cum igitur grauitèr delinquant, qui eo principali fine, vt recipiant beneficiũ pingue, sacris ordinibus initiantur, sequitur a fortiori, quod qui ordines suscepit, & beneficium ex sola, & præcipua intentione, vt eius fructibus gauderet, donec studia perfecerit, vel valdè diuitem vxorem inuenerit, grauius peccaret, & teneretur ad restitutionem fructuum, prout expressè habetur *in cap. commissa vers. cæterum de elect. in 6.* 6 *Corrolarium ad dicta.*

ARTICVLVS V.

De conditione negatiua requisita ex parte ordinandi relata ad hæresim, seu eius carentiam.

SVMMARIVM.

Hæretici non possunt licitè ordines recipere. 1.

Non solum notorij, sed etiam occulti. 2.

Et non solum ratione censurarum annexarum, sed etiam ratione præcisè hæresis. 3.

Ab eisdem ordinibus excluduntur etiam scismatici. 4.

Item fautores, Consultores, & receptatores hæreticorum. 5.

Item filij, & nepotes hæreticorum, si sint ex linea paterna. 6.

Si verò ex linea materna excluduntur tantum filij, non nepotes. 7.

Filij hæreticorum priuantur etiam vsu ordinum ante susceptorum. 8.

Hæc irregularitas, qualiscunque sit, est dispensabilis à Romano Pontifice. 9.

Episcopus potest dispensare super hac irregularitate, si sit ex delicto occulto. 10.

Potest etiam dispensare quoad filios, & nepotes hæreticorum. 11.

Inquisitores nequeunt super tali irregularitate dispensare. 12.

Probabilius Prælati Regulares posita absolutione ab hæresi possunt cum suis subditis super hac irregularitate dispensare. 13.

Hæretici posita absolutione ab hæresi adhuc indigent dispensatione super irregularitate. 14.

Hactenus egimus de conditionibus, quas habere debet ordinandus; nunc de conditionibus, quas habere non debet, quas propterea negatiuas appellamus; & primo se se offert hæresis, de qua plura veniunt examinanda sub præ-

ſenti titulo; & primò, an hæc, ſiue ſit occulta, ſiue notoria, impediat legitimam ordinum ſuſceptionem, & qua ratione, an ſcilicet ratione ſui, an vero ratione alicuius notæ eidem annexæ. Secundò quinam computentur pro hæreticis, qui à ſuſceptione ordinum repelluntur. Tertiò, an ſint diſpenſabiles, & à quonam; Quartò, an, ſi hæreſim abiurauerint, & ab eadem fuerint abſoluti reddantur immediatè capaces ſacræ ordinationis.

1 *Hæretici non poſſunt licitè ordines recipere*

Circa primum, quamuis in præcedentibus dixerimus, hæreticos eſſe capaces validæ receptionis ordinum, ſentiendum tamen eſt licitè eos non poſſe recipere, ſed ab eiſdem repellendos, ſiue fuerint notorij, ſiue occulti. Videtur ſufficientèr euinci ex textu *in cap. 1. de hæret. in 6., & cap. ſi quis omnem 1. quæſt. 7., & c. didicimus 24. quæſt. 1.*, nec ſolum ratione annexarum cenſurarum huiuſmodi hæretici à ſuſceptione ordinum repelluntur, vt ſentiunt *Phyliarchus lib. 4. cap. 15. de offic. Sacerdotis*, *Sayrus de Cenſuris lib. 5. cap. 12. num. 16.*, *Garzias de benef. part. 11. c. 10. num. 85., & alij*, ſed etiam ratione ſui ob atrocitatem delicti, quam in ſe inuoluit, adeovt, ſi etiam eidem non eſſent annexæ cenſuræ, adhuc expelleret ab ordinibus ſuſcipiendis, vt ſentiunt *Maiolus de irregularit. lib. 5. cap. 46. num. 1.*, *Nauarrus in manuali cap. 27. num. 205.*, *Azorius Inſtit. mor. part. 1. lib. 8. cap. 11. quæſt. 13., & alij* deducta etiam ratione ex eo, quod Clemens VII. facultatem Inquiſitoribus conceſſerit diſpenſandi ab irregularitate orta ex hæreſi præciſè, ex quo deducitur per eandem hæreſim præciſè incurri irregularitatem; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur nullibi in iure reperiri impoſitam hæreſi hanc irregularitatem, adeoque, ſi expellit ab ordinum ſuſceptione, hoc non eſſe ratione ſui, ſed vel ratione infamiæ eidem annexæ, vel ratione excommunicationis in Bulla Cœnæ promulgatæ; non, inquam, obeſſe poteſt, quia de huiuſmodi irregularitate conſtat *ex cap. ad abolendum, & cap. ſaluberrimum 1. qu. 3.*, quos textus licet aliqui intelligant ſolum de hæreſi publica, vt *Corneus dub. vnico quæſt. 4.*, *Diana part. 1. tract. 11. reſolut. 114.*, alij tamen, & quidem congruentius extendunt etiam ad hæreſim occultam, & præcipuè *Turrianus lib. 9. diſp. 62. dub. 1.*, *Marchinus tract. 1. de Sacrament. Ordin. in communi part. 8. cap. 2. num. 1.*, nam promulgatio Bullæ, quæ fit in Cœna Domini, comprehendit etiam hæreticos occultos.

2 *Non ſolum notorij, ſed etiam occulti.*

3 *Et non ſolum ratione cenſurarum, ſed etiam præciſè ratione hæreſis.*

4 *Excluduntur etiam ſchiſmatici.*

Circa ſecundum conueniunt omnes, quoad hunc effectum, vt expellantur ab ordinum ſuſceptione, comprehendi etiam ſchiſmaticos per textum *in c. 1. de ſchiſmaticis*; ſchiſma etenim eſt ſemper coniunctum cum hæreſi. Item comprehendi fautores, conſultores, & receptores hæreticorum, qui in facie Eccleſiæ habentur pro hæreticis, vt colligitur *ex Bulla Cœnæ can. 1.* Item Apoſtatas à Religione dimmiſſo habitu, durante eodem ſtatu per textum *in cap. fin. de Apoſtaſ.* Item ſuſpectos de hæreſi formalitèr ante abiurationem, & purgationem, cum pro hæreticis habeantur. Item filios, & nepotes hæreticorum ex linea paterna, filios vero tantum, & non nepotes, ſi ſint ex linea materna, prout habetur *in cap. ſtatutum fœlicis de hæretic. in 6.*, hoc tamen intellige, ſi eorum parentes non emendati deceſſerint, nam ſi ante mortem fuerint emendati, & reincorporati vnitati Eccleſiæ, eorum filij non ſubiacent huic pœnæ, vt expreſsè habetur in hoc eodem textu. Aduerte tamen, hoc eſſe diſcrimen inter irregularitatem prouenientem ex hæreſi in ipſo hæretico, & irregularitatem ex ipſius hæreſi prouenientem in filios, & nepotes, quod illa oritur ratione ſui ex atrocitate delicti, iſta verò non oritur ratione ſui, cum filij, & nepotes non intelligantur tali labe infecti, ſed ratione infamiæ, cum filij hæreticorum propter delictum Patris fiant infames in odium ipſorum; Neque hic audiendi ſunt aliqui, qui ponderantes textum *in d. cap. ſtatutum fœlicis de hæret. in 6.*, aſſerunt ipſum intelligendum eſſe ſtrictè de officijs publicis, de quibus ibi ſit mentio, non extendendum ad Eccleſiæ ordines, de quibus ibi nullum verbum habetur; Non inquam, audiendi ſunt, quia nomine publicorum officiorum, & beneficij Eccleſiaſtici veniunt etiam ordines, vndè *Innocentius IV. anno 1252.* loquens de filijs hæreticorum aſſerit priuari ipſo facto quibuſcunque publicis officijs, honoribus, & dignitatibus; denegari autem non poteſt, quin nomine honorum veniant etiam Eccleſiaſtici ordines.

5 *Item fautores, & conſultores hæreticorũ*

6 *Item filij & nepotes hæreticorum ſi ſint ex linea paterna.*

7 *Si ex linea materna excluduntur ſolũ filij.*

8 Hæc irregularitas reſpectu filiorum hæretici intelligenda eſt, quando filius natus ex patre Catholico, qui poſtea in hæreſim incidit, & mortuus eſt in eadem, manet in noſtris partibus; ſecus autem, quando manet in partibus hæreſi infectis, vt videtur aſſerere *Diana part. 4. tract. 2. reſol. 45.*

Quid verò ſentiendum ſit, ſi filij, & nepotes hæreticorum fuerint promoti ad ordines ante parentum delictum notorium, vel in iuditio probatum, an tunc priuabuntur vſu ordinum iam ſuſceptorum. *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 8. cap. 2. num. 16. in fine*

ſentit

sentit, priuari etiam vsu ordinum ante susceptorum motus ex quatuor Pontificum Constitutionibus Innocentij IV. de anno 1252. Alexandri IV. de anno 1259. Clementis IV. de anno 1265. Honorij IV. de anno 1286., in quibus omnibus filij hæreticorum priuantur ipso facto quibuscunque publicis officijs, honoribus, & dignitatibus; sed ordo est officium publicum Ecclesiasticum, & dignitas, ergo filij hæreticorum intelliguntur priuati vsu eorundem ordinum. Contrarium

8 *Filij hæreticorũ priuantur etiã vsu ordinum susceptorum.*

tamen sustinent *Maiolus de irregularitate lib. 5. cap. 46. num. 6.*, *Sanchez lib. 2. oper. mor. cap. 28. quæst. 2. num. 10.*, *Suarez de Censur. disp. 43. sect. 3. num. 2.*, & alij plures, qui ea mouentur ratione, quod textus *in d. cap. statutum falicis*, & *in cap. quicunque*, §. *hæretici de hæret. in 6.* excludit filios hæreticorum, ne ad publica officia admitti possint, non autem priuat vsu ordinum, quos antecedentèr susceperunt. Probabilius existimo procedere opinionem Marchini loco cit. stantibus verbis recensitarum Constitutionum Pontificiarum, quibus priuant omnibus publicis officijs, & dignitatibus; priuatio autem est de possessis.

Circa tertium, non est hæsitandum, huiusmodi irregularitatem esse dispensabilem, siue fuerit occulta, siue notoria à Romano Pontifice, quia ab eo, à quo

9 *Hæc irregularitas dispensabilis est à Romano Pontifice.*

est imposita, potest dissolui. Non est hæsitandum secundò, quod, si hæresis, cui annexa est illa irregularitas, fuerit notoria, non possit per Episcopum dispensari. Ratio est, quia irregularitas ex genere suo proueniens ex delicto est reseruata Romano Pontifici, quod si *Concilium Trid. sess. 24. de reformat. cap. 6.*, facultatem concessit Episcopis dispensandi in irregularitatibus, a suspensionibus ex delicto prouenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, est tamen cum expressa restrictione, si delictum, à quo oritur, fuerit occultum, ergo si fuerit notorium, erit adhuc in reseruatione Romani Pontificis. Neque obesse po-

10 *Si sit ex delicto occulto, potest ab Episcopo dispensari.*

test, si dicatur non posse Episcopum absoluere ab hæresi occulta post Bullam Cœnæ reuocatoriam, ergo neque dispensare in irregularitate ab ipsa proueniente. Consequentia probatur, quia maior est potestas dispensandi, quam absoluendi, & perseuerante hæresi non videtur posse esse dispensatio super irregularitate ab ipsa proueniente. Non, inquam, obesse potest, quia in primis plerique statuunt signanter *Granado in secunda secundæ controu. 1. tract. 15. disp. 14. sect. 2. num. 8.*, *Rodriquez qq. Reg. tom. 1. qu. 20. art. 10.* Episcopos ab hæresi occulta absoluere non obstante clausula reuocatoria Bullæ Cœnæ. Sed cum verba ipsius Bullæ Cœnæ editæ a Gregorio XV. sint expressa etiam quoad hæresim occultam, & circa eandem extent plures Cardinalium declarationes, non auderem concedere posse Episcopos ab hæresi occulta absoluere. Quamobrem retenta hac opinione, quod Episcopus non possit absoluere ab hæresi occulta, dicendum est, quod prius sit hæreticus occultus absoluendus ab eadem auctoritate Pontificis, quo absoluto possit Episcopus vigore *Concilij Trid. d. sess. 24. de reformat. c. 6.* cum illo super irregularitate dispensare, vt possit ad ordines promoueri.

Hic oritur difficultas, an filij, & nepotes hæreticorum possint ab Episcopo dispensari, vt promoueantur ad ordines. Negant absolutè *Sanchez lib. 2. oper. mor. cap. 28. quæst. 2. num. 8.*, & *9.*, *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 8. cap. 2. num. 15.*, ea moti ratione, quod irregularitates, seu eorum dispensatio ex genere suo sint reseruata Romano Pontifici, nec competant Episcopis, nisi ex speciali concessione; Ex vi autem *Concil. Trid. d. sess. 24. de reformat. cap. 6.*, solum Epis- 11

Potest etiam dispensare cũ filijs, & nepotibus hæreticorũ

copis conceditur dispensatio super irregularitate proueniente ex delicto occulto, ergo hæc facultas non est extendenda ad irregularitates, quæ non proueniunt ex delicto, sed ex alio capite, puta ex infamia, & indecentia, qualis est illa filiorum, & nepotum hæreticorum. Sed non libenter huic opinioni adhærerem; certum enim est, quod filij, & nepotes afficiuntur hac nota, non propter se ipsos sed propter parentes delinquentes, adeo vt istorum delictum quodamodo refundatur in pænam illorum; probabile ne est, quod sit potestas in Episcopis dispensandi cum principalibus delinquentibus, quique ex propria peruersitate deliquerunt, & non sit dispensandi cum accessorijs, quique non deliquerunt, nec aliam notam habent, nisi quia communicant in sanguine cum delinquentibus, & ab illis descendunt? Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur quandoquidem *Concilium Trident. d. sess. 24. de reform. c. 6.* dum tribuit facultatem Episcopis dispensandi in quacunque irregularitate proueniente ex delicto occulto intelligitur etiã facultatem concedere dispensandi super ijs, quæ subsequuntur ex eodem delicto; irregularitas autem, quæ est in filijs, & nepotibus hæreticorum est ex delicto parentum originalitèr, adeoque non est, cur non cadat sub potestate concessa Episcopis dispensandi in irregularitate proueniente ex delicto, & ne gratis hoc videatur

tur dictum, attende his, quæ mox subdo. Certum est, quod ipsi hæretici delinquentes præter irregularitatem contrahant etiam infamiam ex delicto *ex auth. Gazachos, C. de hæret. cap. infamis 36. qu. 1. cap. alieni 2. quæst. 7. cap. infamibus de reg. iur. c. excommunicamus primo de hæret. & cap. 2. §. hæretici eod. tit. in 6.*, & tamen ex vi eiusdem *Concil. Trid. loc. cit.* possunt dispensari ab Episcopo etiam ratione infamiæ. Quæro iam qua ratione? Non alia, nisi quia illa infamia prouenit ex delicto, & si hæc infamia resultans in delinquente non tollit, quin possit ipse delinquens ab Episcopo dispensari, quomodo infamia resultans in filijs eiusdem delinquentis poterit tollere, quin ipse filius possit &c.

12 *Inquisitores nequeunt super tali irregularitate dispensare.* Sed, an Inquisitores hæreticæ prauitatis possint super tali irregularitate prouenientе ex hæresi dispensare, vt possint ad ordines promoueri. Negandum est absolutè, quia, quamuis hoc esset illis concessum ex Bulla Clement. VIII., quæ incipit *cum sicut*, §. *vobis etiam*, hoc tamen reuocatum est per Pium V. anno 1567., prout referunt *Sanctarellus de hæret. cap. 25. dub. 1. num. 6., Pegna ad quæst. 126. part. 3. Direct. Inquis. n. 175.* quinimmò aliqui asserunt, inter quos *Sanchez lib. 2. oper. mor. cap. 25. nu. 19., Suarez de Censuris disp. 43. sect. 1. num. 5.*, illam concessionem Clem. VIII. fuisse personalem, & non extendendam ad alios Inquisitores.

Sed, an Prælati Regulares possint cum suis subditis super illa irregularitate prouenientе ex hæresi occulta dispensare? Negant *Suarez de Censur. disp. 41. sect. 2. num. 7., Nicolaus Garzias de benef. part. 7. cap. 21. num. 13., & 17, Marius Alterius de Censur. tom. 2. disp. 8. de susp. cap. 3., Bonacina de Censuris disp. 7. quæst. 5. punct. 1. num. 6.*, qui ad hoc asserendum pluribus rationibus mouentur; primo quia fundamentum, ob quod contrariæ sententiæ assertores asserunt Prælatos Regulares posse super huiusmodi irregularitate cũ suis subditis dispensare, ea est, quia Concilium Tridentinum *loco cit.* concedit Episcopis posse in illa dispensare, in qua concessione communicant omnes habentes potestatem quasi Episcopalem, cuiusmodi sunt huiusmodi Prælati, sed hoc fundamentum non subsistit; tum quia Episcopis hæc facultas non competit iure ordinario, sed speciali, & extraordinario; in quo iure non participant, qui propriè non sunt Episcopi, tum quia Concilium Tridentinum in hoc discrepat à iure communi, ergo est strictè interpretandum, adeo vt non extendatur ad non

13 *Probabilius Prælati Regulares posita absolutione ab hæresi possunt super hac irregularitate cum suis subditis dispensare.*

Episcopos. Secundò, quia Prælati Regulares in communiori, & tutiori sententia non possunt suos subditos absoluere ab hæresi etiam occulta, ergo neque dispensare ab irregularitate ex eadem resultante. Tertiò, quia *Marchinus tract. 1. de Sacramento Ordinis in communi part. 9. c. 1. difficult. 1. nu. 5.* refert ita Sacram Congregationem declarasse per hæc formalia verba. *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed Episcopi priuatiuè quoad alios.* Sed arbitror hanc facultatem sic dispensandi verè Prælatis Regularibus competere, prout sentiunt *Henriquez lib. 14. de irregularit. cap. 18. num. 2., Rodriquez tom. primo de Regul. quæst. 61. art. 9., Petrus de Arragona secunda secundæ qu. 88. art. 12., Reginaldus in foro pœnit. lib. 30. tract. 2. nu. 29.*, & alij plures apud *Marchinum d. tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 10. cap. 1. diffic. 1. num. 8.* Rationem non solum deduco ex dispositione Concil. Trid. *loc. cit.*, sed etiam ex speciali priuilegio Pij V. concesso Prælatis Regularibus, vt possint absoluere suos subditos à quibuscunque Papalibus occultis, excepta hæresi, nec non dispensare in occultis irregularitatibus, quod priuilegium de verbum ad verbum refert *Rodriquez tom. 1. de Regul. quæst. 61. art. 9.*

Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur; Non primum, quia facultas ex vi Trident. concessa Episcopis non est delegata, sed ordinaria, quandoquidem eisdem non conuenit ratione personæ, sed ratione dignitatis, & officij, nec pro aliquo determinato, sed pro omni tempore, quæ autem conueniunt non ratione personæ, sed ratione dignitatis, & officij, non pro determinato tempore, sed pro semper, conueniunt ex potestate ordinaria, non delegata, vt adductis pluribus Iurisperitis, Canonistis, & Theologis probat *Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 40. num. 17.* In ijs autem, quæ competunt Episcopis non potestate delegata, sed ordinaria habentes potestatem quasi Episcopalem communicant. Non secundum, quia ex superius dictis ex negatione potestatis absoluendi ab hæresi occulta, non benè arguitur negatio potestatis dispensandi ab irregularitate prouenientе ab eadem hæresi, siquidem, nec Episcopus potest absoluere ab hæresi occulta, & tamen potest dispensare super irregularitate occulta ab eadem proueniente; Quamobrem hæreticus prius erit absoluendus ab habente potestatem ab eadem hæresi, & postea, cum adhuc permaneat irregularitas, vt mox videbimus, poterit ab eadem

Soluuntur rationes oppositæ

eadem ab eodem Prælato Regulari dispensari. Non tertium, quia de illa declaratione authenticè non constat.

14 Circa quartum, quidquid dixerint Sairus de Censuris lib. 7. cap. 12. num. 16., Auila de Censur. part. 7. disp. 4. dub. 2., Diana var. resol. part. 4. tract. 4. resol. 38. volentes obtenta absolutione ab hæresi occulta nullam remanere irregularitatem, sentiendum est, adhuc obtenta absolutione, & peracta pœnitentia huiusmodi hæreticos remanere irregulares, nec posse ordines suscipere, prout notant Siluester verb. Irregularitas quæst. 5., Bonacina de Censur. disp. 7. quæst. 3. punct. 7. num. 6. Ratio est, quia absolutio Sacramentalis demit quidem culpam, non tollit inhabilitates, vndè supra diximus, quod Episcopus non possit quidem absoluere ab hæresi, posita autem absolutione ab ipsa per habentem potestatem absoluendi posse dispensare super irregularitate, quæ certè potestas inanis esset, si posita absolutione ab hæresi immediatè cessaret irregularitas.

Hæreticis posita absolutione ab hæresi adhuc indigent dispensatione ab irregularitate.

ARTICVLVS VI.

De conditione negatiua ex parte ordinandi relata ad homicidium.

SVMMARIVM.

Homicidium, quando dicatur voluntarium, & quando casuale. 1.

Quando actio est per se ordinata ad mortem, & est per se intenta, est voluntaria, quamuis operans non intendat mortem. 2.

Non solum ex homicidio sine directè, siue indirectè volito oritur irregularitas, sed etiam ex casuali, & iuridico. 3.

Nec solum oritur contrà exequentem, sed etiam contra cooperantes homicidio. 4.

Mandans vtique irregularitatem contrahit. 5.

Intellige, nisi reuocauerit mandatum, & reuocationem manifestarit mandatario ante executionem. 6.

Non eximitur mandans ab hac pœna, quantumuis mandatarius occiderit personam, contra quam datum fuit mandatum, familiaritèr versantem cum mandante. 7.

Si mandans mandauerit præcisè verberari, & mandatarius occiderit fit irregularis mandans. 8.

Esset tamen solum ex homicidio casuali. 9.

Consulens etiam contrahit irregularitatem. 10.

Etiam si consulat iam parato occidere. 11.

Consulens homicidium, quod, si ipse non suasisset, alter suasisset, non euitat irregularitatem. 12.

Si duo simul suasissent homicidium, vterque est irregularis. 13.

Consulens reuocato consilio non euitat irregularitatem, quando consilium est innixum rationibus mouentibus etiam post reuocationem. 14.

Secus, quando non est innixum talibus rationibus. Ibid.

Cooperantes alitèr positiuè contrahunt irregularitatem. 15.

Si plures conspirauerint in mortem vnius, & ipsum aggressi fuerint omnes fiunt irregulares, quamuis perierit ex vno tantum vulnere. 16.

Pluribus vnum aggredientibus non ex consensu, & vno tantum occidente iste, non alij contrahunt irregularitatem. 17.

Si nesciatur, qui vulnerauerit omnes habendi sunt pro irregularibus. 18.

Pluribus sine conspiratione vulnerantibus, non resultãte ex cuius vulnere perierit, omnes habentur pro irregularibus. 19.

Si vnus leuiter vulnerauerit, & alij superuenientes occiderint, isti, non ille contrahit irregularitatem. 20.

Si vnus vulnus lethale inflixerit, & alij superuenientes leuitèr ipsum vulnerauerint, probabilius, & isti contrahunt irregularitatem. 21.

Rixam habens cum alio, & conuocans alios in sui adiutorium, qui illum alium occiderint, non solum ipse, sed etiam conuocati contrahunt irregularitatem. 22.

Si non conuocauerit ad finem occisionis, sed suæ defensionis præcisè monens ne quid mali aduersario inferrent, probabilius ipse non fit irregularis. 23.

Etiam si rixa esset illicita. 24.

Præbens arma occisori, vt alterum occidat, contrahit irregularitatem. 25.

Præbens eadem arma alteri probabilitèr sciens eisdem vsurum ad mortem alterius probabilius contrahit irregularitatem, si mors sequatur. 26.

Tribuens arma petenti ad occisionem contrahit irregularitatem, quantumuis petens non illis, sed alijs armis occiderit, si arma tradita quoquo modo influxerint. 27.

Secus, si non influxerint. Ibid.

Vendentes arma militibus vsuris in bello iusto probabilius non contrahunt irregularitatem. 28.

Secus, si tribuant ad occidendum in bello iniusto. 29.

Cooperantes negatiuè hoc est non impedientes, cum teneantur ex officio impedire, contrahunt irregularitatem. 30.

Qui sola charitate tenentur impedire, & non impediunt, non contrahunt. 31.

Enumerantur, qui teneatur ex iustitia. 32.

Quinam

Quinam ex sola charitate. 33.

Non impedientes cum teneantur ex iustitia impedire, contrahunt irregularitatem ex homicidio voluntario, si non impediant ex odio, & directa intentione, vt sequatur homicidium, secus, si solum ex negligentia. 34.

Ratum habens homicidium suo nomine patratum non fit irregularis. 35.

Quinimmò, nec etiam, si sit præsens, quandò committitur, si non influat. 36.

Ad contrahendam irregularitatem in homicidio casuali requiritur aliqua culpa in occidente. 37.

Dantes operam rei siue licitæ, siue illicitæ adhibita debita diligentia, non fit irregularis, si ex illa mors sequatur. 38.

Si tamen det operam rei illicitæ secundum se obnoxiæ periculo non euitat irregularitatem. 39.

Recensentur plures in particulari, qui ex opera illicita contrahunt. 40.

Item plures, qui non contrahunt. 41.

Pontifex potest in his omnibus irregularitatibus dispensare. 42.

Episcopus super irregularitate, & homicidio voluntario non potest dispensare. 43.

Potest tamen super proueniente ex homicidio casuali, si fuerit occultum. 44.

EX irregularitate consurgit impedimentum ad ordines suscipiendos, & ad exercitium susceptorum; ex homicidio autem siue voluntario, siue casuali oritur regularitèr irregularitas. Quamobrem sub hoc titulo examinabimus primo, quando ex homicidio voluntario, & quando ex casuali contrahatur hæc irregularitas. Secundò quinam possit ab vtraque hac irregularitate dispensare.

1 *Homicidium, quando dicatur voluntarium, & quando casuale.*

Circa irregularitatem ex homicidio voluntario præmittendum est primo, homicidium esse tale, quando committitur ex proposito, & per insidias, vt videtur colligi ex *Concilio Tridentino sess. 14. c. 7.*, hoc autem dupliciter potest contingere vel directè, vel indirectè; directè, quatenus voluntas occidentis per se fertur in mortem; indirectè, quatenus licet homicidium non intendatur in se explicitè, & in actu signatò, censetur ex se intentum in actu exercito, eo quia aliquid fiat per se, & immediatè ordinatum ad illum effectum, vt si venenum mortiferum alteri propinet, vel vulnus circa præcordia infligat, quamuis directè non intendat mortem; Præmittendum secundò homicidium è côuerso dici casuale, prout distinguitur à voluntario, quod non est formalitèr intentum, nec iuditio prudentum reputatur, vt tale, vt si quis aliquem leuitèr percutiat percussione, per se non apta ad mortem, sed ex accidenti mors contingat, quatenus scilicet sic percussus fugiens cadat, & ex tali lapsu mors sequatur, vel quatenus incuria medici, vel chirurghi moriatur. Contendunt hic aliqui, quod quamuis actio, quam quis intentat, sit per se mortifera, & ordinata ad mortem, vt in casibus mox recensitis de homicidio indirectè, si tamen in illa mors expresè non intendatur, mors indè secuta saltem quoad effectum dispensationis non intelligatur voluntaria, sed casualis; atque iuxtà hunc sensum procedunt *Emanuel Sà verb. Homicidium num. 4.*, *Antonius Gomez 3. var. cap. 3. num. 15.*, *Filliutius tract. 20. cap. 1. quæst. 2.* Sed verius existimo illam mortem computandam esse pro voluntaria; ex quo etenim voluntariè adhibet media, quæ per se conducunt ad mortem, intelligitur velle voluntariè illam mortem, & illa voluntas non occidendi, cum sit contraria facto, non sumenda est pro negatione voluntatis, sed potius pro voluntate.

2 *Quando actio est per se mortifera, & ordinata ad mortem est voluntaria quãuis mors non intendatur.*

3 *Oritur irregularitas ex homicidio etiam casuali.*

Quibus pro notitia suppositis dico non solum ex homicidio voluntario siue directè, siue indirectè oriri irregularitatem, sed etiam ex casuali, & iuridico, prout decernitur in pluribus textibus iuris canonici *c. de cætero. c. continebatur cap. suscepimus cap. ad audientiam, & similibus de homicidio*, in quibus, cum irregularitas imponatur homicidio casuali, a fortiori intelligenda est imposita voluntario; nec solum loquendo de homicidio voluntario hæc pæna imposita est contra Physicum homicidam, sed etiam contra moralem cooperantem per consilium, per mandatum, vel alio pacto ad homicidium iuxtà genera cooperationum, quæ habentur in illis versiculis.

4 *Afficit etiam cooperantes.*

Iussio, consilium, consensus, Palpo, recursus
Participãs, mutus, nõ obstans, nõ manifestãs.

5 *Mandãs cõtrahit.*

ex quibus duo habes genera cooperantium positiuè scilicet, & negatiuè; primum genus cooperantium positiuè continetur in primis sex verbis; secundum in tribus subsequentibus, & quidem mandantem contrahere hanc pænam expresè habetur *in cap. vltim. de homicid. in 6.*, intellige tamen, nisi reuocauerit mandatum, quæ reuocatio innotuerit mandatario, antequam exequeretur homicidium mandatum, prout notat *Auila part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 4.*, *Henriquez cap. 16. num. 2.*, *Sairus cap. 12. num. 15.*, & a lij magis communiter, & ratio clara videtur, quia cum tota ratio agendi in mandatario, sit ex voluntate mandantis, & eiusdem imperio manifestata per mandatum, hac reuocata, & manifestata reuo-

6 *Intellige nisi reuocauerit mandatũ ante executionem.*

reuocatione eidem mandatario cessat in eodem quæcunque ratio agendi, vndè, si agat occidendo, non agit in virtute mandati, sed ex proprio arbitrio, & per consequens actio non est imputanda mandanti, sed ipsi mandatario.

Hic circa mandantem nonnullæ insurgunt rationes dubitandi, & primo, an, si mandans dato mandato, eoque acceptato à mandatario occidendi Caiũ familiaritèr versatus fuerit cum eodem Caio sciente mandatario, non tamen expressè, nec tacitè reuocauerit mandatum, si ipse mandatarius non obstante tali familiaritate cognita Caium occiderit, mandans contraxerit irregularitatem. Secundò, an, si mandans mandauerit verberari, percuti, aut capi suum inimicum, expressè tamen prohibens, ne occideretur, & mandatarius ipsum occiderit, intelligatur ipse mandans irregularitatem contraxisse. Ad primum arbitror, mandantem probabilius non effugere pænam irregularitatis, quia denegari non potest, quin mandatum influxerit in illud homicidium, cum alia non esset ratio agendi in eodem mandatario, quam mandati, & licet illa familiaris conuersatio mandantis cum Caio potuerit inducere præsumptionem pacis initę cum eodem, potuit tamen mandatarius semper suspicari, quod illa familiaritas fuerit pallium tegendi mandatum, & quovsque mandatum non fuerit reuocatum, in suo robore permanere, vndè debet mandans sibi imputare, quod non reuocauerit mandatum, & reuocationem manifestarit mandatario. Ad secundum item arbitror non effugere irregularitatem, prout expressè habetur *in cap. vlt. de homicidio*; ex quo textu etiam à contrario sensu euidens deducitur ad hanc rem argumentum. Ibi consultus Pontifex, an Presbiter, qui in adiutorium vocauerat quendam ad ædificationem Ecclesiæ, & cum ipse Presbiter dissolueret quoddam lignum, ille vocatus cum ligno ruit in terram, & mortuus est, contraxerit irregularitatem, respondit negatiuè adducens rationem negationis, quia scilicet ille Presbiter dabat operam rei licitæ, & præmonuit circunstantes alta voce, vt sibi consulerent, & cauerent, ergo à contrario sensu cum mandans in casu nostro dederit operam rei illicitæ, & quidem actioni, quæ ex se est obnoxia morti, intelligitur ipsam irregularitatem incurrere. Verum tamen est, quod hæc irregularitas non erit ex homicidio voluntario, sed casuali *Turrianus de censuris lib. 9. disp. 63. dub. 1., Diana part. 4. tract. 15. resol. 19., & part. 7. tract. 2. resol. 29.*

7 *Mandãs non liberatur ex eo, quod mandatarius occiderit familiaritèr versante cum mãdãte.*

8 *Si mandans mãdauerit verberari, & mandatarius occiderit mandans fit irregularis.*

9 *Hoc tamen solum ex homicidio casuali.*

Consulentem item homicidium contrahere irregularitatem cõsentiunt communitèr scribentes, eo quia re vera influit in homicidium, hocque videtur deduci *ex c. si quis viduam dist. 50., & c. sicut, §. vlt. de homicid.*

10 *Consulens etiã fit irregularis.*

Hic circa hunc consulentem pleræque insurgunt rationes dubitandi. Prima est, an eandem irregularitatem incurrat, qui iam parato occidere alium consilium præberet ipsum occidendi. Secunda, an eandem incurrat, qui consulit homicidium, quod, si ipse non suasisset, alter consuluisset. Tertia, an eandem contrahat, si post consilium de aliquo occidendo tale cõsilium reuocauerit, & non obstante reuocatione fuerit homicidium perpatratum. Ad primam probabilius arbitror contrahere regularitèr loquendo irregularitatem. Rationem ex eo deduco, quia huiusmodi consilium, quamuis inueniat animum paratum occidendi in eo, cui tribuitur tale cõsilium, denegari tamen non potest, quin in talem animum quoquo modo influat magis ipsum confirmando, & promouendo, vt faciliùs, & citiùs homicidium exequatur, experientia etenim comperimus, quod quisque magis moueatur ad opus ex plurium, quam ex vnius tantum consilio. Sed quid erit dicendum, si iam parato alium occidere, consulat, vt minus malum perpatret iugulando solummodò, vel vulnerando? Dicendum est, quod, si ex illo vulnere sequatur, vel mors, vel mutilatio in parte integrali, vtique contrahat irregularitatem. Ratio est, quia talis mors, seu mutilatio consequitur ex eiusdem consilio; nec ipsi suffragari potest, quod retraxerit a maiori malo, &, quod minus est, suaserit; vndè quod postea mors contigerit, hoc fuit omninò præter ipsius intentionem; Non, inquam suffragari potest, quia, quando duo sunt ab intrinseco mala, non est licitum minus suadere, quia semper suaderetur malum ab intrinseco tale, quod non licet, quia tamen suadendo vulnerationem non intendit directè mortem, aut mutilationem, non dicerentur hæc simplicitèr voluntaria, sed casualis.

11 *Consulens homicidiũ iam parato occidere fit irregularis.*

Ad secundam dicendum est, re vera contrahere irregularitatem, & quidem ex homicidio voluntario, vt sentit etiam *Bonacina de irregularitate disp. 7. q. 4 puncto 8. prop. 3. n. 21.* Ratio autem ea est, quia in hoc casu consilium istius efficacitèr influit in illud homicidium, in quod non influxit consilium alterius, quamuis influxisset, si datum fuisset, ergo ratione talis consilij efficacitèr mouentis contrahit irregularitatem. Sed quid esset di-

12 *Consulens homicidiũ, quod, si ipse non suasisset alter suasisset fit irregularis.*

 cen-

cendum, si duo simul consilium dedissent ad alterum interficiendum, an vterque secuto homicidio contraheret pœnam

13 *Duo simul cõsulentes sunt irregulares.*

illam irregularitatis? Respondendum est affirmatiuè, nam vterque æquè primò fuit causa per suum consilium illius homicidij, nec potest dici, quod potius consilium vnius, quam alterius influxerit, cum æque primo vtrumque fuerit applicatum, & vtrumque fuerit aptum ad mouendum ad illam internectionem. Quod, si supponas, quod consilium vnius fuerit efficax, vtpotè validis innixum rationibus, consilium verò alterius fuerit minus efficax, vtpotè debilioribus firmatum fundamentis; tunc inspiciendum est, an ex consilio prioris fuerit efficacitèr motus homicida ad illam internectionem, adeo vt non accedente infirmiori consilio posterioris illam perpatrasset, vel si adhuc perpatrasset, non tamen ita citò nec ita facilè, nec ità immanitèr; & quidem, si consilium prioris fuerit ex se efficax, adeo vt non accedente etiam posterioris consilio fuisset homicidium patratum cum eisdem qualitatibus, & tunc probabile est, quod secundus consulens non contraheret irregularitatem, quamuis contraheret grauem noxam propter prauum effectum eiusdem consulentis, & ratio est, quia cum illud homicidium fuisset cum eisdem qualitatibus patratum ex vi consilij prioris, consilium secundi non videtur causa eiusdem; si verò ex consilio prioris fuisset quidem patratum homicidium, sed non cum illis qualitatibus, cum quibus fuit commissum accedente posterioris consilio, & tunc censendum est etiam secundum consulentem contrahere irregularitatem, quia quoquo modo per suum consilium influxit in illud homicidium qualificatum.

Ad tertiam considerandum est, an rationes, quibus innititur consilium datum, tales fuerint, vt non obstante reuocatione consilij adhuc vigeant, & mouere valeant consultum ad opus illud

14 *Consulens reuocato consilio quandonam euitet irregularitatẽ, & quando non.*

patrandum, an verò rationes illæ infirmæ sint nec aliam vim habeant, quam in auctoritate, quin potius peruersitate consulentis. Qua posita consideratione dicendum est, quod, si consilium datum fuerit primi generis idest innixum rationibus efficacibus ad illum effectum causandum etiam reuocato consilio, consulens non euitet illam pœnam irregularitatis, secus verò, si consilium fuerit secundi generis. Consentiunt *Nauarrus in man. c.27. n.353.*, *Azorius 3. part. lib.2. c.8.*, *& alij plures*, quos refert *Bonacina de restit. disp.1. qu.2. punct.7. num 3.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia licet consilium non vigeat in voluntate consulentis, cum intelligatur reuocatum, viget tamen in rationibus per ipsum adductis, quæ adhuc sunt efficaces ad mouendum; hoc potissimum contingeret in casu quo consulens pro motiuo consilij adduxisset bonum aliquod considerabile, quod ex tali consilio proueniret ipsi homicidæ, ergo re vera ex tali consilio perseuerante in illis rationibus proueniret homicidiũ adeoque consulens contraheret irregularitatem. Sed, an hæc irregularitas sit contracta dicenda esset ex homicidio voluntario, an verò casuali? Mitius sentiendo crederem dicendam esse solum ex homicidio casuali respectu ipsius consulentis, quandoquidem homicidium illud esset contra ipsius voluntatem, cum illud reuocauerit, & reuocationem manifestauerit ante commissum delictum consulto, & licet rationes, quibus innititur consilium, adhuc vigeant, non vigent tamen in voluntate ipsius, ex qua solummodò desumenda est voluntarietas. Sed quid in hac hypothesi præstare deberet consulens ad euitandam pœnam irregularitatis? Tunc *Villalobos to. 1. tract. 21. difficult. 20. num. 7.*, & alij asserunt teneri adhibere preces etiam importunas, rationes contrarias adducere, & vbi hæc non sufficerent ad remouendum ab opere consultum, monere eum, contra quem consilium præstitit, vt sibi caueat, quod etiam notauit *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 4. punct. 8. prop. 3. num. 20. in fine.* Quod, si his præstitis, omnique moto lapide ad remouendum eum, cui consilium dedit, ab opere, adhuc homicidium sequatur; tunc ipsum consulentem eximerem ab irregularitate, cum fecerit, quod potuit, & ad impossibilia non teneatur. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quia, cum consilium datum non innitatur validis rationibus, sed solummodò voluntati consulentis reuocata eadem voluntate, & reuocatione manifestata consulto consilium ipsum nec viget in voluntate consulentis, nec in rationibus, sed dumtaxat in peruersitate exequentis, ergo ipsi exequenti, non consulenti imputanda est irregularitas; Neque obstare potest, si dicatur, quod, cum in consilio non agatur causa dantis, sed accipientis consilium, non sufficiat reuocatio consilij: Non, inquam, obstare potest, quia, cum causa accipientis, prout procedit ex consilio, fundetur solum in voluntate dantis, hac reuocata non videtur vigere alia ratio agendi, quam peruersitas operantis.

Auxiliantes etiam, & cooperantes per alios quatuor modos supra recensitos coo-

15 *Cooperantes alitèr positiuè contrahunt irregularitatem.*

cooperantium positiuè contrahere irregularitatem clare deducitur ex iisdem iuribus, & rationibus, quibus probatum est, mandantes, & consulentes homicidium eandem contrahere, quia re vera efficacitèr influunt in ipsum homicidium; atque ex ijs plura ad rem præsentem deducuntur; & primò, quod, si plures de communi consensu conspirauerint in mortem alterius, eumque aggressi fuerint, sed hic alter ex vno tantum vulnere perierit, omnes contrahant

16 *Si plures conspirauerint in mortem vnius omnes sunt irregulares, licet perierit ex vno tantum vulnere*

irregularitatem, quia ex consensu, & cooperatione omnium occisus est *Vgolinus cap. 14. num. 5., Suarez de cens. disp. 44. sect. 3. num. 21., Filliutius tract. 20. cap. 4. quæst. 7. num. 109., & seqq., Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 8. c. 5.*, nec solum exequentes homicidium contrahunt irregularitatem, sed etiam cooperantes positiuè, hocque clare euincitur *ex cap. significasti de homicidio*. Secundò, quod, si plures non conspirauerint, nec se inuicem concitauerint, sed orta subita rixa vulnera contra aliquem direxerint, sed vnus tantum læthale vulnus inflixit, ex quo mortuus est, tunc non omnes contraxerunt irregularitatem, sed ille tantum, qui vulnus illud læthale inflixit. In hoc consentiunt *Hostiensis in cap. significasti de homicidio, Sairus lib. 7. cap. 4. num. 13., Diana resol. mor. part. 1. tract. 15. resol. 18., Marchinus loc. mox cit., Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 4.*

17 *Pluribus vnũ aggredientibus, non ex consilio, & vno tantũ vulnerante hic solus fit irregularis.*

punct. 8. prop. 4. num. 29. Ratio est, quia alij nec Physicè, nec moralitèr influxerunt in illud homicidium; non Physicè, quia ipsi vulnus non inflixerunt, ex quo mors secuta est, non moralitèr, quia vnus alterum non excitauit, nec omnes se ad inuicem; Nec releuat, quod omnes aggressi fuerint, & intenderint quodammodo mortem contra illum rixantes; non releuat, inquam, quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit intentio nec simplex attentatum, quando non est secutus effectus. Quod, si supponas,

18 *Si nesciatur, qui vulnerauerit omnes habendi sunt pro irregularibus.*

quod in rixa plures eundem aggressi fuerint, nec sciatur, nec sciri possit à quonam in particulari illud vulnus læthale fuerit inflictum, tunc omnes haberi debent pro irregularibus *Vgolinus cap. 14. §. 1. num. 3., Auila part. 7. disp. 6. sect. 3.*, prout videtur expresè euinci *ex cap. ad audientiam, & cap. significasti de homicidio*.

Secundò deducitur, quod, si plures sine præuio consilio, participatione, & consensu alterum aggressi fuerint, & eundem vulnerauerint, & non constet ex quo vulnere mortuus fuerit, omnes habendi sint pro irregularibus, & hoc

19 *Pluribus vulnerantibus sine conspiratione, non resultante ex cuius vulnere perierit omnes habẽtur pro irregularibus.*

in fortioribus terminis infertur ex prædictis; si enim, quando plures alterum aggressi sunt, & hic ex vno læthali vulnere inflicto mortuus est, nec scitur quinam vulnus illud inflixerit, omnes habendi sunt pro irregularibus, a fortiori habendi sunt pro talibus, quando omnes vulnerarunt, nec scitur ex quo vulnere perierit, potissimum cum præsumi possit ex omnibus vulneribus perijsse. *Coaruuias Clem. si furiosus p. 2. §. 2. num. 4., Sairus lib. 7. cap. 4. num. 14., Suarez disp. 45. sect. 4. num. 11.* Ex quibus etiam deduces, quod, si plures eundem vulnerauerint, sed omnes leuitèr, adeo vt ex singulorum vulnere non fuisset mors secutura, ex omnibus tamen vulneribus simul sumptis mors prouenerit, omnes habendi sint pro irregularibus, cum omnes per vulnera inflicta influxerint in illam mortem. Item deduces, quod, si vnus alterum leuitèr vulnerauerit, & deindè alij superuenientes ipsum occiderint, non ille, sed isti irregularitatem contraxerint *Marchinus loc. cit. num. 3., Bonacina item loc. cit. num. 32.*, & clarè deducitur *ex cap. significasti 2. de homicid., & cap. vlt. 23. quæst. 8.*, & ratio est, quia primus nec fuit causa directa, nec indirecta illius mortis, nec Physica, nec Moralis, cum nec ipse vulnus læthale inflixerit, nec cum illis in morte participauerit, nec per consilium, nec per consensum, nec alio modo. Quod, si supponas, quod vulnus leue inflictum à primo, quamuis non fuerit læthale, fuerit quoquo modo causa, vt ab alijs superuenientibus occideretur, quatenus per idem vulnus leue fuerit vulneratus retardatus in fuga, vt alij insequentes ad eum potuerint peruenire, ad quem non perueniissent, si ex illo vulnere non fuisset detentus, & quæras, an in hac hypothesi primus contrahat, seu contraxerit irregularitatem? Affirmat *Marchinus d. tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 8. cap. 5. num. 6. in fine*, ea motus ratione, quod primo vulnerans fuerit causa

20 *Si vnus leuitèr vulnerauerit, & alij superuenientes occiderint isti, non ille irregularitatẽ incurrit*

saltem indirecta illius occisionis. Sed meo videri congruentèr ad supra per ipsum dicta *d. cap. 5. num. 3.*, non procedit; ibi enim dixerat, quod, si quis rixatus cum altero leuitèr ipsum percusserit, & deindè durante contentione, & rixa alij superuenerint, qui ipsum occiderint primus non incurrat irregularitatem, addita etiam ratione, quia nec directè, nec indirectè ipsum occidit; Certè in hoc casu ratione rixæ perseuerantis, ipsum detinuit, quem si non detinuisset, fortè alij occisores non superuenissent, & tamen ipsum reddit immunem ab irregu-

laritate, ergo illa detentio, cum non dirigatur ad occisionem, non est sufficiens causa, vt detinens irregularitatem incurrat, ergo nec erit sufficiens in hypothesi, qua leuitèr vulnerauerit, & ratione vulneris fuerit detentus, vt superuenientes postea ipsum occiderint, cum nec ad hunc finem vulnerauerit, neccum superuenientibus conspirauerit ad occisionem.

21 *E contra vno lathalitèr vulnerante, & alij superuenientes leuitèr omnes fiunt irregulares.*

Deducitur tertiò, quod, si quis alteri vulnus læthale inflixerit, & deindè alij superuenientes eundem leuiter vulnerauerint, ita vt istorum vulnera secundum se sumpta mortem afferre non potuissent, probabilius est; quod isti etiam contraxerint irregularitatem, quia probabilius est, quod vulnera per ipsos inflicta quamuis secundum se non mortifera mortem accelerauerint, vndè secundum *Bartolum in l. vlt. de Sicarijs* iura ciuilia puniunt, non solum tanquam auxiliatores, sed etiam tanquam homicidas illos, qui post inflictum læthale vulnus ab alio, vulnera etiam non læthalia inflixerint; Neque ea, quæ hic dicuntur, aduersantur ijs, quæ suprà diximus, nempè, quod, si quis primus inflixerit vulnus leue, & alij superuenientes leuitèr vulneratum occiderint, ille eximatur à pæna irregularitatis; ex quibus videtur etiam deduci, quod, si vnus læthale vulnus prius inflixerit, & alij superuenientes non nisi leue, nec isti eandem irregularitatem contrahant, cum parum referre possit, quod leuia vulnera fuerint prius aut posterius inflicta. Non, inquam, aduersantur, quia, quando leue vulnus est prius inflictum, hoc nec ex genere suo, nec ex intentione vulnerantis coniungitur cum morte, nec cum acceleratione eiusdem; quando verò post læthale vulnus inflictum leuia infliguntur vulnera, hæc tam ex genere suo, tam etiam ex præsumpta intentione vulnerantium conferunt saltem ad eiusdem mortis accelerationem, sicuti quando quis est constitutus in proximo mortis periculo ex infirmitate naturali quilibet motus, quantumuis leuis potest conferre ad mortem acceleratam, non sic quando est extra proximum mortis periculum.

22 *Conuocans alios in rixa in sui adiutorium, qui occidunt, & ipse, & illi contrahunt irregularitatē*

Deducitur quartò, quod, si quis rixam habens cum altero in sui auxilium, & fauorem alios vocauerit, qui illum alterum vulnerauerint, & occiderint, non solum ipsi occisores contraxerint irregularitatem, sed ille etiam, qui eosdem vocauit, & impulit. *Marolus lib. 5. de irregularit. cap. 48. de homicidio, §. 4 num. 6. & seqq., Siluester verb. homicidium 3. qu. 7., Suarez de Censur. disp. 35. sect. 3. num. 10.* Ratio est, quia ipse alios induxit ad talem occisionem, nec obstat, quod ipse non vulnerauerit, nec occiderit, quia licet non vulnerauerit manibus proprijs, vulnerauit tamen, & occidit manibus aliorum, quos conuocauit; hocque videtur clare deduci ex textu *in cap. significasti de homicid.*, vbi, cum prius dictum fuerit, quod leuitèr alterum percutiens, quantumuis alij accesserint, qui læthalitèr vulnerarint, & occiderint, non contrahat irregularitatem, postea subditur quasi excipiendo. *Si voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studio, consilio, vel mandato alij contra ipsum processerint*, ergo, si ipsius studio &c. processerint, & ipse non eximetur ab irregularitate. Cum ergo in casu, de quo hic loquimur, alij processerint ipsius studio, & conuocatione, ipse quoque à tali pæna non erit immunis. Quod, si supponas, quod eosdem non conuocauerit ad offensionem eius, cum quo rixatur, sed solum ad sui auxilium, & defensionem, & illi quodamodo excedentes fines conuocationis vulnerauerint, & occiderint? Tunc *Vgolin. c. 18. §. 2.*, *Nauarrus in man. c. 27. num. 227.*, sentiunt, nec ipsum conuocantem eximi ab irregularitate potissimum, si rixa erat illicita, quia ipse causam dedit talis mutilationis, seu occisionis. Sed mitius agendo ego crederem in hac hypothesi à tali pæna eximi, præcipuè, si conuocatos monuerit, ne quid mali aduersario inferrent; atque ita sentiunt, *Henriquez lib. 14. cap. 13. nu. 4.*, *Reginaldus lib. 30. cap. 12. num. 147.*, *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 4. punct. 8. num. 34.*, quia nec ipse Physicè, nec moraliter influit in illud homicidium, non Physicè, cum ipse non occiderit, nam moralitèr, cum non conuocauerit ad vindictam, sed ad sui defensionem, vndè respectu ipsius homicidium aduersarij non est voluntarium, sed omninò per accidens.

23 *Si præcisè cōuocauerit ad finē suæ defensionis, non fit irregularis.*

Quod, si vlterius supponas, rixam esse illicitam, & aduersarium aggredi eum, qui alios conuocauit ad sui defensionem, adeò vt nequeat illius manus effugere, nisi aggrediens occidatur, & conuocati ipsum occidant, an tunc contrahat ille, qui alios conuocauit, quique occiderunt aggressorem, irregularitatem. Crederem etiam in hac hypothesi, non contrahere irregularitatem, quia ille se defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, cum non posset aliter propriam vitam tueri, & si non proprijs manibus, manibus aliorum in sui defensionem conuocatorum. Nec obstare potest, quod rixa fuerit illicita, & ipse dederit occasionem eiusdem. Non, inquam, obstare potest, quia,

24 *Etiam si rixa esset illicita.*

vt

vt notat *Salonius secunda secundæ quæst. 64. art. 7. controu. 1. concl. 2.*, licet occidere aggressorem, cui data est aggressionis occasio, nam ex eo, quod dedit occasionem, non tollitur ius naturale propriæ defensionis, & certè, si quis tenetur succurrere proximo in extremam miseriam ex sua culpa redacto, cur non poterit se ipsum sua culpa periclitantem defendere?

25 *Præbens arma occisori, vt alterum occidat, fit irregularis.* Deducitur quintò, præbentem arma occisori, vt aliquem occidat, verè contrahere irregularitatem, & quidem ex homicidio voluntario, si sequatur occisio. In hoc omnes consentiunt, nam non solum suppeditat media necessaria, sed eadem ordinat ad finem occisionis. Signantèr hoc tradunt *Molina disp. 33. memb. 6. num. 8.*, *Suarez disp. 45. sect. 3. num. 9.*, *Vgolinus cap. 17. num. 3*, *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 4. punct. 8. num. 35.*

26 *Prabẽs arma alteri cum probabili cognitione vsurum esse ad mortem fit irregularis.* Sed quid erit dicendum, si arma subministret petenti sciens, vel probabilitèr coniectãs eis eum vsurum ad mortem alteri inferendam? Tunc *Hurtadus de irregularitate disp. 2. difficult. 8. num. 32.*, arbitratur non incurrere irregularitatem, eo quia illa armorum concessio potest esse ad vsum promiscuum, & indiferentem. Sed congruentius sentit *Bonacina loc. cit.*, verè contrahere irregularitatem, quia, quamuis vsus armorum possit esse secundum se promiscuus, ex quo tamen ex parte concedentis est cum scientia, vel saltem probabili coniectura futuræ occisionis, iuxta ipsum non potest dici promiscuus, cum dignoscatur ordinatus ad occisionem, & cum præuisione vel certa, vel saltem validè probabili eiusdem; vndè scientèr confluit subministrando media &c. Sed quid erit dicendum, si quis arma subministrauerit petenti ad aliquem occidendum, sed ipse petens occiderit quidem, sed non armis ab eo sibi concessis, sed alijs, quæ apud se habebat. Tunc cum distinctione procedit *Bonacina loc. quo supra num. 36.*; vel etenim illa arma sibi concessa quoquo modo influxerunt in illam occisionem, quatenus reddiderunt animosiorem habentem ad illud opus perpetrandum, ad quod fortè sine illis non conuenisset, vel nullo modo influxerunt, quatenus etiam illis non habitis homicidium commisisset. Iuxta primum sensum arbitratur verè contrahere irregularitatem, quia verè concurrit ad homicidium per media, quæ ad illud mouerunt, & sicuti, vt sentiunt *Glosa in cap. fin. 23. quæst. 8. in verb. Quicunque Didacus in Clem. si furiosus part. 2. §. 2. num. 3. vers. quatenus de homicid.*, qui rixantem cum alio committantur cum armis, illique assistunt, quamuis nec arma educant, nec percutiant, contrahunt irregularitatem eo, quia sua præsentia, & assistentia rixantem reddunt animosiorem, si verè hic occidat, ita, qui arma confert ad occidendum, quamuis occisor eis non vtatur in occisione, si tamen hæc reddant animosiorem, non effugiet irregularitatem eo quia per illa influat quodamodo &c. Iuxta secundum sensum sentit nõ incurrere irregularitatem, eo quia per illam armorum traditionem non influat in illam occisionem, & quamuis grauiter peccet tradendo ad illum finem, non tamen contrahit illam pœnam, cum arma per ipsum tradita non fuerint causa illius occisionis. 27 *Quãdonam tribuens arma alteri ad occisionẽ cõtrahat irregularitatẽ, si hic alter, non illis, sed alijs armis occiderit.*

Ex hac deductione nonnullæ consurgunt rationes dubitandi, & primo, an fiant irregulares, qui militibus dant, vendunt, seu mutuant arma determinatè in bello iusto; secundò, an fiant irregulares, si eadem subministrent in bello iniusto? Quoad primam *Suarez* apud *Turrianum lib. 9. disp. 78. dub. primo* existimat sic militibus tribuentes arma ad occidendum verè contrahere irregularitatem, sicuti contrahunt ipsi milites occidentes, eo quia suppeditant media ad occisiones conducentia. Sed contraria sententia, quam sustinet *Auila part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 2. concl. 1.* sua non caret probabilitate, & quidem, meo iuditiò, maiori, quandoquidem illa armorum subministratio est ad exercitium militum, & pertinet ad eorum munus exequendum, quæ propterea non potest esse obnoxia graui pænæ irregularitatis, & sicuti non contrahit irregularitatem, qui ligna vendit iustitiæ ministro ad parandum pro Reo suspendendo patibulum, ita nec eandem contrahat, qui arma traderet militi ad pugnandum. Adde, quod, sicuti irregularis non fieret, qui milites animaret ad strenuè pugnandum, ita nec fieret talis, qui arma suppeditaret ad pugnam. Quoad secundam *Coninchus de Sacram. disp. 18. dub. 10. n. 98.* existimat non omnes milites eiusdem exercitus contrahere irregularitatem ex eo, quod aliqui milites occidant in bello iniusto hostes, sed tantum eandem incurrere quinquaginta, vel centum, qui tanquam viciniores sua præsentia possunt animare alium ad occisionem. Sed per hoc non directè respondet ad quæsitum, an ministrans arma militibus in bello iniusto fiat irregularis, si ex illis obueniat mors aduersantium. Quamobrem ego sentio probabilius, si ministret præcisè ad præliandum in bello iniusto, & indè sequantur homicidia, contrahere irre-

28 *Vendentes arma militibus vsuris in bello iusto non contrahunt irregularitatem.*

irregularitatem, quia cooperatur huiusmodi homicidijs directè, sicuti contrahit, qui arma suppeditat ad alicuius occisionem. Dixi *praecisè*, nam si suppeditaret, vt praecisè suas merces venderet

29 *Secus, si tribuat praecisè ad praeliandum in bello iniusto.*

abstrahendo ab eo, quod emptor esset illis vsurus ad homicidia in bello iniusto, non libentèr vendentem submitterem poenae irregularitatis, quia vteretur iure suo in exercitio venditionis suarum mercium, & illa venditio esset nimis remota ad homicidia. Caeterum, si subministraret praecisè ad finem occisionum in bello iniusto, contracturum esse huiusmodi irregularitatem ex eo etiam euincitur, quod cum communiori opinione asserit *Hurtadus disp. 2. difficultate 6. num. 21.*, quod omnes milites illius exercitus iniustè pugnantis contraherent irregularitatem ex homicidijs inimicorum ab aliquibus dumtaxat patratis, eo quia omnes cõcurrant se inuicem animando, & concurrant, vt vna causa totalis, quod etiam firmauit *Diana part. 4. tract. 2. resol. 27.*, si ergo omnes irregularitatem cõtrahunt, quia omnes se animant ad illas neces, & suppeditans arma ad illum finem internectionis eandem contrahere censendus est, quia & ipse concurrit subministrando media &c.

30 *Nec impedientes cum tenerentur ex officio impedire contrahunt.*

Cooperantes negatiuè ad homicidium, hoc est non impedientes, cum teneantur ex iustitia, & proprio munere impedire, contrahere irregularitatem tradunt *Nauarrus in man. cap. 27. num. 232., Fillius tius tract. 20. cap. 4. quaest. 9. & 10., Reginaldus lib. 30. num. 145., Toletus lib. 1. cap. 38. num. 4., Bonacina de irreg. disp. 7. quaest. 4. punct. 8. num. 37.*, & quidem congrua ratione, quandoquidem ipsi sunt quodamodo causa non adimplendo id, ad quod tenentur, ex qua consequitur homicidium, quod non sequeretur, si munus suum, quod tenentur ex iustitia praestare, adimplerent. Nec obstat id, quod nonnulli ex Vasquez circumferunt, quod scilicet non impedientes, non influant positiuè in illud; Non obstat, inquam, quia etiam comitantes cum armis homicidam, quamuis nec arma educant, nec percutiant, non influunt positiuè, cum nihil agunt, & tamen ex superiùs dictis contrahunt irregularitatem, quod, si dicas, quod eorum assistentia cum armis influat reddendo homicidam animosiorem ad patrandum homicidium, & ego dicam, quod negatio assistentiae eius, qui ex iustitia tenetur assistere, & defendere reddat homicidam potentem ad occidendum, sine qua non potuisset occidere.

Dixi, *cum teneantur ex iustitia impedire*; si etenim non tenerentur ex iustitia, sed ex sola charitate impedire, probabilius non contraherent irregularitatem, vt sentiunt *Nauarrus d. cap. 27. num. 231., Molina disp. 76. num. 8., & disp. 33. memb. 5., Bonacina loc. cit. vers. dixi, quando tenetur, & alij.* Ratio ex eo deducitur, quia homicidium est peccatum contra iustitiam, non impediens autem in hoc casu non peccaret contra iustitiam, sed solummodò contra charitatem. Quod, si supponas, eum; qui non tenetur ex iustitia impedire, sed solum ex charitate, non solum non impedire, sed etiam per dolum se subtrahere cum animo, vt occidatur, quatenus v.g. duxerit inquisitum ad locum, in quo faciliùs sequi posset homicidium, & deindè se subtraxerit à tali loco, in quo superueniens homicida illum occiderit; tunc certè contraheret irregularitatem, quia ex iustitia tenetur non adhibere dolum in alterius perniciem, quinimmò in hac hypothesi non solum negatiuè, sed etiam positiuè cooperaretur ad tale homicidium.

31 *Qui sola charitate tenentur impedire, non contrahunt.*

Hinc deduces primò, Principes non impediendo neces, Iudices non impedientes iniustam sententiam contra vitam insontis, Medicos non curantes infirmos, à quibus pretio conducti sunt, & similes contrahere irregularitatem, cum peccent contra iustitiam, cum priuent iure suo illas personas, quae interficiuntur, & re sibi necessaria, & debita ad sui defensionem.

32 *Quinam teneantur ex iustitia impedire.*

Deduces secundò, quod, si quis non reuelet alteri homicidium, de quo initum est consilium contra ipsum, non fieri irregularem, si ex sola charitate tenetur reuelare *Nauarrus d. cap. 27. num. 231., Molina disp. 76. num. 8., Sairus lib. 7. c. 4. & alij.* Secundò non fieri irregularem, qui videns amicos suã iniuriam vindicare occidendo inimicum non impedit *Turrianus de Censur. lib. 9. disp. 63. dub. 4.* Tertiò non fieri irregularem Dominum, qui non impedit homicidium patrandum à famulo, quia Dominus non tenetur ex iustitia custodire famulum, ne extraneis nocumentum inferat *Bonacina de irregularitate disp. 7. quaest. 4. punct. 8. n. 40.* Quartò, nec fieri irregularem Patrem, qui non impedit homicidium à filio intentatum, si hoc sequatur, dummodò filius non sit commissurus homicidium intuitu Patris *Molina tom. 4. tract. 3. disp. 3. memb. 5. num. 12., Reginaldus lib. 30. num. 145.* Hae omnes deductiones, quae in praesenti paragrapho, seu numero continentur ex eo euincuntur, quod nemo ex enumeratis non impediendo peccat contrà iustitiam, sed ad summum contra cha-

33 *Quinam teneantur solũ ex charitate.*

rita-

ritatem, & pietatem.

Sed, an, qui tenentur ex iustitia impedire, & non impediunt, contrahant irregularitatem ex homicidio voluntario, an vero dumtaxat casuali, quantum ad effectum vitandæ, vel non vitandæ irregularitatis reseruatæ Romano Pontifici? Cum distinctione adhibita à *Bonacina loc. cit. num.* 41. respondendum est, vel etenim non impediunt ex odio, & directa intentione, vt sequatur homicidium, vel non impediunt solummodò ex quadam negligentia, aut aliquo humano timore. Si non impediunt ex primò motiuo, vtique contrahunt irregularitatem ex homicidio voluntario, quia illud voluntariè intendunt; Si ex secundò motiuo non impediant, vtique non intelliguntur contrahere ex homicidio voluntario, cum illud directè non intendant, quin potius intelligatur esse contrà, vel præter voluntatem ipsorum. Ita *Suarez disp.* 44. *sect.* 3. *ad finem, & disp.* 45. *sect.* 4. *num.* 9., *& alij.*

34 *Qui non impediunt, quandoque contrahunt irregularitatē ex homicidio voluntario, quādoq; solum ex casuali.*

Sed, an ratum habens homicidium suo nomine patratum, quod tamen ipse nec mandauit, nec suasit, contrahat regularitatem? Negatiuè respondendum est, quia cum homicidium independentèr ab ipso iam patratum sit, ipsius subsequens ratihabitio non potest in ipsum nec Physicè, nec moralitèr influere, quod, si dicatur, quod ratihabitio comparetur mandato, & retrotrahatur, vt habetur *in cap.* 23. *de sententia excommunicat. in* 6., tunc respondebitur, non retrotrahi nec comparari mandato quoad pænas præcipuè ordinarias, cum absurdum, & iniquum omninò sit, quod qui non delinquit in operando, pari pæna cum delinquente, & operante puniendus sit *Salicetus in l. non ideò, ff. de accusat. num.* 33., *Berous conf.* 175. *num.* 50., *Farinacius primo consil. crim.* 104. *num.* 19. Sed quid dicendum erit, si ipse, cuius nomine patratur homicidium, quamuis sine ipsius mandato, aut suasione, fuerit præsens actioni illius internectionis sciens illam suo nomine committi, an tunc intelligatur contrahere irregularitatem? Affirmant *Suarez disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 24., *Vgolinus cap.* 15. §. 2., *Sairus lib.* 7. *cap.* 4. *nu.* 17., *Couarruuias in Clem. si furiosus part.* 2. §. 1. *num* 4., ea moti ratione, quod cum præsens sit, nec impediat, intelligitur moralitèr cooperari. Negant tamen, & quidem congruentius *Nauarrus in manual. cap* 27. *num.* 233., *Molina disp.* 33. *memb.* 3., vbi alios plures allegat. Rationem ex eo deduco, quia nec ipse positiuè influit, nec negatiuè, non impediendo quasi teneatur ex iustitia impedire; Non positiuè, quia nec ipse mandatum, nec consilium, nec suasionem ad illud homicidium patrandum dedit, non negatiuè, quia ipse non obligatur ex iustitia ad impediendum, nam sicuti ex iustitia non tenetur impedire aliorum internectionem, ita nec tenetur impedire mortem eius, qui in se ipsum offensionem fecit; nec obstat, quod sciat homicidium illud committi ex motiuo gratificationis ipsius, ac proindè teneatur illud euellere. Non, obstat, inquam, quia, cum ipse nec proposuerit, nec excitauerit operantem ex illo motiuo, sed ipse operans ex se illud sumpserit non potest imputari, nisi ipsi operanti, & homicidium illud exequenti, quod, si internè ille, ex cuius motiuo committitur, approbet, & quodamodo sibi complaceat, vtique peccat, non tamen contrahit pænas, quæ non afficiunt actum purè internum, quando externe non mouet. Quod, si dicas, quod homicida ex illius præsentia, cum præsumptione approbationis moueatur, & fiat animosior ad homicidium illud perpatrandū, tunc dicam, quod, cum talis præsentia non fuerit inducta ad eum finem, non influat ex parte præsentis, sed dumtaxat ex parte exequentis, non etenim ille assistit ex condicto, vt excitet, sed merè per accidens; vndè res non se habet eo modo, quo plures assistunt, vt opem ferant, quia tunc animositas prouenit ab eorum assistentia collata per ipsos.

35 *Ratum habens homicidiū suo nomine patratū non fit irregularis.*

36 *Quinimmò, nec si sit præsens, quandò committitur.*

Hactenus egimus de irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, seu de quo potest esse dubium, an sit voluntarium; nunc agendum est de ipsa, vt proueniente ex homicidio casuali, circa quam aduerto, vt inducatur, debere esse ex homicidio ex culpabili negligentia causata; non enim potest esse grauis pæna, cuiusmodi est irregularitas, sine culpa, & vtique graui; Hinc plura deducuntur, & primo; hanc irregularitatem nō contrahere furiosum, & amentem non habentem lucida interualla, si aliquem occidat, vt docent *Salonius secunda secundæ sect.* 64. *art.* 8. *controu.* 1. *concl.* 4., *Valentia tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 19. *punct.* 3., nec item ebrium, & dormientem, qui non præuidit homicidium secuturum, si illud in ebrietate, & dormitione commiserit, modo non esset assuetus similia perpatrare *Molina tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 71., *&* 77., nec item puerum vsu rationis carentem *Bonacina de irreg. disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 7. *nu.* 5., *Auila part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 13. *concl.* 2. Nec item vertentem diligentèr infirmum in lecto, nec de lecto ad lectum transferentem, vel cibum porrigentem, si infirmus ex illa versione, & translatione,

37 *Ad contrahendam irregularitatē ex homicidio casuali requiritur aliqua culpa.*

tione, & cibi porrectione moriatur *Reginaldus tom. primo lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 102., Diana part. 3. tract. 5. resol. 79. §. non grauabor, & part. 5. tract. 3. resol. 117.*

38 *Dantes operam rei siue licitæ, siue illicitæ adhibita debita diligentia, non cõtrahit irregularitaté.*

Secundò deducitur, quod, si quis det operam rei siue licitæ, siue illicitæ adhibita debita diligentia, ne ex illa actione sequatur homicidium, quod tamen præter eius intentionem secutum fuerit, non contrahat irregularitatem ex illo homicidio casuali. In hoc magis communitèr consentiunt, licet discrepent *Siluester verb. homicidium 2., Toletus, & alij apud Suarez disp. 45. sect. 6. num. 1.,* quando dat operam rei illicitæ. Ratio ex eo desumitur, quod præmissa debita diligentia homicidium, quod sequitur, non est voluntarium, nec peccaminosum, ergo ex illo non potest consequi illa pæna irregularitatis, quæ non potest esse sine actione voluntaria, & peccaminosa. Quod, si dixeris, actionem peccaminosam in eo consistere, quod det operam rei illicitæ, ex qua consequitur illud homicidium; statim impugnaberis, quia quamuis dando operam rei illicitæ grauitèr peccet, non peccat tamen circa illud homicidium, quod consequitur, cum adhibuerit omnem diligentiam, ne sequatur, quod, si consequitur, est omninò præter ipsius intentionem, & voluntatem, adeoque nec voluntarium, nec peccaminosum. Sed quid erit dicendum, si det operam rei illicitæ secundum se obnoxiæ periculo internectionis, an tunc, si sequatur mors, non obstante, quod adhibuerit debitam diligentiam, ne sequatur, contrahat irregularitatem? Probabilius sentio, non effugere pænam irregularitatis quidquid ex aduerso senserint

39 *Si tamē det operam rei illicitæ secundū se obnoxiæ periculo non euitat irregularitatem.*

Lessius de iust., & iur. lib. 2. cap. 9. dub. 15., Petrus à Nauarra lib. 2. de restit. cap. 3. nu. 362., Henriquez lib. 14. cap. 16. num. 1., & alij. Nostram sententiam sustinent *Suarez disp. 45. sect. 6. num. 12., Sairus lib. 7. cap. 5. num. 13., Molina disp. 77. num. 5., Vgolinus de irreg. cap. 18. §. 1. num. 9., Nauarrus in man. cap. 27. num. 237., & alij.* Ratio est, quia licet per debitam diligentiam vitare intendat periculum, quod ex genere illius actionis certè moralitèr imminet, periculum tamen secundum se viget, cum sit imbibitum in natura actionis, ergo, qui se illi periculo exponit exercendo illam actionem, grauitèr peccat, eique imputandus erit effectus, si contingat, qui ex illo periculo eueniet, nec eum excusare potest diligentia adhibita, quandoquidem vrgente secundum se periculo diligentia non reddit immunem, & certum ab eodem periculo illi se exponentem, nec prudens ratio suadet, vt quis se exponat incertæ fortunæ aleæ, potissimum cum plus sit obnoxium sinistro euentui periculum in actione exercita imbibitum, quam euersiua eiusdem extrinseca diligentia; vndè meritò iura *in cap. tua nos de homicidio, & cap. vlt. eod. in 6.* statuerunt, quod dantes operam rei illicitæ obnoxiæ periculis, quamuis omnem adhibeant diligentiam, non euitent pænam irregularitatis, & quidem in primo textu erat sermo de quodam Monacho perito Chirurgicæ artis, qui vt fæminam à tumore gutturis liberaret tumorem illum aperuit adhibita omni diligentia, & monita illa fæmina, ne se aeris inclementiæ exponeret, quæ spreto consilio se exponens mortua est, & ibi Pontifex eum declarat irregularem; in secundo verò textu erat sermò de quodam, qui mandauerat alterum verberari cum expressa inhibitione, ne occideretur, hic mandans ibi declaratur irregularis, licet omnem protestationem præmiserit, ne occideretur, cum fuerit mors secuta. Ex quibus apertè vides, quod dans operam rei illicitæ, & periculosæ etiam adhibita omni diligentia non effugiat irregularitatem.

Ex hac eadem regula sequitur primo, quod, si aromatarius conficiat medicinas ex rebus corruptis, ex quibus sequitur mors infirmi, fiat irregularis, quia confert causam periculosam mortis *Vgolinus cap. 19. num. 1., Suarez disp. 45. sect. 6. num. 5., Filliutius tract. 20. cap. 4. qu. 6. num. 104.,* Secundò, quod, si quis contra præceptũ Medici tradidit aliquid infirmo, ex quo eiusdem mors proueniat item fiat irregularis propter eandem rationem *Nauarrus in man. cap. 27. num. 228., Sairus lib. 7. cap. 6. num. 13., Henriquez cap. 15. num. 5.* Tertiò, quod, si Magister scholæ verberet discipulum excedendo modum percusionis, & non adhibendo debitam diligentiam, ex qua percusione sequatur mors, non effugiat irregularitatem, vt, si proijciat aliquod graue in caput, vel calce ventrem percutiat, prout habetur *in cap. presbiterum, & cap. ad audientiam de homicidio*. Quartò, quod, si quis dormiens tenens infantem secum in lecto nõ adhibitis debitis cautelis eundem suffocando interimat, fiat irregularis, nam voluntariè dedit operam rei illicitæ periculosæ *Vgolinus cap. 18. §. 2. nu. 12., Suarez disp. 45. sect. 6. num. 15., Reginaldus lib. 30. cap. 12. num. 157., & alij.* Quintò, quod, si quis reficiat tectum, nec adhibita debita diligentia proijciat tegulam, ex qua pertransiens occidatur incurrat irregularitatem. Sextò, quod, 40

Recensentur plures in particulari, qui ex opera illicita contrahunt.

si quis

si quis hyemali tempore niueas pilas in aliquem projiciat, eidemque oculum eruat, fiat irregularis *Vgolinus cap. 22. num. 5.*

Sequitur secundò è contrario sensu, quod Pater, qui leuitèr percussit filium, qui mortuus est, vel ex imperitia Medici, vel ex malo regimine, vel ex febri superueniente, non fiat irregularis, quia mors non potest dici prouenisse ex illa leui percusione, sed ex alia causa, vt notat *Vgolinus cap. 16. §. 6.*, *Henriquez lib. 14. c. 14. num. 4. in comment. litt. C.* Neque obstat textus *in cap. fin. de homicid. in 6.*, vbi declaratur irregularis ille, qui mandauit alterum vulnerari cum expressa protestatione, ne occideretur, & tamen secuta est mors. Non obstat, inquam, quia, vt notat *Glosa ibid. in verbo culpa*, iste, qui mandauit vulnerationem dedit operam rei illicitæ, ex qua poterat præuidere mortem posse sequi, adeoque non eximitur à pœna; Pater autem filium verberando dedit operam rei licitæ, nec mortis periculo obnoxiæ, &, si mors secuta est, ex alia causa secuta est, & solum occasionalitèr ex illa verberatione. Item, si quis choræas ducat cum fœmina prægnante cum saltatione consueta, & moderata, non fiat irregularis, si ipsa fœmina abortiatur, & fœtus fuerit animatus, quia dat operam rei licitæ, & secundum se non periculosæ; secus, si easdem choræas ducat saltatione insueta, & immoderata, vt habetur *ex cap. sicut ex literarum de homicid.* Sed quid erit dicendum, si immoderatam saltationem habuerit cum eadem fœmina prægnante, quæ abortum fecerit fœtus, non adhuc animati? Videtur prima fronte afferendum, fieri irregularem eo quia ille abortus dicitur mortis festinatio, & videtur pari passu procedere aliquem viuentem interimere, ac efficere ne viuat, cum cæteroqui esset vitam habiturus, & Sixtus V. in sua Constit., quæ incipit: *Effrenatam edita anno* 1588. æquali pœna afficit inducentem sterilitatem, ac procurantem abortum? Sed tutius est, quod irregularitatē non contrahat, cum propriè non concurrat ad homicidium, & pœnæ inductæ contra delictum intelligendæ sunt de delicto secundum qualitates, quæ requiruntur in delicto ad tales pœnas incurrendas, nec constitutio Sixti V. aliquid euincit, quandoquidem in ea parte, qua per ipsum inducta fuit excommunicatio, & irregularitas contra procurantes abortum ante animationem fœtus, & sterilitatem abrogata est per Gregorium XIV. in Constitut., quæ incipit *Sedes Apostolica edita anno* 1591., & ad terminos iuris communis, sacrorum Canonum, & Concilij Trident. dispositionem reducta. Alia plura ex ijs, quæ dicta sunt possunt deduci seruata proportione, ex quibus dignosci poterit, quandonam contrahatur, vel non contrahatur irregularitas discurrendo in singulis iuxtà assignatas regulas.

41 *Recensentur item plures, qui non contrahunt.*

Hic latè agendum esset de irregularitate proueniente ex homicidio iuridico, & iusto, sed quia in immensum protraheretur hic articulus, & non modicam ingereret confusionem, ideo eandem reseruo in sequenti articulo examinandam.

Interim deuenio ad secundum punctum in principio tituli propositum de potestate dispensandi super huiusmodi irregularitate prouueniente ex homicidio siue voluntario, siue casuali, & quidem Summum Pontificem posse dispensare in qualibet irregularitate prouueniente ex homicidio siue iusto, siue iniusto, siue casuali, siue voluntario est indubitati iuris apud omnes, vt expressè colligitur *ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6.*, quamuis in homicidio voluntario non soleat facilè dispensare, vt idem *Trident. ibid. num. 7.*

42 *Pōtifex potest in his omnibus dispensare.*

Sed, an Episcopus possit dispensare in huiusmodi irregularitate siue prouueniente ab homicidio voluntario, siue casuali? Dicendum est, quando prouenit ex homicidio voluntario non posse dispensare, siue illud fuerit notorium, siue occultum. Ratio est, quia facultas dispensandi in irregularitate est ex speciali concessione *Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 6.*, in eadem autem concessione excipitur casus homicidij voluntarij. Ibi *excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario.* Quando verò prouenit ex homicidio casuali tunc videndum est, an homicidium fuerit notorium, an verò occultum, & quidem, si fuerit occultum, vtique potest super irregularitate ab illo prouueniente dispensare ex vi concessionis eiusdem *Concil. Trident. loc. cit.* Ibi *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus dispensare*, & ibi fit tantum exceptio irregularitatis, quæ oritur ex homicidio voluntario; si verò fuerit notorium, vtique dispensare non potest, quia eidem conceditur dumtaxat facultas dispensandi, quando delicta sunt occulta; tum quia in concessione fit exceptio quoad omnes irregularitates, quando deductæ sunt ad forum contentiosum, irregularitates autem notoriæ æquiualent deductis ad forum contentiosum. Quamobrem discurrendo supra omnes irregula-

43 *Episcopus non potest dispensare super irregularitate orta ex homicidio voluntario.*

44 *Bene tamen super orta ex homicidio casuali, si fuerit occultū.*

ritates supra recensitas diudicandum erit, in quibus possit, & in quibus non possit Episcopus dispensare, iuxta quod homicidia sint voluntaria, vel casualia, &, si casualia iusta, quod sint notoria, vel occulta; non enim vacat singulas repetendo in ijs immorari.

Sed, an Prælati Regulares in ordine ad suos subditos possint in ijs omnibus casibus dispensare, in quibus Episcopi cum suis, dictum est supra.

ARTICVLVS VII.

De conditione negatiua relata ad homicidium iuridicum, & iustum requisita ex parte ordinandi.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine homicidij iuridici, & quid nomine iusti. 1.

Omnes inferiores Romano Pontifici concurrentes ad mortem malefici contrahunt irregularitatem. 2.

Iudex ferens sententiam mortis, vel mutilationis fit irregularis. 3.

Superior Ecclesiasticus habens iurisdictionem temporalem delegans Iudicem, vt seruatis iustitiæ legibus procedat in criminalibus, non fit irregularis, si Iudex aliquem ad mortem condemnat. 4.

Secus, si mandauerit Iudici delegato, vt aliquem extremo supplicio damnaret. 5.

Assessores Iudicis votum ferentes de morte contrahunt irregularitatem. 6.

Consulentes in genere, quod tale delictum mortem mereatur præscindendo ab hac, vel illa persona, non contrahunt irregularitatem. 7.

Benè tamen consulentes de morte infligenda tali personæ ob tale delictum. 8.

Accusatores fiunt irregulares, si indè sequatur sententia mortis. 9.

Si accusent cum protestatione, ne reus puniatur pœna sanguinis euitant hanc pœnam. 10.

Intellige tamen, quando accusatio est de damno proprio, vel consanguineorum. 11.

Testes contra reum, si indè sequatur mors contrahunt hanc pœnam. 12.

Nec eisdem prodest prædicta protestatio. 13.

Testes pro reo producti non contrahunt irregularitatem, si ex eorum depositionibus resultat mors accusatoris, dummodò non impingant eidem accusatori grauia crimina ex quibus mors sequatur. 14.

Aduocatus accusatoris contrahit irregularitatem, si ex eius patrocinio sequatur mors. 15.

Nec ei prodest protestatio. 16.

Aduocatus pro Reo, si sistat præcisè in defensione eiusdem ex processu offensiuo contrà ipsum non contrahit irregularitatem, si indè sequatur mors accusatoris. 17.

Intellige, nisi in defensione Rei exegerit expressè pœnam talionis. 18.

Si verò in defensione rei impinxerit accusatori grauia crimina non resultantia ex processu vtique irregularitatem contrahit. 19.

Carnifex exequens sententiam Iudicis fit irregularis. 20.

Item omnes animantes, promouentes ad mortem, vel ad accelerationem eiusdem. 21.

Vendentes ligna præscindendo ab hoc, vel illo fine, non contrahunt irregularitatem. 22.

Secus, si vendant ad finem parandi patibulum. 23.

Comitantes Reum ad supplicium, tanquam custodes contrahunt irregularitatem. 24.

Secus, si præcisè comitentur nullam operam afferentes. 25.

Pulsantes campanam ad indicandum hominem suspendendum esse non contrahunt hanc pœnam. 26.

Secus, si pulsent ad conuocandos satellites, vt Reum ad mortem ducant. 27.

Satellites capientes Reum, si indè damnetur hic ad mortem, contrahunt irregularitatem. 28.

Item, si è carceribus ducant ad supplicium. Ibid.

Notarij conficientes processum offensiuum, scribentes, & legentes sententiam mortis fiunt irregulares. 29.

Scribæ, & Amanuenses transcribentes sententiam latam à Iudice, & à Notario scriptam non euadunt irregulares. 30.

An Iudices, alijque cooperantes ex vna vel pluribus sententijs, & actionibus contrahant vnam, vel plures irregularitates. 31.

Ex homicidio in bello iusto solum oritur irregularitas in occidente. 32.

Non contrahunt consulentes Principi bellum iustum. 33.

Nec, qui animant milites ad strenuè pugnandum. 34.

Nec Duces exercitus, alijque officiales. 35.

Nec tradentes arma militibus. 36.

Concedente summo Pontifice Clericis facultatem pugnandi in bello iusto isti, si pugnando occidant, non contrahunt irregularitatem. 37.

Occidens alium ad vitæ suæ defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ non fit irregularis. 38.

Quid requiratur ad moderamen inculpatæ tutelæ. 39.

Non euitans mortem aggressoris, quam vitare potest fugiendò, non euitat irregularitatem. 40.

Potest

Potest aggressus occidere sine irregularitate aggressorem ad se defendendum à mutilatione, & à vultus deformatione. 41.
Non potest, quis sine irregularitate occidere Iudicem sibi iniustam mortem parantem. 42.
Nec custodem se præcisè custodientem. 43.
Benè tamen, si custodiat, & actionem aliquam ad mortem intentat. ibid.
Aggressus non potens, se per se ipsum defendere tradens arma alteri, à quo aggressor occidatur, non contrahit irregularitatem. 44.
Ille tamen, qui acceptis armis ab aggresso occidit eiusdem inuasorem contrahit eandem. 45.
Excipe, nisi inuasus esset persona proximè sanguine coniuncta cum eo, qui occidit. 46.
Tradens arma aggresso, quibus se defendat ab aggressore, non contrahit irregularitatem, si aggressus illis armis occidat aggressorem. 47.
Pro defensione pudicitiæ potest insuasus occidere inuasorem, quando aliter nequit defendere. 48.
Ad defendendum honorem nequit quis inhonorantem occidere, & occidendo fit irregularis. 49.
Neque pro defensione bonorum fortunæ. 50.

1 *Quid veniat nomine homicidij iuridici, & iusti.*

NOmine homicidij iuridici hic intelligimus illud, quod fit publica auctoritate in vindictam malefactorum; Nomine verò homicidij iusti illud intelligimus, quod prouenit in bello iusto, seu etiam in causa propriæ defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ; & inquirimus quinam contrahant irregularitatem ex homicidio iuridico, & quinam ex homicidio iusto, vbi etiam aliqua intexemus de homicidio proueniente ex causa Medicinæ, & Chirurgiæ; subindè etiam examinabimus, quinam in illis omnibus possit dispensare.

2 *Omnes inferiores Pontifici cōcurrentes ad mortem rei sunt irregulares.*

Incipiendo iam ab homicidio iuridico dicendum est omnes inferiores Romano Pontifici Physicè, vel moralitèr concurrentes ad mortem malefici ex defectu lenitatis contrahere irregularitatem. In hoc consentiunt communiter argumento deducto *ex cap. fin. ne Cleric. vel Monaci in 6. cap. si quis viduam, & cap. Clericus dist. 50. cap. in Archiepiscopatu de rapt., & Clement. vnica de homicidio.*

3 *Iudex ferens sententiam mortis, vel mutilationis fit irregularis.*

Ex hac regula generalitèr sumpta sequitur primo, quod Iudices ferentes sententiam mortis, seu mutilationis contrahant hanc irregularitatem, quia vere influunt positiuè in illam mortem, seu mutilationem. Sed quid erit dicendum de superiore maximè Ecclesiastico, qui per se ipsum sententiam mortis, aut mutilationis non protulit, sed deputauit, cum haberet iurisdictionem temporalem, Iudicem, qui quoad reos detentos cognita veritate delictorum procederet seruatis iustitiæ legibus, atque hic eosdem reos damnauit ad mortem, an ipse superior ex hac damnatione contraxerit irregularitatem? Respondendum est negatiuè, prout expresse habetur *in cap. fin. Ne Cleric. vel Monaci*, vbi etiam adducitur causa decisionis in hæc verba *Nam licet Clericis causa sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum iurisdictionem obtinent temporalem) debent, & possunt metu irregularitatis cessante, alijs delegare.* Hoc tamen intelligendum est, dummodò ipse superior Ecclesiasticus expresse non mandauerit, vt delegatus illos condemnaret vltimo supplicio, sed solum, quod procederet seruatis iustitiæ legibus, vt notat *Glosa ibid. in expositione casus.* Item fit irregularis Iudex, qui fert durissimam sententiam, vt reus acriter torqueatur, vt ex tali tortura citius moriatur, nam huiusmodi sententia æquiualet sententiæ sanguinis *Vgolinus cap. 11. §. 1., & cap. 5. §. 6., Auila parte 7. disp. 5. sect. 2. dub. 3., Henriquez cap. 3. num. 7., Coaruuias part. 2. §. 5. n. 8.* Non tamen Iudex fit irregularis, si damnet Reum ad triremes, nisi mandet acriter cum ego agi, vt mors eidem acceleretur, *Vgolinus loc. cit. §. 7.*

4 *Superior Ecclesiasticus delegans Iudicem non fit irregularis.*

5 *Nisi deleget determinatè ad mortem inferendam.*

Sequitur secundò, Assessores Iudicis, qui votum ferunt, illudque exhibent Iudici de morte ferenda reo incidere in irregularitatem, nam quamuis illorum votum non sit decisiuum, est tamen consultiuum, & secundum se mouet ad sententiam mortis ferendam, & per consequens etiam ad mortem. Hæc intelligenda sunt de assessoribus, qui quodamodo ex officio Iudici assistunt. Sed quid erit dicendum de consultoribus, qui non ex officio sed a Iudice interrogati consulunt sententiam mortis? In hoc considerandum est, an cōsulant in casu determinato alicuius rei, quatenus de ipso interrogati, quam pænam mereatur ex tali, vel talibus delictis, respōdeant reum esse mortis, an verò consulant in genere, quatenus interrogati, quam pænam mereantur talia vel talia delicta abstrahendo ab hoc, vel ab illo delinquente, respōdeant secundum iurium siue communium, siue municipalium dispositionem illud delictum meretur pænam mortis, illud aliud pænam mutilationis, & fustigationis &c. Iuxta primum sensum asserendum est sic consulentem secuta morte, vel mutilatione delinquentis ex vi eiusdem consultationis contrahere pænam irregularitatis,

6 *Assessores Iudicis votū ferentes de morte contrahunt irregularitatē*

7 *Consulentes in genere de morte debita tali delicto non contrahunt.*

 quan-

quandoquidem ipsius dictum, vel consultatio re vera influxit positiuè in illam mortem, seu mutilationem; atque sic sentit *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 4. punct. 1. num. 6.* Quod, si supponas, eius
8 consultationem non influere, eo quod Iudex petens consilium iam independentèr ab eodem paratus erat ad ferendam sententiam mortis? Tunc dicam, vix percipi posse, quomodo non influat; nam dum Iudex petit consilium, indicat, se hæsitare, an sententia mortis sit ferenda, necne, & quamuis magis propendat in sententiam affirmantem, nihilominus magis determinatur, & firmatur ad illam ex tali consultatione; si tamen reuera esset firmitèr determinatus, adeo vt ex tali consilio nec esset motus, nec quoad substantiam, nec quoad qualitates ad ferendam illam mortis sententiam, tunc non renuerem sic consulentem eximere ab illa irregularitate; & iuxta hunc sensum procedunt *Sairus lib 6. cap. 18 num. 28., Vgolinus cap. 9. §. 1. num. 6.* Iuxta secundum sensum sentio, non contrahere irregularitatem, quia ipse non præmouet ad mortem, sed solum tanquam Doctor exprimit, quid leges, siue municipales, siue ciuiles disponant circa hunc vel illum casum, & solum id præstat, quod præstant legum volumina continentia tales, vel tales pænas, quod idem dicendum est in casu, quo Doctor interrogatus, an quis teneatur denuntiare in materia sanguinis, an liceat, & an sic melius, respondet aperiendo ius in genere, non consulendo tamen, vt fiat denuntiatio; non enim Doctor in hoc casu contrahit irregularitatem, quantumuis interrogans afferta occasione ex illa responsione denuntiet, & ex illa denuntiatione sequatur mors, & ratio est, quia ipse aperit præcisè, quid iura statuant.

Bene tamen de morte inferenda tali ob tale delictũ.

Sequitur tertiò, quod accusatores delicti, & delinquentis, ex quo sequitur
9 sententia mortis, subijciatur irregularitati, quia verè accusando influunt in mortem. Sed, an Prælatus, vel Clericus accusantes, si protestentur in ipsa accusatione, vel ante sententiam se non intendere mortem accusati, sed dumtaxat, vt reus puniatur citra pænam sanguinis ad effectum ne vlteriora sibi damna, seu iniuriæ inferantur, ea non obstante sequatur sententia mortis, & reus occidatur, contrahant irregularitatem. Negatiuè respondendum est, prout habetur expressè *in cap. Prælatis de homicid. in 6.*, vbi etiam redditur ratio Ibi- *Alioqui, si Prælati, vel Clerici propter metum huiusmodi (quia Iudex ad pænam sanguinis posset*

Accusatores fiunt irregulares, si indè mors sequatur.

procedere de suis malefactoribus) talitèr conqueri non auderent, daretur plerisque materia, trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi. Hic tamen aduerte, protestationem huiusmodi prodesse dumtaxat, quando accusatio est de damno, seu iniuria sibi, Patri suo, fratri, filio, vel consanguineo sibi ita coniuncto, vt quodamodo damnum, & iniuria illorum habeatur, vt propria; item quando damnum, & iniuria est Ecclesiæ, vel Reipublicæ, vel innocentis alias ineuitabile, seu ineuitabilis, non verò quando damnum est extraneorum. Hæc autem restrictio clarè deducitur ex ratione per textum adducta, quæ respicit euitationem dumtaxat bonorum vitæ, & fortunæ eiusdem accusantis, & eorum, qui ad ipsos pertinent iure sanguinis, vel communitatis, cum qua communicant, non aliorum. Hoc expressè sentit *Præpositus dub. 13. num. 101.* Aduerte secundò, quod quantumuis accusator protestetur animo ficto, cum cæteroqui internè cupiat reum damnari morte, adhuc tamen euitet irregularitatem *Henriquez lib. 14. cap. 11.*, quia textus *in d. c. Prælatis*, solum requirit protestationem, quæ, quantumuis sit ficta, prout tamen externè proponitur, vt vera ita mouet Iudicem, ac si esset simplicitèr vera, & Ecclesia iudicat de actibus externis, prout proponuntur, non de internis merè, qui non apparent.

10 *Excusãtur, si protestentur, se nolle pænam sanguinis.*

11 *Intellige, quando accusatio est de damno proprio, vel consanguineorum.*

Sequitur tertiò, etiam testes contra Reum, si sequatur sententia mortis, eaque puniatur, contrahere irregularitatem. In hoc consentiunt omnes, si depositio testium conferat ad illam sententiam ferendam, quia verè ipsi sunt causa illius mortis. Sed, an eisdem testibus prosit, seu prodesse possit protestatio, ne reus puniatur morte, seu pæna sanguinis, sicut prodest accusatori? Affirmant *Præpositus dub. 13. nu. 104., & 105. Crux part. 2. dub. 6. concl. 5., Mercerius in 3. part. quæst. 24. dub. 8. resp. 3.*, qui ea mouentur ratione, quod testes cum accusatore quid vnum constituant, cum debeant eius denuntiationem, & accusationem firmare, & frustranea esset facultas accusatoris, nisi testium depositione firmaretur; ex quibus videtur rectè sequi, si accusatio cum tali protestatione iuuat accusantem, ita depositionem testium cum eadem protestatione iuuare eosdem testes. Negant verò, & quidem
13 probabilius *Villalobos tom. 1. tract. 21. difficult. 27. num. 1., Hurtadus de irreg. disp. 2. difficult. 11. num. 40.* eo quia textus *in d. c. Prælatis de homicid. in 6.* loquitur præcisè de accusatore, & ratio, quæ militat

12 *Testes contra Reum contrahũt hãc pænam*

Nec eisdem prodest prædicta protestatio.

tat de accusatore, non militat de testibus ab eodem productis, cum ipse agat de causa propria, isti de aliena; Nec obstat ratio pro cōtraria opinione adducta, quod scilicet inanis esset facultas accusatoris, nisi firmaretur testium depositione, quia, quamuis hoc verum sit, non tamen ex eo sequitur, quod protestatio à testibus facta eisdem suffragetur, sicuti suffragatur accusatori; nam, sicuti diximus, quod non suffragatur accusatori agenti alterius causam, qui nō sit ita coniunctus, vt non censeatur causa propria ipsius accusatoris, ita modo dicimus, quod non suffragatur testibus agentibus quodamodo causam ipsius accusatoris, cum sit causa extranea, nec censeatur causa eorundem testium, cæteroqui in illa nihil probarent, cum nemo, vt testis probet in causa propria. Quod, si supponas, quod testes deponant præcepto Iudicis obligati graui metu, vel iure naturæ coacti, sed protestatione præmissa, tunc secundum *Mercerium in 3. p. quæst. 24. dub. 8. resp. 3.*, videntur excusari necessitate compellente, quæ, sicut excusat à culpa, videtur etiam eximere à pæna; sed hæc ratio nil penitus videtur euincere, quia hic versamur in irregularitate, quæ non prouenit ex delicto, sed ex defectu lenitatis, & sicuti ipse Iudex, quamuis compellatur à iure ex vi proprij officij existente, & probato in reo delicto capitali ad ferendam sententiam mortis, non tamen eximitur ab irregularitate, ita &c.

Sed quid erit dicendum de testibus pro Reo productis, si ex eorum depositione sequatur mors accusatoris, an ipsi contrahant irregularitatem. Negant *Suarez disp. 47. sect. 4. num. 9.*, *Diana part. 4. tract. 2. resp. 96.*, eo quia eorum depositio est in fauorem rei, quod, si inde sequatur damnum, seu mors accusatoris, hoc omninò per accidens est, nec directè intentum ab ipsis testibus, nec potest in eisdem considerari defectus lenitatis, cum potius in ijs resultet effectus mansuetudinis erga reum, nec ipsi intendant mortem accusatoris. Ego autem in hoc cum distinctione procedendum existimo, vel etenim præcisè in suis depositionibus tuentur causam Rei, vel simul impingunt grauia crimina accusatori, quæ ex processu pro ipso contra Reum efformato non emergunt; Iuxta primum membrum distinctionis adhæreo eidem *Suarez* propter rationem mox adductam; Iuxta secundum absolutè sentio, eosdem testes contrahere irregularitatem, quandoquidem per depositionem illorum grauium criminum non resultantium ex processu

14 ***Testes pro Reo producti quandonam contrahāt hāc pænam.***

offensiuo contra reum præsumptum positiuè, & directè influunt in mortem eiusdem accusatoris, nec possunt excusari à defectu lenitatis, cum in ipsum crimina adstruant, ex quibus eorum mortem poterant præuidere.

Sequitur quartò, Aduocatum accusatoris, qui agit pro ipso in causa sanguinis irregularitatem contrahere, quia & ipse concurrit ad mortem Rei promouendo accusationem, & causam contra eundem Reum, nec arbitror aliquem in hoc dissentiri. Sed, an ipse Aduocatus, si præmittat protestationem, ne Reus puniatur pæna mortis, aut mutilationis, sed solum citra pænam sanguinis, eximatur ab eadem irregularitate; Negatiuè regulariter loquendo respondendum est propter rationes superius adductas, dum de protestatione præmissa à testibus, quinimmò fortiori ratione, quandoquidem testes minus influunt, cum præcisè pro veritate deponant; Aduocatus verò animat quodamodo eorum dicta, & magis iuribus, & rationibus adductis reddit efficacia ad mortem Reo inferendam. Sed quid erit dicendum de Aduocato pro Reo, si ex eiusdem clientela consequatur mors accusatoris? Tunc etiam cum distinctione præacta dum de testibus in fauorem Rei adductis respondendum est, vel etenim insistit præcisè in defensione rei ex processu offensiuo contra ipsum efformato, & tunc quamuis ex tali defensione contingat mors accusatoris, non contrahet irregularitatem, quia non est causa directa mortis eiusdem; intellige tamen, nisi ipse in defensione Rei expressè exegisset pænam talionis, quia tunc per talem petitionem expressè exegisset, & directè mortem accusatoris, vel vltra insistentiam defensionis Rei impinxit grauia crimina non resultantia ex processu contra accusatorem, & tunc reuera, cum considerari possit in ipso defectus lenitatis, non poterit eximi ab irregularitate. Quod, si supponas, non potuisse Aduocatum Reum grauitèr alioqui periclitantem à sententia mortis defendere, nisi illa grauia crimina accusatori impingeret; tunc, si illa grauia delicta essent calumniosa indubitatū est, quod vltra scelus falsæ accusationis contraheret pænam irregularitatis eo quia influeret in mortem accusatoris, nec licet in defensionem vnius alteri falsum, & graue crimen obnoxium morti impingere; si verò illa grauia delicta essent vera, adhuc non effugeret pænam eiusdem irregularitatis, quia consideraretur in hac hypothesi quasi, vt accusator, nec eum excusaret titulus defensionis sui

15 ***Aduocatus accusatoris fit irregularis.***

16 ***Nec ei prodest protestatio.***

17 ***Aduocatus pro Reo non fit irregularis, quantumuis sequatur mors accusatoris, si sistat præcisè in defensione.***

18 ***Nisi exigat pænam talionis.***

19 ***Et nisi impingat grauia crimina.***

clientis

clientis, quia etiam accusator præsumitur accusare in sui defensam, & tamen, si ex accusatione sequatur mors accusati, fit irregularis.

20 *Carnifex exequens sententiā mortis est irregularis.* Sequitur quintò, Carnificem exequentem sententiam Iudicis condemnatoriam mortis contrahere ex hoc capite irregularitatem, quia in ipso super omnes apparet defectus lenitatis, & ipse præ cæteris est Physicus mortis executor. Dixi *ex hoc capite*, nam ex alijs etiam capitibus puta infamiæ ratione professionis, quam exercet, est irregularis. Nec solus Carnifex, qui sententiam mortis exequitur, contrahit irregularitatem, sed quotquot animant, præmouent, & instigant ad citius exequendam sententiam, & mortem accelerandam; sic in particulari contrahit primo irregularitatem, qui dicit Carnifici. *Fac citius, exere gladium, & ne differas adimplere munus tuum*, quia per huiusmodi dictum mortem delinquentis accelerat *Graffius prima part. lib. 4. cap. 27., Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 4 punct. 2. nu. 9.*, vbi etiam asserit contrahere irregularitatem, qui dicit Reo: *Ascende scalam, vel suppone caput ad excipiendum ictum*. Secundò contrahit eandem, qui, postquam carnifex suspendit reum existimans esse mortuum, & iam descendebat è patibulo, clamauit voce magna *Adhuc viuit, viuit*, vndè carnifex iterum ascendit, & pedibus calcat, donec moriatur, cum hic videatur apertè mortem accelerare. In his tamen duobus casibus sentiunt non contrahere irregularitatem *Turrianus de Censuris lib. 9. disp. 66. dub. 3., Diana part. 3. tract. 5. resol. 79., & part. 8. tract. 7. resol. 61.*, quorum tamen auctoritati parum in hoc deferendum existimo, cum denegari non possit, quin quoquo modo mortem Rei accelerent.

21 *Item omnes animantes & promouentes ad mortem.*

22 *Vendentes ligna præscindendo ab hoc, vel illo fine, non fiūt irregulares.* Sed, an vendentes ligna ad parandum patibulum pro reo puniendo, & parantes scalas contrahant irregularitatem? Negat *Diana part. 3. tract. 5. resol. 79., & part. 5. in addit. ad resol. 46. tract. 5.* Sed in hoc quoad venditionem lignorum ego distinguendum existimo vel etenim vendunt ligna præcisè, tanquam Mercatores eorundem præscindendo ab hoc, vel illo fine, vel vendunt ligna, & funem ad suspendendos homines. Iuxta primum sensum non incongruè arbitror procedere Dianam, quia talis venditio est nimis remota ad occisionem hominis; Iuxta secundū sensum nonnulli asserunt contrahere irregularitatem, quia actio, quantumuis secundum se indiferens determinatur à fine, ad quem dirigitur, & illius qualitatem participat; atque ita sentiunt *Suarez disp. 45. sect. 3. n. 5., Nauarrus in man. c. 27. nu. 212., Siluester verb. Homicidium 3. nu. 3., Molina tom. 4. tract. 3. disp. 74. n. 2.*, ex quo deducunt etiam *Molina d. disp. 74. num. 3., Sairus cap. 16. num. 3., Auila part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1.*, illum contrahere irregularitatem, qui tradit ligna ad hæreticum viuum comburendum. Sed contraria sententia sua non caret probabilitate, vt supra diximus.

23 *Secus, si vendant ad finem parandi patibulum.*

24 *Commitantes Reum ad supplicium tanquā custodes fiunt irregulares.* Sed, an irregularitatem contrahant, qui reum commitātur dum ad vltimum supplicium ducitur? In hoc distinguendum est, vel etenim commitantur, tanquam custodes causa securitatis, cuiusmodi sunt satellites, vel commitantur nullam conferentes assistentiam, nec defensionem, nec auctoritatem; & iuxtà primum membrum certum est contrahere irregularitatem, cum re vera concurrant ad mortem; Iuxtà secundum, nullo modo arbitrandum est contrahere, cum nil conferant ad illam mortem; verum tamen est, quod, si Clerici commitentur, & assistant vltimo supplicio rei damnati, quamuis nullum præstent auxilium, contrahant secundum *Sairum lib. 6. cap. 18. num. 20.* noxam læthalem, & secundum *Suarez disp. 47. sect. 4.*, noxam saltem venialem propter prohibitionem *in cap. sententiam sanguinis ne Cler., vel Monaci*. Sed *Diana part. 4. tract. 2. resol. 31.*, existimat Clericos sic assistentes nullo modo peccare, quia talis prohibitio intelligitur contraria consuetudine abrogata, quod verissimum arbitror. Hic etiam docet *Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 4. punct. 1. num. 8.*, custodes carceris afferentes claues carceris, eumque aperientes, vt educatur reus ad mortem, contrahere irregularitatem.

25 *Secus, si comitentur nullam operam afferentes.*

26 *Secus, si pulsent ad conuocandos satellites.* Sed, an pulsans campanam, qua significetur reus ad mortem ducendus, contrahat irregularitatem? Distinguendum etiam in hoc est vel etenim pulsat præcisè ad indicandum hominem suspendendum esse, vel pulsat ad conuocandos satellites, vt reum ad mortem ducerent. Iuxta primum sensum sentiendum est absolute non contrahere, quia per illam pulsationem nullo modo in mortem influit *Auila part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1. ad fin., Vgolinus cap. 11. §. 6. num. 1., Bonacina loc. cit. num. 14.* Iuxtà secundum dicendum est contrahere, cum re vera concurrat ad mortem conuocans quoquo modo cooperatores ad eandem *Bonacina loc. cit.*

Sequitur sextò, satellites capientes reum, & ducentes ad carceres, si contra reum emanet sententia mortis, & exequatur, & item è carceribus, post ema-

emanatam sententiam ducentes ad pati-
27 bulum, contrahere irregularitatem, cum re vera concurrerint, & concurrant ad mortem, nec in hoc aliquem arbitror dissentiri. Sed, an cooperantes eisdem satellitibus, vt reos capiant, fiant irregulares? Secundum varios modos cooperationis dirimenda est hæc quæstio, vel etenim directè cooperatur ad capturam, quatenus satellites ducunt ad reum, vel indicant, vbi sit reus, & mouent ad ipsum capiendum, quod est cooperari directè in particulari, vel cooperantur quidem directè, sed in communi, quatenus clamât voce magna in tali loco adesse latrones, vndè satellites accurrunt, illosque, vel alterum illorum capiunt, vel solum cooperantur indirectè, quatenus non intendentes capturam Rei, aliquod tamen efficiunt, vel dicunt, ex quo consequitur eadem captura; hocque etiam potest dupliciter contingere, vel quatenus dât operam alicui actioni per se ordinatæ ad aliquid aliud, puta ad bonum proprium cum aliqua probabili notitia, quod ex illa actione possit euenire reorum captura, vt, si ducant satellites ad capiendam possessionem bonorum sibi per legitimam sententiam adiudicatam,

Satellites capientes reum, & ducêtes ad carcerem fiunt irregulares, si damnentur ad mortem.

28 & ad expellendos possessores illorum in loco, in quo præuident esse reum, qui facilè à satellitibus capiatur, vel quatenus ignorantes aliquem quæri ad capturam indicant, vbi sit. Si cooperentur directè, & in particulari capturæ rei ducentes satellites ad ipsum, & indicantes locum, in quo reperitur ad effectum, vt capiatur, certum est, quod, si sequatur captura, & captus damnetur vltimo supplicio, sic cooperantes contrahant irregularitatem, quia influunt in capturam, & mortem; si cooperentur quidem directè, sed in communi, quatenus clament adesse latrones ad conuocandos populos seu satellites ad eos capiendos, & tunc sequatur, vel mors eorundem latronum, vel ipsorum captura, ita vt posteà damnêtur ad mortem, tunc etiam probabilius est, quod sic clamantes, seu cooperantes contrahant irregularitatem, vt sentiunt *Bonacina loc. cit. num.* 18., *Vgolinus cap.* 11. §. 6., *& cap.* 6. §. 10. *num.* 2., *Suarez disp.* 47. *sect.* 2. *num.* 21., *& alij*, quia censentur causa mortis vel immediatè sequentis, vel secuturæ post capturam, & sententiam condemnatoriam; Si verò cooperentur indirectè, quatenus intendunt seruare iura sua, ex quo consequitur captura reorum cum condemnatione ipsorum ad mortem, vt contingeret in casu supra recensito de ducente satellites ad apprehendendam possessionem bonorum sibi adiudicatorum, ex quo consequatur reorum captura, vel in casu quo ad defendendas res suas à latronibus aggressus clamaret adesse latrones ad finem principalitèr easdem res liberandi, licet consequatur captura eorundem latronum; tunc probabilius arbitrarer, eximi ab irregularitate, prout etiam sentiunt *Vgolinus cap.* 11. §. 6., *Suarez loc. cit.*, *Auila part.* 7. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 15., *Bonacina loc. cit. num.* 18., *& punct.* 2. *num.* 5., & ratio deducitur ex supradictis, quia ad defendendas res suas licitum est reum accusare, vt habetur *in c. fin. de homicid. in* 6., ergo ad easdem res defendendas licitum erit clamare adesse latrones, nam licet eorundem captura, & mors indè sequatur, est præter intentionem clamantis, cum intendat res suas seruare directè, & mors, & captura per accidens consequatur. Si tandem cooperetur ignorantèr indicans reum nesciens quæri ad capturam, tunc certum est, non incurrere irregularitatem, quia nec ipse peccat, nec in ipso considerari potest defectus lenitatis, qui defectus non compatitur cum ignorantia.

An, & quomodò cooperantes satellitibus, vt reum capiant fiant irregulares.

Sequitur septimò, Notarios, qui conficiunt processum offensiuum, scribunt, & legunt sententiam condemnatoriam mortis non euitare irregularitatem, quia re vera concurrunt per opus positiuum ad mortem Rei, *Bonacina de irregul. disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 5., qui pro se citat *Vgolinum cap.* 8. *num.* 4., *Suarez disp.* 47. *sect.* 1. *num.* 4., *Reginaldum tract.* 30. *num.* 101. Sed, an scriba, seu Amanuensis, qui transcribit sententiam iam à Iudice latam, & a Notario conscriptam, incurrat in eandem irregularitatem? Negandum absolutè videtur, quia ipse per illam transcriptionem non intelligitur esse causa accelerationis mortis. 29 30

Notarij côficientes processum, & scribentes sententiâ mortis sunt irregulares.

Non sic scribæ transcribentes eandem sententiam.

Pro complemento eorum, quæ pertinere possunt ad irregularitatem prouenientem ex homicidio iuridico remanet discutiendum, an Iudex, cæterique cooperantes ad mortem Rei tot irregularitates contrahant, quot actiones exercent conducentes ad mortem eiusdem, & tot, quot membra recidere mandant, & tot, quot reos occidi iubent, seu consulunt, & hoc siue vna, & eadem sententia, siue pluribus sententijs distinctis. Loquendo de pluribus actionibus siue præuijs, siue concomitantibus ad eiusdem mortem pertinentibus, dicendum est siue Iudicem, siue alium quemcunque non contrahere, nisi vnicam irregularitatem, *Vgolinus cap.* 5. §. 9., *Bonacina de irreg. disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 24. Ratio ex eo deducitur, quia irregularitas non contra-

31 *An Iudices aliique cooperantes ex vna, vel pluribus sententijs, & actionibus contrahant vnam, vel plures irregularitates.*

trahitur, nisi ex homicidio, vel mutilatione, vndè, si omnes præuiæ actiones siue ex parte Iudicis, siue aliorum interuenirent, nec tamen sequeretur sententia mortis, eaque exequeretur, nullus irregularitatem incurreret, ergo cum vnicum dumtaxat interueniat homicidium, vel vnica mutilatio, vna tantum incurretur irregularitas nulla habita ratione, quod præuiæ actiones interuenerint. Loquendo verò de mutilatione plurium membrorum vna continuata actione per Iudicem imperata, etiam probabilius sentiendum est, nonnisi vnam irregularitatem incurri, quia, & sententia, & actio, qua eadem sententia exequitur, se habet per modum vnius, & sicuti, si quis vno, & eodem contextu plures ictus in Clericum impingeret, nonnisi vnicam excommunicationem contraheret, ita Iudex, & eiusdem executor ex vi eiusdem sententię mutilans eodem contextu plura membra, nonnisi vnicam contrahant irregularitatem. Loquendo tandem de pluribus occisionibus siue à Iudice imperatis, siue à ministris executis, cum distinctione videtur procedendum, vel etenim plures occiduntur ex vi vnius, & eiusdem sententiæ, vel plures ex vi diuersarum sententiarum, & cooperationum pro diuerso tempore, & quidem, si plures per vnam, & eandem sententiam damnentur ad mortem, quamuis plura dicantur homicidia commissa, seu committi, nihilominus probabilius est, vnicam dumtaxat contrahi irregularitatem, atque iuxtà hunc sensum procedunt *Bonacina de Irregularitate disp. 7. quæst. 4. punct. 1. num. 26.*, & quotquot sustinent nonnisi vnicam contrahi irregularitatem, quando plures damnati fuerunt ad mortem ab eodem Iudice per diuersas, & diuerso tempore latas sententias, de quibus infrà. Ratio huius nostri afferti ex eo deducitur, quia irregularitas potius desumenda est penes actionem agentis, quam penes numerum obiectorum; sic v. g., qui existens in peccato vna prolatione verborum plures baptizaret, quamuis respectu baptizatorum plures esset baptismi, vnum tamen tantum à baptizante committeretur peccatum; sic qui plures vna absolutione absolueret nonnisi vnicum peccatum sacrilegij committeret &c. ergo, cum vna sit actio Iudicis, qua plures condemnat, vnica tantum erit irregularitas, quamuis ex vi eiusdem plura fiant homicidia; atque ideo cum hac opinione videtur transire *Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 5. num. 35.*, *& alij*. Si verò Iudex per plures, & distinctas sententias diuerso tempore latas plures damnauit ad mortem; tunc etiam aliqui apud *Dianam part. 4. tract. 2. resol. 86.*, docent, nonnisi vnicam contrahere irregularitatem, nec esse necesse pro impetranda dispensatione, vt omnes sententiæ condemnatoriæ mortis exprimantur, ad quod asserendum, & ratione, & paritatibus mouentur; ratione, quia, cum irregularitas consistat in negatione, nec suscipiat magis, & minus eadem constituta per vnam causam totalem non admittit aliam causam totalem; paritatibus, quia sicuti copula inter affines repetita non multiplicat impedimenta, nec omnes actus sunt pro dispensatione impetranda manifestandi, vt docet *Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 24. num. 7.*, *& nos ipsi tom. 7. sub tit. Contractus XV. de matrim. 3. prænot. 22. num. 6.*, *Toletus lib. 7. c. 19. ad fin.*, *Azorius 3. p. lib. 3. cap. 10. quæst. 1.* ita &c. Secundò, quod, sicuti quis in excommunicatione, si pluries celebrarit, non cōtrahit plures distinctas irregularitates, vt docent *Nauarrus cons. 3. de rapt. num. 6.*, *Garzias 8. part. de benefic. cap. 3. à num. 80. ad 87.* ita &c. Huic opinioni libenter adhæreo, sicuti adhæsi *d. tom. 7. sub tit. matrimon. 3. d. prænot. 22. num. 6.*, ad quæ vos remitto, ne tenear repetere, quæ ibi dicta sunt.

32 *Ex homicidio in bello iusto solum oritur irregularitas in occidēte*

Iam prosequimur examinare irregularitatem, quæ prouenire potest ex homicidijs in bello iusto; nam de iniusto plura attigimus in præcedentibus, & ea, quæ dicta sunt de homicidio iniusto in particulari, possunt applicari eidem in bello iniusto. Dico igitur regularitèr loquendo in bello iusto solum occidentes in contrahere irregularitatem; hoc videtur expresse colligi *ex cap. petitio tua de homicidio*, vbi Pontifex illum dumtaxat iudicat irregularem, qui in bello occidit, aut dubitat occidisse; ex qua regula deduces primo, consulentem Principi bellum iustum contrà alium non fieri irregularem per textum *in cap. hortatu, & precibus 23. quæst. 8.*, *& cap. omni timore 23. quæst. 8.* Secundò non fieri irregulares siue Clericos, siue laicos, qui intersunt bello iusto, quamuis hortentur milites ad strenuè pugnandum, ad vincendum, ad tuendam fidem, & patriam, prout sentiunt *Henriquez lib. 14. cap. 3.*, *Vgolinus de irregul. cap. 12. §. 2.*, *Suarez disp. 47. sect. 6. num. 8.*, *Auila part. 7. disp. 6. dub. 2.*, quod deducunt *ex d. c. petitio tua de homicidio, & cap. Maximianus, & cap. milites hortatur 23. quæst. 8.*, intellige tamen, nisi hortantur ad occidendum aliquem in particulari, quia tunc videtur influere determinatè in mortem illius personæ, & propterea in sic hortante, & consulente non

33 *Non cōtrahunt consulētes bellū iustum.*

34 *Nec qui animant milites ad strenuè pugnandū.*

non potest considerari defectus lenitatis. Tertiò non fieri irregulares Duces exercitus, consultores militiæ, Tubicines, & pulsantes tympana, nisi ipsi per se ipsos occidant, aut mutilent, aut instigent ad aliquem in particulari occidendum per textum *in d. c. petitio tua.* Quartò, nec fieri irregulares tradentes arma militibus ad pugnandum in bello iusto, quantumuis arma sint offensiua. Hic tamen aduerte, quod, quamuis Clerici possint bello iusto assistere hortando milites ad strenuè pugnandum, non possint tamen per se loquendo per se ipsos pugnare, vt habetur *in cap. quicumque, & cap. Clerici 23. quæst. vlt., & cap. Clericum qui, & cap. de his Clericis dist. 50.* Sed quid, si isti contra hanc prohibitionem per se ipsos pugnauerint, non tamen quemquam in bello occiderint, an intelligantur irregularitatem contraxisse? Negatiuè respondendum est, quia huic prohibitioni non est annexa pœna irregularitatis, & textus *in d. c. petitio tua de homicid.* subdit solum irregularitati Clericum occidentem, vel dubitantem se occidisse, quæ restrictio esset inanis, si etiam Clericis præcisè pugnantes in irregularitate comprehenderentur.

35 *Nec Duces, & alij officiales.*

36 *Nec tradentes arma militibus.*

37 Sed hic oritur difficultas, an, si per Romanum Pontificem facta esset facultas Clericis per se ipsos pugnandi in bello iusto, & isti dimicando aliquos hostes occidissent, intelligantur irregularitatem contraxisse? Negatiuè respondendum est, prout sentiunt *Molina tom. 4. tract. 3. disp. 73. num. 1., & seqq., Henriquez lib. 14. cap. 11. num. 3., Sairus lib. 6. cap. 19. num. 5.* Ratio est, quia irregularitas est inducta per ius positiuum, in quo Pontifex potest dispensare; eo autem ipso, quo Pontifex concedit facultatem pugnandi in bello Clericis, intelligitur in irregularitate dispensare, non quatenus ipsam contrahant, & postea per dispensationem auferatur, sed quatenus dispensando, vt possint pugnare, efficit, ne illam contrahant; inuerisimile etenim videtur Summum Pontificem velle Clericos pugnare, & simul velle, quod pugnando occidentes subdantur irregularitati.

Clerici pugnantes ex concessione Pōtificis nō fiūt irregulares, si occidant.

38 Prosequendo materiam in homicidio particulari, sed iusto proueniente ex causa defensionis propriæ vitæ, seu honoris, rerum suarum, & proximi. Dico primo occidentem alium ad vitæ suæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non fieri irregularem. Hoc expresè colligitur *ex Clem. si furiosus de homicidio*; non etenim hæc irregularitas prouenire potest ex delicto, nec ex defectu lenitatis; non ex delicto, quia illa occisio ad sui defensionem non est culpabilis, cum non sit voluntaria, sed quodamodo necessaria; non ex defectu lenitatis, cum potius quis teneatur lenitatem, seu mansuetudinem erga se ipsum seruare, quam erga alterum sibi insultantem. Dixi *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, ad quod plura requiruntur, & primo, quod sibi vis inferatur, ex qua timeatur mors propria, vel mutilatio. Secundò, quod fiat in ipso actu aggressionis. Tertiò, quod non possit aliter vitare propriam vitam, seu mutilationem, nisi inuasorem interficiat. Sed quid erit dicendum, si possit quidem aliter vitam suam tueri, sed non nisi ignominiosè fugiendo, an tunc, si occidat inuasorem, euitabit irregularitatem? Arbitror absolutè eandem non euitare, quidquid ex aduerso dixerit *Bonacina de irregularitate disp. 7. quæst. 4. punct. 6. num. 2.*, asserens illum non dici seruare moderamen inculpatæ tutelæ, quando potest fuga non ignominiosa aliter se defendere, quam occidendo, ex quo à contrario sensu infertur, quod, si solum fuga ignominiosa possit se tueri, seruet moderamen inculpatæ tutelæ, etiam si non fugiat, & occidat. Ratio nostræ assertionis ex eo deducitur, quod in tantum diceretur seruare moderamen inculpatæ tutelæ, in quantum, si effugeret, contraheret notam timiditatis, sed hæc ratio non subsistit, quandoquidem hæc nota timiditatis fugiendæ non est sufficiens ad excusandum à graui culpa virum equestrem pro uocatum ad duellum, si illud acceptet, vt statuit Alexander VII., qui die 24. Septembris 1665. damnauit propositionem illam, quæ est in numero 2., qua dicebatur *Vir Equestris ad duellum prouocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*; Si ergo hæc timiditatis nota non est sufficiens ad excusandum &c., nec erit sufficiens ad excusandum aggressum, qui potest se ipsum tueri fugiendo, & non occidere aggressorem.

Occidēs alium in sui defensionē cum moderamine inculpatæ tutelæ non fit irregularis.

39 *Quid requiratur ad tale moderamen.*

40 *Nō euitās mortem aggreßoris quam vitare potest fugiendo fit irregularis.*

Ex eo autē, quod dixerimus ad vitam suam tuendam posse quemquā alterum cum moderamine inculpatæ tutulæ occidere, insurgunt hic nonnullę rationes dubitandi, & primo, an possit etiam cum tali moderamine aggressorem occidere ad se defendendum à membri mutilatione, & à vultus deformatione. Secundò, an possit interficere Iudicem iniustè sibi mortem parantem, quam aliter non posset effugere. Tertiò, an captus ab hostibus volentibus ipsum interficere possit sine nota irregularitatis custodem interficere. Quartò, an aggressus ab inimico, si non

Nōnnulla dubia circa rem præsentem.

si non possit se ipsum defendere, fiat irregularis tradendo arma amico suo, à quo aggressor occidatur.

41 Ad primam sentiendum existimo, posse aggressum occidere aggressorem inuehentem ad se defendendum à membri mutilatione, & à vultus deformatione. Ita quoad primam partem *Coaruuias in Clem. si furiosus part. vltima, §. vlt. de homicid.*, *Vgolinus de irregul. cap. 39. §. 1.*, *Auila part. 7. disp. 5. dub. 1.*, *& alij*. Quoad secundam *Sairus lib. 6. cap. 12. num. 5.*, *Henriquez lib. 14. cap. 10.*, *& alij*. Ratio primæ partis ea est, quia tuendo partem sui corporis intelligitur tueri propriam vitam, sed propriam vitam potest tueri etiam occidendo aggressorum cum moderamine inculpatæ tutelæ, ergo etiam potest tueri proprium membrum cum eodem moderamine occidendo inuasorem, potissimum cum ex huiusmodi mutilatione possit præsumi vitæ amissio. Ratio item secundæ partis ex eo deducitur, quod talis deformatio pertineat etiam ad bona vitæ, & corporis, adeoque, liceat eam vitare ijs modis, quibus vitari potest mutilatio membrorum corporis.

Ad se defendendum à mutilatione potest aggressus inuasoré occidere.

Ad secundam asserendum est, non licere occidere Iudicem iniustè sibi mortem
42 parantem, quam aliter effugere non posset, adeoque, si occideret, contraheret irregularitatem. De hoc non est amplius hæsitandum stante declaratione Alexandri VII., qui die 24. Septembris 1665. damnauit illam propositionem, quæ est in ordine 18. qua dicebatur. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare; ex quibus sequitur, quod, si interficeret, iniuste, & iniquè interficeret; ex iniusta autem interfectione consequitur irregularitas.

Non potest quis sine irregularitate occidere Iudicem sibi iniustam mortem paranté.

Ad tertiam in ordine ad simplicem cu-
43 stodem arbitrarer non licere ipsum occidere, vnde, si captus ipsum occideret, fieret irregularis; in ordine verò ad alios ipsum aggredientes ad mortem, si alia via non suppeteret illam vitandi, illum absoluerem à pœna irregularitatis. Ratio primæ partis est, quia ipse custos non potest dici actualis aggressor, nec ipse directè mortem intentat, vndè, si occidatur, occiditur citra casum iustæ defensionis, & extra actualem aggressionem; Quod, si dicas, quod custodiendo cooperetur iniustæ aggressioni, ex qua sequeretur ineuitabilis mors propria, nisi præueniret occidendo ipsum custodem; tunc dicam considerandum esse, an ipse custos ipsum cœperit, & detineat, donec hostes accedant ad ipsum occidendum, vel ipse non cœperit, sed ab hostibus captus fuerit ipsi in custodiam consignatus, vt postea illum occidant. Si ipse cœperit, & detineat suis manibus, vel vinculis alligatum, tunc non renuerem concedere, quod, si captus eundem custodem occideret, cum alias mortem non posset euitare, non contraheret irregularitatem, quia custodiens haberetur pro vero actuali aggressore, & vtique ad mortem; Si verò ipse non cœperit, sed ab hostibus captum, sibique custodiendum assignatum vel in carcere, vel domi detineat, donec ab eisdem hostibus occidatur, tunc certè, si custodem occideret, non eximerem à pœna irregularitatis, quia ipse non est actu aggressor, &, sicuti, quantumuis alia via non suppetit ad euadendam iniquam Iudicis sententiam, non licet ipsum occidere sine pœna irregularitatis, ita etiam ad euadendam mortem sibi ab hostibus infallibilitèr intentandam, quam secus non potest effugere, non erit licitum custodem detinentum occidere. In ordine verò ad alios ipsum aggredientes ad mortem, si eandem alitèr non potest effugere, non renuerem ipsum absoluere à pœna irregularitatis, quia verè se defenderet in actu aggressionis, & vtique cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Nec custodem ipsum præcisè custodientem

Secus, si custodiat, & actioné aliquam ad mortem intentat.

Ad quartam sentiendum est etiam, 44
cum non possit se ipsum per se ipsum defendere à morte sibi intentata, quam aliter non posset effugere, si tradat alteri arma, per quæ defendatur, & indè successerit mors inuasoris, effugere pœnam irregularitatis. *Vgolinus de irregularit. c. 14. §. 6.*, *Nauarrus in man. cap. 27. n. 212.*, *Sairus lib. 6. cap. 7. num. 14.*, *Reginaldus lib. 30. tract. 2. num. 109.*, *Bonacina de irregular. disp. 7. quæst. 4. punct. 6. num. 9.* Ratio est, quia vnicuique licitum est se tueri quoad vitam, quando illam alitèr soluere non potest etiam occidendo aggressorem per superiùs allegata, & probata, ergo hoc poterit præstare per se ipsum, quando potest, vel per alium, quando non potest; quia semper propriā vitam tuetur, & defendit contra actualem aggressorem in actu aggressionis. Sed an alter, qui sumptis è manu aggressi armis aggressorem occidit, cum non posset mortem aggressi alitèr seruare, incurrat in irregularitatem? Negant *Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. num. 409.*, *Coaruuias in Clem. si furiosus 3. part. §. vltim. de Homicid. Lessius lib. 2. de iust. & iur. cap. 9. dub. 11.*, *Suarez tom. 5. disp. 46. sect. 3.*, *Conincbus disp. 18. dub. 9. num. 88. concl. 2. 3.*, *& alij*, qui potissimum ea ratione mouētur, quia ad incurrendam irregularitatem ob priuatum

Aggressus non valens se ipsum defendere tradens alteri arma, qui occidit aggressoré non fit irregularis.

uatum

uatum homicidium ad differentiam homicidij iuridici requiritur culpa in occidente, cum in homicidio iuridico incurratur sine culpa ob solum defectum lenitatis; sed in occidente inuasorem proximi cum moderamine inculpatæ tutelæ, non potest considerari aliqua culpa, cum licitum sit vim vi repellere non solum in defensionem propriæ, sed etiam in defensionem vitæ proximi, vt docent præcitati DD. ergo &c. Addunt etiam, quod si quis percuteret, vel occideret Clericum ad defensionem proximi etiam extranei, quando aliter ipsum nequit defendere, non contraheret excommunicationem, vt docet *Innocentius in cap. si verò de sent. excommunic.* ergo neque occidens aggressorem in defensionem proximi, quando alitèr ipsum nequit defendere, non contrahet irregularitatem. Affirmant verò contrahere *Nauarrus in man. c. 27. nu. 213.*, *Auila part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 4.*, *Maiolus de irregul. lib. 5. cap. 48.*, *Vgolinus de irreg. cap. 32. num. 2.*, *Toletus lib. 1. cap. 76. num. 1.*, quorum ratio ea est, quia *in Clement. si furiosus de homicid.*, solum dicitur irregularitatem effugere, qui alterum occidit in defensionem propriæ vitæ, ergo eandem non effugiet, qui alterum interficit in defensionem vitæ proximi. Adde, quod non minus non sit custos vitæ aggressi, quam aggressoris, ergo, vt vitam illius seruet, non debet vitam istius profundere, quod potissimum verificatur, quando aggressus est omninò extraneus, nec habet ratione sanguinis aliquam connexionem cum eodem. Adde vlteriùs quod, in tantum aggressus potest interficere aggressorem, quando alia via non suppetit propriam vitam seruandi, in quantum debet propriam vitam alienæ præferre sic exigente ordine charitatis; sed hoc verificari nequit in ordine ad alium ab aggresso; quandoquidem hic non tenetur vitam potius vnius præferre, quam vitam alterius. Quod, si supponas aggressum esse personam coniunctam illi tertię personæ, quæ occidit aggressorem, puta Patrem, Matrem, vxorem, seu filium, tunc videtur diuersa ratio, de qua mox subdam. Interim loquendo de aggresso, quæ sit persona extranea respectu eius, cui det arma, & per quam inuasor occiditur, sentiendum existimo eum, qui ab aggresso acceptis armis aggressorem occidit non euitare irregularitatem propter rationes pro sententia affirmante adductas; Nec obstant, quæ pro sententia negante afferebantur: non primum, quia non eximerem a graui culpa eum, qui, vt vnum defenderet, alterum occideret, quia quando mala sunt paria, nemo potest alterum includere, vt excludat alterū præsertim, cum id fieri nequeat, nisi horrendo illo modo occisionis proximi; non secundum, quia textus *in d. cap. si verò de sentent. excommunicat.*, loquitur solum, quando quis percuteret Clericum inuadentem ad defensionem sui ipsius, non alterius extranei, vt legenti ipsum textum sit manifestum. Deindè dato etiam, quod, si percuteret Clericum in defensionem alteriùs ex vi eiusdem textus non contraheret excommunicationem, per hoc tamen non tolleretur, quin contraheret irregularitatem, quandoquidem excommunicatio non consequitur ex quocumque homicidio, nisi sit expressum in iure; irregularitas autem consequitur ex quocumque homicidio iniusto ex generali sua regula.

45 *Ille tamen, qui occidit inuasorē alterius contrahit irregularitatem.*

Soluuntur rationes contraria sententia.

46 *Excipe, nisi inuasus esset persona proximè coniuncta cum eo, qui occidit.*

Ad illud autem, quod dicebatur de occidente aggressorem personæ sibi coniunctæ, puta Patris, Matris, vxoris, filij, & similium cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando scilicet illorum mors aliter vitari non potest, nisi per mortem aggressoris; tunc probabilius crederem, occidentem vitare irregularitatem; cum persona Patris, Matris, & filij computetur quodamodo, tanquam quid vnū cum persona occidentis, vndè hic defendendo Patrem, vel Matrem, vel filium intelligitur quodamodo se ipsum defendere; &, si valeret argumentum, quo supra vtebantur aduersarij, ab excommunicatione ad irregularitatem concludentissima ratione ex vi textus *in d. cap. si verò de sent. excommunicationis* euinceretur quod occidens aggressorum Patris, vel Matris, filij, vxoris, & similium non contraheret irregularitatem; nam ibi dicitur, quod, si quis inuenerit Clericum cum vxore, Matre, Sorore, & filia turpitèr versantem, ipsumque occiderit, non contrahat excommunicationem, si verò inuenerit cubantem cum extranea eandem excommunicationem non euitet; ex quibus satis clarè euincitur iura à pœnis eximere lædentes consanguineos sanguine coniunctos, non verò lædentes personas extraneas.

Sed quid erit dicendum, si quis tradat inuaso arma ad se defendendum contra inuasorem, qui aliter mortem effugere non potest, & ipse inuasus illis armis cum moderamine inculpatæ tutelæ occidat inuasorem, an ipse tribuens arma contrahat irregularitatem? Negat *Bonacina disp. 7. quæst. 4. punct. 6. num. 13.*, ea motus ratione, qua antecedenter asserebat, occidentem inuasorem proximi cum moderamine inculpatæ tutelæ non fieri irregu-

1 *Clerici exercentes artem Medicam iuxta regulas, non sunt irregulares.*

Respondeo primò, quod, si Ecclesiasticus exerceat artem Medicam, vel Chirurgicam iuxtà rectas regulas eiusdem artis non incurrit irregularitatem citrà abscissionem, & combustionem. In hanc responsionem consentiunt *Molina tom. 4. disp. 75. num. 6.*, *Henriquez lib. 14. cap. 11. num. 1.*, *Sairus lib. 7. cap. 6. num. 11.* Ratio ex eo deducitur, quod *in cap. sententiam sanguinis ne Cleric., vel Monac.* dicitur, quod illam artem Chirurgiæ, Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos non exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducat ergo a contrario sensu poterunt talem artem exercere, si nec adustionem, nec incisionem inducat; Neque obstat textus *in cap. tua nos de homicidio*, vbi Monachus, quantumuis peritus, cum aperuerit ferro in muliere tumorem in gutture, & cum tumor ille aliquantulum resedisset, monuerit, ne se vento mulier illa exponeret, & ipsa contempto præcepto se exposuerit, & mortua fuerit, dicitur, quod post datam satisfactionem possit misericorditèr dispensari, ergo, si indiget dispensatione, vt valeat celebrare, vtique irregularitatem contraxit, & ibi etiam adducitur ratio, quia multum deliquit officium illud exercendo; ex quibus plura inferuntur primò, quod, quamuis peritus, non possit licitè artem illam exercere. Secundò, quod exercendo, quamuis omnem diligentiam adhibuerit monendò, ne illa fæmina se vento exponeret, nihilominus mors indè secuta eidem imputatur ad culpam. Non obstat, inquam, quia in tali textu non dicitur, quod possit cum ipso dispensari, quasi, quod contraxerit irregularitatem, sed quod post peractam satisfactionem possit cum eo misericorditer agi, vt Diuina valeat celebrare, quod non importat irregularitatem, cæteroqui non congrue in eodem textu subderetur immediatè, *aliòqui interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis executio*, per quod verè importatur irregularitas. Quamobrem dicendum est ibi non imponi irregularitatem propter homicidium, sed solummodò quandam pœnitentiam eo quod quodamodò temerè se ingesserit in alienum officium; cæterum, cum Monachus ille supponatur peritus in illa arte, & adhibuisse debitam diligentiam, si contraxisset irregularitatem propter homicidium, quilibet Medicus, & Chirurgus, quantumuis peritus, & diligens eandem irregularitatem contraheret, si ex illa consequeretur mors, quod non est dicendum, & sequela ex eo euincitur, quia, si homicidium tunc committitur à Monaco perito, & diligenti, etiam committeretur à Medico, & Chirurgo cum prohibitio non possit facere de non homicida homicidam, vt notat *Coninchus disp. 18. dub. 9. num. 87.*, *Diana part. 4. tract. 2. resol. 23.*

Soluitur ratio opposita.

Respondeo secundò. A fortiori, nec laicus exercens artem Medicam, vel Chirurgicam, seruatis regulis artis, contrahit irregularitatem, & hoc etiam, si membrum aliquod abscindat causa sanitatis. In hanc responsionem consentiunt etiam *Nauarrus in man. cap. 27. num. 209.*, *Suarez disp. 47. sect. 7. num. 2.*, *Filliutius tract. 19. cap. 20. quæst. 8.*, *Bonacina de irregul. disp. 7. q. 4. punct. 5. num. 1.* Ratio ex eo deducitur, quod supradicebamus de Monaco, seu Ecclesiastico, qui, sicuti non contrahit secundum se irregularitatem ex eo, quod hoc munus exerceat ita nec eàdem contrahere censendus est laicus ipsam exercens. Dixi, *& hoc etiam, si membrum aliquod abscindat causa sanitatis*. Ratio huius ampliationis ea est, quia nullus est titulus, ob quem oriri possit talis irregularitas, non titulus iniusti homicidij, quia talis abscissio non est ad mortem, sed potius ad sanitatem ordinata, non defectus lenitatis, cum potius in ipsa consideretur magna mansuetudo. 2 *Etiam Laici sic exercentes, non contrahunt.*

Quod, si quæras, cur posita sit expressa restrictio in Ecclesiastico *citrà abscissionem, vel combustionem*, cum in laico expressa sit posita ampliatio, *& hoc etiam si membrum aliquod abscindat causa sanitatis*, supponitur enim etiam, quod Ecclesiasticus ob eandem causam sanitatis, non ex odio abscisionem, & combustionem ponat? Respondebo hoc esse ex speciali iuris dispositione *in cap. sententiam sanguinis. Ne Clerici, vel Monaci*, eo quod non congruit dignitati Sacerdotali, vel eidem proximè accedēti manus in humano sanguine fædare, quas sanctificat in Diuini Sanguinis, & Corporis oblatione; & hinc communitèr docent Clericos minoribus tantum ordinibus initiatos licitè posse hanc artem Medicinæ, & Chirurgiæ exercere etiam si membrum aliquod sanitatis causa sit abscindendum, quod colligunt *ex d. cap. sententiam sanguinis. Ne Clerici, vel Monaci*, in quo solum sit exceptio quoad Subdiaconum, Diaconum, & Sacerdotem. 3 *Cur concedatur Laicis posse membrū abscindere non Clericis.*

Dubitatur secundò. An exercens artem Medicinæ, vel Chirurgiæ, siue fuerit laicus, siue Ecclesiasticus contrahat irregularitatem, si infirmo Medicinam vel remedium applicet, quam, seu quod nescit, vel saltem dubitat, an sit proficuum, an noxium infirmo.

Secundum varias distinctiones *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 4. puncto 5. num. 3.*, hanc dubitationem resoluit. Considerat enim

enim primò, an Medicus, vel Chirurgus habeant aliam Medicinam, seu remedium, quam, seu quod ex experientia, seu ratione nouerit esse certum, vel solum habet illam Medicinam, seu remedium, quam, seu, quod nescit, vel dubitat, an sit proficuum nec ne, & loquendo iuxtà primum sensum asserit omittendo illud remedium certum, & adhibendo incertum peccare, & contrahere irregularitatem, quia imprudentèr agit exponendo infirmum incertitudini, dum potest red-

4 *An applicans infirmo remediū incertū contrahat irregularitatem.*

dere certam ipsius salutem; Iuxtà secundum sensum adhuc distinguit, vel quamuis non habeat remedium certum, habeat tamen alia remedia, quæ sint magis, vel minus dubia, seu magis, & minus incerta, vel solum habet illud remedium omninò incertum; si habeat plura minus, & magis incerta; tunc asserit, quod teneatur adhibere illud remedium incertum, quod ex Medicorum iudicio videtur posse esse magis proficuum, vel saltem minus noxium, & si alitèr agat, cum imprudentèr agat, asserit irregularitatem contrahere; si verò non habeat, nisi illud remedium incertum; tunc etiam cum distinctione procedit; vel etenim salus infirmi adhuc non est desperata, vel iam desperata est; si adhuc non est desperata, asserit peccare adhibendo illud remedium, & contrahere irregularitatem, si mors sequatur, quia potest esse valida præsumptio, quod illud remedium ad mortem contulerit: si verò iam desperata est, ipsum eximit à culpa, & irregularitate, quia consultius est experiri, an remedium illud possit prodesse, quam relinquere infirmum in statu certo mortis. Adhæret eidem Bonacinæ quoad omnia secundum prædictas distinctiones, & solum hæsitat circa vltimum membrum, quando iam salus est desperata, quandoquidem illud medicamentum incertum, potest esse causa mortis saltem acceleratæ, & in dubio, an accelerauerit nec ne, debet se habere pro irregulari, vt habetur *in cap. petitio tua de homicid.* Sed, an saltem cohonestetur propter spem futuræ salutis, cum cæteroqui subiaceret certæ morti? Affirmant Valentia, Clauis Regia, Sanchez, & alij apud Bonacinam *de peccatis quæst. 6. punct. 3. §. 3.*, quibus non libenter aliqui adhærent, nam etiam existente infirmo in extremo vitæ periculo sine vlla spe salutis non licitum est eidem mortem accelerare etiam per media, quæ quoquomodo possunt conferre ad subleuamen infirmi eiusdem. In hoc vos videritis.

Dubitatur tertio, an, si Ecclesiasticus exerceat artem Chirurgiæ, qui sit sacris Ordinibus initiatus, adhibendo abscisionem, & combustionem contrahat irregularitatem, si ex illa abscisione, vel combustione non sequatur mors.

Respondendum est, non contrahere *Auila part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 10.*, *Sairus lib. 7. cap. 6.*, *Bonacina de irregularitate disp. 7. quæst. 4. punct. 5. num. 5. vers. quæres primo*. Ratio ex eo desumitur, quia irregularitas non consurgit, nec ex homicidio, nec ex mutilatione, non ex homicidio, quia ibi mors secuta non est, nec ad inducendam irregularitatem ex homicidio sufficit, quod fuerit adhibita actio, ex qua sequi possit mors, sed requiritur ipsa mors actualis, quæ proueniat ex eadem actione; non ex mutilatione, quia non ex quacunque mutilatione consurgit irregularitas, sed ex ea, quæ ordinatur vel ad iniustam membri abscisionem, vel prouenit ex defectu lenitatis; hic autem nec iniusta est mutilatio nec membri abscisio, nec est defectus lenitatis, cum potius talis actio ordinetur ad effectum summæ mansuetudinis. Nec obstant ea, quæ suprà dicebantur *ex cap. sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monaci* addita etiam ratione, quod dignitati potissimum Sacerdotis non congruat manus illas inficere humano sanguine, quæ contractant immaculatum Corpus, & Sanguinem Agni in Cruce immolati, quique quotidiè mactatur in mensa Altaris; Non obstant, inquam, quia, quamuis non congruat tali dignitati abscisionem adhibere, aut combustionem, non est tamen eidem addicta irregularitas, nisi quando talis actio cum morte, vel iniusta mutilatione coniungitur; quinimmò, quando est necessitas talis abscisionis ordinatæ ad infirmi salutem, quæ suppleri nequit per alium, nisi per ipsum Ecclesiasticum talis artis peritum, cessare videtur talis incongruentia.

5 *Sacerdos adhibens incisionē, si ex illa non sequatur mors, nō fit irregularis.*

Dubitatur quartò. An Ecclesiasticus, qui adiuuat Chirurgum in iusta membri abscisione contrahat irregularitatem, si ex illa abscisione sequatur mors infirmi, seu infecti.

Respondendum est negatiuè, si Chyrurgus abscindens procedat iuxta regulas artis. *Nauarrus in manuali cap. 27. nu. 229.*, *Molina tom. 4. tract. 3. disp. 75. n. 1.*, *Sairus lib. 6. cap. 18. num. 27.*, *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 4. punct. 5. num. 6.* Ratio ex eo desumitur, quia ipse cooperatur actioni principalis, qui nec peccat, nec contrahit irregularitatem, ergo nec ipse per illam cooperationem peccabit, nec irregularitatem contrahet; qui etenim cooperatur actioni secundum se iustæ, nec obnoxiæ pænæ, non potest

6 *Adiuuans chirurgum in abscisione non contrahat irregularitatem.*

pænam

pœnam ſubire. Neque dicas, quod licet Laico procedenti ſecundum regulas artis non ſit addicta aliqua pœna etiamſi adhibeat abſciſcionem, ſeu combuſtionem, ſit tamen addicta Clerico abſcindenti, ſeu comburenti, vt habetur *in d. cap. ſententiam ſanguinis, ne Clerici, vel Monaci*; contra enim impugnaberis, quia, licet ſit Clerico prohibita abſciſcio, ſeu combuſtio, non eſt tamen eidem interdicta cooperatio, quando hæc non eſt per actualem, & effectiuam abſciſcionem, cum nullibi hoc in iure reperiatur diſpoſitum. Neque vrgeas, quod prohibita abſciſcione intelligatur etiam implicitè ſaltem prohibita cooperatio, nam ſicuti pœna impoſita iuſtæ mortis ſententiæ non ſolum afficit auctorem talis ſententiæ, ſed etiam cooperatores ad illam, ita etiam &c. Contra item impugnaberis, quia irregularitas impoſita aduerſus Iudicem iuſtè aliquem ad mortem damnantem non eſt niſi ex defectu lenitatis, qui non ſolum conſiderari poteſt in ipſo Iudice, ſed etiam in cooperatoribus, cum agant in vindictam, & pœnam malefactorum; irregularitas autem, quæ conſurgere poteſt ex exercitio artis Medicæ, & Chirurgicæ non poteſt eſſe, niſi ex delicto, vel quaſi delicto, quatenus non exerceatur ſecundum regulas artis, & indè ſequatur mors, vel mutilatio; non enim poteſt eſſe defectus lenitatis, cum potius ordinetur ad pietatem, & licet Eccleſiaſticis prohibeatur abſciſcio, & combuſtio, hoc eſt ſolum ex diſpoſitione poſitiua Eccleſiæ ratione ſtatus, quæ diſpoſitio ſolum afficit effectiuè abſcindentes, & comburentes, non autem adiuuantes, & cooperantes ſine actuali abſciſcione, & combuſtione.

Dubitatur quintò, an, ſi Eccleſiaſticus contra Eccleſiæ vetitum artem Chi-
7 *Pontifex poteſt diſpenſare in irregularitate ex iniuſta abſciſſione.*
rurgiæ exercuerit abſcindendo, & comburendo, & indè mors abſciſſi, ſeu combuſti fuerit ſecuta ex vi abſciſcionis, ſeu combuſtionis, in quo caſu diximus contrahere irregularitatem, poſſit ſuper illa diſpenſari, & à quo. Poſſe a Romano Pontifice auferri, ſeu diſpenſari eſt iuris indubitati, nec vllus eſt inter Catholicos, qui de hoc dubitet, cum quoad ea, quæ iuris humani ſunt Pontifex habeat ſupremam poteſtatem in terris, & non ſolum irregularitatem prouenientem ex hoc capite imprudentis exercitij Chirurgiæ per abſciſcionem, ſeu combuſtionem exercitæ ab Eccleſiaſtico habet poteſtatem, ſed etiam in irregularitatem prouenientem ex homicidio etiam iniuſto, & voluntario, non ſolum occulto, ſed etiam publico, & notorio. Difficultas igitur, ſolum verſatur quoad alios Pontifici inferiores.

Reſpondendum eſt Epiſcopos vtique 8
Item Epiſcopus, ſi illa irregularitas fuerit occulta.
poſſe ſuper illa irregularitate diſpenſare, ſi fuerit occulta, ſeu ex delicto occulto. Rationem deduco, quia hæc irregularitas conſurgit ex delicto, cum tale exercitium Chirurgiæ habuerit per abſciſcionem, ſeu combuſtionem ipſi prohibitam; ex *Concil. autem Trident. ſeſſ. 14. c. 7., & ſeſſ. 24. c. 6.* Epiſcopis conceditur facultas diſpenſandi in irregularitate proueniente ex delicto occulto excepto homicidio voluntario, ergo poterunt ab illa tanquam proueniente à delicto diſpenſare. Neque dicas actionem illam fuiſſe ordinatam ad ſalutem infirmi, adeoque cohoneſtari, ſeu purgari à vetita honeſtate finis, ad quem dirigitur; contra enim impugnaberis, quia non licet per media prohibita, & illicita quærere finem licitum potiſſimum, quando ex illis medijs non finis ipſe, ſed contrarium fini poteſt contingere.

Dubitatur ſextò. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate per Iudicem contracta ob iuſtam ſententiam mortis latam contra reum; item in irregularitate contracta á milite in bello iuſto ob hoſtium homicidia commiſſa.

Reſpondendum eſt, non poſſe *Molina* 9
In irregularitate contracta per Iudicem in ſententia mortis iuſta nõ poteſt diſpenſare.
diſp. 79. num. 8. verſ. quinto obſerua, Bonacina de irregularitate diſp. 7. quæſt. 4. punct. vlt. num. 4., & 10. Ratio ex eo deducitur, quod ex genere ſuo Epiſcopus non poteſt in irregularitatibus diſpenſare, quando quidem inferior ex genere ſuo non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, irregularitas autem eo ipſo, quo contracta eſt, eſt Romano Pontifici reſeruata, nec poteſt ab alio ſuper illa diſpenſari, niſi ex ſpeciali commiſſione; nullibi autem de hac commiſſione facta inferiori conſtat, & licet *Concil. Trident. d. ſeſſ. 24. cap. 6.* concedat Epiſcopis poſſe diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis excepta irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentioſum; hæc tamen conceſſio non extenditur ad duos prædictos caſus mortis a Iudice per iuſtam ſententiam collatæ, aut a militibus in bello iuſto, quandoquidem irregularitas, quæ ex illis prouenit non eſt ex delicto, nec ex cauſa iniuſta.

Dubitatur ſeptimò, an Epiſcopus poſſit diſpenſare ſuper irregularitate contracta ex homicidio occulto patrato cauſa defenſionis non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ.

Reſpondendum eſt, poſſe, ſi homicidium fuerit occultum *Nauarrus in man. c. 27.*

c. 27. num. 239., *Suarez. disp. 46. sect. 1. num. 13.*, *Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 19. punct. 3. §. 5.*, *Auila part. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 5.* Ratio est, quia *Concil. Trident. loc. cit.* tribuit facultatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario, homicidium autem secutum causa defensionis, quantumuis non seruato moderamine inculpatæ tutelæ, non potest dici voluntarium in eo sensu, in quo accipit Tridentinum, quandoquidem non fuit ex proposito, & absoluta voluntate occidendi ergo &c. Neque dicas, si non fuit ex proposito, & absoluta voluntate occidendi, ergo non fuit ex delicto, adeoque iuxta superius dicta non potest eius dispensatio cadere sub potestate Episcopi, cum eidem non sit concessum posse dispensare, nisi in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto. Contra enim impugnaberis, quia delictum non consistit in eo, quod occiderit ob sui defensionem, sed ex eo, quod non seruauerit moderamen inculpatæ tutelæ, quod vtique ex debito erat seruandum.

10 *Potest tamen dispensare in contracta ob homicidium occultum causa defensionis.*

ARTICVLVS IX.

De conditione negatiua relata ad publicos concubinarios.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine concubinatus. 1.

Per Iuristas vltra prauam consuetudinem peccandi cum eadem fæmina requiritur cohabitatio. 2.

Iuxta Canonistas sufficit illa praua peccandi consuetudo. 3.

Sententia auctoris conformis Canonistis, ibidem.

Quid requiratur ad notorietatem eiusdem. 4.

Publicus concubinarius laicus impeditur à susceptione ordinum ratione peccatorum, & scandali, non ratione alicuius censuræ. 5.

Post susceptos ordines perseuerans in concubinatu suspenditur, & in illis ministrans fit irregularis. 6.

Clerici notoriè concubinarij sunt ipso iure suspensi ab exercitio ordinum, & à susceptione aliorum. 7.

Respondetur obiectis aduersantium. 8.

Hac suspensio afficit etiam Clericos in minoribus constitutos. 9.

Si Clerici notoriè concubinarij ordines susceperint, & durante concubinatu in ipsis ministrauerint contrahunt irregularitatem. 10.

Publicus concubinarius susceptis ordinibus, si eosdem non exercuit, & postea dimisso concubinatu ante absolutionem ipsos exerceat contrahit irregularitatem. 11.

A fortiori fit talis, si exercuerit eosdem durante concubinatu. 12.

Episcopus potest absoluere à suspensione contracta à Clerico concubinario. 13.

Non tamen dispensare ab irregularitate contracta per exercitium ordinum durante concubinatu. 14.

SVb hoc titulo duo potissimum veniunt consideranda. Primum, an publicus concubinarius possit Ecclesiasticis Ordinibus initiari, an verò ratione alicuius censuræ Ecclesiasticæ ab illis sit arcendus. Secundum, an, si iam fuerit ijsdem ordinibus initiatus, & fiat publicus concubinarius ipso iure fiat irregularis, adeò vt suspendatur ratione irregularitatis ab exercitio ordinum, an verò solum suspendatur ab eodem exercitio, ita tamen, vt si ordines exerceat, ratione talis exercitij contrahat irregularitatem. Deindè aliqua subdemus de potestate absoluendi, seu dispensandi super hac suspensione, seu irregularitate, si inde oriatur.

Nomine concubinatus non venit hic quicunque actus fornicarius cum aliqua fæmina, nec plures actus praui cum diuersis fæminis, sed consuetudo praua peccandi cum eadem fæmina. Verùm verò ad concubinatum requiratur, quod fæmina domi concubinarij detineatur, an verò, vt dicatur talis, sufficiat, quod frequens habeatur concubitus, quamuis fæmina non cohabitet cum concubinario? Iuristæ strictius procedentes requirunt vltra consuetudinem prauam peccandi cum eadem fæmina cohabitationem eiusdem in eadem domo cum concubinario. Canonistæ verò ad rationem concubinatus requirunt solum prauam peccandi consuetudinem cum eadem fæmina, quamuis concubinarius, & concubina in diuersa habitent domo. Ego sistens in materia, de qua hic loquimur, Canonistis adhærendum existimo, prout adhæret etiam *Bernardus Diaz. in sua practica criminali Canonica cap. 13.*

1 *Quid veniat nomine concubinatus.*

2 *An requiratur cohabitatio sententia Iuristarum.*

3 *Sententia Canonistarum.*

Nomine concubinatus publici, & notorij intelligimus eam consuetudinem peccandi cum eadem fæmina, quæ vel nota est maiori parti viciniæ, quæ dicitur notorietas facti, vel notificata in iudicio criminali, in quo vel confessus sit delinquens talem consuetudinem, vel de illa fuerit conuictus; atque hæc quoquo modo potest dici notorietas iuris. Procedit titulus de vtraque hac notorietate.

4 *Quando dicatur notorius.*

Assertio I. Publicus concubinarius,

O qui

qui talis sit ante susceptionem ordinum, seu habitus Clericalis impeditur quidem à licita susceptione eorundem ordinum ratione peccatorum, quibus irretitur, & ratione scandali, non ratione alicuius censuræ, qua innodetur.

5 *Publicus concubinarius non cōtrahit secundū se irregularitatem.*

Prima pars ex eo euincitur, quod in susceptione Sacramentorum, quæ dicuntur viuorum, requiritur in suscipiente status gratiæ per ea, quæ dicta sunt in quæstionibus de Sacramentis in genere, ergo etiam in susceptione ordinum, cum isti sint propria Sacramenta; publicus autem concubinarius non præsumitur esse in statu gratiæ, & suscipiendo ordines ingereret graue scandalum, ergo à licita ordinum susceptione impeditur.

Secunda pars ex eo euincitur, quod nullibi reperitur dispositum, quod laici publici, & notorij concubinarij afficiantur aliqua censura, nisi præmissis debitis monitionibus à Iudice Ecclesiastico per sententiam imponatur, ergo præcisa tali sententia nulla intelligatur censura imposita, &, si quæ censura reperiatur imposita afficit dumtaxat Clericos notoriè concubinarios.

Ex quibus deducitur, quod laicus, si promoueatur ad Ordines Ecclesiasticos per talem promotionem præcisè non reddatur irregularis, non enim irregularitas contrahitur ex ipso concubinatu formalitèr, quia hæc pæna laicis concubinarijs non est illata, nec ex eo, quod contra suspensionem recipiat Sacramentum Ordinis, quia non constat de hac suspensione. Verumtamen est, quod, si post ordinum susceptionem perseuerat in concubinatu, tunc intelligatur suspensus ab exercitio eorundem ordinum, & si in illis ministret, contrahat irregularitatem.

6 *Post susceptos ordines perseuerans in concubinatu suspenditur.*

Assertio II. Clerici notoriè concubinarij intelliguntur ipso iure suspensi ab exercitio ordinum, & à susceptione aliorum ordinum etiam ante Iudicis sententiam, seu admonitionem. *Abbas in cap. vestra de cohabit. Cleric. Ioannes Azorius instit. mor. part. 3. lib. 3. cap. 6., Guido Papa decis. 558., Bernardus Diaz in pract. crim. cap. 73., Ioannes Gutierez can. qq. lib. 1. cap. 1. num. 44., S. Antoninus part. 3. summa lib. 28. de susp. c. 13., Nauarrus in manuali c. 25. num. 77., & c. 27. nu. 154., Lambertinus de iure patron. part. 1. lib. 2. q. 9. art. 10.*

7 *Clerici notoriè concubinarij sunt ipso iure suspensi.*

Colligitur expresè *ex cap. vestra, & cap. fin. de cohabit. Cleric.* -Ibi- *suspensus non sit, nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, aut confessionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit*, quod idem clarioribus verbis habetur *in cap. præter hoc dist. 31.* -Ibi- *quicunque Sacerdotum, Diaconorum, vel Subdiaconorum post constitutionem beatæ memoriæ Prædecessoris nostri Sancti Leonis Papæ, & Nicolai de castitate Clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate Principum Apostolorum Petri, & Pauli præcipimus, & omninò contradicimus, vt Missas non cantent, nec etiam Euangelium legat neque Epistolam ad Missam, neque in presbiterio cum his ad Diuina Officia, qui præfatæ Constitutioni obedientes fuerint, maneat &c.*

Neq; hic audiendus est *Suar. disp. 31. de Censuris sect. 4. num. 11.*, afferens per illa iura Clericos concubinarios non intelligi ipso iure suspensos, sed suspendendi, vndè si actus ordinis exercerent ante sententiam, non fierent irregulares.

Minus audiendi sunt *Sairus de Censuris lib. 4. cap. 15. num. 24., Henriquez lib. 13. de suspensione cap. 36., Auila de Censuris part. 3. disp. 5. dub. 2., Coninchus de Sacram. & Censur. disp. 15. de suspensione dub. 5. n. 56.*, & alij afferentes, quod quamuis per præfata iura inducta fuerit contra Clericos notoriè concubinarios ipso facto suspensio, nihilominus per ius nouum *Trident. sess. 25. cap. 14. de reformat.* requiratur Episcopi præmonitio.

Minus audiendi sunt *Sotus in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 6., Toletus lib. 1. cap. 15. n. 1., Rodriquez in summa part. 2. cap. 67. num. 1., Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 3. quæst. 5. punct. 3., & disp. 6. quæst. 10. punct. 5.*, afferentes istos Canones contraria consuetudine esse abrogatos.

Non, inquam, hi omnes audiendi sunt; 8
Non Suarez, quia, si attentè legantur textus, manifestè apparebit ipsos importare sententiam latam non ferendam; *In d. cap. fin. de cohabit. Cler.* dicitur suspensus non sit nisi peccatum huiusmodi sit notorium, ergo si peccatum erit notorium arg. à contrario sensu deducto dicendum est, *sit suspensus*, quæ verba denotant latam sententiam, non simpliciter ferendam, vt ex ipso verborum sono patet; *In d. verò cap. præter hoc dist. 32.*, cum dicatur contradicimus, importatur sententia lata; aliud est enim dicere contradicimus, aliud dicimus contradicendum, primum importat latam, secundum sententiam ferendam.

Responsdetur obiectis aduersantium

Non secundi, quia Concilium Tridentinum loc. cit. se refert ad antiquos Canones -ibi- *Alioquin pænis à sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur*; Canones autem antiqui iuxta superius dicta hanc suspensionem

ipso

ipso iure imponunt. Quod, si idem Conciliũ ibidem repetat *à superioribus moniti, secundæ monitioni non paruerunt &c.*, hoc non refertur ad suspensionem ab ordinum executione, sed ad priuationem fructuũ, & prouentuum, & etiam ad priuationem beneficiorum, si post trinam monitionem non resipuerint, vt textum legenti sit manifestum.

Non tertij, quia gratis omninò dicitur præfatos Canones contraria consuetudine esse abrogatos, cum fuerint renouati à Concil. Trident. loc. cit. relatè ad quod Concilium Sacra Congregatio apud *Marchinum tract. 1. de Sacram. Ordin. in communi part. 8. cap. 3. prop. 1. num. 15.* hanc habuit definitionem *Clerici notorie concubinarij etiam hodie ipso iure sint suspensi.*

Difficultas solummodò aliqua hic versatur, an huiusmodi suspensio afficiat solummodò Clericos in sacris Ordinibus constitutos, an verò etiam minoribus tantum initiatos. Ratio dubitandi ex eo

9 potissimum consurgit, quod textus *in d. cap. præter hoc dist. 32.* loquitur præcisè de Presbitero, Diacono, & Subdiacono, vltra quos non videtur facienda extensio, cum hic versamur in pænalibus, & odiosis. Nihilominus absolutè sentiendum est, afficere etiam Clericos in minoribus constitutos, quia quamuis ille textus loquatur præcisè de Presbitero, Diacono, & Subdiacono, reliqui tamen textus potissimum *in d. cap. vestra, & cap. fin. de cohabit. Cleric.* loquuntur indefinitè de Clericis, quod idem præstat *Concil. Trident. loc. cit., & Sacra Congregatio*; sub nomine autem indefinito Clericorum non solum veniunt maioribus, sed etiam minoribus ordinibus initiati, & textus *ille in cap. præter hoc non stat restrictiuè, sed exemplificatiuè.*

Hæc suspensio afficit etiam Clericos in minoribus cõstitutos.

10 Assertio III. Si Clerici notoriè concubinarij Ordines Ecclesiasticos susceperint, & perseuerante concubinatu in illis ministrauerint, contrahunt irregularitatem. In hoc communius consentiunt, & signantèr *Abulensis in tract. de Cler. concub. concl. 3., Thyliarchus de Offic. Sacerd. part. 1. lib. 4. cap. 15. ad fin., Marchinus tract. 1. de Sacram. Ordin. in communi part. 8. cap. 3. prop. 2. num. 19., & seqq.*

Clerici notoriè concubinarij suscipiẽtes, & exercentes ordines sunt irregulares.

Ratio ex eo deducitur, quia suspensus ab ordine illum exercens contrahit irregularitatem per textum *in cap. cum æterni vers. scitaturus de re iudic. in 6., & cum Medicinalis in fin. de sent. excommunicationis*; Clericus autem publicè concubinarius ex supra dictis intelligitur suspensus ab ordine, ergo, si versetur in exercitio eorundem ordinum, fit irregularis. Neque dicas, non quamcunque suspensionem, quæ coniungatur cum exercitio ordinum trahere secum irregularitatem, sed illam dumtaxat, quæ oritur ratione grauis delicti, vel ob contumaciam, & in pænam, qualis non est illa, quæ contrahitur ex notorio concubinatu, cum potius hæc fit ex infamia resultante ex notorietate, quam ex delicto, quandoquidem, quando delictum est occultum, nec suspensio contrahitur, nec irregularitas; contra enim impugnaberis, quia denegari non potest, quin concubinatus sit graue delictum, & tale, vt mereatur nedum hanc, sed etiam in Clericis maiorem pænam, & licet eidem, vt occulto, non sit illata pæna suspensionis, est tamen eidem vt affecto qualitate notorietatis illa pæna imposita, & sic pæna non afficit nec solum concubinatum, nec solam notorietatem, sed complexum ex delicto, & notorietate, ita tamen vt principalius sit ex delicto, & solum tanquam ex conditione ex notorietate; & sic semper verificatur, quod sit suspensio ex graui delicto, quæ propterea etiam iuxta placitum aduersantium trahere debet irregularitatem. Deindè gratis omninò est excogitata illa distinctio suspensionis trahentis, & non trahentis irregularitatem, cum nullam habeat in iure fundamentum, vt notat *Suarez disp. 31. de Censur. sect. 4. num. 14.*, vndè sistendum est in generali regula, quod suspensio, quæ coniungitur cum exercitio ordinum, trahat irregularitatem, siue fuerit suspensio ex delicto, siue ex infamia &c.

Rationes pro asserto, & confutationes obiectorum.

Dixi *perseuerante concubinatu*, circa quam particulam duæ insurgunt rationes dubitandi. Prima est, an, si perseuerante concubinatu receperit ordines, & deindè non adhuc posito exercitio eorundem concubinatum dimiserit, & postea ordines exercuerit non impetrata absolutione super suspensione contracta, adhuc contrahat irregularitatem. Secunda, an si permanens in concubinatu receperit ordines, & in eorundem exercitio versatus fuerit, sed postea pœnituerit, & pœnitentiam egerit, cesset post peractam pœnitentiam suspensio, & irregularitas sine alio.

In ordine ad primam *Nauarrus in man. cap. 25. num. 77. vers. Dixi ante* sentit non contrahere irregularitatem eo quia non exerceat ordines perseuerante suspensione; sentit enim hanc suspensionem per receptionem ordinum perseuerante concubinatu cessare ipso iure, & immediatè eodem relicto, cum suspensio sit lata non simplicitèr, sed donec pœniteat per textum *in cap. si qui sunt, & cap. si quis amodo dist. 81.* Sed congruentiùs meo videri sentiunt *Toletus lib. 1. cap. 15., Suarez*

11 *Susceptis ordinibus in concubinatu, eisdem non exercitis eodē durante, si dimisso eodem exerceat ante absolutioné fit irregularis.*

disp. 31. de Censuris sect. 4. num. 15. arbitrantes contrahere irregularitatem non obstante dimissione concubinatus, si ante impetratam absolutionem à suspensione contracta ordines exercuerit. Duplicem rationem ad hoc probandum adhibent; prima fundatur in textu *in dd. c. vestra, & cap. fin. de cohabit. Cler.*, vbi contra Clericos notoriè concubinarios imponitur ipso iure suspensio simplicitèr sine vlla temporis limitatione. Secunda in eo consistit, quod omnis suspensus ante exercitium ordinum, indiget absolutione ab eadem suspensione, ergo si exerceat ante absolutionem, cum adhuc remaneat suspensus, contrahet irregularitatem argum. textus *c. cum aeterni vers. suscitaturus de re iud. in 6., & cap. cum medicinalis in fin. de sent. excommunicationis.*

12 *A fortiori fit talis, si eosdem exercuerit durante concubinatu.*

In ordine ad secundam patet in fortioribus terminis ex ijs, quæ dicta sunt pro prima, quid sit dicendum; si etenim quando recepit ordines in concubinatu existens, & immediatè resciпuit non effugit notam irregularitatis, si ante absolutionem à suspensione exercet ordines; à fortiori, quando in concubinatu recepit ordines, & eodem perseuerante ipsos exercuit, (quo casu nemine disceptante contraxit irregularitatem) censendus est in irregularitate contracta perseuerare, quantumuis pœnitentiam egerit, donec ab eadem suspensione absoluatur, & super irregularitate dispensetur.

Assertio IV. A suspensione contracta à Clerico concubinario potest Episcopus absoluere, non sic dispensare ab irregularitate contracta post ordinum susceptionem per exercitium eorundem ordinum ante eiusdem suspensionis absolutionem. Quoad vtramque partem communius consentiunt DD., & signantèr. *Abulensis in tract. de Cler. concubin. concl. 3., Phyliarcus de offic. Sacerdotis part. 1. lib. 4. cap. 15. ad fin.*

13 *Episcopus potest absoluere à suspensione cōtracta à Clerico notoriè concubinario.*

Probatur prima pars, quia nullibi reperitur dispositum, quod illa suspensio sit Romano Pontifici reseruata. Quod, si dixeris, quod, cum sit lata per ius Pontificium insertum in corpore iuris non cadat sub potestate inferioris, cum inferior non habeat ius in lege superioris, adeoque intelligatur ex hoc ipso reseruata, quod emanet à superiore, statim impugnaberis, quia, vbi superior in legis constitutione eiusdem legis relaxationem, seu absolutionem à transgressione eiusdem sibi non reseruat expressè, Ordinari iudicio videtur remittere, vnde quotiescunque Pontifices, & superiores nolunt ab alijs transgressiones suarum legum absolui, expressè, & specialitèr sibi reseruant, vt videre est in omnibus ferè legibus Pontificijs, in quibus, si non est specialis reseruatio, Episcopi absoluunt à transgressione eorundem. Neque vrgeas, quod hac ratione non solum Episcopi, sed etiam alij quicunque confessarij approbati possent absoluere à tali suspensione, sicuti possunt absoluere à transgressione mandatorum, quæ procedunt ab vniuersali Ecclesia, seu à Romano Pontifice; contra enim impugnaberis, quia diuersa omnino esse ratio de absolutione à peccatis, ac de absolutione à censuris, quæ diuersitas fundatur potissimum in iure consuetudinario, secundum quod simplices confessarij non absoluunt a censuris etiam à iure latis, & de hoc etiam viget hic Mediolani ius scriptum, prout habetur in actis Ecclesiæ Mediolanensis *p. 4. fol. mihi 806. col. 1.* De iure autem consuetudinario testatur *Sairus lib. 4. cap. 15.*, & signantèr in hac materia videtur congruè inductum, ne talis suspensio à simplici Sacerdote confessario absoluatur, cum etenim hæc pæna sit inducta ad remouendum a graui, & pluribus scandalis obnoxio crimine vim haberet, ne posset remouere, si absolutio ab eadem ità facilè haberi posset, sicuti habetur absolutio a peccatis per quemlibet simplicem Sacerdotem approbatum.

14 *Non tamen dispensare ab irregularitate cōtracta ob exercitium ordinum*

Probatur secunda pars, quia posita suspensione ab ordine, si suspensus exerceat actus ordinis contrahit irregularitatem Romano Pontifici reseruatam per allegata iura *in cap. cum aeterni vers. suscitaturus de re iud. in 6., & cap. cum Medicinalis in fin. de sententia excommunicationis*, in hac autem hypothesi Clericus notoriè concubinarius iam est ipso iure suspensus, vt patet ex dictis, & sic si ordines exerceret ante absolutionem à suspensione, vtique irregularitatem contraheret eidem summo Pontifici reseruatam ergo non posset per Episcopum super illa dispensari.

AR-

ARTICVLVS X.

De conditione negatiua relata ad Clericos nefando crimine infectos.

SVMMARIVM.

Clericus propriè sodomita ipso iure est suspensus, & si actum ordinis exerceat contrahit irregularitatem. 1.
Deijcitur à Clero. 2.
Et si sit notoriè talis est infamis. 3.
Requiritur tamen, vt delictum sit notorium. 4.
Ad incurrendam suspensionem, & irregularitatem ex hoc delicto requiritur, vt sit pleneè consummatum. 5.
Actus proximus ad sodomiam non est sufficiens ad inducendam hanc pœnam. 6.
Etiam si sic delinquens à complemento ex malitia, vel impedimento desisteret. 7.
Quoad pœnas requiritur complementum externum. 8.
Clericus in vase præpostero cognoscens fœminam non contrahit suspensionem, si hæc lata sit contra sodomitas. 9.
De facto hæc pœna lata est contra Clericos formalitèr sodomitas. 10.
Clericus se corrumpens inter crura masculi non contrahit has pœnas. 11.
Non sufficit ad incurrendas has pœnas vnus, vel alter actus, sed requiritur exercitium. 12.
Quot actus requirantur. 13.

CONtra huiusmodi Clericos hac nefanda labe infectos plures emanarunt leges pænales, quarum meminit *Marchinus tract. 1. de Sacramento Ordinis in communi part. 8. de imped. ex delicto cap. 4. à num. 18. ad plures sequentes*, quæ ferè omnes inuoluunt amotionem a gradu, deiectionem à Clero, degradationem ab ordinibus, subiectionem potestati sæculari, vt potissimum colligitur ex duabus Constitutionibus Pij V., altera incipiente *cum primum*, altera incipiente *Horrendum illud scelus*. Id, quod attinet ad præsens institutum, & ad materiam, de qua loquimur, in eo versatur, an Clericus hoc obscæno crimine infectus ratione alicuius censuræ, aut irregularitatis amoueatur à susceptione ordinum, & ab exercitio eorundem, si eos susceperit.

Articuli examinandi circa titulum. Circa, seu pro huius puncti elucidatione plura veniunt examinanda, & primo, an Clericus sodomita sit suspensus ipso iure, &, si actum sui ordinis exerceat, fiat irregularis; Secundò, an ad contrahendam suspensionem, & irregularitatem requiratur, vt crimen sit notorium, an verò sufficiat, si sit occultum; Tertiò quas qualitates exigat hoc delictum, vt inducat suspensionem, & irregularitatem. Quartò, an ad ea sdem inducendas requiratur pluralitas actuum, an sufficiat vnus, vel alter.

1 *Clericus sodomita est ipso iure suspensus.* Assertio I. Clericus sodomita suppositis debitis qualitatibus, de quibus infra, est ipso iure suspensus, &, si actum ordinis exerceat, contrahit irregularitatem à solo Pontifice dispensabilem. *Coaruuias in Clem. si furiosus part. 1. sess. 1. num. 6. de homicid., Lambertinus de iure patron. part. 1. lib. 2. quæst. 9. art. 18. num. 4., Follerius in pract. crim. can. in miscel. cap. 37. num. 11., Marius Alterius de Censur. disp. 15. cap. 3. tom. 2.*

2 *Deijcitur à Clero.* Colligitur primò ex Concil. Lateranensi sub Alexandro III. relato *in cap. Clerici de excess. Prælatorum*, vbi Clerici hac labe infecti deiciuntur à Clero, ex quo sequitur, quod intelliguntur suspensi, si etenim priuantur iure Clericali, vtique suspenduntur ab exercitio eorum, quæ ad ius Clericale pertinent. Secundò ex Constitut. prima Pij V. in hac materia edita incipiente *cum primum*, vbi dicitur, quod, si Clericus in hoc genere deliquerit, degradatus omnibus ordinibus sit tradendus Curiæ sæculari, vtique morte puniendus, quod idem expressius repetit in alia sua Constitutione incipiente *Horrendum illud scelus*.

Secundò ex eo euincitur, quod habetur *in cap. ex tenore de temp. ord.*, vbi dicitur, quemcunque fieri irregularem, ex quo committit enorme delictum dignum depositione, si fuerit manifestum; ex Constitutionibus autem recensitis Pij V. manifestè constat, huiusmodi delictum ne dum depositione dignum esse, sed etiam morte. Neque existimandum est, hunc textum *in d. cap. ex tenore* intelligi debere de irregularitate ferenda, non autem de lata ipso iure, prout existimat *Suarez de Censuris disp. 31. sect. 4.* Non, inquam, existimandum est, quia in dicto textu dicitur, quod, si delictum fuerit manifestum, non debeat promoueri ad superiores ordines, quod vtique inuoluit irregularitatem non ferendam, sed latam.

3 *Est etiã infamis.* Tertiò ex eo euincitur, quod Clericus notorius sodomita est infamis; ex infamia autem iuris oritur ipso iure irregularitas arg. textus *in cap. infamibus de reg. iur. in 6.*, cum ex eadem præcludatur aditus ad honores, & dignitates; ordo autem est dignitas, & honor per textum *in l. Officiales, C. de Episcop.*

Assertio II. Vt contrahatur suspensio, & irre-

& irregularitas ex hoc sodomiæ delicto requiritur, vt sit notorium, nec sufficit merè occultum. *Nauarrus in man. cap.* 27. *num.* 249., *Henriquez lib.* 14. *de irregular. cap.* 5., *Valentia tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 19. *punct.* 3. *num.* 5., *Azorius part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 19. *quæst.* 6., & 7., *Bonacina de Censur. disp.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 5. *num.* 3., & *alij magis communitèr*.

4 *Requiritur, vt delictũ sit notorium.*

Ratio ex eo deducitur, quod graues, & enormes pænæ impositæ contra delictum non intelligantur afficere delinquentem, si eius delictum fuerit occultum, nisi exprimatur arg. textus *in cap. ex tenore, & cap. fin. de temp. ord.* sic videmus, quod in homicidio, mutilatione, occulta celebratione in excommunicatione, quia iura volunt irregularitatem ex eisdem resultantem afficere etiam delinquentem occultum, id exprimant, sed in iure nulla est expressa suspensio ipso facto, nec irregularitas contra Clericos sodomitas occultos, ergo si Clericus fuerit occultus in tali crimine non contrahet hanc suspensionem, nec irregularitatem ipso facto.

Dices *Concilium Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* concedit facultatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, ergo Concilium sentit suspensionem, & irregularitatem contrahi ex delictis, aduersus quæ imponuntur, quantumuis hæc fuerint occulta. Consequentia probatur, quia frustra concederetur facultas dispensandi in ipsa suspensione, & irregularitate prouenientibus ex delicto occulto, si nulla suspensio, nullaque irregularitas contraherétur. Sed contrà, ex hoc argumento euincitur solum, quod vltra homicidium voluntarium occultum sint alia delicta, quæ quamuis occulta, inferunt suspensionem, & irregularitatem, quod nos non negamus, sed hæc sunt in iure expressa cum illa qualitate *etiam si fuerint occulta*, prout diximus de mutilatione, & occulta celebratione in excommunicatione; Quamobrem dicendum est, quod Concilium Tridentinum, dum concedit facultatem dispensandi in suspensione, & irregularitate consurgentibus ex delictis occultis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario occulto, referendum sit ad ea delicta, quæ, quamuis occulta, ex expressa iuris dispositione ingerunt eandem suspensionem, & irregularitatem.

Obiectũ ex Concil. Trid. resolutum.

Dices vlteriùs suspensio, & irregularitas sunt ex ijs pænis, quæ ad ipsas incurrendas non exigunt factum hominis, sed posito delicto ipso iure incurruntur, ergo delictum statim, ac fuerit commissum, licet fuerit occultum, inducet eandem suspensionem, & irregularitatem. Sed contrà, quia, quamuis secundum se non exigant factum hominis, seu Iudicis sententiam, exigunt tamen, vt delictum sic affectum illis qualitatibus, quæ in iure requiruntur ad ipsas incurrendas, qualis est notorietas vel iuris, vel facti, vnde eo ipso, quo delictum est notorium vno, vel altero modo, statim sine ministerio hominis huiusmodi pænæ incurruntur, non autem eo ipso, quo delictum est commissum, cum etenim pænæ ex genere suo sint restringendæ, non intelliguntur afficere delinquentem, nisi vbi delictum fuerit plenè consummatum secundum omnes qualitates à iure requisitas.

Assertio III. Ad incurrendam suspensionem, & irregularitatem requiritur, vt delictum fuerit plenè consummatum. Consentiunt *Iulius Clarus in pract. crimin. quæst.* 92. *nu.* 2., & §. *sodomia in fin. Menochius lib.* 2. *de arbitrar. iud. in addit. ad casum* 286. *num.* 37., *Diana part.* 1. *tract.* 17. *resol.* 63., vbi alios plures refert. 5 *Delictũ debet esse plenè consummatum.*

Deducitur ex generali regula, secundum quam pænæ vtpotè restringendæ, debent intelligi de actu in eo genere, in quo sunt impositæ, omninò completo, nam odia non sunt exasperanda, sed potius minuenda, & in hoc consentiunt communitèr scribentes.

Et hinc infertur primò, quod, si quis ad actum proximum sodomię deuenisset, sed opus non perfecisset, vtique non contraxisset suspensionem, nec irregularitatem; quinimmò, nec easdem contraheret, quantumuis claustra penetraret, non tamen intra vas seminaret. Ratio autem ea est, quia ad actum sodomiticum perfectum non sufficit vasis penetratio, sed vlteriùs requiritur in eodem vase seminatio; vndè, si quis non seminaret intra vas, sed extra non diceretur consummare opus intra speciem sodomiæ, sed potius intra speciem pollutionis, vt notat *Marchinus tract.* 1. *de Sacram. Ord. in communi part.* 8. *cap.* 4. *num.* 18. 6 *Actus proximus non est sufficiens.*

Sed quid erit dicendum de eo, qui, cum iam claustra penetrasset, fraudulentèr tamen, & malitiosè extra vas semen emisisset, an iste intelligatur suspensionem, & irregularitatem contraxisse? Item, quid de eo, qui plenè conatus fuit sodomiam consummare, sed exteriori impedimento superueniente opus minimè perfecit. Non potest habere locum hæc dubitatio, nisi in casu, quo Clericus non semel, aut bis, sed crebrò huiusmodi

crimen

crimen attentaret, sed non perficeret vel ex malitia, vel ex impedimento, quandoquidem, vt infrà videbimus, etiam per sodomiam vsquequaque in effectu completam nec suspensio, nec irregularitas contrahitur, nisi illa fuerit frequens, & iterata. Supposito igitur, quod crebrò attentauerit, dicendum adhuc est,

7 non contrahere suspensionem, nec irregularitatem. Consentit in hoc *Marchinus tract. 1. de Sacrament. Ord. in communi part. 8. cap. 4. num. 28.* Ratio ex eo deducitur, quia vbi opus non est consummatum in sua specie, ibi non contrahitur pæna, quæ contra illud opus est imposita, sed, quando quis intra vas non seminauit, vel ex malitia, vel ex impedimento extrinseco, non potest dici, quod actum sodomiæ consummauerit, cum ad perfectum huius actum non solum requiratur vasis penetratio, sed etiam seminatio intrà ipsum, ergo non potest dici contraxisse suspensionem, seu irregularitatem. Neque obesse potest, si asseratur, quod malitia actus desumatur, & perficiatur per intentionem operantis, quæ ex hac hypothesi supponitur esse ad actum completum, nec desinit esse talis ex eo, quod executio actus ab impedimento extrinseco superueniente suspendatur, & licet in primo casu suspendatur per voluntatem operantis se retrahentis à complemento actus, quia tamen talis retractus est per dolum, & fraudem non potest ex tali voluntate excusari, cum dolus non suffragetur suo auctori. Non,

Etiam si delinquens ex malitia, vel impedimento non compleret.

8 inquam, obesse potest, quia licet malitia compleatur per intentionem operantis quoad culpam coram Deo, qui æquè iudicat de internis, ac de externis, non tamen per eãdem completur quoad pænas coram Ecclesia, cum pænæ à iure Ecclesiastico impositæ respiciant solum actum externum completum, nec magis releuat id, quod dicitur de dolo, nam, quod dolus non patrocinetur auctori, verificatur solum quoad culpam coram Deo, & quoad pænas ex iure Ecclesiastico, quando dolus coniungitur cum actu externo completo, qui ratione doli non potest eximi à pænis tali actui iniunctis; cæterum, quando actus non peruenit ad eum gradum, & qualitatem, cui est pæna annexa, dolus non potest efficere, quod actus ille imperfectus subeat pænam, sicuti non potest efficere, quod actus ille dicatur in suo genere perfectus, & consummatus.

Quoad pænas requiritur complementũ externum.

Infertur secundò, quod, si masculus in vase præpostero fæminam cognouerit, non dicatur suspensus, & irregularis, si suspensio, & irregularitas sit imposita contra Clericos sodomiæ crimen exercentes sub formalibus terminis sodomiæ, 9 secus si sit imposita sub terminis generalibus exercentium crimen contra naturam. Prima pars habetur ex *D. Thoma secunda secundæ quæst. 154. art. 11.*, *& ibi à Caietano*, *Siluestro verb. Luxuria num. 1.*, *Azorio part. 3. lib. 3. cap. 20. quæst. 1.*, *Florent. de cas. reseru. part. 2. cas. 7. §. 1. num. 9.*, *Bonacina de matrim. quæst. 4. punct. 11. num. 2.*, Secunda pars videtur innui à *Marchino tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 8. cap. 4. num. 9.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia sodomia ex genere suo est coitus inter duos, non seruato debito sexu, & vase; in hac autem hypothesi, licet non seruetur debitum vas, seruatur tamen debitus sexus, ergo in rigore non est actus sodomiticus, adeoque pænæ impositæ contra exercentes sodomiam, non incurruntur, cum hæc ex mox dictis respiciant actum in genere sodomiæ completum. Ratio secundæ partis est, quia coitus cum fæmina in vase præpostero nemine disceptante est crimen luxuriæ contra naturam, ergo, vbi fuerit imposita pæna suspensionis, & irregularitatis contra exercentes actus luxuriæ sub terminis generalibus contra naturam, hæc pæna incurretur ab eo, qui fæminam præposterè cognouerit in vase indebito, siquidem isti exercent actum propriè contra naturam.

Clericus cognoscens fæminam in vase præpostero non cõtrahit suspensionem latam contra sodomitas.

Sed, an de facto pænæ impositæ contra Clericos exercentes huiusmodi actus 10 respiciant exercentes actus formalitèr sodomiticos, an etiam exercentes actus luxuriæ sub terminis generalibus peccati contra naturam? Prima fronte videtur dicendum, respicere exercentes huiusmodi actus sub generalibus terminis exercentium actus contra naturam, adeoque comprehendere Clericos cognoscentes etiam fæminas in vase præpostero, seu indebito, siquidem *in cap. Clerici de excess. Prælatorum* dicitur *Quicunque Clerici illa incontinentia, quæ contra naturam est &c.*, & in Constitut. Pij V., quæ incipit *Cum primum habetur, si quis crimen nefandum contra naturam &c.*, & in alia eiusdem Pij V., quæ incipit *Horrendum illud scelus* repetuntur illa verba, quæ habentur *in d. cap. Clerici de exces. Prælat. Quicunque Clerici illa incontinentia, quæ contra naturam est &c.*, quæ omnia signant crimen incontinentiæ contra naturam in genere, non limitatè crimen sodomiticum. Nihilominus, quia huiusmodi textus referuntur ad crimen sodomorum, qui erant masculorum concubitores. Ibi- *Propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque Ciuitates igne consumpsit* sentiendum

De facto hæc pæna lata est cõtra Clericos formalitèr sodomitas.

dum videtur, eosdem textus referri ad crimen sodomiæ formalitèr limitando crimen contra naturam ad terminos actuum sodomorum, quod etiam videtur clarius haberi *Genes.* 19., vbi, cum ingressi fuerint domum Lot duo Angeli sub specie pulcherrimorum adolescentum, viri sodomitæ conati sunt eos opprimere, quos, vt Lot retraheret à nefando illo crimine, exhibuit illis duas filias, quæ non dum cognouerant virum, vt eis abuterentur, sicut ipsis placuerit, dummodò illis Angelis, qui sub specie adolescentum apparuerant, nihil mali facerent; ex quibus eruitur, quod ad masculos crimen sodomorum referebatur, dum renuerunt abuti filiabus Lot, vt abuterentur illis Angelis sub specie puerorum. Cæterum, si sub illis pænis comprehenderentur exercentes actus luxuriæ sub generalibus terminis peccati contra naturam, comprehenderentur etiam crebrò se polluentes, cum hoc etiam sit crimen in genere luxuriæ contra naturam, quod nemo dicit.

11 *Clericus seminãs inter crura masculi non est suspensus.* Infertur tertiò, quod, si Clericus concumbat cum alio masculo sibi suppôsito in parte anteriori, & inter eius crura semen emittat, non subijciatur pænis suspensionis, & irregularitatis, quia licet iste sit coitus duorum eiusdem sexus, non tamen est coitus in vase indebito, & propterea nec actus propriè sodomiticus, quamuis sit peccatum molliciei grauissimum.

12 *Requiritur multiplicatio actuum.* Assertio IV. Ad incurrendas pænas suspensionis, & subindè irregularitatis non sufficit, quod vnus, vel alter actus sodomiæ per Clericum committatur, sed requiritur frequentia, & continuatio huiusmodi actuum: Consentiunt *Homobonus de casib. reseruat. part. 2. cap. 4. sect. 5. cas. 5., Suarez de Censur. disp. 31. sect. 4. num. 21., Rodriquez in summa part. 1. cap. 209., & de Regul. tom. 1. quæst. 30. art. 19., Bonacina de matrim. quæst. 4. punct. 11. n. 2., Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 8. cap. 4. num. 23., & alij magis communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quod Pius V. in vltima sua Constitutione hac in re edita incip. *Horrendum illud scelus* quodammodo magis explicans, & amplians primam incipientem *Cum primum* pænas tam in eadem vltima, quam in prima impositas direxit contra exercentes nefandum hoc crimen, quod idem videtur innui *in d. c. Clerici de exces. Prælat.*, vbi legitur, *deprehensi sunt laborare*, exercere autem huiusmodi actus, & hac incontinentia laborare non sistit in vno, vel altero actu, sed actuum frequentiam, & continuationem importat, vt notat *Nauarrus in man. cap. 27. num. 250., Quaranta in summa Bullarij verb. sodomia post medium, Grassius de casib. reseru lib. 1. cap. 11. num. 11. 12., & 27., Modernus de iurisdict. part. 2. cap. 16.*

Quod, si quæratur, quandonam possit quis dici exercens huiusmodi actus, seu laborare hac incontinentia ad effectum, vt dicatur contrahere has pænas suspensionis, & irregularitatis? Tunc dicam dici talem, dum ex iteratis actibus vitium hoc ita frequentat, vt ex vsu quasi continuato arbitrio boni viri dici possit exercitor, vt notat *Nauarrus in man. cap. 27. num. 250., Quaranta verb. sodomia propè med.*, & alij magis communitèr. 13 *Quot actus requirantur.*

ARTICVLVS XI.

De conditione negatiua proueniente ex defectu ratione natalium.

SVMMARIVM.

Illegitimi sunt arcendi à susceptione ordinum. 1.
Referuntur plures species illegitimorum. 2.
Expositi reputantur pro illegitimis. 3.
Natus ex matrimonio in re inualido reputato tamen valido non arcetur à susceptione ordinum. 4.
Legitimati per subsequens matrimonium possunt ordines suscipere. 5.
Intellige, si concepti, & nati sint pro tempore, pro quo poterat esse matrimonium inter parentes. 6.
Sententia asserens requiri, vt matrimonium inter parentes esse possit pro tempore conceptionis. 7.
Sufficit, vt esse possit pro tempore natiuitatis. 8.
Legitimati à Romano Pontifice possunt promoueri ad ordines, & ad dignitates Ecclesiasticas excepto Cardinalatu. 9.
Non legitimati à Principe Laico. 10.
Dispensatio super irregularitate defectu natalium ex genere suo pertinet ad Pontificem. 11.
Episcopi possunt dispensare quoad ordines minores, non sic quoad maiores, quantumuis illegitimitas sit occulta. 12.
Ex priuilegio competit Prælatis Regularibus. 13.

CErtum est illegitimos, seu non natos ex legitimo, & canonico matrimonio arcendos esse à susceptione Ecclesiasticorum ordinum, vt habetur *in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi cap. 1., & fin. de filijs Presbit. cap. innotuit de elect.,* & ex

1 *Illegitimi sunt arcendi à susceptione ordinum.* *& ex Concil. Trident. sess. 22. de reformat. cap. 20., & sess. 23. cap. 5., & ex Constit. Pij V. incipiente. Quæ ordine*, quæ est vigesima, & ex illa *Sixti V. contra malè promotus incipiente Sanctum, & salutare*. Difficultas solummodò versari potest in explicando, quinam habendi sint pro illegitimis, & quinam possint super illa illegitimitate dispensare, vt illegitimus possit ad ordines promoueri.

2 *Variæ species illegitimorum.* Circa primum punctum noto plures esse species illegitimorum; alij enim nati sunt ex soluto, & concubina domi retenta, atque hi dicuntur filij naturales, alij ex meretrice, & dicuntur Manzeri, alij ex coniugato, & soluta, & dicuntur nothi, alij ex copula à iure ciuili damnata, puta ex incestu, stupro, raptu & sacrilegio, & dicuntur spurij; atque hos omnes cadere sub dispositione recensitorum iurium indubitatum est, cum omnes sint illegitimi. Difficultas igitur in hoc primo erit, an expositi habendi sint pro illegitimis. Secundò, an nati ex matrimonio inualido reputato tamen valido, vel ab vtroque, vel ab altero saltem coniuge sint reputandi pro legitimis quantum ad effectum, vt possint ad ordines promoueri. Tertiò, an legitimati vel per subsequens matrimonium, vel per rescriptum Principis possint sine alio licitè ordinari.

3 *Expositi putantur pro illegitimis.* Ad primum probabilius existimo, expositos habendos esse pro illegitimis, nec posse dispensatione non accedente ordinari (*Coaruuias part. 1. de matrim. cap. 8. §. 3., Castillo de quotidianis quæst. lib. 2. cap. 19. num. 51., Rota Romana apud Seraphinum decis. 1081. num. 3., Garzias de benef. part. 7. cap. 2. num. 9., & seqq., & alij plures* apud *Marchinum tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 10. c. 1. difficult. 1. n. 7.* Ratio ex eo deducitur, quia secundum communē æstimationem sic expositi illegitimi reputantur, vndè hospitalia, in quibus exponuntur dicuntur illegitimorum concurrente valida præsumptione in eo fundata, quod vix legitimi exponantur, & eo dumtaxat casu, quo parentes magna premantur egestate; ex rarò autem contingentibus, seu vix non potest formari regula, sed potius ex crebrò, & vt plurimum euenientibus; cum igitur, vt plurimum solum illegitimi exponātur, regula pro illegitimitate expositorum fundatur. Adde, quod in iure communitèr reputantur illegitimi, qui nequeunt parentes suos ostendere per textum *in cap. 1. de infant. exposit is.*

Resoluuntur rationes oppositæ Neque obesse potest primo id, quod habetur *in cap. is, qui de sententia excommunicat, in 6.* nempè, quod nullus habendus sit irregularis, nisi id sit in iure expressum; nullum autem ius exprimit expositos esse irregulares; nec item secundum quod Gregorius XIV. interrogatus à Confraternitate de Vrbe, an expositi habendi essent pro illegitimis respondit negatiuè, quin potius admitti posse ad honores, & dignitates. Non, inquam, obesse potest. Non primum, quia in primis videtur sufficientèr hoc expressum *in d. cap. 1. de infant. expos.* Deindè dato etiam, quod per illum textum sufficientèr non exprimeretur, aliundè tamen sufficientèr exprimitur, nempè in textibus allegatis statuentibus illegitimos esse irregulares; expositi autem secundum communem hominum existimationem habentur pro illegitimis, adeoque sub præfatis iuribus comprehenduntur. Non secundum, quia, vt notat *Marchinus loc. cit. n. 12.*, qui etiam testatur se reuoluisse totum nouum Bullarium, nec aliquod vestigium talis declarationis inuenisse, de eadem declaratione non constat, & vbi constaret, hoc esset ex speciali indulto tali Confraternitati concesso, quod non euertit ius commune quoad alios expositos.

Ad secundum dicendum est, filios natos ex matrimonio in re inualido reputato, tamen valido vel ab vtroque, vel ab altero tantum coniuge, non arceri a susceptione ordinum *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 10. cap. 1. difficult. 5. num. 21.* Ratio est, quia etiam in iure canonico huiusmodi filij habentur pro legitimis per textum *in cap. peruenit, & c. ex tenore, qui filij sint legitimi*, quæ iura quidem congruè procedunt, cum æquum non sit, vt coniux, qui bona fide contraxit, læsionem in prole indè susceptam patiatur, vndè in hoc attendendus est fauor prolis, vt notat *Glosa in d. c. ex tenore*. 4 *Natus ex matrimonio inualido, reputato tamen valido potest promoueri.*

Ad tertium loquendo de legitimatis per subsequens matrimonium, dico regularitèr ipsos non arceri à susceptione ordinum, vt videtur concludentèr euinci per textum *in cap. tanta est vis, qui filij sint legitimi*, quod adeo verùm est, vt procedat etiam, quantumuis inter conceptionem, seu natiuitatem ipsorum, & inter nuptias, quibus dicuntur legitimari intercesserint aliæ nuptiæ, vt notant *Abbas in d. cap. tanta est vis num. 3., Præpositus num. 7., & reliqui interpretes*. Dixi, *regularitèr*; nam, si filij concepti sint, & nati pro tempore, pro quo non poterat esse matrimonium inter eorum parentes, certè per subsequens matrimonium non legitimarentur, vt videtur colligi, *ex d. c. tanta est vis, qui filij sint legitimi*. Sed 5 *Legitimati per subsequens matrimonium sunt capaces ordinū.*

quid erit dicendum, si pro tempore conceptionis non poterat inter parentes esse matrimonium, poterat tamen esse pro tempore natiuitatis eiusdem prolis, seu eiusdem filij, an hic intelligatur per subsequens matrimonium legitimari? Hoc eueniret in casu, quo pro tempore, quo facta est conceptio eiusdem filij, Pater erat coniugatus, & postea pro tempore natiuitatis eiusdem, vxor eiusdem Patris mortua est, vel etiam in casu, quo quis carnalitèr cognouit consanguineam, quæ ex illo coitu concepit, sed immediatè post conceptionem obtinuit à Romano Pontifice dispensationem super illo impedimento consanguinitatis, adeò vt pro tempore natiuitatis eiusdem prolis possit licitè matrimonium contrahere, cum illa consanguinea, quam cognouit.

6 *Si concepti, & nati sint pro tempore habili.*

Contendunt inspiciendum esse tempus conceptionis *Garzias de benef. part. 7. cap. 2. num. 37., & seqq., & alij*, quos ipse allegat, adeò, si pro illo tempore non poterat esse matrimonium inter parentes eiusdem prolis, non possit per subsequens matrimonium eadem proles legitimari, & adhoc plures textus adducunt, & præcipuè illum *in l. Paulus, ff. de statu hominum*; vbi cum esset sermo de filia, quæ inuito Patre nupserat, & propterea iuxta dispositionem iuris ciuilis *in l. si vt proponis, C. de nupt.* eius matrimonium erat irritum, dictum est per Paulum I.C. filios ex ea natos non esse legitimos, quamuis nati sint post mortem Patris inuiti.

7 *Sententia asserens requiri, vt matrimoniū esse posset pro tempore conceptionis.*

Nihilominus sentiendum est in fauorem, & vtilitatem prolis attendendum est illud tempus siue conceptionis, siue natiuitatis, quod est magis proficuum eidem proli *Fachinettus lib. 3. controuers. cap. 50., Sairus de Censur. lib. 6. cap. 10. num. 29., Sanchez de matrimon. lib. 8. disp. 7. num. 19.*, & alij, & satis concludentèr euincitur ex textu *in l. nuper, C. de naturalibus lib.* vt legenti fit manifestum, & per hunc textum corriguntur quodamodo alia anteriora iura filiorum, quæ respiciebant tempus conceptionis, & præcipuè textus *in l. Paulus, ff. de statib. hominum*, cui textui etiam responderi potest quod procedat solum de iure ciuili in ordine ad successiones, nec obstare potest iuri canonico, secundum quod matrimonium filiorum contractum etiam inuitis parentibus est validum, & in ordine ad susceptionem ordinum, potius ius canonicum, quam ciuile est attendendum.

8 *Sufficit, vt esse possit pro tempore natiuitatis.*

Loquendo verò de legitimatis per rescriptum Principis, dicendum est, quod, si fuerint legitimati à Pontifice Romano, vtique possint promoueri ad sacros Ordines, & etiam ad dignitates Ecclesiasticas excepto Cardinalatu, vt statuit Sixtus V. in motu proprio edito anno 1595. incip. *Postquam*, si verò fuerint legitimati per rescriptum Principis sæcularis, quamuis habilitentur ad ea, quæ sunt eiusdem iuris ciuilis puta ad concessiones, & honores laicales, non tamen habilitentur ad ordines, honores, & dignitates Ecclesiasticas, cum hæc sint extra lineam potestatis laicalis.

9 *Legitimati à Pontifice possunt promoueri ad ordines.*

Ex occasione eorum, quæ dicta hactenus sunt, hoc vnum addendum est illegitimos etiam habilitari ad susceptionem ordinum etiam sacrorum per professionem emissam in probata Religione, prout habetur *in cap. 1. de filijs presbit., & cap. 1. dist. 56.*, & constat ex varijs Pontificum priuilegijs ordinibus Regularium concessis; non tamen intelliguntur per eandem simplicitèr approbari, seu habilitari ad dignitates.

10 *Non legitimati à Principe sæculari.*

Circa secundum punctum asserendum est, dispensationem super irregularitate proueniente ex defectu natalium ex genere suo, & potestate ordinaria pertinere ad Romanum Pontificem, prout expressè habetur *in cap. 1. de filijs Presbit.* Sed an hæc facultas dispensandi extendatur etiam ad Episcopos saltem, quando illegitimitas est occulta? Dicendum est primo extendi etiam ad Episcopos quoad ordines minores recipiendos, non sic autem quoad maiores, vt expressè habetur *in c. 1. de filijs Presbit. in 6.* Intellige etiam quoad maiores, quantumuis illegitimitas fuerit occulta, quidquid ex aduerso dixerint *Auila de Censur. part. 7. disp. 3. dub. 7., Diana part. 1. tract. 15. Misel. resolut. 21.*

11 *Dispensatio super hac irregularitate pertinet ad Pontificem.*

Ratio est, quia hæc irregularitas consurgens ex defectu natalium ex genere suo est quoad dispensationem reseruata Romano Pontifici, nec desinit esse talis, quantumuis fuerit crimen, ex quo oritur occultum, nec obest, quod Concilium Tridentinum tribuat Episcopis facultatem dispensandi in quacunque irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario; non obest, inquam, quia hæc facultas concessa Episcopis refertur solum ad irregularitates prouenientes ex delicto proprio, non autem ad prouenientes ex delicto alieno, vndè respectu ipsius illegitimi non est irregularitas ex delicto, sed ex defectu; Concilium autem solum facultatem Episcopis tribuit dispensandi super irregularitate ex delicto occulto, non autem super illa, quæ prouenit ex defectu.

12 *Episcopi possunt dispensare quoad ordines minores non sic quoad maiores.*

Dixi *ex genere suo, & potestate ordinaria*; non etenim negauerim ex potestate dele-

gata, & ex priuilegio posse alijs compe-
13 tere. Sic signantèr de facto competit Præ- *Ex priuilegio competit Prælatis Regularibus.*
latis Regularibus dispensandi super tali irregularitate cum suis subditis ex cõcessione *Sixti IV. facta minoribus in eorum Mari Magno*, vt scilicet eorũ Generales, & Prouinciales, & ipsorum Vicarij possint dispensare cum Fratre orto ex adulterio, seu quouis alio damnato coitu, vt etiam ad ordinis Prælaturas possit promoueri; quod, si ibi mentionem non faciat de eorum promotione ad ordines, hoc ideo est, quia inhabilitas ad eosdem supponitur sublata per ipsum ingressum, seu Professionem emissam in Religione iuxta ea, quæ supra dicta sunt. Hanc eandem concessionem sub amplioribus terminis fecit *Pius V. Prælatis Casinentibus in Bulla incip. Dum ad Congregationem expedita anno* 1571. *die* 15. *Iulij*, quæ est 197. in Bullar. Margar., & hoc tam plenè, vt sic dispensati non teneantur de hoc mentionem facere apud sedem Apostolicam in quacumque impetratione, seu gratiam, seu iustitiam concernente, & hoc toties, quoties, sub clausulis ex certa scientia de mera liberalitate sedis Apostolicæ &c., & plenitudine potestatis addita etiam extensione, vt sub nullis futurorum Pontificum reuocationibus hæc concessio sit comprehensa, sed semper censeatur ab his excepta, quin etiam toties restituta, & de nouo concessa quoties aliqua reuocatio contra ipsam emanabit.

ARTICVLVS XII.

De conditione negatiua proueniente ex defectu bonæ famæ, conditionis, & corporis.

SVMMARIVM.

Laborantes nota infamiæ admitti nequeunt ad ordines Ecclesiasticos. 1.
Variæ differentiæ infamiæ. 2.
Recensentur infamiæ iuris canonici. 3.
Recensentur infamiæ iuris ciuilis. 4.
Item infamiæ, quæ consurgunt ex arte vili, & ignominiosa. 5.
Hæc infamia non afficit filios exercentium huiusmodi artes. 6.
Publicè pænitentes afficiuntur hac nota. 7.
Infamia, quæ consurgit ex delicto, exigit notorietatem eiusdem, nisi aliter in iure exprimatur. 8.
Accusatus de delicto, cui annexa est infamia, non probato delicto potest promoueri ad ordines. 9.
Accusatus de crimine pendente adhuc causa non potest promoueri. 10.
Quandonam delictum dicatur deductum ad forum contentiosum. 11.
Si accusatus verè deliquerit, sed per falsos testes in iudicio se defenderit, potest promoueri. 12.
Ad incurrendas has pœnas sufficit vnus, vel alter actus inducens infamiam. 13.
Ad incurrendam infamiam ex arte vili non requiritur multiplicitas actuum. 14.
Excusantur tamen ab hac pœna exercentes recreationis gratia. 15.
Publicè pænitentes etiam sunt irregulares. 16.
Quamuis modò non seruetur illa solemnitas pænitentiæ, quæ antiquitus seruabatur. 17.
Tres modi, quibus dissoluitur hæc infamia. 18.
Infamia facti regularitèr tollitur emendatione triennali. 19.
Infamia iuris ex delicto tollitur per dispensationem. 20.
Pontifex, potest in hac infamia dispensare. 21.
Episcopus potest dispensare in casibus, in quibus potest super delicto. 22.
Princeps etiam sæcularis quoad hunc effectum potest indirectè dispensare. 23.
Infamia ex vili arte non aufertur, nisi per Pontificis dispensationem. 24.
Qualibet infamia tollitur per Baptismum. 25.

SVb hoc titulo tria examinanda proponuntur. Primum, an defectus bonæ famæ inducat impedimentum canonicum ad ordines suscipiendos, ad quod caput reducitur etiam quæsitum, an publica pænitentiæ inferat huiusmodi impedimentum. Secundum, an conditio seruilis talis sit, vt eorundem ordinum susceptionem impediat, & vetet exercitium eorundem, postquam suscepti fuerint. Tertium, an defectus corporis, & quinam impediat. *Articuli examinandi*

Incipiendo à primò certum est, quod laborantes nota infamiæ admitti nequeat ad Ordines Ecclesiasticos obstante textu *in cap. infames* 6. *quæst.* 1., vbi portæ dignitatum, & honorum non patent infamibus ad hoc etiam conferente textu *in reg. iur.* 87. *de reg. iur. in* 6., *& cap. inter dilectos de excess. Prælat.*, ordo autem Ecclesiasticus est honor, & dignitas *cap. admittuntur dist.* 54., *& l. Officiales, C. de Episcop., & Cleric.* Difficultas solum versatur in quo gradu, seu linea debeat esse huiusmodi infamia, vt excludat ab ordinum susceptione. Pro quo aduerto infamiam aliam esse iuris, aliam facti, aliam iuris, & facti simul, aliam artis ignominiosæ. Porrò infamia iuris, alia est iuris ciuilis, & respicit eos, quos ius ciuile infa- 1 *Laborantes nota infamiæ non admittendi sunt ad ordines.* 2 *Variæ differentiæ infamiæ.*

infamia notat, alia iuris canonici, & respicit eos, quos ius canonicum tali nota afficit. Infamia iuris canonici iuxta textum *in cap. infames 6. quæst. 1.* consurgit ex apostasia a Fide Christiana, ex contemptu Ecclesiasticarum legum, ex furtis, ex sacrilegijs ex capitali crimine, ex violatione sepulchrorum, ex armorum sumptione contra Ecclesiasticas partes, ex incestibus, ex homicidijs, ex periurijs, ex raptibus, ex maleficijs, veneficijs, adulterijs, ex desertione belli, ex iniusto spolio Ecclesiasticarum facultatum, ex calumnijs, ex falsis accusationibus, ex

3 *Recensentur infamiæ iuris Canonici.* postulatione dignitatum, ad quas postulans est indignus, ex excommunicatione, ex prouocatione Principis ad iram contra innocentes, & expulsione ab Ecclesia pro suis sceleribus, de quibus omnibus mentionem facit Stephanus Papa ad Hilarium scribens relatus *in cap. infames 6. qu. 1.* subdens. *Hi omnes ad sacros ordines promoueri non possunt.*

Aliæ etiam iuris canonici infamiæ sparsim reperiuntur dispositæ in Ecclesiasticis sanctionibus, quales sunt raptus mulierum *ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformatione*; monomachia, seu duellum non solum, prout respicit pugnantes, sed etiam adiuuantes, consulentes, &c. *ex eodem Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de reformat.* perturbatio inquisitionis à proprio officio ex Pio V. in quadam sua Constitutione in hac materia edita; simonia *ex textu in c. sanè 15. quæst. 3.* procreatio filiorum per Monacos ex textu *in cap. impudicas 27. quæst. 1.* sodomia ex textu *in l. cum vir, C. de adult., & alia plures*, quas recensent *Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 1. per totum, Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 10. cap. 4.*, quas non vacat recensere, cum apud illos videri possint.

Infamia iuris ciuilis consurgit ex omnibus ferè capitibus mox recensitis, ex

4 *Recensentur infamiæ iuris ciuilis.* quibus consurgit illa iuris canonici; item ex latrocinio per textum *in l. 1., & 3. §. 2. de ijs, qui notantur infamia*, ex poligamia per textum *in l. 2. C. de incest. nupt.*, ex damnatione ob crimen famosum ex textu *in l. si te, & l. furti, C. ex quib. causs. irrog. infam.*, ex violatione sepulchrorum per textum *in l. 1. ff. de his, qui not. infam., & l. 1. ff. de sepulch. viol.*, ex matrimonio contracto per tutorem, seu eius filium cum pupilla per textum *in l. si tutor, C. de interd. matrim.*, ex dolo, propter quem tutor est remotus à tutela per textum *in l. fin. C. de suspect. tut.*, ex exactione vsuræ vsurarum per textum *in l. improbum, C. ex quibus caus. irrog. infam.*, & ex alijs innumeris, quæ recenset simul cum alijs iuris canonici *Maiolus loc. quo supra.*

Porrò aliæ sunt infamiæ, quæ ex arte vili consurgunt, & hac infamia notantur balneatores, vel qui in balneis vtuntur ministerio mulierum per textum *in l. athletas, ff. de infam., Glosa in c. non oportet dist. 81.* Histriones, mimi, & omnes in scena ludentes per textum *in l. 1., & 2. §. vltim., ff. de his, qui not. inf.* Aleatores publici, & pro ludo mutuantes per textum *in cap. inter dilectos de excess. Prælat.* Aurigæ, gladiatores, cursores, citharædi, lyristes, saltatores, caupones per ea, quæ tradit *Clemens I. in institutionibus*, item macellarij, & satellites, cloacas emundantes, pelles expurgantes, & quos fullones dicimus ex Concil. Viennensi, prout habetur *in Clement. 1. de vita, & honest., Cleric., & ibi Glosa*, quæ has artes expressè enumerat. Hic tamen aduertendum est, quod quamuis exercentes ignominiosas, & viles has artes reputentur infames, & excludantur à susceptione, & ministerio Ordinum Ecclesiasticorum; non tamen tali nota afficiantur, nec excludantur eorum filij, prout probat *Felinus in cap. cum deputati in fin. de iudic.*, & statuit Antherus Papa in Epistola ad Episcopos Bæticos, in qua expressè hæc habet. *In Episcoporum negotio prosapiam non agnosco. Apostolicus ordo hoc probat, & tot Pontificum, & Episcoporum numerus, qui vilibus parentibus nati dignissimè Sacerdotio functi sunt.*

5 *Infames ex arte vili numerantur.*

6 *Eorum filij non comprehenduntur.*

Ad infamias iuris canonici, ob quas fit exclusio à susceptione ordinum, & eorundem ministerio reducitur etiam publica, & solemnis pænitentia, quæ antiquitus habebatur, quando quis in capite Quadragesimæ sacco indutus, nudis pedibus ad Ecclesiæ fores per publicam Cleri, & Episcopi Orationem ob crimina reconciliabatur, vel quando quis in capite cilitium deferebat coma penitus ab rasa ex Concil. Agatensi *cap. 11. relato in cap. pænitentes, & cap. seq. dist. 50.*, vel quando quis nudus in foribus Ecclesiæ sistitur, cum populus ad Ecclesiam conuenit per textum *in cap. felicis de pœnis in 6.* Modo habetur, quando quis de mandato Episcopi manet in foribus Ecclesiæ tempore Diuinorum Officiorum cum diademate in capite, & cereo in manibus accenso. Hi omnes pro irregularibus habentur, nec admittendi sunt ad ordines ex decreto Hormisdæ Papæ ad Episcopos Hispaniæ, *& ex cap. in capite Quadragesimæ dist. 50., & ex cap. ex pænitentibus ead., & dist.*

7 *Publicè pænitentes afficiuntur hac nota*

Suppositis iam, qui notantur infamia siue iuris canonici, siue ciuilis non diu immoramur in explicanda infamia facti, illosque

illosque, qui eadem notantur, illa etenim est, quæ ex proprio delicto notorio, vel ad iudicium deducto consurgit. Quamobrem confugimus ad quæstiones, quæ circa has infamias, & infames nascuntur quoad ordines.

8 *Ad incurrendam infamiam, ex delicto requiritur vt hoc sit notorium.*

Prima est, an infamia, quæ consurgit ex delicto ad inferendum impedimentum ad ordines suscipiendos exigat delictum notorium, an verò sufficiat occultum? Ad hoc respondendum est, quod, vbi in iure non est expressum, quod etiam impedimentum ad ordines proueniat ex delicto occulto, & absque alia declaratione, non intelligatur officere, nisi ipsum delictum sit notorium, vel per Iudicis sententiam, vel per confessionem rei in iudicio, vel per notorietatem facti maiori parti viciniæ. *Suarez de Censur. disp. 48. sect. 3. num. 7., Fiulliutius tract. 19. cap. 8. num. 218.* Ratio ex eo deducitur, quod finis præcipuus legum vetantium, ne infames promoueantur, est, quia oportet promouendos teste Apostolo testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt, & ne contra rectam æstimationem apud homines quis assumatur ad honores, qui in ore omnium eiusdem indignus reputatur, sed quando delictum est omnino occultum potest testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt, nam licet coram Deo nota criminis sit infectus, non tamen coram hominibus, cum eius indignitas eisdem non innotescat, ergo &c.

Nisi aliter exprimatur.

Quando verò in iure exprimitur delictum etiam, vt occultum, vt contingit in hæresi, Cardinalium percusione, & similibus, tunc non est hæsitandum de impotentia promotionis ad ordines; sed tunc non erit ex infamia, sed ex ipso delicto secundum se, cui est annexum ex dispositione iuris tale impedimentum.

9 *Accusatus de delicto non probato delicto absoluitur.*

Secunda est, an, si quis fuerit accusatus de delicto, cui annexa est infamia, quod tamen in iudicio non fuerit probatum, possit ad ordines promoueri. Cum actore non probante reus absoluatur ex vulgatis iuribus, asserendum est, vtique posse promoueri non obstante tali accusatione, cum non probatio criminis, & absolutio ab eodem expurget accusatum à quacunque nota infamiæ, & licet accusatio ingerat quandam speciem suspicionis de eodem crimine, absolutio tamen eam expurgat arg. textus *in cap. Memoram 2. quæst. 4.*

10 *Accusatus de crimine pendẽte adhuc sententia non potest promoueri.*

Tertia est, an, si quis fuerit accusatus, inquisitus de crimine, & de eodem indiciatus, a quo per viam exceptionis, se defendere conatur, possit pendente adhuc sententia, vel absolutoria, vel condemnatoria ad ordines promoueri. Negatiuè respondendum censeo, quandoquidem ex quo delictum deductum est ad forum contentiosum, iam dicitur factum notorium; cum *Concilium Trident. sess. 24. de reformat. c. 6.* æquiparet crimen notorium, & crimen deductum ad forum contentiosum, dicitur autem deductum ad forum contentiosum, vel quando posita est accusatio, seu denuntiatio iunctis legitimis testibus, vt docet *Alterius de Censur. tom. 2. disp. 8. de suspensione cap. 3. vers. postulabis*, vel quando posita est Rei citatio, vt tradunt *Sairus lib. 4. de Censur. cap. 17. num. 22., Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 34. num. 37.*, vel quando lis est contestata per contentionem inter partes vna agente, altera excipiente, vt docent *Barbosa de offic., & potest. Episc. alleg. 39. num. 29., Gauantus in manuali Episcop. verb. absolutio num. 12., Diana part. 4. tract. 2. resol. 93.*

11 *Quandonam delictum dicatur deductũ ad forũ contentiosum.*

Quomodocunque autem sumatur, locum habet in præsenti hypothesi, in qua non solum interuenit ex parte agentis accusatio cum depositione testiũ, sed etiam exceptio ex parte rei conuenti; Neque obesse potest, si asseratur, delictum non dici notorium, nisi vel per sententiam Iudicis, vel per confessionem rei in iudicio, vel per notorietatem facti, quorum neutrum interuenit in præsenti hypothesi. Non, inquam, obesse potest, quia licet non interueniat notorietas quantum ad effectum obligandi ad pænas ordinarias inflictas illi crimini, nisi vel interueniat sententia vel confessio, vel &c., interuenit tamen notorietas, quantum ad inducendam quoquo modo infamiam, & amissionem bonæ existimationis apud graues personas, quod sufficit ad præsens institutum. Deindè interuenit notorietas facti saltem æquiualentèr ratione illius deductionis ad forum contentiosum.

12 *Si accusatus verè deliquerit, & per falsos testes se defenderit potest promoueri.*

Quarta est, an, si accusatus verè deliquerit per aliquod ex recensitis criminibus inferentibus infamiam, sed in iudicio per falsos testes, aliaque deprauata media se defenderit, adeò vt absolutus fuerit in illo iudicio ab eodem crimine, possit ad ordines promoueri. Affirmatiuè respondendum existimo, prout etiam affirmant *Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 37. num. 12., Faguedez de quinque Ecclesiæ præceptis part. 2. lib. 8. cap. 8. num. 26., & seqq., Barbosa de officio Episcopi alleg. 39. num. 33.* Ratio ex eo deducitur, quod ex superius dictis, vt pæna ratione infamiæ incurratur, requiritur, vt delictum, ex quo oritur eadem infamia, sit notorium; ex quo autem in iudicio se defendit licet per falsos testes, & iniqua media non potest dici illius delictum notorium-

to-

torium, nec per sententiam, cum potius intercesserit absolutoria, per quam purgatur à crimine impicto, nec per confessionem rei, cum potius contrarium probauerit, nec per notorietatem consurgentem ex eo, quod delictum fuerit deductum ad forum contentiosum, cum ratione defensionis, licet iniustæ in eodem foro delictum remaneat occultum, quin potius exclusum.

13 *Ad incurrendas has pœnas sufficit vnus, vel alter actus.* Quinta est, an ad incurrendum impedimentum ad ordines suscipiendos ratione infamiæ ex delicto requiratur multiplicitas actuum in eadem specie delicti, an verò sufficiat vnus, vel alter actus. Regularitèr sentio vnum, vel alterum actum, dummodò fuerit notorius, sufficere, quia ex quolibet consurgit infamia, & bonæ famæ amissio apud graues personas. Quod, si dixeris, fuisse in præcedentibus dictum ob crimen sodomiæ, non contrahi irregularitatem, aliasque pænas iuris, nisi actus fuerint frequentes adeoque &c., contra impugnaberis, quia in primis, ibi dicta procedunt solummodò quoad ampliationem pænarũ factam per Pium V. depositionis scilicet, degradationis, & traditionis bracchio sæculari, non quoad alias, quæ antecedentèr ad talem ampliationem vrgebant. Deindè licet ex vnico, vel altero actu sodomiæ ratione sui non consurgeret impedimentum ad ordines suscipiendos, consurgere tamen ratione infamiæ indè resultantis.

14 *Ad infamiã ex arte vili non requiritur multiplicitas actuum.* Quoad infames infamia consurgente ex vili, & ignominiosa arte nonnulla sunt consideranda, & primo non esse necesse ad eandem contrahendam, quod quis assiduus fuerit in eiusdem exercitio, sed sufficere, quod bis, vel semel eandem exercuerit, prout notat *Diaz in sua praxi canonica cap. 63.*, quod tamen intelligendum est in ordine ad aliqua ex his muneribus cum certis moderationibus; non etenim infamia notarem eos, qui recreationis causa aliquando alearum ludo incumberet, nec qui cohræas duceret, vel citharas pulsaret, nec qui humilitatis gratia pelles aliquot expurgaret, & similia perageret non turpis lucri causa.

15 *Excusantur tamen exercentes recreationis gratia.* Secundò non infici hac infamiæ nota, qui artes mechanicas exercent, si nil turpe efficiant; vndè, & Apostoli electi sunt à Christum Domino in Episcopos, & Sacerdotes, qui tamen vilibus artibus fungebantur, & Alexander assumptus est in Episcopum Comanensem, qui, cum esset doctissimus, & sapientissimus ad domandam superbiam functus fuerat arte Carbonarij, vt legitur apud *Lipomanum in vit. SS. tom. 2.*

Quoad infames infamia consurgente ex publica, & solemni pænitentia, prout expressè habetur *in d. cap. in capite Quadragesimæ dist. 50.*, cuius dispositionis pænalis rationes nonnullas affert *Maiolus de irreg. lib. 3. cap. 2.*, & præcipuè illam, quod, qui solemnem, & publicam habuit pænitentiam, delictum suum coram populo confluente manifestum reddidit, adeo vt totam ferè vrbem commouerit per textum *in cap. fin. 26. quæst. 6.*, ex hoc autem consequitur, quod alios delinquentes non posset corripere, nam ipsi corripienti passim objiceretur. *Medice curâ te ipsum*: Nec valet dicere, quod per pænitentiam delictum purgetur, seu sanetur, nam licet coram Deo sanetur, remanet tamen apud homines turpis illa cicatrix, seu macula per textum *in cap. ventum 1. quæst. 1.*, nec solum hæc infamia afficit pænitentem pendente ipsa solemni pænitentia, sed etiam eadem peracta perseuerat, vt habetur *in cap. si quis post remissionem dist. 50., & ibi Glosa*. Neque hic audiendus est *Bonacina disp. 7. de Censuris quæst. 3. punct. 2. num. 3.*, qui, cum asserat modo non seruari illam solemnitatem pænitentiæ, quæ antiquitus seruabatur, asserit etiam, nec illud impedimentum modo consurgere, quod olim consurgebat, nec valere extensionem ab illa antiqua pænitentia solemni ad publicam pænitentiam, quæ modo seruatur. Non, inquam audiendus est, quia impedimentum consurgit ex manifestatione delicti enormis commouentis populum, quæ manifestatio æque habetur per publicam pænitentiam, quæ modo imponitur, ac per illam, quæ olim seruabatur, non enim ex modo pænæ exequendæ infertur impedimentum, sed ex delicto manifestato. 16 *Publicè pæniten tes etiã sunt irregulares.* 17 *Licet modo nõ seruetur illa solemnitas, quæ olim seruabatur*

Hoc autem impedimentum consurgens ex publica, & solemni pænitentia non solum respicit ordines suscipiendos, quatenus vetat ipsos recipi, sed etiam susceptos, quatenus illorum exercitium, si iam suscepti fuerint, impedit. Verum tamen est, quod huiusmodi solemnis pænitentia Clericis non est imponenda, vt colligitur *ex d. cap. in capite Quadragesimæ dist. 50.*, vbi in fine sic legitur. *Hanc pænitentiam nulli vnquam Clericorum agere concedatur.*

Supposito impedimentum ad ordines suscipiendos ex omnibus recensitis capitibus infamiæ consurgente, iam agendum est de modis, quibus possit dissolui. Tres autem modos communitèr assignant DD. quibus est dissolubile; Primo emendatione triennali. Secundò dispensatione. Tertiò Baptismo, quibus nonnulli ad- 18 *Tres modi, quibus soluitur hæc infamia.*

dunt

dunt quartum modum, qui habetur indirectè ex eo, quod Princeps auferat infamiam iuris. Singulos hos modos examino.

19 *Infamia facti tollitur emendatione triennali.* Impedimentum, quod consurgit ex infamia facti, regularitèr tollitur per emendationem triennalem, prout latè tradunt *Filliutius tract. 19. cap. 8. nu. 220., Barbosa de offic., & potest. Episcop. alleg. 43. num. 23., Bonacina disp. 7. de irregul. qu. 3. punct. 1. num. 5. vers. dixi quandiu non fuerit emendatus.* Ratio autem ea est, quia per talem emendationem ex iuris dispositione infamia euacuatur, nam, sicuti per operationem malam gignitur, per opus bonum extinguitur. Neque arbitrandum est cum *Toleto lib. 8. cap. 57. num. 3.*, hanc infamiam perseuerare, quousque delictum ex quo consurgit in mente hominum perseuerat. Non, inquam, arbitrandum est, quia, sicuti hoc impedimentum inductum est per ius positiuũ, ita per ius positiuum potest auferri; ius autem positiuum per triennalem emendationem aufert hanc maculam.

20 *Infamia iuris ex delicto tollitur per dispensationem.* Quando verò consurgit ex infamia iuris ex delicto tunc non aufertur, nisi ab habente legitimam potestatem per dispensationem, prout notat *Filliutius tract. 19. cap. 8. num. 220., & 222., Bonacina d. disp. 7. quæst. 3. punct. 1. num. 6. vers. secundo infamia iur. can.* Dixi *ab habente legitimam potestatem*, quam certè habet Romanus Pontifex in quacunque irregularitate, quæ, cum inducatur à iure positiuo Ecclesiastico, vtique cadit sub eius potestate. Sed, an Episcopus possit super illa

21 *Põtifex potest in hoc dispensare.* irregularitate dispensare? Dicendum est quod in ijs casibus, in quibus Episcopus potest super delicto ex quo infamia consurgit, dispensare, possit etiam dispensare super infamia ex illo consurgente, prout sentiunt *Toletus lib. 8. cap. 57. vers. dico, Sairus de Censur. lib. 7. cap. 11. n. 15.,*

22 *Episcopus dispenset quãdoq;* *Barbosa de offic., & potest. Episc. d. alleg. 43. nu. 31., Bonacina d. disp. 7. quæst. 3. punct. 1. num. 6.*, & ratio est, quia sublato per dispensationem fundamento, in quo firmatur illa infamia, non videtur eadem infamia posse subsistere.

Nec solum Pontifex, & Episcopus, potest per dispensationem tollere hoc im-

23 *Princeps etiã sæcularis potest indirectè dispensare.* pedimentum ad ordines suscipiendos; sed etiam indirectè Princeps sæcularis non habens superiorem restituendo infamem, seu diffamatum ad bonam famam *Suarez disp. 40. sect. 2., Filliutius tract. 19. num. 224., Bonacina d. disp. 7. qu. 3. punct. 1. num. 6. vers. secundo infamia iuris canonici, Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 10. cap. 4. num. 15.* Intellige tamen de infamia iuris ciuilis, non autem canonici, nam Princeps sæcularis nullum ius habet in ijs, quæ iuris canonici sunt *Panormitanus in cap. cum te de sent. excommunicat. num. 17., Piasetius in sua praxi Episcop. part. 1. cap. 1. num. 28., Suarez disp. 40. sect. 2.* Ratio autem ea est, quia cessante ratione, ex qua consurgit impedimentum, cessare debet, & ipsum impedimentum; impedimentum autem consurgit ex infamia, ergo sublata per Principem infamia cessare debet, & impedimentum. Hinc, si consurgat infamia, & per consequens impedimentum ad ordines suscipiendos ex delicto, cui tantum ex iure ciuili sit annexa infamia, & non ex iure canonico, restituto per Principem delinquente ad pristinam famam poterit ordinari. Nec obesse potest, si asseratur, quod licet per restitutionem factam à Principe sæculari cesset infamia iuris, non cesset tamen infamia facti resultans ex crimine notorio, semper etenim remanet apud graues viros praua existimatio delinquentis. *Soluuntur rationes oppositæ* Non, inquam, obesse potest, quia hac ratione, nec etiam per dispensationem Pontificis vnquam posset auferri infamia, siue ex iure canonico, siue ciuili proueniens, adeoque nec impedimentum ad ordines, cum adhuc permaneat illa praua existimatio apud graues personas. Deindè non ex quocunque delicto consurgit infamia facti impeditiua ordinum, cæteroqui quodcunque peccatum notorium secundum se præscindendo etiam à dispositione iuris impediret eorundem ordinum susceptionem, quod non videtur dicendum; sed ex ijs, tantum, quibus est a iure imposita, & ad eam incurrendam requiritur notorietas vel iuris, quæ habetur, vel per sententiam, vel per confessionem rei in iudicio, vel facti, quæ habetur ex eo, quod delictum, ex quo oritur infamia, sit notum ex se omnibus, vel maiori parti viciniæ adeò vt non possit cælari.

Quando verò impedimentum consurgit ex vili, & ignominiosa arte, vel ex publica, & solemni pænitentia, tunc non aufertur, nisi ex Pontificis dispensatione. Ratio autem ea est, quia, quæ sunt iuris positiui communis non cadunt, nisi sub potestate Pontificis, vel Principis, secundum quod ius est canonicum, vel ciuile; cum igitur infamia, quæ consurgit ex vtroque allegato capite sit iuris canonici communis, vt habetur *ex cap. admittuntur dist. 54., & ex Glosa in cap. nihil verb. suspendatur de elect., & ex Clemente I. de institutionibus, & ex cap. in capite Quadragesimæ dist. 50., & cap. ex pænitentibus ead. distinct.*, sequitur, quod impedimentum ad ordines, quod ex eodem consurgit 24 *Infamia ex arte vili non tollitur, nisi per Romanũ Pontificem.*

surgit, non possit, nisi per Romanum Pontificem auferri.

25 *Qualibet infamia tollitur per Baptismum.* An verò impedimentum, quod consurgit ex infamia siue iuris, siue facti, siue ex arte ignominiosa tollatur per susceptionem Baptismi? *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part.* 10. *cap.* 4. *num.* 16., sentire videtur, quod ante susceptionem baptismatis nulla irregularitas, nullumque impedimentum ad ordines contrahatur, quandoquidem omnis irregularitas est vinculum ab Ecclesia inductum; Ecclesia autem, cum non iudicet de his, quæ foris sunt, non potest suis legibus eos afficere, qui per baptismum non sunt in Ecclesiam eandem ingressi. Hac opinione retenta sentio adhuc, quod, quamuis ipsa non subsisteret, & reuera etiam ante baptismum hoc impedimentum consurgeret, per ipsum baptismum tolleretur, nam omnis infamia per ipsum purgatur per ea, quæ tradunt *Glosa, & DD. in cap. fine pænitentia de consecr. distinct.* 4., quam probat *Tabiena in verb. Baptismus* 8. *in fine, Siluester eodem verb. Baptismus* 6. *num.* 2. *Soluuntur rationes oppositæ.* Nec obstat, quod per baptismum non tollatur infamia ex legibus Principum promanãs, nam si Iudæus, v.g. esset per sententiam latro declaratus, vel fustibus cæsus, vel triremibus damnatus, quantumuis postea baptismum susciperet, non proindè posset ordinibus Ecclesiasticis initiari perseuerante nota infamiæ. Non obstat, inquam, quia tanta est vis baptismi inter Catholicos, vt purget omnia crimina, & omnes maculas antecedentèr contractas saltem quoad effectum tollendi impedimenta inducta ex iure canonico, cuiusmodi est irregularitas, & licet remaneret quodamodò illa infamia ex iure ciuili, non remaneret tamen quoad effectum impediendi susceptionem ordinum, cum hic sit inductus ex iure canonico, & sicuti in plerisque delictis, in quibus ex iure canonico inducta est infamia, per baptismum tollitur impedimentum ad eosdem ordines, quamuis in conceptu hominum remaneat illa praua existimatio consurgens ex eisdem delictis, ita &c.

SECTIO I.

De impedimento ex conditione seruili.

SVMMARIVM.

De quibus seruis procedat quæsitum. 1.
Tam mancipia, quam serui adscriptitij, & originarij sunt incapaces ordinum. 2.
Arceantur tam à maioribus, quam à minoribus ordinibus. 3.
Seruus promotus ad Sacerdotium ignorante domino est eidem restituendus non tamen quoad opera seruilia. 4.
Promotus ad Diaconatum, vel Subdiaconatum ignorante Domino non est eidem restituendus, si subroget alium eiusdem conditionis. 5.
Promotus ad ordines minores est restituendus. 6.
Irregularitas ex conditione seruili cessat ex superueniente libertate. 7.
Item ex consensu expresso Domini. Ibid.
Item ex lapsu temporis à die scientiæ. Ibidem.
Item ex subrogatione alterius æqualis conditionis. Ibidem.
An Sacerdos, si fiat seruus, contrahat irregularitatem. 8.

NOn est hic sermo de seruis, qui mercede conducuntur à Dominis ad consueta obsequia, & præstant famulatum retenta libertate, sed de ijs, qui amissa libertate alterius subijciuntur obsequijs. Isti sunt in multiplici differentia; alij etenim sunt serui iure captiuitatis in bello, & propriè dicuntur mancipia; atque hæc seruitus modo non est in vsu inter Catholicos, sed dumtaxat inter Catholicos, & Paganos, & viceuersa; alij sunt adscriptitij, qui scilicet glebæ, seu prædio colendo sunt perpetuo adscripti cum onere nunquam recedendi, omnesque fructus exceptis sumptibus, & victu dominis reddendi; alij sunt originarij, qui cum ex loco seruienti nati sint ipsa origine serui nati dicuntur, vel qui ex adscriptitijs seruis nascuntur. 1 *De quibus seruis procedat titulus.*

Hos omnes arceri ab ordinum Ecclesiasticorum susceptione manifestis iuribus canonicis euincitur, & quidem, quod mancipia arceantur, habetur *ex D. Basilio in Epistola 8. ad Eusebium Episcopum Samosatensem*, addita etiam ratione, quod per huiusmodi mancipia obscuretur dignitas Sacerdotij, & auctoritas minuatur. Quoad seruos adscriptitios habetur *ex cap. generali, & cap. frequens dist.* 54., nam, cum colendis agris sint 2 *Omnes hi serui nequeũt sacris ordinibus initiari.*

addicti

addicti non sunt ad spiritualia munera idonei. Quoad seruos originarios habetur ex decreto Gelasij Papæ relato *in d. c. generali, & cap. admittuntur dist. 54.,* & *ex Leone I. Epist. 1. cap. 1.*

Intellige tam de maioribus, quā de minoribus.

Circa huiusmodi seruos pleræque insurgunt rationes dubitandi. Prima est,
3 an arceantur solummodò ab ordinibus maioribus, an verò etiam à minoribus. Arceri à maioribus expresſè habetur *in c. de rebus, & cap. de seruorum, & cap. nullus distinct. 54.* Arceri verò etiam à minoribus tradit *Præpositus in cap. nulli dist. 54., Diaz in praxi canonica cap. 17.*, quod intelligendum est, siue de seruis priuatorum per textum *in cap. 1. 2., & 3. eadem distinct. 54.* siue de seruis Ecclesiarum per textum *in cap. qui ex famulis ead. dist. 54.*, qui licet, si ordinarentur, reciperent caractherem, non eximerentur tamen à iure, & potestate suorum Dominorum per textum *in cap. ex antiquis ead. dist. 54.*

Seruus promotus ignorante, domino est eidē restituēdus, non tamen quoad opera seruilia.

4 Secunda est, an, si seruus ignorante Domino promoueatur ad Sacerdotium, eidem Domino repetenti sit restituendus. Sacerdotij caractherem liberare à seruili conditione statuunt communitèr DD., vt refert *Raymundus in tit. de manumissis vers. item Episcopalis* per textum *in cap. si seruus sciente dist. 54.* Sed in hac speciali hypothesi assero quidem esse restituendū, non tamen ad omnia obsequia seruilia, sed dumtaxat ad ea, quæ sunt congruentia ordini Sacerdotali puta ad Missam, ad horas canonicas, & similia per textum *in cap. frequens dist. 54.* Verum tamen est, quod, si sic promotus inuito Domino contumacitèr renitatur restitui eidem Domino ad hæc munera Sacerdotali ordini congruentia, sit deponendus per textum *in cap. nullus de seru. ord.*

Promotus ad Subdiaconatū ignorāte domino non est restituēdus, si subroget alium æqualis conditionis.

5 Tertia est, an ea, quæ dicta sunt de seruo inuito, seu ignorante Domino promoto ad Sacerdotium intelligenda etiam sint de promoto ad Subdiaconatum, & Diaconatum. Dicendum est, quod sic promotus, si subroget alium pro se ipso æqualis conditionis, & pretij, non sit restituendus per textum *in cap. de rebus distinct. 54.*, quod specialitèr de Diacono habetur *in cap. ex antiquis eadem distinct.*, & de Subdiacono *in cap. miramur de seru. non ord.* Verum tamen est, quod hæc procedunt quoad promotos, non autem in promouendis, non enim tenetur Dominus acceptare hanc subrogationem, nam iura de illis loquuntur, non de istis, adeoque non est facienda extensio potissimum cum plura facta teneant, quæ fieri prohibentur.

Quarta est, an seruus inuito Domino promotus ad ordines minores ignorante Domino, sit eidem restituendus. Affirmatiuè sentiendum est, etiam si voluerit alium 6
æqualis conditionis in sui locum subrogare per textum *in cap. de rebus distinct. 54.*, & ratio est, quia huiusmodi ordines minores non constituunt in gradu Ecclesiastico indissolubilitèr, vndè, sicuti ex sua libertate potest transire ad statum laicalem, ita potest ad illum trahi existente iure Domini, quod non dissoluitur per eosdem minores ordines; ex quibus sequitur, quod, si fuerit Domino restitutus, habendus sit pro laico, & careat fori priuilegio, & canonis, si quis suadente per textum *in d. cap. ex antiquis, & ex Glosa in cap. nulli d. dist. 54.*

Promotus ad ordines minores est restituendus.

Quinta est, an quandoque hæc irregularitas ex conditione seruili cesset, & 7
quando. Respondendum est ex pluribus causis cessare; & primò ex superueniente libertate, cui obstare non potest vilitas seruitutis præteritæ, si nullum aliud obsit impedimentum canonicum. Ratio est, quia ipsa libertas consequens; si de illa legitimè constet, obliterat memoriam eiusdem seruitutis per textum *in cap. de seruorum dist. 54.*, non etenim seruitus est ex illis actionibus, quæ ingerant infamiam, nec ex infamia impedit assecutionem ordinum, sed ex onere præcisè, quod habet obsequendi Domino, quod, si cesset ex libertate acquisita, cesset etiam impedimentum ad ipsos ordines. Hæc autem non solum verificantur in ordine ad ordines suscipiendos, sed etiam ad exercenda munera in ordinibus susceptis; non enim inuenio in iure dispositum, quod contra seruos suscipientes ordines, existente conditione seruili sit suspensio absoluta, sed dumtaxat donec seruitus perseuerauerit. Secundò cessat ex consensu expresso Domini interueniente, quatenus Dominus nouerit seruum ordinari, nec contradixerit, sed potius conniuentiam habuerit iuxta Abbatem *in c. eo libentius de seru. non ord.* Tertiò ex lapsu temporis à die scientiæ, nempè, si Dominus nouerit seruum ordinatum esse, nec contradixerit per annum per textum, & *Glosam in cap. si seruus sciente dist. 54.*, illa etenim taciturnitas, & non contradictio per annum habetur pro certo consensu. Quintò per subrogationem alterius similis conditionis, & pretij iuxtà superiùs dicta.

Irregularitas ex conditione seruili quandonam cessat.

Sexta est, an, si quis, cum esset liber, sacris ordinibus initiatus est, possit vel ex proprio arbitrio, vel ex alia causa fieri seruus, & impediri ab ordinum susceptorum exercitio. In hoc distinguendum videtur, vel etenim potest intendere seruitutem gratia turpis lucri, vel ob in-

8 *An Sacerdos, si fiat seruus contrahat irregularitatē.* constantiam, & turpitudinem, vel fit seruus iure captiuitatis in bello, vel ex fine honesto redimendi alios captiuos. Iuxta primum, & secundum membrum distinctionis de iure nō potest fieri seruus; nam ipse, vt res sacrata non potest cadere sub commercium, sicuti aliæ res sacræ, & captus in bello fieret captiuus, non propriè seruus. Quod, si supponas, quod de facto fiat seruus, quatenus se vendat Saracenis, vel ab ipsis capiatur in bello, & redigatur in seruitutem; tunc dicam, quod, si se vendat, fiat quoquo modo infamis, & ratione eiusdem suspenditur ab exercitio ordinum susceptorum ex generali regula infamiæ; si verò fiat captiuus in bello; tunc non suspenditur, &, si munera Sacerdotalia exerceret sine periculo contemptus à Saracenis, seu fidei hostibus exercendi nullam labem, nullamque contraheret censuram. Iuxtà tertium membrum potius honestatem maximam inuenio, quam dedecus, vndè maximè commendatur D. Paulinus Nolanus Episcopus, quod se in seruitutem Paganorum tradiderit, vt viduæ filium liberaret.

SECTIO II.

De impedimento ex defectu corporis.

SVMMARIVM.

Defectus alij per excessum, alij per carentiam. 1.

Si defectus per excessum inferat deformitatem, seu monstruositatem impedit promotionem ad ordines. 2.

Debilitatio, & mutilatio quomodo differant. 3.

Orbatus lumine oculorum, quamuis oculos habeat arcetur à susceptione ordinum. 4.

Intellige etiam si sit orbatus lumine vnius tantum oculi. 5.

Potest tamen in hoc casu dispensari, & faciliùs dispensatur, quando lumen caret in oculo dextero. 6.

Item faciliùs, quando est orbatus lumine, ac quando oculus est erutus. 7.

Promotus amisso postea lumine vnius oculi non est ipso iure priuatus exercitio ordinum, sed potest priuari. 8.

Orbatus lumine oculorum, quamuis non possit sacrum peragere, potest tamen alia munera exercere. 9.

Priuatus lumine oculorum non potest ipse in sacrificio alia præstare altero supplente defectum oculorum. 10.

Qualis lippitudo arceat à susceptione ordinum. 11.

Qualis deformitas arceat à susceptione ordinum. 12.

Claudus à natura indiget dispensatione, vt promoueatur. 13.

De facili conceditur dispensatio. Ibidem.

Item si euadat claudus ex medicina. 14.

Si sit talis interueniente culpa non ità facilè conceditur dispensatio. 15.

Regularis claudus facilius dispensatur. 16.

Qualis gibbositas arceat à susceptione ordinum. 17.

Mutilatus vel in vtraque, vel in altera manu non potest promoueri. 18.

Castrati regulariter arceantur. 19.

Qui sibi seruato artis ordine præscinderet virilia, non arceretur à susceptione ordinum. 20.

Qui sibi præscinderet ex zelo fidei genitalia posset quidem in susceptis ordinibus ministrare, non autem promoueri ad superiores. 21.

A fortiori non potest promoueri castratus ex fine lucri. 22.

Castratus ab alio, an & quando possit promoueri. 23.

1 *Defectuum duo genera.* NOmine defectus corporis hic non intelligo carentiam præcisè alicuius membri, sed etiam superexcessum ratione cuius corpus deficit à congrua dispositione naturali, & in deformitatem seu monstruositatem transit. Inter defectus ex excessu prouenientes numerantur illi, qui constāt pluribus partibus corpori non debitis puta duobus capitibus, pluribus, quam duabus manibus, vel pedibus, ventre præpingui, aut præturgide item illi, qui inuoluunt corpus procerius, & insuetæ, immoderatæque longitudinis, ad quos è contrario sensu reducuntur defectus, qui consistunt in corporis paruitate. Defectus ex carentia adhuc sunt in duplici differentia; alij, qui consistunt in debilitatione, quatenus extant quidem omnia membra integra, sed sunt inefficacia, & inutilia, vt, si quis habeat manum aridam, oculum non effosum, sed luce orbatum, & similia; alij, qui consistunt in mutilatione cum carentia membrorum. De his omnibus erit sermo sub præsenti titulo.

2 *Quandonam per excessū impediat ordinum susceptionem.* Incipiendo iam a defectibus per super excessum indubitatum est, quod, si importent nimiam deformitatem, vt horrorem generent, impediant ordinum susceptionem, prout notat *Abbas in cap. 2. de Cleric. ægrot.*, & item, si importent monstruositatem per textum *in cap. quoniam de offic. ord.*, *& in l. non sunt, ff. de stat. hom.* Hæc autem monstruositas non habetur ex quacunque partium imparilitate, sed ex ea dumtaxat, quæ plurimam infert defor-

deformitatem; vndè, si quis haberet sex digitos in manibus, vel pedibus, vtique posset ad ordines promoueri arg. textus *in cap. qui in aliquo dist.* 51., & item, qui proceriores sunt corpore, dummodò tanta non sit proceritas, vt transeat in monstruositatem, vt notat *Maiolus de irreg. lib. 1. cap.* 13., & è contrario sensu item promoueri possunt, qui breues sunt corpore, dummodò tales non sint, vt propter nimiam breuitatem computentur pro monstris idem *Maiolus loc. cit. num.* 8., *& seqq.*

Loquendo postea de defectibus, qui consistunt in debilitatione, hoc vnum in
3 *Debilitatio, & mutilatio quomodo differãt.* primis aduerto, hoc intercedere discrimen inter debilitationem, & mutilationem, quod debilitatio non excludit membra corporis, sed ea importat inutilia tamen, & inefficacia, vt, si quis habeat manum, sed aridam, oculum, sed luce carentem &c.; mutilatio verò importat carentiam membrorum per abscisionem, siue hoc contingat ex culpa, siue casu. Deindè dico, quod, si talis fuerit, vt impediat executionem munerum, ad quæ dirigitur ordo, vtique ab eodem sic debilitatus sit arcendus, quandoquidem quoad effectum idem est carere membro, ac membrum inutile habere per textum *in cap. sicut vrgeri* 1. *quæst.* 1.

4 *Orbatus lumine oculorũ arcetur à sacris ordinibus.* Hinc deducitur primo, quod, si quis sit orbatus lumine, quamuis oculos habeat, excludatur procul dubio à susceptione ordinum *can. Apost. cap.* 76., *& cap. hinc etenim*, §. *cæcus dist.* 49. Hæc procedunt, quando est orbatus lumine vtriusque oculi; sed quid erit dicendum, si
5 *Etiam si vnius tantum lumine sit orbatus.* vnius tantum oculi luce careat? Asserendum est, non debere promoueri *Rosella in verbo vitiatus circa medium*, *Tabiena in verb. corpus*, & colligitur *ex cap. si euangelica dist.* 55., qui textus æque intelligendus est, siue oculus fuerit penitus erutus, siue tantum lumine orbatus, quia par est im-
6 *Facilius dispensatur, quando lumine caret in oculo dextro.* pedimentum in rebus agendis per glosam *in cap. 2. verb. significasti de verborum significationi*. Hic tamen aduertendum est, quod, quamuis carens lumine vel vnius, vel alterius oculi secundum se promoueri non possit, possit tamen dispensari facilius in duobus casibus, primo quando carentia luminis est in oculo dextero,
7 *Item facilius, quando oculus caret lumine, ac quãdo est erutus.* quam in sinistro, quia oculus sinister magis vtilis est in legendo Canone Missæ, prout probat *Alexander in cap. hinc etenim dist.* 49., *Nauarrus de irregul. num.* 199.; secundò quando oculus est orbatus lumine, quam quando est penitus erutus, quia, quando est erutus, duplex inuoluit impedimentum, alterum ratione inhabilitatis ad legendum, alterum ratione deformitatis, quando verò præcisè caret lumine, habet præcisè impedi- 8 *Promotus amisso postea lumine vnius oculi potest suspendi*
mentum inhabilitatis; quamuis autem orbatus lumine vnius oculi nequeat sine dispensatione promoueri ad ordines; promotus tamen per amissionem luminis sine culpa non ipso iure priuatur exercitio ordinum, sed tantum priuari potest per Episcopum per sententiam ex aliqua iusta causa *Maiolus de irregul. lib. 1. cap.* 20. *vers. quæ omnia*. Quamuis item ob amissionem luminis oculorum suspendatur ab exer- 9 *Licet sacrum nõ possit per agere potest alia munera exercere.*
citio ordinum, hoc intelligitur quoad illud exercitium, ad quod ille sensus videtur quoquo modo necessarius, non quoad illa munera, quæ exerceri possunt independentèr ab illo sensu, sic quamuis Sacerdos orbatus oculorum luce non possit sacrum conficere, non propterea prohibetur confessiones sacramentales audire, nec conciones habere per textum *in cap. cum percussio* 7. *quæst.* 1., & notant *Abbas in cap. 2. de Cleric. ægrot.*, *& Rosella verb. vitiatus in princip.*

Sed, an saltem orbatus luce oculorum, 10 *Nõ potest cæcus ore præstare alio supplente defectũ oculorũ.*
si reliquis membris valeat, possit ipse manu facere, & alter oculis? *D. Thomas 3. part. quæst. 67. art. 6. ad tertium*, loquens in simili casu de eo, qui, cum sit truncatus manibus, verba profert in collatione baptismi, altero aquam effundente, asserit non tenere baptismum, cui adstipulantur textus, *& Glosa in cap. quorundem dist.* 23., ad quod etiam videtur posse referri id, quod habetur per *Glosam in cap. quod sicut de elect.*, vbi quod, si in consecratione Episcopi alter Missam cantet, alter verò consecret, non congruè fiat consecratio, ex quibus rectè videtur inferri posse, quod cæcus carens luce oculorum non possit ipse licitè ore conficere, altero supplente defectum luminis oculorum.

Ad hunc defectum oculorum reduci 11 *Qualis lippitudo arceat à susceptione ordinũ.*
etiam potest lippitudo, non quæcunque, sed illa, quæ nimis acrem habet distillationem, & putresentiam, quæ scilicet deformitatem multam ingerit, & horrorem inspicientibus per textum *in cap. hinc etenim verb. Lyppus dist.* 49. Item ad eundem reduci potest imparilitas oculorum, vt si quis vnum altero grossiorem habeat, & item macula in eodem oculo apparens; intellige tamen, si huiusmodi imparilitas, & macula talis sit, vt ingentem inferat deformitatem, & hoc arbitrio Episcopi diudicandum remittitur *arg. Glosa in cap. cum de tua de corp. vitiat.*, *& ibi Abbas*.

Deducitur secundò, quod, si quis ita deformis sit faciei, vt monstruositatem, & cachinos exciter, non sit ad ordines admittendus, vt scripsit *Gul. de Laud. in sua*

12 *Qualis deformitas arceat à susceptione ordinũ.* *sacramentali* apud *Siluestrum in verb. homicidium 3. quæst. 3., Tabiena in verb. irregularitas 3. num. 26.*, vndè *D. Thomas in 4. dist. 25. quæst. 2. in fine*, requirit in ordinando claritatem personæ, quod certè intelligendum est potissimum de claritate corporea in facie. Ad hoc impedimentum non pertinet, quòd quis sit candidi vel nigri coloris, vel crocei, qualis est ille, qui per morbum Regium in toto corpore suffunditur, vt exemplo deducto à Donnolo Cænomanorum Episcopo probat *Gregorius Turonensis histor. lib. 6. cap. 9.* Pertinet tamen primò, si quis habeat magnum tumorem in facie, adeò vt possit esse occasio risus, vel scandali, in quo tamen Episcopus arbitrabitur, vt notat *Abbas in cap. 1. de corpore vitiato in fine*. Item pertinet nasi defectus, quia per eum claritas personæ obscuratur arg. eorum, quæ tradit *D. Thomas loc. cit.* adeo vt dispensatio super hunc defectum ad Romanum Pontificem spectet *Tabiena in verbo dispensatio num. 13. vers. decimo septimo*. Item labiorum defectus, si magna in ipsis deformitas sit, vt horrorem generet, & fortè eadem labia ita sint corrosa, vt liquida continere non valeant; tunc etenim impedimentum non solum proueniet ratione deformitatis, sed etiam ratione periculi effusionis in susceptione Eucharistiæ sub speciebus vini, arg. eorum, quæ habentur *in cap. is, qui 26. quæst. 6., & cap. si quis per ebrietatem de consecratione dist. 2.*

13 *Claudus à natura indiget dispensatione.* Deducitur tertiò, quod, si quis à natura fuerit claudus, non possit sine dispensatione, quæ tamen de facili est concedenda, promoueri per textum *in cap. si quis infirmitate dist. 55.*, quod etiam intellige, si fuerit talis arte medicorum, non tamen, si fuerit claudus interueniente culpa, quia tunc non ita facilè esset ad ordines admittendus ex communi summistarum consensu, & præcipuè *Tabienæ in verb. corpus, & Alberici verb. vitiatus in princip.*

14 *Item claudus ex Medicina.* Quomodocunque tamen ita sit claudus, vt indigeat ligneo pede, vel baculo, vix dispensatio est concedenda *Abbas in cap. 2. de Cler. ægrot., Glosa in d. cap. si quis infirmitate dist. 55., Tabiena loc. cit.*

15 *Claudus ex culpa non facilè dispẽsatur.* Hoc intellige limitate ad Clericos sæculares, nam quoad Regulares concessum est Episcopis posse cum eisdem dispensare, eosque promouere *Astensis lib. 6. cap. 21., Rosella verb. vitiatus, Tabiena verb. corpus, Siluester eod. verb. in fin.*

16 *Regularis claudus faciliùs dispensatur.* quinimmò *Rosella eod. verb. vitiatus*, si necessitas vtendi ligneo pede superuenerit Regulari, concedit facultatem eiusdem Prælatis dispensandi, vt possit in ordine suscepto administrare. Ad hoc caput reduci etiam potest gibbosus, qui certè sine dispensatione non est promouendus; in hoc tamen considerare debet Episcopus, an deformitas sit talis, vt sufficiat ad impediendam promotionem, &, si fuerit magna, dispensationem remittet ad Pontificem, vt notat *Tabiena in verb. dispensatio num. 13. vers. decimo septimo*. 17 *Qualis gibbositas arceatur.* Aduerte tamen gibbosos esse quodamodo in duplici genere; alij, quibus tumor magnus in dorso eminet recto tamen manente corpore; alij, quibus corpus curuatur. Primi facilius dispensantur, cum apti esse possint ad sacra ministeria, quamuis aliquam præferant deformitatem; secundi non ita, nec admittendi sunt ad ordines suscipiendos, nec tolerandi in exercitio eorundem; textus est manifestus *in cap. hinc etenim vers. Gibbosus dist. 49.*, & ibi *Vgo*; est enim hoc genus valdè diforme, quoquo modo humanæ naturæ contrarium, & periculosum in sacro ministerio.

Hactenus de defectibus, quæ contingunt extra mutilationem; Nunc aliqua differemus de mutilitatis ipsis, de quibus certum est, quod in ijs omnibus casibus, in quibus ratione debilitationis in partibus corporis non potest quis promoueri ad ordines, à fortiori non possit promoueri, quando in eisdem partibus est mutilatus. 18 *Mutilatus vel in vtraque, vel in altera manu non potest promoueri.* Aduerte tamen, quod mutilatio vel possit contingere ex arte Medica ad saluandas reliquas partes ex infectione, vel ex causa iusta puta in bello iusto, vel ex causa iniusta, & inuoluntaria respectu mutilati, vel ex causa voluntaria ex zelo fidei, vel ex castitatis gratia, vel ex fine lucri; ex hac etenim mutilationis diuersitate oriri possunt diuersæ rationes decidendi; & quidem incipiendo à mutilatis in manibus certum est, quod ex quacunque causa vel vtraque, vel altera manus fuerit abscissa non possit sic mutilatus promoueri per textum *in cap. quam in aliquo distinct. 51., & cap. pœnitentes dist. 55.*, quod etiam indicauit *D. Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. in fin.*, & ratio est manifesta, quia scilicet sine illis, vel illa nequit haberi exercitium ordinis, si verò fuit solummodò mutilatus in digito; 19 *Mutilatus in digito, quandonam arceatur, vel non arceatur ab ordinibus.* tunc, quamuis ex multorum sententia digitus non sit membrum hominis, sed pars membri, vt signantèr tradunt *Bartolus in l. 2. ff. de publ. iud., Socinus in cap. sententiam. Ne Clerici, vel Monaci, Abbas in cap. 1., qui Cler. vel vouent.*, adhuc considerandum est, an digitus abscissus sit in manu dextera, & ex illis, qui deseruiunt contractationi Eucharistiæ; vel in manu sinistra ex illis, qui non deseruiunt tali contractationi, & quidem, si fuerit manus dexteræ, & ex illis, qui necessarij sunt ad contractationem,

tionem, vel ad efformanda signa, quacunque ratione fuerit abscissus, impedit ordinum susceptionem, & illorum executionem per textum *in cap. qui partem dist. 55., Albericus in verb. mutilatus, & in verb. vitiatus, Siluester verb. homicidium 3. num. 5.*, si verò fuerit manus sinistræ, & non ex illis, qui deseruiunt muneri Eucharistiæ contractandæ, vel fortè etiam dexteræ, sed non ex illis &c. adhuc videndum est, an casu, & sine culpa fuerit abscissus, & modicam præferat deformitatem, an verò ex culpa, & cum magna deformitate; si casu, & sine culpa, & cum modica deformitate facilè admittitur ad ordines *Albericus in verb. vitiatus, Rosella eod. verb. Tabiena in verb. corpus, Abbas in cap. 1., qui Cler., vel vouent.* per textum *in cap. qui partem dist. 55.*, si verò cum culpa puta rixando, vel in duellari pugna, vel præstando operam rei illicitæ, tunc non admittetur sine dispensatione per textum *in cap. 1., & ibi Abbas de corp. vitiat., Rosella in verb. vitiatus*, quod idem intellige de eo, qui sibi per indignationem, vel impatientiam sibi digitum abscidit. *Innocentius in cap. significauit de corpor. vitiat., Siluester in verb. corpus num. 5.* per textum *in cap. maritum dist. 33.* Hæc, quæ hactenus diximus, procedunt de promouendo ad ordines; in promoto etenim, nisi ex culpa digitos amiserit, non est, quo impediatur ab exercitio ordinum susceptorum, nisi digiti abscissi esset necessarij ad exercitium ipsorum per ea, quæ deducuntur *ex D. Thoma 3. part. quæst. 82. art. fin. ad tertium Tabiena in verb. corpus*.

20 *Castrati regulariter arceantur*

Loquendo de castratis per mutilationem considerandum est primò, an tales fuerint effecti per se ipsos, & ex quanam causa, an verò per alios. Secundò, si per alios fuerint tales effecti, an ex iusta causa puta ad effectum infirmitatem sanandi, vel ingens aliquod malum euitandi, an ex fine lucri, an ex motiuo castitatis seruandæ, an ex causa violenta, & inuoluntaria ex parte mutilati, an ex causa voluntaria ex zelo fidei, vel alio honesto fine; & quidem, si se ipsos castrauerint etiam ex castitatis motiuo, vel alio honesto fine, regulariter reijciuntur ab ordinum susceptione, & hoc non solum ob defectum corporis, sed etiam, quia euadunt effeminati, magisque luxuriæ dediti, vt latè prosequitur *Maiolus de irregularitate lib. 1. cap. 15. per totum*, ideoque ob id promoueri non possunt, & promoti deijci debent per textum *in cap. maritum dist. 33., D. Augustinus de dogm. Eccles. cap. 72., Albericus in verb. Homicidium 5.* Item hi reputantur sui homicidæ, & fiunt maledictioni obnoxij per textum *in cap. si quis se dist. 55., Albericus in verb. mutilatus, & verb. Eunuchus, & verb. Homicidium 1. in fine*, vndè etiam in lege veteri arcebantur ab Ecclesiæ ingressu *Deuteronomij 28.*; nomine autem ingressus Ecclesiæ intellegit *Caietanus ibidem*, impedimentum, ne fungerentur in Ecclesia aliquo Ecclesiastico officio.

Dixi *regulariter*; nam quandoque per talem virilium amputationem etiam à se ipsis factam non videntur arceri posse ab ordinum susceptione, quod contingeret in eo, qui sibi genitalia præcideret ob necessitatem salutis recuperandæ, si peritus esset artis Chirurgicæ, & alterius copiam non haberet. *Siluester in verb. corpus*. Intellige, nisi hoc præstiterit per notoriam indignationem, & impotentiam. *Hugo dist. 55. §. corpore autem vitiati*. Si autem inquiratur ratio, cur arceantur à susceptione ordinum, qui sibi genitalia amputarunt ex fine castitatis, vel alio honesto motiuo, non sic qui amputarunt ex fine recuperandæ sanitatis, quando alterius copia non habetur? Dicerem, eam esse rationem, quod in amputante ex fine salutis hoc proueniat ex necessitate naturæ suadentis seruandum totum cum diminutione partis inuehentis in ipsum totum, quod non militat in casu seruandæ castitatis, vel alterius boni, cum aliundè hæc haberi possint, nec castitati sint proficua, sed potius noxia, vt supra:

Sed quid erit dicendum de eo, qui sibi genitalia præscinderet ex zelo fidei? *Maiolus de irregular. lib. 1. cap. 15. num. 3.*, sentit, quod, si hoc fiat ex puro fidei zelo, possit quidem ab Episcopo dispensari, vt in susceptis ordinibus administrat, non autem, vt promoueatur ad ordines suscipiendos, & ad hoc allegat *Siluestrum in verb. Homicidium 3. quæst. 8. vers. primum* per textum *in cap. significauit, & ibi Glosa de corpore vitiato*. Monerem tamen in hoc cautè procedendum esse, ne incidatur in hæresim Vallesiorum, qui se ipsos, & suos castrabant dicentes, se hoc modo seruire Deo, vt notat *D. Augustinus lib. de hæresibus cap. 37.*, vnde in Concilio I. Generali Nicæno sub Siluestro I. Papa, & Magno Constantino Romanorum Imperatore anno salutis 325. in Can. I. sic fuit definitum. *Si quis autem sanus se ipsum abscidit, hic etiam, si est in Clero cessare debet, & ex hoc nullum talem opportet ordinari*. 21 *Præscindens sibi virilia ex zelo fidei non potest promoueri.*

22 *A fortiori non potest promoueri, qui se castrauit ex fine lucri.*

Ex his etiam rectè potest deduci, arcendum esse ab ordinum susceptione, qui se ipsum castrauerit ex fine lucri non solum ob hanc definitionem Concilij Generalis Nicæni, sed etiam ex dicto D. Basilij Epistola 87. asserentis eunuchorum genus esse

esse ignominiosum, cum nec fœmineum sit, nec masculum, & in vili habeatur æstimatione apud omnes.

23 Hactenus de ijs, qui se ipsos castrauerunt. Quid iam dicendum erit de castratis ab alijs? Considerandum est, an facta fuerit amputatio ex causa voluntaria ex parte mutilati, an verò ex causa inuoluntaria, & quidem, si ex causa voluntaria, vel hæc fuit ex fine salutis acquirendæ, cum alitèr iudicio Medicorum haberi nō posset, & in hoc non est hæsitandum, non arceri ab ordinum susceptione, si etenim non arcetur, quando ex hoc fine sibi ipsi genitalia amputat, multo minus arceri cēsendus est, quando ex eodem fine amputatio fit ab alijs, prout videtur colligi *ex Concil. Nicen. cap. 1., & in cap. si quis à Medicis dist. 55.*, si verò ex causa voluntaria puta ex fine castitatis seruandæ, vel lucri captandi; tunc censendum est, arceri ab huiusmodi ordinum susceptione, cum militent omnes ferè rationes, quæ militant, quando quis sibi ipsi abscindit. Si verò amputatio facta fuerit ex causa inuoluntaria, quatenus abscisio facta fuerit ab hostibus, vel a Dominis; tunc *Maiolus eodem lib. 1. cap. 15. num. 4. propè medium*, sentit quidem non posse sine dispensatione promoueri; hanc tamen de facili concedendam.

Castratus ab alijs an, & quādo possit promoueri.

ARTICVLVS XIII.

De conditione negatiua relata ad bigamos.

SVMMARIVM.

Quid veniat propriè nomine bigamia. 1.
Bigamia duplex, altera vera, altera interpretatiua, & quid vtraque. 2.
Ex vtraque insurgit impedimentum ad ordines. 3.
Ad bigamiam interpretatiuam requiritur, vt fœmina ducta fuerit ab alio corrupta. 4.
Vir, qui cum pluribus fornicatus est, ducens vxorem Virginem non fit bigamus, nec irregularis. 5.
Ad contrahendā bigamiam interpretatiuā non sufficit, quod duxerit corruptam, sed requiritur, quod cum ipsa consummauerit. 6.
Requiritur matrimonium siue de iure, siue de facto. 7.
Contrahens duo matrimonia inualida ob impedimentum dirimens, & vtraque consumans fit bigamus, & irregularis. 8.
Item, si contrahat matrimonium inualidum cum corrupta, illudque consumat. 9.
Contrahens, & consumans cum Virgine, si hæc adulterauerit, si postea fuerit cognita à marito, hic fit bigamus. 10.
Etiam si fœmina mœchata fuerit inuita, & per vim. 11.
Ducens fœminam habitam pro Virgine, quæ Virgo non erat, eamque cognoscens fit bigamus. 12.
Maritus mortuus reputatus, si vxorem, quæ alteri nupserat, repetat, eamque cognoscat fit bigamus, & irregularis. 13.
Si quis vxorem dimiserit propter adulterium, eamque iterum cognouerit, contrahit bigamiam. 14.
Etiam si cognouerit compellente Iudice. 15.
Si quis contraxerit duplex matrimonium in infidelitate, vel in eadem vnum cum corrupta contrahit bigamiam. 16.
Bigamia similitudinaria inducit irregularitatem. 17.
Quid sit hæc bigamia. 18.
Ad contrahendam simoniam similitudinariam requiritur votum solemne, vel expressum in professione, vel implicitum in susceptione sacrorum ordinum. 19.
Pontifex potest in lege cuiuscunque bigamia dispensare. 20.
In impetratione dispensationis exponendum est an bigamia fuerit vera, an interpretatiua. 21.
An Prælati Regulares possint dispensare. 22.

NOmine bigamiæ non hic intelligimus eam, qua quis simul habet duas vxores, nam hæc dicitur potius poligamia, de qua non est hic hæsitandum, quin ordinum impediat susceptionem, cum etiam ante Christi aduentum hæc esset omnibus iuribus prohibita, vt habetur *in l. neminem, C. de incest. nupt., & ex l. eum, C. ad leg. Iulian.*, per quæ iura poligami declarantur infames. Intelligimus igitur nomine bigamiæ eam, qua quis successiuè duas habuit vxores legitimas, nam si vnam habuerit de iure, & alteram postmodum solum de facto, propriè non diceretur bigamus, sed an saltem fieret irregularis, dicam infrà. 1

Bigamia quid propriè sit.

Hæc bigamia quasi duplex est; Altera vera, & propria, altera interpretatiua, & similitudinaria. Prima est, qua quis successiuè duas habuit vxores veras, & legitimas. Secunda qua quis duxit vnam dumtaxat non Virginem, sed corruptam. 2

Bigamia duplex, & quid vtraque

Ex vtraque hac bigamia consurgit irregularitas, & impedimentum ad ordines suscipiendos, vt de vera, & propria habetur ex *Apostolo prima ad Timoth. 3.*, vbi prohibet, ne quis ad sacrum ministerium promoueatur, nisi fuerit vnius dumtaxat vxoris vir, de secunda verò habetur ex plerisque iuris canonici textibus *ex cap. Subdiaconus distinct. 34., & ex Conc. Trid. sess. 23. c. 17.* Ratio autem vtriusque ea est, 3

Ex vtraque cōsurgit impedimentum ad ordines.

quod

quod matrimonium spirituale, quod contrahitur in susceptione sacrorum Ordinum est rapræsentatiuum matrimonij spiritualis contracti per Christum cum Ecclesia, vel verbi cum humanitate assumpta, quod matrimonium Christi quacumque ratione sumatur est cum vna, & quidem Virgine Ecclesia, vel cum vna Virgine humanitate, & omnimodè impolluta, quod non congruè rapræsentari potest per duplex coniugium, cum duabus, vel cum vna non Virgine, sed corrupta.

4 *Ad bigamiā interpretatiuam requiritur, vt fæmina ducta sit ab alio corrupta.*

Hæc, quæ dicta sunt de bigamia interpretatiua, & similitudinaria intelligenda sunt, quando quis duxit corruptam ab alio siue in matrimonio, siue per fornicationem; non autem quando solum vitiata, & corrupta est ab eo, qui postea eam duxit. Ratio autem ea est, quia, vt benè notat *D. Thomas in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 4.*, in hac hypothesi non intelligitur diuisa caro in multos; hoc idem sentire videntur *Cardinalis Zabarella in cap. tanta quæst. vlt. qui fil. sint legit.*, *Siluester in verb. Bigamus circa princip.*, *Glosa*, *& Abbas in cap. sanè de bigam.*, quidquid ex aduerso dixerit *Glosa in cap. nemo ad Sacram. dist. 32.*, *& cap. maritum dist. 33.* Neque obstant, quæ mox dicebantur, quod scilicet ad rapræsentandam vnionem Christi Domini cum Ecclesia requiratur, vt matrimonium fuerit cum Virgine, quod non verificatur in præsenti hypothesi, secundum quam in ipso contractu matrimonij nupta non supponitur virgo; Non obstant, inquam, quia ideò requiritur virgo, ne fiat diuisio carnis in multis, quod non euenit, quando est corrupta per eum, qui cum ipsa nubit.

5 *Vir, qui cū pluribus fornicatus est ducens Virginē non fit bigamus.*

Sed quid erit dicendum, si ipse vir, qui cum pluribus fæminis fornicatus est, ducat aliam vxorem Virginem, an ex hoc capite intelligatur bigamus, & irregularis. Respondendum est, nec fieri bigamum, nec irregularem. In hoc consentiunt *D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.*, *Siluester in verb. Bigamus*, *Maiolus de irreg. lib. 1. cap. 33. num. 4.* Ratio est, quia nullibi constat, quod masculus per plures fornicationes contrahat bigamiam, & irregularitatem ex hoc capite. Si autem quæratur ratio, propter quam vir ducendo vnicam tantum, sed corruptam contrahat bigamiam, & irregularitatem, non sic, si ipse corruptus pluribus fornicationibus duxerit Virginem; tunc iuxta mentem D. Thomæ dicam, eam esse rationem, quod bigamia non consurgat, nisi ex matrimonio, per quod solummodò significatur vnio Christi Domini cum Ecclesia; in matrimonio autem consensus, qui præstatur à coniugibus, quique est forma substantialis contractus, non est ad vniendum se sibi, sed ad vniendum alterum sibi, in quo altero propterea consideratur vel ratio integritatis, vel qualitas corruptionis, & si fuerit corruptio hæc transfertur in alterum, qui eidem corrupto per illum consensum coniungitur. Clarius ratio potest reddi consistens in eo, quod, sicuti actiones non specificantur à termino à quo, sed à termino ad quem, ita & bigamia &c. Addi etiam potest, quod secundum communem conceptum magis ignominiosum est ducere fæminam corruptam, quam virum corruptum.

6 *Requiritur consummatio, cum fæmina corrupta.*

Ad incurrendam autem bigamiam, & irregularitatem ex ea prouenientem non sufficit præcisè ducere duas vxores, vel vnam corruptam, sed requiritur, quod cum eisdem, vel cum eadem secuta fuerit consummatio, seu carnalis commixtio *Bonacina de irregularitate disp. 2. quæst. 2. punct. 5. num. 4.*, *Maiolus de irregul. lib. 1. cap. 33. num. 10.* Ratio ea est, quia matrimonium, nisi fuerit consummatum, non est aptum significare vnionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, licet quando præcisè est ratum sit aptum significare vnionem eiusdem cum Ecclesia per gratiam. Addi etiam potest, quod huiusmodi impedimentum bigamiæ, vtpotè odiosum sumendum sit, & restringendum ad effectum omninò consummatum.

Corrolaria ad mox dicta.

Hinc colligi potest primo, quod, si quis duxerit Virginem, seu etiam viduam, seu corruptam, & cum eadem non consummauerit, & deindè eadem mortua Virginem duxerit, cum qua consummauerit nō contrahat bigamiam, nec irregularitatem ob defectum consummationis, cum prima. Secundo colligi potest eum, qui viuente prima vxore, cum qua non consummauit, aliam duxerit, cum qua consummauit non euadere bigamiam, propter eandem rationem, fieri tamen irregularem propter infamiam, quam contrahit ex illo superinducto matrimonio perseuerante primo; quod idem dicendum est, si primum matrimonium consummauerit cum prima vxore, & deindè eadem viuente contraxerit cum alia, cum qua non consummauit; licet enim in hac hypothesi non contrahat bigamiam, contrahit tamen irregularitatem propter eandem infamiam *Maiolus de irregular. lib. 1. cap. 33. num. 11.*

7 *Requiritur matrimonium siue de iure, siue de facto.*

Rursus ad contrahendam bigamiam requiritur, vt intercesserit matrimonium siue de jure, siue de facto; non enim per simplices concubitus fornicarios cum multis fæminis hæc nota inuritur *D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.*, *Maiolus* de

torium, nec per sententiam, cum potius intercesserit absolutoria, per quam purgatur à crimine impicto, nec per confessionem rei, cum potius contrarium probauerit, nec per notorietatem consurgentem ex eo, quod delictum fuerit deductum ad forum contentiosum, cum ratione defensionis, licet iniustæ in eodem foro delictum remaneat occultum, quin potius exclusum.

13 *Ad incurrendas has pœnas sufficit vnus, vel alter actus.*

Quinta est, an ad incurrendum impedimentum ad ordines suscipiendos ratione infamiæ ex delicto requiratur multiplicitas actuum in eadem specie delicti, an verò sufficiat vnus, vel alter actus. Regularitèr sentio vnum, vel alterum actum, dummodò fuerit notorius, sufficere, quia ex quolibet consurgit infamia, & bonæ famæ amissio apud graues personas. Quod, si dixeris, fuisse in præcedentibus dictum ob crimen sodomiæ, non contrahi irregularitatem, aliasque pœnas iuris, nisi actus fuerint frequentes adeoque &c., contra impugnaberis, quia in primis, ibi dicta procedunt solummodò quoad ampliationem pœnarũ factam per Pium V. depositionis scilicet, degradationis, & traditionis bracchio sæculari, non quoad alias, quæ antecedentèr ad talem ampliationem vrgebant. Deindè licet ex vnico, vel altero actu sodomiæ ratione sui non consurgeret impedimentum ad ordines suscipiendos, consurgere tamen ratione infamiæ indè resultantis.

14 *Ad infamiã ex arte vili non requiritur multiplicitas actuum.*

Quoad infames infamia consurgente ex vili, & ignominiosa arte nonnulla sunt consideranda, & primo non esse necesse ad eandem contrahendam, quod quis assiduus fuerit in eiusdem exercitio, sed sufficere, quod bis, vel semel eandem exercuerit, prout notat *Diaz in sua praxi canonica cap. 63.*, quod tamen intelligendum est in ordine ad aliqua ex his muneribus cum certis moderationibus; non etenim infamia notarem eos, qui recreationis causa aliquando alearum ludo incumberet, nec qui cohræas duceret, vel citharas pulsaret, nec qui humilitatis gratia pelles aliquot expurgaret, & similia perageret non turpis lucri causa. Secundò non infici hac infamiæ nota, qui artes mechanicas exercent, si nil turpe efficiant; vndè, & Apostoli electi sunt à Christum Domino in Episcopos, & Sacerdotes, qui tamen vilibus artibus fungebantur, & Alexander assumptus est in Episcopum Comanensem, qui, cum esset doctissimus, & sapientissimus ad domandam superbiam functus fuerat arte Carbonarij, vt legitur apud *Lipomanum in vit. SS. tom. 2.*

15 *Excusantur tamen exercentes recreationis gratia.*

16 *Publicè pænitentes etiã sunt irregulares.*

Quoad infames infamia consurgente ex publica, & solemni pænitentia, prout expressè habetur *in d. cap. in capite Quadragesima dist. 50.*, cuius dispositionis pœnalis rationes nonnullas affert *Maiolus de irreg. lib. 3. cap. 2.*, & præcipuè illam, quod, qui solemnem, & publicam habuit pænitentiam, delictum suum coram populo confluente manifestum reddidit, adeo vt totam ferè vrbem commouerit per textum *in cap. fin. 26. quæst. 6.*, ex hoc autem consequitur, quod alios delinquentes non posset corripere, nam ipsi corripienti passim obijceretur. *Medice curate ipsum*: Nec valet dicere, quod per pænitentiam delictum purgetur, seu sanetur, nam licet coram Deo sanetur, remanet tamen apud homines turpis illa cicatrix, seu macula per textum *in cap. ventum 1. quæst. 1.*, nec solum hæc infamia afficit pænitentem pendente ipsa solemni pænitentia, sed etiam eadem peracta perseuerat, vt habetur *in cap. si quis post remissionem dist. 50., & ibi Glosa*. Neque hic audiendus est *Bonacina disp. 7. de Censuris quæst. 3. punct. 2. num. 3.*, qui, cum asserat modo non seruari illam solemnitatem pænitentiæ, quæ antiquitus seruabatur, asserit etiam, nec illud impedimentum modo consurgere, quod olim consurgebat, nec valere extensionem ab illa antiqua pænitentia solemni ad publicam pænitentiam, quæ modo seruatur.

17 *Licet modo nõ seruetur illa solemnitas, quæ olim seruabatur.*

Non, inquam audiendus est, quia impedimentum consurgit ex manifestatione delicti enormis commouentis populum, quæ manifestatio æque habetur per publicam pænitentiam, quæ modo imponitur, ac per illam, quæ olim seruabatur, non enim ex modo pænæ exequendæ infertur impedimentum, sed ex delicto manifestato.

Hoc autem impedimentum consurgens ex publica, & solemni pænitentia non solum respicit ordines suscipiendos, quatenus vetat ipsos recipi, sed etiam susceptos, quatenus illorum exercitium, si iam suscepti fuerint, impedit. Verum tamen est, quod huiusmodi solemnis pænitentia Clericis non est imponenda, vt colligitur *ex d. cap. in capite Quadragesima dist. 50.*, vbi in fine sic legitur. *Hanc pænitentiam nulli vnquam Clericorum agere concedatur.*

18 *Tres modi, quibus soluitur hæc infamia.*

Supposito impedimentum ad ordines suscipiendos ex omnibus recensitis capitibus infamiæ consurgente, iam agendum est de modis, quibus possit dissolui. Tres autem modos communitèr assignant DD. quibus est dissolubile; Primo emendatione triennali. Secundò dispensatione. Tertiò Baptismo, quibus nonnulli ad-

dunt

dunt quartum modum, qui habetur indirectè ex eo, quod Princeps auferat infamiam iuris. Singulos hos modos examino.

19 *Infamia facti tollitur emendatione triennali.*

Impedimentum, quod consurgit ex infamia facti, regularitèr tollitur per emendationem triennalem, prout latè tradunt *Filliutius tract. 19. cap. 8. nu. 220., Barbosa de offic., & potest. Episcop. alleg. 43. num. 23., Bonacina disp. 7. de irregul. qu. 3. punct. 1. num. 5. vers. dixi quandiu non fuerit emendatus*. Ratio autem ea est, quia per talem emendationem ex iuris dispositione infamia euacuatur, nam, sicuti per operationem malam gignitur, per opus bonum extinguitur. Neque arbitrandum est cum *Toleto lib. 8. cap. 57. num. 3.*, hanc infamiam perseuerare, quousque delictum ex quo consurgit in mente hominum perseuerat. Non, inquam, arbitrandum est, quia, sicuti hoc impedimentum inductum est per ius positiuũ, ita per ius positiuum potest auferri; ius autem positiuum per triennalem emendationem aufert hanc maculam.

20 *Infamia iuris ex delicto tollitur per dispensationem.*

Quando verò consurgit ex infamia iuris ex delicto tunc non aufertur, nisi ab habente legitimam potestatem per dispensationem, prout notat *Filliutius tract. 19. cap. 8. num. 220., & 222., Bonacina d. disp. 7. quæst. 3. punct. 1. num. 6. vers. secundo infamia iur. can.* Dixi *ab habente legitimam potestatem*, quam certè habet Romanus Pontifex in quacunque irregularitate, quæ, cum inducatur à iure positiuo Ecclesiastico, vtique cadit sub eius potestate.

21 *Põtifex potest in hoc dispensare.*

Sed, an Episcopus possit super illa irregularitate dispensare? Dicendum est quod in ijs casibus, in quibus Episcopus potest super delicto ex quo infamia consurgit, dispensare, possit etiam dispensare super infamia ex illo consurgente, prout sentiunt *Toletus lib. 8. cap. 57. vers. dico, Sairus de Censur. lib. 7. cap. 11. n. 15.,*

22 *Episcopus dispenset quãdoq;*

Barbosa de offic., & potest. Episc. d. alleg. 43. nu. 31., Bonacina d. disp. 7. quæst. 3. punct. 1. num. 6., & ratio est, quia sublato per dispensationem fundamento, in quo firmatur illa infamia, non videtur eadem infamia posse subsistere.

23 *Princeps etiã sæcularis potest indirectè dispensare.*

Nec solum Pontifex, & Episcopus, potest per dispensationem tollere hoc impedimentum ad ordines suscipiendos; sed etiam indirectè Princeps sæcularis non habens superiorem restituendo infamem, seu diffamatum ad bonam famam *Suarez disp. 40. sect. 2., Filliutius tract. 19. num. 224., Bonacina d. disp. 7. qu. 3. punct. 1. num. 6. vers. secundo infamia iuris canonici, Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 10. cap. 4. num. 15.* Intellige tamen de infamia iuris ciuilis, non autem canonici, nam Princeps sæcularis nullum ius habet in ijs, quæ iuris canonici sunt *Panormitanus in cap. cum te de sent. excommunicat. num. 17., Piasetius in sua praxi Episcop. part. 1. cap. 1. num. 28., Suarez disp. 40. sect. 2.* Ratio autem ea est, quia cessante ratione, ex qua consurgit impedimentum, cessare debet, & ipsum impedimentum; impedimentum autem consurgit ex infamia, ergo sublata per Principem infamia cessare debet, & impedimentum. Hinc, si consurgat infamia, & per consequens impedimentum ad ordines suscipiendos ex delicto, cui tantum ex iure ciuili sit annexa infamia, & non ex iure canonico, restituto per Principem delinquente ad pristinam famam poterit ordinari.

Soluuntur rationes oppositæ

Nec obesse potest, si asseratur, quod licet per restitutionem factam à Principe sæculari cesset infamia iuris, non cesset tamen infamia facti resultans ex crimine notorio, semper etenim remanet apud graues viros praua existimatio delinquentis. Non, inquam, obesse potest, quia hac ratione, nec etiam per dispensationem Pontificis vnquam posset auferri infamia, siue ex iure canonico, siue ciuili proueniens, adeoque nec impedimentum ad ordines, cum adhuc permaneat illa praua existimatio apud graues personas. Deindè non ex quocunque delicto consurgit infamia facti impeditiua ordinum, cæteroqui quodcunque peccatum notorium secundum se præscindendo etiam a dispositione iuris impediret eorundem ordinum susceptionem, quod non videtur dicendum; sed ex ijs, tantum, quibus est a iure imposita, & ad eam incurrendam requiritur notorietas vel iuris, quæ habetur, vel per sententiam, vel per confessionem rei in iudicio, vel facti, quæ habetur ex eo, quod delictum, ex quo oritur infamia, sit notum ex se omnibus, vel maiori parti viciniæ adeò vt non possit cælari.

Quando verò impedimentum consurgit ex vili, & ignominiosa arte, vel ex publica, & solemni pænitentia, tunc non aufertur, nisi ex Pontificis dispensatione. 24 *Infamia ex arte vili non tollitur, nisi per Romanũ Pontificem.* Ratio autem ea est, quia, quæ sunt iuris positiui communis non cadunt, nisi sub potestate Pontificis, vel Principis, secundum quod ius est canonicum, vel ciuile; cum igitur infamia, quæ consurgit ex vtroque allegato capite sit iuris canonici communis, vt habetur *ex cap. admittuntur dist. 54., & ex Glosa in cap. nihil verb. suspendatur de elect., & ex Clemente I. de institutionibus, & ex cap. in capite Quadragesimæ dist. 50., & cap. ex pænitentibus ead. distinct.*, sequitur, quod impedimentum ad ordines, quod ex eodem consurgit

surgit, non possit, nisi per Romanum Pontificem auferri.

25 An verò impedimentum, quod consurgit ex infamia siue iuris, siue facti, siue ex arte ignominiosa tollatur per susceptionem Baptismi? *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 10. cap. 4. num. 16.*, sentire videtur, quod ante susceptionem baptismatis nulla irregularitas, nullumque impedimentum ad ordines contrahatur, quandoquidem omnis irregularitas est vinculum ab Ecclesia inductum; Ecclesia autem, cum non iudicet de his, quæ foris sunt, non potest suis legibus eos afficere, qui per baptismum non sunt in Ecclesiam eandem ingressi. Hac opinione retenta sentio adhuc, quod, quamuis ipsa non subsisteret, & reuera etiam ante baptismum hoc impedimentum consurgeret, per ipsum baptismum tolleretur, nam omnis infamia per ipsum purgatur per ea, quæ tradunt *Glosa, & DD. in cap. fine pænitentia de consecr. distinct. 4.*, quam probat *Tabiena in verb. Baptismus 8. in fine, Siluester eodem verb. Baptismus 6. num. 2.* Nec obstat, quod per baptismum non tollatur infamia ex legibus Principum promanás, nam si Iudæus, v. g. esset per sententiam latro declaratus, vel fustibus cæsus, vel triremibus damnatus, quantumuis postea baptismum susciperet, non proindè posset ordinibus Ecclesiasticis initiari perseuerante nota infamiæ. Non obstat, inquam, quia tanta est vis baptismi inter Catholicos, vt purget omnia crimina, & omnes maculas antecedentèr contractas saltem quoad effectum tollendi impedimenta inducta ex iure canonico, cuiusmodi est irregularitas, & licet remaneret quodamodò illa infamia ex iure ciuili, non remaneret tamen quoad effectum impediendi susceptionem ordinum, cum hic sit inductus ex iure canonico, & sicuti in plerisque delictis, in quibus ex iure canonico inducta est infamia, per baptismum tollitur impedimentum ad eosdem ordines, quamuis in conceptu hominum remaneat illa praua existimatio consurgens ex eisdem delictis, ita &c.

Qualibet infamia tollitur per Baptismum.

Soluuntur rationes oppositæ.

SECTIO I.

De impedimento ex conditione seruili.

SVMMARIVM.

De quibus seruis procedat quæsitum. 1.
Tam mancipia, quam serui adscriptitij, & originarij sunt incapaces ordinum. 2.
Arcentur tam à maioribus, quam à minoribus ordinibus. 3.
Seruus promotus ad Sacerdotium ignorante domino est eidem restituendus non tamen quoad opera seruilia. 4.
Promotus ad Diaconatum, vel Subdiaconatum ignorante Domino non est eidem restituendus, si subroget alium eiusdem conditionis. 5.
Promotus ad ordines minores est restituendus. 6.
Irregularitas ex conditione seruili cessat ex superueniente libertate. 7.
Item ex consensu expresso Domini. Ibid.
Item ex lapsu temporis à die scientiæ. Ibidem.
Item ex subrogatione alterius æqualis conditionis. Ibidem.
An Sacerdos, si fiat seruus, contrahat irregularitatem. 8.

NOn est hic sermo de seruis, qui mercede conducuntur à Dominis ad consueta obsequia, & præstant famulatum retenta libertate, sed de ijs, qui amissa libertate alterius subijciuntur obsequijs. Isti sunt in multiplici differentia; alij etenim sunt serui iure captiuitatis in bello, & propriè dicuntur mancipia; atque hæc seruitus modo non est in vsu inter Catholicos, sed dumtaxat inter Catholicos, & Paganos, & viceuersa; alij sunt adscriptitij, qui scilicet glebæ, seu prædio colendo sunt perpetuo adscripti cum onere nunquam recedendi, omnesque fructus exceptis sumptibus, & victu dominis reddendi; alij sunt originarij, qui cum ex loco seruienti nati sint ipsa origine serui nati dicuntur, vel qui ex adscriptitijs seruis nascuntur. 1

De quibus seruis procedat titulus.

Hos omnes arceri ab ordinum Ecclesiasticorum susceptione manifestis iuribus canonicis euincitur, & quidem, quod mancipiè arceantur, habetur *ex D. Basilio in Epistola 8. ad Eusebium Episcopum Samosatensem*, addita etiam ratione, quod per huiusmodi mancipia obscuretur dignitas Sacerdotij, & auctoritas minuatur. Quoad seruos adscriptitios habetur *ex cap. generali, & cap. frequens dist. 54.*, nam, cum colendis agris sint addicti 2

Omnes hi serui nequeunt sacris ordinibus initiari.

addicti non sunt ad spiritualia munera idonei. Quoad seruos originarios habetur ex decreto Gelasij Papæ relato *in d. c. generali, & cap. admittuntur dist. 54., & ex Leone I. Epist. 1. cap. 1.*

Circa huiusmodi seruos pleræque insurgunt rationes dubitandi. Prima est, an arceantur solummodò ab ordinibus maioribus, an verò etiam à minoribus. Arceri à maioribus expresse habetur *in c. de rebus, & cap. de seruorum, & cap. nullus distinct. 54.* Arceri verò etiam à minoribus tradit *Præpositus in cap. nulli dist. 54., Diaz in praxi canonica cap. 17.*, quod intelligendum est, siue de seruis priuatorum per textum *in cap. 1. 2., & 3. eadem distinct. 54.* siue de seruis Ecclesiarum per textum *in cap. qui ex famulis ead. dist. 54.*, qui licet, si ordinarentur, reciperent caractherem, non eximerentur tamen à iure, & potestate suorum Dominorum per textum *in cap. ex antiquis ead. dist. 54.*

3 *Intelligetam de maioribus, quã de minoribus.*

Secunda est, an, si seruus ignorante Domino promoueatur ad Sacerdotium, eidem Domino repetenti sit restituendus. Sacerdotij caractherem liberare à seruili conditione statuunt communitèr DD., vt refert *Raymundus in tit. de manumissis vers. item Episcopalis* per textum *in cap. si seruus sciente dist. 54.* Sed in hac speciali hypothesi assero quidem esse restituendũ, non tamen ad omnia obsequia seruilia, sed dumtaxat ad ea, quæ sunt congruentia ordini Sacerdotali puta ad Missam, ad horas canonicas, & similia per textum *in cap. frequens dist. 54.* Verum tamen est, quod, si sic promotus inuito Domino contumacitèr renitatur restitui eidem Domino ad hæc munera Sacerdotali ordini congruentia, sit deponendus per textum *in cap. nullus de seru. ord.*

4 *Seruus promotus ignorante, domino est eidẽ restituẽdus, non tamen quoad opera seruilia.*

Tertia est, an ea, quæ dicta sunt de seruo inuito, seu ignorante Domino promoto ad Sacerdotium intelligenda etiam sint de promoto ad Subdiaconatum, & Diaconatum. Dicendum est, quod sic promotus, si subroget alium pro se ipso æqualis conditionis, & pretij, non sit restituendus per textum *in cap. de rebus distinct. 54.*, quod specialitèr de Diacono habetur *in cap. ex antiquis eadem distinct.*, & de Subdiacono *in cap. miramur de seru. non ord.* Verum tamen est, quod hæc procedunt quoad promotos, non autem in promouendis, non enim tenetur Dominus acceptare hanc subrogationem, nam iura de illis loquuntur, non de istis, adeoque non est facienda extensio potissimum cum plura facta teneant, quæ fieri prohibentur.

5 *Promotus ad Subdiaconatũ ignorãte domino non est restituẽdus, si subroget alium æqualis conditionis.*

Quarta est, an seruus inuito Domino promotus ad ordines minores ignorante Domino, sit eidem restituendus. Affirmatiuè sentiendum est, etiam si voluerit alium æqualis conditionis in sui locum subrogare per textum *in cap. de rebus distinct. 54.*, & ratio est, quia huiusmodi ordines minores non constituunt in gradu Ecclesiastico indissolubilitèr, vndè, sicuti ex sua libertate potest transire ad statum laicalem, ita potest ad illum trahi existente iure Domini, quod non dissoluitur per eosdem minores ordines; ex quibus sequitur, quod, si fuerit Domino restitutus, habendus sit pro laico, & careat fori priuilegio, & canonis, si quis suadente per textum *in d. cap. ex antiquis, & ex Glosa in cap. nulli d. dist. 54.*

6 *Promotus ad ordines minores est restituendus.*

Quinta est, an quandoque hæc irregularitas ex conditione seruili cesset, & quando. Respondendum est ex pluribus causis cessare; & primò ex superueniente libertate, cui obstare non potest vilitas seruitutis præteritæ, si nullum aliud obsit impedimentum canonicum. Ratio est, quia ipsa libertas consequens; si de illa legitimè constet, obliterat memoriam eiusdem seruitutis per textum *in cap. de seruorum dist. 54.*, non etenim seruitus est ex illis actionibus, quæ ingerant infamiam, nec ex infamia impedit assecutionem ordinum, sed ex onere præcisè, quod habet obsequendi Domino, quod, si cesset ex libertate acquisita, cesset etiam impedimentum ad ipsos ordines. Hæc autem non solum verificantur in ordine ad ordines suscipiendos, sed etiam ad exercenda munera in ordinibus susceptis; non enim inuenio in iure dispositum, quod contra seruos suscipientes ordines existente conditione seruili sit suspensio absoluta, sed dumtaxat donec seruitus perseuerauerit. Secundò cessat ex consensu expresso Domini interueniente, quatenus Dominus nouerit seruum ordinari, nec contradixerit, sed potius conniuentiam habuerit iuxta Abbatem *in c. eo libentius de seru. non ord.* Tertiò ex lapsu temporis à die scientiæ, nempè, si Dominus nouerit seruum ordinatum esse, nec contradixerit per annum per textum, *& Glosam in cap. si seruus sciente dist. 54.*, illa etenim taciturnitas, & non contradictio per annum habetur pro certo consensu. Quintò per subrogationem alterius similis conditionis, & pretij iuxtà superiùs dicta.

7 *Irregularitas ex conditione seruili quandonam cessat.*

Sexta est, an, si quis, cum esset liber, sacris ordinibus initiatus est, possit vel ex proprio arbitrio, vel ex alia causa fieri seruus, & impediri ab ordinum susceptorum exercitio. In hoc distinguendum videtur, vel etenim potest intendere seruitutem gratia turpis lucri, vel ob in-

 con-

8 constantiam, & turpitudinem, vel sit seruus iure captiuitatis in bello, vel ex fine honesto redimendi alios captiuos. Iuxta primum, & secundum membrum distinctionis de iure nō potest fieri seruus; nam ipse, vt res sacrata non potest cadere sub commercium, sicuti aliæ res sacræ, & captus in bello fieret captiuus, non propriè seruus. Quod, si supponas, quod de facto fiat seruus, quatenus se vendat Saracenis, vel ab ipsis capiatur in bello, & redigatur in seruitutem; tunc dicam, quod, si se vendat, fiat quoquo modo infamis, & ratione eiusdem suspenditur ab exercitio ordinum susceptorum ex generali regula infamiæ; si verò fiat captiuus in bello; tunc non suspenditur, &, si munera Sacerdotalia exerceret sine periculo contemptus à Saracenis, seu fidei hostibus exercendi nullam labem, nullamque contraheret censuram. Iuxtà tertium membrum potius honestatem maximam inuenio, quam dedecus, vndè maximè commendatur D. Paulinus Nolanus Episcopus, quod se in seruitutem Paganorum tradiderit, vt viduæ filium liberaret.

An Sacerdos, si fiat seruus contrahat irregularitatē.

SECTIO II.

De impedimento ex defectu corporis.

SVMMARIVM.

Defectus alij per excessum, alij per carentiam. 1.
Si defectus per excessum inferat deformitatem, seu monstruositatem impedit promotionem ad ordines. 2.
Debilitatio, & mutilatio quomodo differant. 3.
Orbatus lumine oculorum, quamuis oculos habeat arcetur à susceptione ordinum. 4.
Intellige etiam si sit orbatus lumine vnius tantum oculi. 5.
Potest tamen in hoc casu dispensari, & faciliùs dispensatur, quando lumen caret in oculo dextero. 6.
Item faciliùs, quando est orbatus lumine, ac quando oculus est erutus. 7.
Promotus amisso postea lumine vnius oculi non est ipso iure priuatus exercitio ordinum, sed potest priuari. 8.
Orbatus lumine oculorum, quamuis non possit sacrum peragere, potest tamen alia munera exercere. 9.
Priuatus lumine oculorum non potest ipse in sacrificio alia præstare altero supplente defectum oculorum. 10.
Qualis lippitudo arceat à susceptione ordinum. 11.
Qualis deformitas arceat à susceptione ordinum. 12.
Claudus à natura indiget dispensatione, vt promoueatur. 13.
De facili conceditur dispensatio. Ibidem.
Item si euadat claudus ex medicina. 14.
Si sit talis interueniente culpa non ità facilè conceditur dispensatio. 15.
Regularis claudus facilius dispensatur. 16.
Qualis gibbositas arceat à susceptione ordinum. 17.
Mutilatus vel in vtraque, vel in altera manu non potest promoueri. 18.
Castrati regularitèr arcentur. 19.
Qui sibi seruato artis ordine præscinderet virilia, non arceretur à susceptione ordinum. 20.
Qui sibi præscinderet ex zelo fidei genitalia posset quidem in susceptis ordinibus ministrare, non autem promoueri ad superiores. 21.
A fortiori non potest promoueri castratus ex fine lucri. 22.
Castratus ab alio, an & quando possit promoueri. 23.

Nomine defectus corporis hic non intelligo carentiam præcisè alicuius membri, sed etiam superexcessum ratione cuius corpus deficit à congrua dispositione naturali, & in deformitatem seu monstruositatem transit. Inter defectus ex excessu prouenientes numerantur illi, qui constāt pluribus partibus corpori non debitis puta duobus capitibus, pluribus, quam duabus manibus, vel pedibus, ventre præpingui, aut præturgide item illi, qui inuoluunt corpus procerius, & insuetæ, immoderatæque longitudinis, ad quos è contrario sensu reducuntur defectus, qui consistunt in corporis paruitate. Defectus ex carentia adhuc sunt in duplici differentia; alij, qui consistunt in debilitatione, quatenus extant quidem omnia membra integra, sed sunt inefficacia, & inutilia, vt, si quis habeat manum aridam, oculum non effolum, sed luce orbatum, & similia; alij, qui consistunt in mutilatione cum carentia membrorum. De his omnibus erit sermo sub præsenti titulo. 1

Defectuum duo genera.

Incipiendo iam a defectibus per super excessum indubitatum est, quod, si importent nimiam deformitatem, vt horrorem generent, impediant ordinum susceptionem, prout notat *Abbas in cap. 2. de Cleric. ægrot.*, & item, si importent monstruositatem per textum *in cap. quoniam de dinum offic. ord.*, & *in l. non sunt, ff. de stat. hom.* Hæc autem monstruositas non habetur ex quacunque partium imparilitate, sed ex ea dumtaxat, quæ plurimam infert defor- 2

Quandonam per excessū impediāt ordinum susceptionem.

deformitatem; vndè, si quis haberet sex digitos in manibus, vel pedibus, vtique posset ad ordines promoueri arg. textus *in cap. qui in aliquo dist.* 51., & item, qui prodceriores sunt corpore, dummodò tanta non sit proceritas, vt transeat in monstruositatem, vt notat *Maiolus de irreg. lib.* 1. *cap.* 13., & è contrario sensu item promoueri possunt, qui breues sunt corpore, dummodò tales non sint, vt propter nimiam breuitatem computentur pro monstris idem *Maiolus loc. cit. num.* 8., *& seqq.*

3 *Débilitatio, & mutilatio quomodo differãt.*

Loquendo postea de defectibus, qui consistunt in debilitatione, hoc vnum in primis aduerto, hoc intercedere discrimen inter debilitationem, & mutilationem, quod debilitatio non excludit membra corporis, sed ea importat inutilia tamen, & inefficacia, vt, si quis habeat manum, sed aridam, oculum, sed luce carentem &c.; mutilatio verò importat carentiam membrorum per abscisionem, siue hoc contingat ex culpa, siue casu. Deindè dico, quod, si talis fuerit, vt impediat executionem munerum, ad quæ dirigitur ordo, vtique ab eodem sic debilitatus sit arcendus, quandoquidem quoad effectum idem est carere membro, ac membrum inutile habere per textum *in cap. sicut vrgeri* 1. *quæst.* 1.

4 *Orbatus lumine oculorũ arcetur à sacris ordinibus.*

Hinc deducitur primo, quod, si quis sit orbatus lumine, quamuis oculos habeat, excludatur procul dubio à susceptione ordinum *can. Apost. cap.* 76., *& cap. hinc etenim*, §. *cæcus dist.* 49. Hæc procedunt, quando est orbatus lumine vtriusque oculi; sed quid erit dicendum, si vnius tantum oculi luce careat? Asse-

5 *Etiam si vnius tantum lumine sit orbatus.*

rendum est, non debere promoueri *Rosella in verbo vitiatus circa medium*, *Tabiena in verb. corpus*, & colligitur *ex cap. si euangelica dist.* 55., qui textus æque intelligendus est, siue oculus fuerit penitus erutus, siue tantum lumine orbatus, quia par est impedimentum in rebus agendis per glosam *in cap.* 2. *verb. significasti de verborum significationi*. Hic tamen aduertendum est,

6 *Facilius dispensatur, quando lumine caret in oculo dextro.*

quod, quamuis carens lumine vel vnius, vel alterius oculi secundum se promoueri non possit, possit tamen dispensari facilius in duobus casibus, primo quando carentia luminis est in oculo dextero, quam in sinistro, quia oculus sinister

7 *Item facilius, quando oculus caret lumine, ac quãdo est erutus.*

magis vtilis est in legendo Canone Missæ, prout probat *Alexander in cap. hinc etenim dist.* 49., *Nauarrus de irregul. num.* 199.; secundò quando oculus est orbatus lumine, quam quando est penitus erutus, quia, quando est erutus, duplex inuoluit impedimentum, alterum ratione inhabilitatis ad legendum, alterum ratione deformitatis, quando verò præcisè caret lumine, habet præcisè impedimentum inhabilitatis; quamuis autem orbatus lumine vnius oculi nequeat sine dispensatione promoueri ad ordines; promotus tamen per amissionem luminis sine culpa non ipso iure priuatur exercitio ordinum, sed tantum priuari potest per Episcopum per sententiam ex aliqua iusta causa *Maiolus de irregul. lib.* 1. *cap.* 20. *vers. quæ omnia*. Quamuis item ob amissionem luminis oculorum suspendatur ab exercitio ordinum, hoc intelligitur quoad illud exercitium, ad quod ille sensus videtur quoquo modo necessarius, non quoad illa munera, quæ exerceri possunt independentèr ab illo sensu, sic quamuis Sacerdos orbatus oculorum luce non possit sacrum conficere, non propterea prohibetur confessiones sacramentales audire, nec conciones habere per textum *in cap. cum percussio* 7. *quæst.* 1., & notant *Abbas in cap.* 2. *de Cleric. ægrot.*, *& Rosella verb. vitiatus in princip.*

8 *Promotus amisso postea lumine vnius oculi potest suspendi*

9 *Licet sacrum nõ possit per agere potest alia munera exercere.*

Sed, an saltem orbatus luce oculorum, si reliquis membris valeat, possit ipse manu facere, & alter oculis? *D. Thomas* 3. *part. quæst.* 67. *art.* 6. *ad tertium*, loquens in simili casu de eo, qui, cum sit truncatus manibus, verba profert in collatione baptismi, altero aquam effundente, asserit non tenere baptismum, cui adstipulantur textus, *& Glosa in cap. quorundem dist.* 23., ad quod etiam videtur posse referri id, quod habetur per *Glosam in cap. quod sicut de elect.*, vbi quod, si in consecratione Episcopi alter Missam cantet, alter verò consecret, non congruè fiat consecratio, ex quibus rectè videtur inferri posse, quod cæcus carens luce oculorum non possit ipse licitè ore conficere, altero supplente defectum luminis oculorum.

10 *Nõ potest cæcus ore præstare alio supplente defectũ oculorũ.*

Ad hunc defectum oculorum reduci etiam potest lippitudo, non quæcunque, sed illa, quæ nimis acrem habet distillationem, & putresentiam, quæ scilicet deformitatem multam ingerit, & horrorem inspicientibus per textum *in cap. hinc etenim verb. Lyppus dist.* 49. Item ad eundem reduci potest imparilitas oculorum, vt si quis vnum altero grossiorem habeat, & item macula in eodem oculo apparens; intellige tamen, si huiusmodi imparilitas, & macula talis sit, vt ingentem inferat deformitatem, & hoc arbitrio Episcopi diudicandum remittitur *arg. Glosæ in cap. cum de tua de corp. vitiat.*, *& ibi Abbas.*

11 *Qualis lippitudo arceat à susceptione ordinũ.*

Deducitur secundò, quod, si quis ita deformis sit faciei, vt monstruositatem, & cachinos excitet, non sit ad ordines admittendus, vt scripsit *Gul. de Laud. in suo*

sacramentali apud *Siluestrum in verb. homicidium 3. quæst. 3., Tabiena in verb. irregularitas 3. num. 26.*, vndè *D. Thomas in 4. dist. 25. quæst. 2. in fine*, requirit in ordinando claritatem personæ, quod certè intelligendum est potissimum de claritate corporea in facie. Ad hoc impedimentum non pertinet, quod quis sit candidi vel nigri coloris, vel crocei, qualis est ille, qui per morbum Regium in toto corpore suffunditur, vt exemplo deducto à Donnolo Cænomanorum Episcopo probat *Gregorius Turonensis histor. lib. 6. cap. 9.* Pertinet tamen primò, si quis habeat magnum tumorem in facie, adeò vt possit esse occasio risus, vel scandali, in quo tamen Episcopus arbitrabitur, vt notat *Abbas in cap. 1. de corpore vitiato in fine*. Item pertinet nasi defectus, quia per eum claritas personæ obscuratur arg. eorum, quæ tradit *D. Thomas loc. cit.* adeo vt dispensatio super hunc defectum ad Romanum Pontificem spectet *Tabiena in verbo dispensatio num. 13. vers. decimo septimo*. Item labiorum defectus, si magna in ipsis deformitas sit, vt horrorem generet, & fortè eadem labia ita sint corrosa, vt liquida continere non valeant; tunc etenim impedimentum non solum proueniet ratione deformitatis, sed etiam ratione periculi effusionis in susceptione Eucharistiæ sub speciebus vini, arg. eorum, quæ habentur *in cap. is, qui 26. quæst. 6., & cap. si quis per ebrietatem de consecratione dist. 2.*

12 *Qualis deformitas arceat à susceptione ordinũ.*

13 Deducitur tertiò, quod, si quis à natura fuerit claudus, non possit sine dispensatione, quæ tamen de facili est concedenda, promoueri per textum *in cap. si quis infirmitate dist. 55.*, quod etiam intellige, si fuerit talis arte medicorum; non tamen, si fuerit claudus interueniente culpa, quia tunc non ita facilè esset ad ordines admittendus ex communi summistarum consensu, & præcipuè *Tabienæ in verb. corpus, & Alberici verb. vitiatus in princip.*

Claudus à natura indiget dispensatione.

14 Quomodocunque tamen ita sit claudus, vt indigeat ligneo pede, vel baculo, vix dispensatio est concedenda *Abbas in cap. 2. de Cler. ægrot., Glosa in d. cap. si quis infirmitate dist. 55., Tabiena loc. cit.*

Item claudus ex Medicina.

15 Hoc intellige limitate ad Clericos sæculares, nam quoad Regulares concessum est Episcopis posse cum eisdem dispensare, eosque promouere *Astensis lib. 6. cap. 21., Rosella verb. vitiatus, Tabiena verb. corpus, Siluester eod. verb. in fin.*

Claudus ex culpa non facilè dispẽsatur.

16 quinimmò *Rosella eod. verb. vitiatus*, si necessitas vtendi ligneo pede superuenerit Regulari, concedit facultatem eiusdem Prælatis dispensandi, vt possit in ordine suscepto administrare. Ad hoc caput reduci etiam potest gibbosus, qui certè sine dispensatione non est promouendus; in hoc tamen considerare debet Episcopus, an deformitas sit talis, vt sufficiat ad impediendam promotionem, &, si fuerit magna, dispensationem remittet ad Pontificem, vt notat *Tabiena in verb. dispensatio num. 13. vers. decimo septimo*. Aduerte tamen gibbosos esse quodamodo in duplici genere; alij, quibus tumor magnus in dorso eminet recto tamen manente corpore; alij, quibus corpus curuatur. Primi facilius dispensantur, cum apti esse possint ad sacra ministeria, quamuis aliquam præferant deformitatem; secundi non ita, nec admittendi sunt ad ordines suscipiendos, nec tolerandi in exercitio eorundem; textus est manifestus *in cap. hinc etenim vers. Gibbosus dist. 49.*, & ibi *Vgo*; est enim hoc genus valdè diforme, quoquo modo humanæ naturæ contrarium, & periculosum in sacro ministerio.

Regularis claudus facilius dispensatur.

17 *Qualis gibbositas arceatur.*

18 Hactenus de defectibus, quæ contingunt extra mutilationem; Nunc aliqua differemus de mutilitatis ipsis, de quibus certum est, quod in ijs omnibus casibus, in quibus ratione debilitationis in partibus corporis non potest quis promoueri ad ordines, à fortiori non possit promoueri, quando in eisdem partibus est mutilatus. Aduerte tamen, quod mutilatio vel possit contingere ex arte Medica ad saluandas reliquas partes ex infectione, vel ex causa iusta puta in bello iusto, vel ex causa iniusta, & inuoluntaria respectu mutilati, vel ex causa voluntaria ex zelo fidei, vel ex castitatis gratia, vel ex fine lucri; ex hac etenim mutilationis diuersitate oriri possunt diuersæ rationes decidendi; & quidem incipiendo à mutilatis in manibus certum est, quod ex quacunque causa vel vtraque, vel altera manus fuerit absciffa non possit sic mutilatus promoueri per textum *in cap. quam in aliquo distinct. 51., & cap. pœnitentes dist. 55.*, quod etiam indicauit *D. Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. in fin.*, & ratio est manifesta, quia scilicet sine illis, vel illa nequit haberi exercitium ordinis,

Mutilatus vel in vtraque, vel in altera manu non potest promoueri.

19 si verò fuit solummodò mutilatus in digito; tunc, quamuis ex multorum sententia digitus non sit membrum hominis, sed pars membri, vt signantèr tradunt *Bartolus in l. 2. ff. de publ. iud., Socinus in cap. sententiam. Ne Clerici, vel Monaci, Abbas in cap. 1., qui Cler. vel vouent.*, adhuc considerandum est, an digitus absciffus sit in manu dextera, & ex illis, qui deseruiunt contractationi Eucharistiæ; vel in manu sinistra ex illis, qui non deseruiunt tali contractationi, & quidem, si fuerit manus dexteræ, & ex illis, qui necessarij sunt ad contractationem,

Mutilatus in digito, quandonam arceatur, vel non arceatur ab ordinibus.

tionem, vel ad efformanda signa, quacunque ratione fuerit absciffus, impedit ordinum susceptionem, & illorum executionem per textum *in cap. qui partem dist. 55.*, *Albericus in verb. mutilatus, & in verb. vitiatus, Siluester verb. homicidium 3. num. 5.*, si verò fuerit manus sinistræ, & non ex illis, qui deseruiunt muneri Eucharistiæ contractandæ, vel fortè etiam dexteræ, sed non ex illis &c. adhuc videndum est, an casu, & sine culpa fuerit absciffus, & modicam præferat deformitatem, an verò ex culpa, & cum magna deformitate; si casu, & sine culpa, & cum modica deformitate facilè admittitur ad ordines *Albericus in verb. vitiatus*, *Rosella eod. verb. Tabiena in verb. corpus*, *Abbas in cap. 1., qui Cler., vel vouent.* per textum *in cap. qui partem dist. 55.*, si verò cum culpa puta rixando, vel in duellari pugna, vel præstando operam rei illicitæ, tunc non admittetur sine dispensatione per textum *in cap. 1., & ibi Abbas de corp. vitiat.*, *Rosella in verb. vitiatus*, quod idem intellige de eo, qui sibi per indignationem, vel impatientiam sibi digitum abscidit. *Innocentius in cap. significauit de corpor. vitiat.*, *Siluester in verb. corpus num. 5.* per textum *in cap. maritum dist. 33.* Hæc, quæ hactenus diximus, procedunt de promouendo ad ordines; in promoto etenim, nisi ex culpa digitos amiserit, non est, quo impediatur ab exercitio ordinum susceptorum, nisi digiti absciffi essent necessarij ad exercitium ipsorum per ea, quæ deducuntur *ex D. Thoma 3. part. quæst. 82. art. fin. ad tertium Tabiena in verb. corpus*.

20 *Castrati regulariter arcentur*

Loquendo de castratis per mutilationem considerandum est primò, an tales fuerint effecti per se ipsos, & ex quanam causa, an verò per alios. Secundò, si per alios fuerint tales effecti, an ex iusta causa puta ad effectum infirmitatem sanandi, vel ingens aliquod malum euitandi, an ex fine lucri, an ex motiuo castitatis seruandæ, an ex causa violenta, & inuoluntaria ex parte mutilati, an ex causa voluntaria ex zelo fidei, vel alio honesto fine; & quidem, si se ipsos castrauerint etiam ex castitatis motiuo, vel alio honesto fine, regularitèr reijciuntur ab ordinum susceptione, & hoc non solum ob defectum corporis, sed etiam, quia euadunt effeminati, magisque luxuriæ dediti, vt latè prosequitur *Maiolus de irregularitate lib. 1. cap. 15. per totum*, ideoque ob id promoueri non possunt, & promoti deijci debent per textum *in cap. maritum dist. 33.*, *D. Augustinus de dogm. Eccles. cap. 72.*, *Albericus in verb. Homicidium 5.* Item hi reputantur sui homicidæ, & fiunt maledictioni obnoxij per textum *in cap. si quis se dist. 55.*, *Albericus in verb. mutilatus, & verb. Eunuchus, & verb. Homicidium 1. in fine*, vndè etiam in lege veteri arcebantur ab Ecclesiæ ingressu *Deuteronomij 28.*; nomine autem ingressus Ecclesiæ intellegit *Caietanus ibidem*, impedimentum, ne fungerentur in Ecclesia aliquo Ecclesiastico officio.

Dixi *regularitèr*; nam quandoque per talem virilium amputationem etiam à se ipsis factam non videntur arceri posse ab ordinum susceptione, quod contingeret in eo, qui sibi genitalia præcideret ob necessitatem salutis recuperandæ, si peritus esset artis Chirurgicæ, & alterius copiam non haberet. *Siluester in verb. corpus*. Intellige, nisi hoc præstiterit per notoriam indignationem, & impotentiam. *Hugo dist. 55. §. corpore autem vitiati*. Si autem inquiratur ratio, cur arceantur a susceptione ordinum, qui sibi genitalia amputarunt ex fine castitatis, vel alio honesto motiuo, non sic qui amputarunt ex fine recuperandæ sanitatis, quando alterius copia non habetur? Dicerem, eam esse rationem, quod in amputante ex fine salutis hoc proueniat ex necessitate naturæ suadentis seruandum totum cum diminutione partis inuehentis in ipsum totum, quod non militat in casu seruandæ castitatis, vel alterius boni, cum aliundè hæc haberi possint, nec castitati sint proficua, sed potius noxia, vt supra.

Sed quid erit dicendum de eo, qui sibi genitalia præscinderet ex zelo fidei? *Maiolus de irregular. lib. 1. cap. 15. num. 3.*, sentit, quod, si hoc fiat ex puro fidei zelo, possit quidem ab Episcopo dispensari, vt in susceptis ordinibus administrat, non autem, vt promoueatur ad ordines suscipiendos, & ad hoc allegat *Siluestrum in verb. Homicidium 3. quæst. 8. vers. primum* per textum *in cap. significauit, & ibi Glosa de corpore vitiato*. Monerem tamen in hoc cautè procedendum esse, ne incidatur in hæresim Vallesiorum, qui se ipsos, & suos castrabant dicentes, se hoc modo seruire Deo, vt notat *D. Augustinus lib. de hæresibus cap. 37.*, vnde in Concilio I. Generali Nicæno sub Siluestro I. Papa, & Magno Constantino Romanorum Imperatore anno salutis 325. in Can. I. sic fuit definitum. *Si quis autem sanus se ipsum abscidit, hic etiam, si est in Clero cessare debet, & ex hoc nullum talem opportet ordinari*. 21 *Præscindens sibi virilia ex zelo fidei non potest promoueri.*

Ex his etiam rectè potest deduci, arcendum esse ab ordinum susceptione, qui se ipsum castrauerit ex fine lucri non solum ob hanc definitionem Concilij Generalis Nicæni, sed etiam ex dicto D. Basilij Epistola 87. asserentis eunuchorum genus esse 22 *A fortiori non potest promoueri, qui se castrauit ex fine lucri.*

esse ignominiosum, cum nec fæmineum sit, nec masculum, & in vili habeatur æstimatione apud omnes.

23 Hactenus de ijs, qui se ipsos castrauerunt. Quid iam dicendum erit de castratis ab alijs? Considerandum est, an facta fuerit amputatio ex causa voluntaria ex parte mutilati, an verò ex causa inuoluntaria, & quidem, si ex causa voluntaria, vel hæc fuit ex fine salutis acquirendæ, cum alitèr iudicio Medicorum haberi nō posset, & in hoc non est hæsitandum, non arceri ab ordinum susceptione, si etenim non arcetur, quando ex hoc fine sibi ipsi genitalia amputat, multo minus arceri cēsendus est, quando ex eodem fine amputatio fit ab alijs, prout videtur colligi *ex Concil. Nicen. cap. 1., & in cap. si quis à Medicis dist. 55.*, si verò ex causa voluntaria puta ex fine castitatis seruandæ, vel lucri captandi; tunc censendum est, arceri ab huiusmodi ordinum susceptione, cum militent omnes ferè rationes, quæ militant, quando quis sibi ipsi abscindit. Si verò amputatio facta fuerit ex causa inuoluntaria, quatenus abscisio facta fuerit ab hostibus, vel a Dominis; tunc *Maiolus eodem lib. 1. cap. 15. num. 4. propè medium*, sentit quidem non posse sine dispensatione promoueri; hanc tamen de facili concedendam.

Castratus ab alijs an, & quādo possit promoueri.

ARTICVLVS XIII.

De conditione negatiua relata ad bigamos.

SVMMARIVM.

Quid veniat propriè nomine bigamia. 1.
Bigamia duplex, altera vera, altera interpretatiua, & quid vtraque. 2.
Ex vtraque insurgit impedimentum ad ordines. 3.
Ad bigamiam interpretatiuam requiritur, vt fæmina ducta fuerit ab alio corrupta. 4.
Vir, qui cum pluribus fornicatus est, ducens vxorem Virginem non fit bigamus, nec irregularis. 5.
Ad contrahendā bigamiam interpretatiuā non sufficit, quod duxerit corruptam, sed requiritur, quod cum ipsa consummauerit. 6.
Requiritur matrimonium siue de iure, siue de facto. 7.
Contrahens duo matrimonia inualida ob impedimentum dirimens, & vtraque consumans fit bigamus, & irregularis. 8.
Item, si contrahat matrimonium inualidum cum corrupta, illudque consumat. 9.
Contrahens, & consumans cum Virgine, si hæc adulterauerit, si postea fuerit cognita à marito, hic fit bigamus. 10.
Etiam si fæmina mæchata fuerit inuita, & per vim. 11.
Ducens fæminam habitam pro Virgine, quæ Virgo non erat, eamque cognoscens fit bigamus. 12.
Maritus mortuus reputatus, si vxorem, quæ alteri nupserat, repetat, eamque cognoscat fit bigamus, & irregularis. 13.
Si quis vxorem dimiserit propter adulterium, eamque iterum cognouerit, contrahit bigamiam. 14.
Etiam si cognouerit compellente Iudice. 15.
Si quis contraxerit duplex matrimonium in infidelitate, vel in eadem vnum cum corrupta contrahit bigamiam. 16.
Bigamia similitudinaria inducit irregularitatem. 17.
Quid sit hæc bigamia. 18.
Ad contrahendam simoniam similitudinariam requiritur votum solemne, vel expressum in professione, vel implicitum in susceptione sacrorum ordinum. 19.
Pontifex potest in lege cuiuscunque bigamia dispensare. 20.
In impetratione dispensationis exponendum est an bigamia fuerit vera, an interpretatiua. 21.
An Prælati Regulares possint dispensare. 22.

Nomine bigamiæ non hic intelligimus eam, qua quis simul habet duas vxores, nam hæc dicitur potius poligamia, de qua non est hic hæsitandum, quin ordinum impediat susceptionem, cum etiam ante Christi aduentum hæc esset omnibus iuribus prohibita, vt habetur *in l. neminem, C. de incest. nupt., & ex l. eum, C. ad leg. Iulian.*, per quæ iura poligami declarantur infames. Intelligimus igitur nomine bigamiæ eam, qua quis successiuè duas habuit vxores legitimas, nam si vnam habuerit de iure, & alteram postmodum solum de facto, propriè non diceretur bigamus, sed an saltem fieret irregularis, dicam infrà. 1

Bigamia quid propriè sit.

Hæc bigamia quasi duplex est; Altera vera, & propria, altera interpretatiua, & similitudinaria. Prima est, qua quis successiuè duas habuit vxores veras, & legitimas. Secunda qua quis duxit vnam dumtaxat non Virginem, sed corruptam. 2

Bigamia duplex, & quid vtraque

Ex vtraque hac bigamia consurgit irregularitas, & impedimentum ad ordines suscipiendos, vt de vera, & propria habetur ex *Apostolo prima ad Timoth. 3.*, vbi prohibet, ne quis ad sacrum ministerium promoueatur, nisi fuerit vnius dumtaxat vxoris vir, de secunda verò habetur ex plerisque iuris canonici textibus *ex cap. Subdiaconus distinct. 34., & ex Conc. Trid. sess. 23. c. 17.* Ratio autem vtriusque ea est, 3

Ex vtraque cōsurgit impedimentum ad ordines.

quod

quod matrimonium spirituale, quod contrahitur in susceptione sacrorum Ordinum est rapræsentatiuum matrimonij spiritualis contracti per Christum cum Ecclesia, vel verbi cum humanitate assumpta, quod matrimonium Christi quacumque ratione sumatur est cum vna, & quidem Virgine Ecclesia, vel cum vna Virgine humanitate, & omnimodè impolluta, quod non congruè rapræsentari potest per duplex coniugium, cum duabus, vel cum vna non Virgine, sed corrupta.

4 *Ad bigamiã interpretatiuam requiritur, vt fœmina ducta sit ab alio corrupta.*

Hæc, quæ dicta sunt de bigamia interpretatiua, & similitudinaria intelligenda sunt, quando quis duxit corruptam ab alio siue in matrimonio, siue per fornicationem; non autem quando solum vitiata, & corrupta est ab eo, qui postea eam duxit. Ratio autem ea est, quia, vt benè notat *D. Thomas in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 4.*, in hac hypothesi non intelligitur diuisa caro in multos; hoc idem sentire videntur *Cardinalis Zabarella in cap. tanta quæst. vlt. qui fil. sint legit.*, *Siluester in verb. Bigamus circa princip.*, *Glosa*, *& Abbas in cap. sanè de bigam.*, quidquid ex aduerso dixerit *Glosa in cap. nemo ad Sacram. dist. 32.*, *& cap. maritum dist. 33.* Neque obstant, quæ mox dicebantur, quod scilicet ad rapræsentandam vnionem Christi Domini cum Ecclesia requiratur, vt matrimonium fuerit cum Virgine, quod non verificatur in præsenti hypothesi, secundum quam in ipso contractu matrimonij nupta non supponitur virgo; Non obstant, inquam, quia ideò requiritur virgo, ne fiat diuisio carnis in multis, quod non euenit, quando est corrupta per eum, qui cum ipsa nubit.

5 *Vir, qui cũ pluribus fornicatus est ducens Virginẽ non fit bigamus.*

Sed quid erit dicendum, si ipse vir, qui cum pluribus fœminis fornicatus est, ducat aliam vxorem Virginem, an ex hoc capite intelligatur bigamus, & irregularis. Respondendum est, nec fieri bigamum, nec irregularem. In hoc consentiunt *D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.*, *Siluester in verb. Bigamus*, *Maiolus de irreg. lib. 1. cap. 33. num. 4.* Ratio est, quia nullibi constat, quod masculus per plures fornicationes contrahat bigamiam, & irregularitatem ex hoc capite. Si autem quæratur ratio, propter quam vir ducendo vnicam tantum, sed corruptam contrahat bigamiam, & irregularitatem, non sic, si ipse corruptus pluribus fornicationibus duxerit Virginem; tunc iuxta mentem D. Thomæ dicam, eam esse rationem, quod bigamia non consurgat, nisi ex matrimonio, per quod solummodò significatur vnio Christi Domini cum Ecclesia; in matrimonio autem consensus, qui præstatur à coniugibus, quique est forma substantialis contractus, non est ad vniendum se sibi, sed ad vniendum alterum sibi, in quo altero propterea consideratur vel ratio integritatis, vel qualitas corruptionis, & si fuerit corruptio hæc transfertur in alterum, qui eidem corrupto per illum consensum coniungitur. Clarius ratio potest reddi consistens in eo, quod, sicuti actiones non specificantur à termino à quo, sed à termino ad quem, ita & bigamia &c. Addi etiam potest, quod secundum communem conceptum magis ignominiosum est ducere fœminam corruptam, quam virum corruptum.

6 *Requiritur consummatio, cum fœmina corrupta.*

Ad incurrendam autem bigamiam, & irregularitatem ex ea prouenientem non sufficit præcisè ducere duas vxores, vel vnam corruptam, sed requiritur, quod cum eisdem, vel cum eadem secuta fuerit consummatio, seu carnalis commixtio *Bonacina de irregularitate disp. 2. quæst. 2. punct. 5. num. 4.*, *Maiolus de irregul. lib. 1. cap. 33. num. 10.* Ratio ea est, quia matrimonium, nisi fuerit consummatum, non est aptum significare vnionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, licet quando præcisè est ratum sit aptum significare vnionem eiusdem cum Ecclesia per gratiam. Addi etiam potest, quod huiusmodi impedimentum bigamiæ, vtpotè odiosum sumendum sit, & restringendum ad effectum omninò consummatum.

Corrolaria ad mox dicta.

Hinc colligi potest primo, quod, si quis duxerit Virginem, seu etiam viduam, seu corruptam, & cum eadem non consummauerit, & deindè eadem mortua Virginem duxerit, cum qua consummauerit nõ contrahat bigamiam, nec irregularitatem ob defectum consummationis, cum prima. Secundo colligi potest eum, qui viuente prima vxore, cum qua non consummauit, aliam duxerit, cum qua consummauit non euadere bigamiam, propter eandem rationem, fieri tamen irregularem propter infamiam, quam contrahit ex illo superinducto matrimonio perseuerante primo; quod idem dicendum est, si primum matrimonium consummauerit cum prima vxore, & deindè eadem viuente contraxerit cum alia, cum qua non consummauit; licet enim in hac hypothesi non contrahat bigamiam, contrahit tamen irregularitatem propter eandem infamiam *Maiolus de irregular. lib. 1. cap. 33. num. 11.*

7 *Requiritur matrimonium siue de iure, siue de facto.*

Rursus ad contrahendam bigamiam requiritur, vt intercesserit matrimonium siue de iure, siue de facto; non enim per simplices concubitus fornicarios cum multis fœminis hæc nota inuritur *D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.*, *Maiolus*

de

de irreg. lib. 1. cap. 33. num. 3. Ratio ex eo deducitur, quod bigamia ideo inducitur, quia nõ fit apta significatio vnionis Christi Domini cum Ecclesia vnica, & Virgine per signum, quod inductum est ad illam significandam; solum autem matrimonium, non simplices fornicationes institutum est ad significandam illam vnionem, adeoque illo solummodo existente potest bigamia induci.

Dixi *siue de iure, siue de facto*; si etenim quis contraxerit matrimonium cum duabus fœminis, sed vnum fuerit inualidum ex impedimento dirimente, & vtrumque fuerit consummatum, vtique contraheretur bigamia, quantumuis secundum fuerit tantum matrimonium de facto obsistente iure propter impedimentum irritans. Consentiunt in hoc *Suarez disp. 49. sect. 2. num. 10.*, *Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 2. punct. 5. num. 2.*, cuius asserti ea ratio est, quia licet verè, & realitèr illa non sint duo matrimonia, cum secundum sit inualidum, sunt tamen duo interpretatiuè, quatenus præsumitur bis contraxisse ob affectum, & intentionem contrahendi cum duabus copula subsecuta affectu maritali, prout expressè colligitur *ex cap nuper de bigamis*, vbi dicitur, quod in matrimonijs contrahendis non iuris effectus, sed animi destinatio attendatur.

8 *Contrahẽs duo matrimonia inualida illaque consummans fit bigamus.*

Rursus, si quis contraxerit duo matrimonia, sed inualida ob impedimentum irritans in vtrisque existens, illaque consummauerit contrahit bigamiam vtique interpretatiuam, & irregularitatem *Vgolinus cap. 56. §. 2. num. 13.*, *Sairus lib. 6. cap. 4. num. 7.*, *Suarez disp. 49. sect. 2. n. 11.*, *Valentia tom. 4. disp. 7., & 19. punct. 5.*, propter eandem rationem, quod licet illa matrimonia secundum iuris effectum non subsistant, secundum tamen animi destinationem, quæ attenditur in bigamia interpretatiua, subsistunt per textum *in d. cap. nuper de bigamis*.

9 *Item vnum contrahens illudque consummans, cum corrupta.*

Rursus, si quis contraxerit matrimonium cum fœmina corrupta inualidum tamen ob impedimentum dirimens, illudque consummauerit fiat interpretatiuè bigamus, & irregularis *Suarez disp. 49. sect. 3.*, *Bonacina de irregul. disp. 2. quæst. 7. punct. 5. nu. 2. vers. hinc sequitur*, qui citat pro se *Rotam Romanam decis. 1. de bigam. in nouis.* propter eandem rationem coniunctionis cum eodem affectu maritali.

Circa hanc bigamiam interpretatiuam plæræque insurgunt rationes dubitandi, quæ hic breuitèr dissoluentur. Prima est, an, si quis duxerit Virginem, & cum eadem matrimonium consummauerit, atque hæc postea adulterauerit, & post adulterium ab eodem marito fuerit carnalitèr cognita, hic contrahat bigamiam interpretatiuam, & subdatur irregularitati? Affirmatiuè respondendum est *D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.*, *Maiolus de irregul. lib. 1. cap. 33. num. 7.*, *Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 2. punct. 5. num. 2. vers. tertio modo*. Ratio ex eo deducitur, quod in hac hypothesi interueniant omnes conditiones ad bigamiam interpretatiuam incurrendam requisitæ, nempè matrimonium, & vtique consummatum, fœmina ab alio corrupta, & accessus carnalis ad eandem post corruptionem, ergo non est, cur non debeat bigamia contrahi. Neque obesse potest, si dicatur, quod cum iam matrimonium contractum fuerit cum vnica, & vtique Virgine adulterium subsequens in eadem non possit inducere labem bigamiæ, cum non tollat, quod illud matrimonium non fuerit contractum cum Virgine, & in sua origine aptum significare illam vnionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem. Non, inquam, obesse potest, quia ad inducendam bigamiam non sufficit, quod matrimonium fuerit præcisè ratum, sed requiritur, quod fuerit consummatum, nam, si quis duxerit corruptam, sed cum eadem matrimonium non consummauerit non contrahit illam labem per superius dicta. Cum igitur in præsenti hypothesi post corruptionem fœminæ iterum consummauerit, sequitur, quod corruptam ab alio carnalitèr cognouerit, & de nouo post corruptionem consummauerit, adeoque non est, cur bigamiam saltem interpretatiuam non incurrerit, cum facta fuerit carnium diuisio. Hæc omnia vim habent *in cap. si cuius, & cap. si laici dist. 34.*

10 *Contrahens, & consummans cũ Virgine, si hæc mechata fuerit, & postea à marito cognita, hic fit irregularis.*

Hæc adeo vera sunt, vt subsistant, quantumuis fœmina illa fuerit ab alio cognita carnalitèr per vim, & inuita *Maiolus de irregul. lib. 1. cap. 33. num. 7.*, *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 2. punct. 5. num. 2. vers. tertio modo contingit*. Ratio est, quia licet per illam carnalem cognitionem passiuam nõ contraxerit aliquam labem Theologicam, facta est tamen diuisio carnis, quæ consideratur potius, quam voluntas; Neque obstant ea, quæ in præcedentibus docuimus, nempè, quod, quando matrimonium inualidè contractum est cum corrupta, attendatur potius animi destinatio, quam iuris effectus per textum *in cap. nuper de bigam.*, ergo etiam in præsenti hypothesi attendenda est potius voluntas fœminæ violentiam passæ, quam eiusdem violatio ad inducendam in marito bigamiam. Non, inquam, obstant, quia dispar omninò est

11 *Etiamsi adulterauerit inuita, & per vim.*

ratio

ratio inter vtrumque casum; nam in primo consideratur voluntas contrahentis, quæ est principalis forma contractus, & impedimenta sunt, vt plurimum tantum de iure positiuo canonico inducta, adeoque mirum non est, si iura principalitèr ad omnem voluntatem intendant; in secundo verò principalior ratio, quæ attenditur est carnis diuisio, quæ non tollitur per inuoluntarietatem vim passæ.

12 *Ducens fœminā habitā pro Virgine, quę virgo, non erat eamque cognoscens fit bigamus*

Secunda ratio dubitandi est, an, si quis cum fæmina contraxerit, quæ æstimabatur Virgo, cum Virgo non esset, eamque in bona fide carnalitèr cognouerit, fiat bigamus, & irregularisi; Affirmatiuè respondendum est *Coaruu as in Clem. si furiosus prima part. §. 2. num. 2., Maiolus de irregul. lib. 1. cap. 33. num. 4. vers. ex qua ratiocinatione, Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 2. nu. 10.* Hoc videtur expresse colligi ex *cap. nemo ad sacrum distinct. 32., & cap. curandum dist. 34.*, vbi præcipitur, quod nemo ad sacros ordines promoueatur, qui non Virginem duxerit, & *Glosa in d. cap. curandum* rationem assignat, quia ignorantia non efficit, quin caro illius fæminæ fuerit in plures diuisa.

13 *Maritus reputatus mortuus, si repetat vxorem ab alio cognitā fit bigamus.*

Tertia ratio dubitandi est, an, si quis vxorem duxerit, quæ existimans eum esse mortuum alteri nupserit, à quo fuerit carnalitèr cognita, & postea deprehenso primum virum viuere fuerit eidem restituta, & ab ipso iterum carnalitèr cognita, hic contrahat bigamiam, & irregularitatem. Affirmatiuè respondendum est. In hoc consentiunt *Nauarrus in manual. cap. 27. num. 195., Toletus cap. 61. num. 7., Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 2. punct. 5. num. 11.*, verè etenim sequitur, quod illa fæmina fuerit in plures carnes diuisa, & ipse cū vxore corrupta fuerit copulatus.

14 *Cognoscens vxorem dimissam propter adulterium fit bigamus*

Quarta ratio dubitandi est, an, si quis vxorem dimiserit propter adulterium ab eadem commissum, & deindè cum eadem reconciliatus cum ipsa iterum concubuerit contrahat bigamiam, & irregularitatem? Affirmatiuè respondendum est, propter eandem rationem, quod scilicet caro illius fæminæ sit in plures diuisa, nec apta sit significare illam vnionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem. Sed quid erit dicendum, si fuerit de mandato Iudicis reconciliatus, & debitum eodem compellente reddiderit? Adhuc sentiendum est contrahere bigamiam, & fieri irregularem *Maiolus lib. 1. c. 33. n. 7. vers. est quoque bigamus ille*, qui pro se citat *Abbatem in cap. si vir de adult.* per textum *in cap. 2. de bigam., Siluester in verb. Bigamus in princip., Suarez. disp. 49. sect. 3. num. 17., Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 2. punct. 5. num. 12.* Ratio ex eo deducitur, quod, sicuti violentia fæminæ illata non tollit, quin maritus postea ipsam carnalitèr cognoscens fiat bigamus, & irregularis, ita mandatum Iudicis compellentis cognoscere vxorem adulteram non tollit, quin fiat bigamus; semper enim verificatur, quod caro eius, cum qua concumbit, fuerit in plures diuisa, & non sit apta significare &c.

15 *Etiamsi cognouerit de mādato Iudicis.*

Quinta ratio dubitandi est, an ea, quæ hactenus dicta sunt verificentur solum, quando, vel duplex matrimonium contractum, vel vnum tantum cum corrupta in statu fidelitatis, an verò etiam, quando vtrumque contractum est in fidelitate, vel vnum in fidelitate, alterum infidelitate. Mouet hanc difficultatem consideratio, quod bigamia inducta est de iure tantum canonico, vel ad summum, si vera est & realis, de iure Apostolico; infideles autem non subiacent legibus Ecclesiæ, nec Apostolorum præceptis asserente Apostolo. *De ijs, qui foris sunt &c.* Quod, si dicatur, quod quamuis infideles non subiaceant legibus Ecclesiæ, quatenus permanent in infidelitate, subijciantur tamen eisdem, quatenus constituuntur fideles, & ingrediuntur Ecclesiam per Baptismum; tunc videtur dicendum, quod per fidem acquisitam, & per Baptismum subijciantur quidem legibus Ecclesiæ quoad illas actiones, quæ fiunt suscepto eodem Baptismo, non quoad actiones antecedentèr exercitas; vndè communitèr tradunt Theologi, quod, si quis infidelis alterum occiderit siue iustè, siue iniustè non contrahat irregularitatem per Ecclesiam statutam aduersus homicidas, neque pro tempore infidelitatis, neque pro tempore susceptæ fidei, cum homicidum non fuerit patratum pro tempore, quo homicida subderetur legibus Ecclesiæ. His tamen non obstantibus asserendum est, quod, quamuis duplex matrimonium quis contraxerit in infidelitate vel eadem existente corruptam duxerit, vel vnum matrimonium in infidelitate, & alteram iam suscepta fide per Baptismum, contrahat bigamiam, & irregularitatem. Ita de communi statuit *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 2. punct. 5. num. 13.* Ratio ex eo deducitur, quod, quamuis matrimonia fuerint inita ante susceptum Baptismum, non sunt apta significare illam vnionem Christi cum Ecclesia vna, & Virgine, cum inuoluant diuisionem carnis in plures; hæc autem ineptitudo perseuerat adhuc suscepto Baptismo, qui habet quidem tollere peccata quoad culpam, & quoad pænas, non autem quoad maculas naturales; vndè mirum non est, quod

16 *Contrahens duplex matrimonium in infidelitate vel vnū cum corrupta factus fidelis non potest ad ordines promoueri.*

Ecclesia perseuerante etiam post Baptismum motiuo, ob quod irregularitatem ob bigamiam induxit, eandem super inducat ipsi Baptizato. Ex quibus habes, quid respondeas ad obiectum; nec valet paritas de irregularitate, quæ non afficit eam, qui homicidium commiserit ante susceptum Baptismum; non valet, inquam, quia in iure irregularitas ob homicidium non imponitur, nisi hoc commissum fuerit post susceptum Baptismum vt clarè deducitur ex textu *in cap. si quis post susceptum Baptismum dist. 51.* irregularitas autem ob bigamiam à iure inducta est, quantumuis hæc fuerit commissa ante Baptismum, vt clarè habetur *in cap. acutius dist. 26., & cap. si quis viduam distinct. 34.*

17 *Bigamia similitudinaria inducit irregularitatē* Præter bigamiam veram, & interpretatiuam numeratur alia, quæ dicitur similitudinaria, & hæc quoque irregularitatem inducit. Hæc autem est, qua quis Deo per votum castitatis obstrictus fæminam, quantumuis Virginem sibi in matrimonium coniungit, vt colligi expresè videtur *ex cap. quotquot 27. quæst. 1.*, quæ bigamia similitudinaria, & irregularitas etiam extenditur ad eum, qui, quamuis non sit voto castitatis obstrictus ducit tamen Virginem eodem voto allegatam, prout colligitur *ex d. cap. quotquot*.

18 *Quid sit hæc bigamia.* Ratio horum omnium ea est, quia illud votum computatur pro quodam matrimonio spirituali eiusdem vouentis cum Christo, vel Ecclesia, qui propterea, si aliud carnale contrahat matrimonium præuaricator est primi spiritualis, &, quando quis ducit Virginem iam Deo desponsatam per votum iam hæc videtur duplex contraxisse matrimonium.

Hic solum DD. disputant, an ad contrahendam hanc similitudinariam bigamiam, & irregularitatem ex ipsa prouenientem requiratur, vt quis contracturus matrimonium carnale fuerit obstrictus voto solemni castitatis emisso in professione Religiosa explicitè, vel implicitè in susceptione sacrorum ordinum, vel illa, quam est ducturus sit tali voto solemni alligata; an verò sufficiat votum simplex respectu vtriusque. *Maiolus de irreg. lib. 1. cap. 33. num. 7. vers. sed & illa, & vers. ille quoque*, loquitur indefinitè de voto castitatis, nec exprimit solemne, nec simplex, vndè videtur de vtroque procedere. *Panormitanus in cap. nuper de bigamis*, strictissimè in hoc procedens asserit requiri absolutè votum solemne explicitum emissum in professione Religiosa, nec sufficere implicitum imbibitum in susceptione sacrorum ordinum, qui propterea à fortiori sentire debet, nec sufficere votum simplex, rationemque adducit, quia iura loquuntur solum de voto in professione emissa, nec est allegabilis textus, qui loquatur de voto imbibito in susceptione ordinum. In hoc ego cum communiori, de qua testatur *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 2. punct. 5. n. 2. vers. bigamia similitudinaria*, probabilius existimo ad incurrendam hanc irregularitatem ex bigamia similitudinaria requiri, & sufficere votum solemne expressum in professione, vel implicitum in susceptione sacrorum ordinum. 19 *Ad contrahendā hanc bigamiā requiritur votū solemne, vel expressum, vel implicitū.* Ratio ex eo deducitur, quod votum simplex comparatur, tanquam sponsalia ad solemne, per quod constituitur matrimonium spirituale vouentis cum Christo; sicuti autem per plura sponsalia contracta non inducitur bigamia vera, & realis, ita per vota simplicia non inducitur similitudinaria; è contra verò per votum solemne contrahitur verum matrimonium spirituale, sicuti per consensum de præsenti inducitur verum corporale, ergo ad inducendam bigamiam similitudinariam requiritur votum solemne, per quod spirituale matrimonium contrahitur, sicut requiritur matrimonium corporale ad inducendam veram, & realem; vndè meritò *in d. cap. quotquot 27. quæst. 1.*, fit expressa mentio de professione ibi- *quotquot Virginitatem pollicitam præuaricatæ sunt professione contempta*. Quod autem sufficiat votum solemne implicitum in susceptione sacrorum ordinum ex eo euincitur, quod per illud contrahitur vinculum indissolubile cum Christo, & Ecclesia, & habet omnes conditiones matrimonij spiritualis, & licet in iure non habeatur expressus textus de hoc voto implicito, comprehenditur tamen in generali regula, qua prohibetur duplex matrimonium sub hac nota irregularitatis.

20 *Pōtifex potest in lege bigamiæ dispensare.* Pro coronide eorum, quæ sub hoc titulo continentur, remanet explicandum quisnam possit super hac triplici bigamia dispensare. Hoc vnum certum est, posse Romanum Pontificem super omni irregularitate à bigamia proueniente dispensare, cum eius potestas sit supra omne ius positiuum humanum; nec obstare potest, si dicatur, quod irregularitas ex bigamia sit inducta de iure Diuino asserente Apostolo *prima ad Timoth. 3.*, quod promouendus debeat esse vnius vxoris vir; Pontifex autem non habet potestatem in ijs, quæ iuris Diuini sunt; Non, inquam, obstare potest, quia Apostolus in eo loco non promulgauit præceptum, quod à Christo acceperit, sed iure merè Apostolico condidit illud præceptum. Pontifex autem, vtpotè in potestate superior, potest in præ-

præceptis purè Apostolicis dispensare *Rota Romana decis.* 447. *in nouis*, quinimmo refert *Glosa in cap. Lector dist.* 34. Lucium Papam cum Archiepiscopo Panormitano super eiusdem bigamia dispensasse, nec aliquam vim facit textus *in cap. non confidat dist.* 50., vbi videtur innui non pertinere ad Pontificem ius dispensandi super bigamia; non, inquam, aliquam vim facit, quia in illo textu nomine Pontificum veniunt Episcopi, qui etiam lato nomine dicuntur Pontifices, vt ibidem explicant *Archi Diaconus*, *& Vgo*.

21 *In impetratione dispensationis exprimendũ est, an sit vera, vel interpretatiua.* Sed, an in impetratione dispensationis facienda sit expressa mētio coniugiorum, quæ fuerunt contracta per impetrantem puta trium, vel quatuor, an verò sufficiat exprimere bigamiam veram, vel interpretatiuam, vel similitudinariam in ea linea, in qua est. *Bonacina de irregular. disp.* 7. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 14. existimat non esse necesse exprimere tot coniugia, quot fuerint contracta, sed sufficere exprimere bigamiam vel veram, vel interpretatiuam, vel similitudinariam, secundum quod est, quia ità deficit significatio vnionis Christi cum Ecclesia per Incarnationem in eo, qui duxit duas vxores, ac in eo, qui duxit tres, vel quatuor; existimat tamen faciendam esse mentionem, an fuerit vera, an interpretatiua, an similitudinaria, cum sint diuersæ speciei.

Sed, an Episcopus respectu suorum subditorum, possit in huiusmodi bigamijs dispensare? Regularitèr loquendo negandum est, tum quia hæc lex bigamiæ, & irregularitatis ab eadem prouenientis est communis; Episcopi autem non possunt in lege communi dispensare; tum quia hoc expresse prohibetur *in d. cap. non confidat dist.* 50. Dixi *regularitèr loquendo*, quandoquidem in bigamia similitudinaria data est facultas Episcopis dispensandi, vt clarè colligitur *ex cap.* 1. *Ne Cler., vel vouent.*

22 *An Prælati Regulares possint super hoc dispensare.* An verò Prælati Regulares, possint ex vi priuilegiorum dispensare super quacunque bigamia; non ita facilè in vniuersum ego concederem, nisi expresse constet de ijsdem priuilegijs, & quod hæc non fuerint derogata. Faciliùs concederem posse dispensare cum suis subditis ex generali facultate concessa ab Eugenio IV. minoribus, & à Sixto IV. Minimis dispensandi in quacunque irregularitate. Sed in hoc alij viderint.

ARTICVLVS XIV.

De conditione negatina relata ad Neophitos.

SVMMARIVM.

Quinam dicantur Neophiti quoad rem præsentem. 1.
Neophiti nuper conuersi ad fidem, non possunt promoueri, nec ad minores ordines. 2.
Natus à parentibus infidelibus, & in infantia baptizatus, cum peruenerit ad debitam ætatem, potest promoueri, si in fide Catholica perseuerauerit, & in eiusdem exercitio. 3.
Secus, si apud parentes infideles fuerit educatus. 4.
Quantum tempus requiratur à conuersione, ne dicatur Neophitus. 5.
A communi regula Neophitorum excipiendus est, qui pollet maxima charitate, humilitate, & integritate. 6.
Sunt etiam arcendi à susceptione sacrorum ordinum, qui diù versati in sæcularibus curis immediatè contendunt promoueri. 7.
Excipe, nisi polleant magnis dotibus, & virtutibus. 8.
Nuper conuersi ad Religionem non sunt promouendi ad ordines, nisi post annum probationis. 9.
Dispensatio super hoc impedimento pertinet ad Romanum Pontificem. 10.

NOmine Neophitorum, prout pertinet ad præsens institutum, eos intelligimus, qui nuper existentes in adulta ætate à Paganismo, Iudaismo, vel Atheismo conuersi sunt ad fidem Catholicam. Ad hos etiam reducuntur illi, qui cum diu fuerint sæcularibus curis implicati, nulla interiecta mora contendunt ad sacros ordines promoueri, de quibus multa scripsit *Gratianus dist.* 48. 59., *&* 61. Item illi, qui recenter à sæculo abeuntes ad Religionem contendunt anno probationis perseuerante ad ordines, & dignitates. 1 *Quinam dicatur Neophiti.*

2 *Nuper conuersi ad fidem non possunt ordinari.* Incipiendo iam à primis indubitati iuris est, ipsos esse irregulares, nec posse ad sacros ordines promoueri, quinimmò, nec ad minores. Consentiunt communitèr *Glosa in cap. constituit dist.* 17. *quæst.* 4., *Tiraquel lib. de pænit. remis. causa* 51. *n.*19., *Valentia tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 19. *punct.* 3., *Henriquez lib.* 14. *cap.* 4., *Suarez tom.* 5. *disp.* 43. *sect.* 3. *num.* 5., *Filliutius tract.* 19. *cap.* 7. *quæst.* 1., *Toletus lib.* 1. *cap.* 59., & expresse colligitur ex *Apostolo prima ad Thimot.* 3. Ibi *Non Neophitum ex cap. sicut Neophitus dist.* 48., *& ex cap. Neophiti* de-

de consec. dist. 5. Rationes plurimas huius dispositionis assignant DD. quarum prima est, quæ insinuatur ab Apostolo *loc. cit.*, ne elatus in superbiam in laqueum incidat Diaboli. Secunda, quæ adducitur à iure canonico *dist. 48. in princip.* Ibi Miserum enim est eum fieri magistrum, qui nec dum didicit esse discipulus, quod etiam repetijt *Innocentius Papa in cap. miserum dist. 61.*

3 *Infans ex parentibus infidelibus baptizatus potest promoueri, si fuerit educatus apud fideles.*

Ad clariorem intelligentiam præsentis dispositionis plura hic veniunt consideranda. Primum, quod, si quis ab infantia baptizatus fuerit, & in Catholica Religione, eiusque exercitio perseuerauerit, quantumuis descendat à Patre Pagano Iudæo, vel Neophito non intelligatur, quoad præsentem effectum propriè Neophitus, nec irregularis, cum dici nequeat nuper conuersus ad fidem, vt tradit *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 2. punct. 1. num. 5.* Dixi, *si in Catholica Religione, eiusque exercitio perseuerauerit*; nam, si baptizatus fuerit, & educatus apud parentes infideles non fuerit in mysterijs fidei instructus, nec actus eiusdem exercuerit, non esset certè promouendus, cum

4 *Secus, si apud infideles*

adhuc aduersus ipsum militarent rationes suprà adductæ, quamuis enim materialiter non esset nuper conuersus, non esset tamen formaliter talis, cum non esset in rebus fidei benè instructus, nec in eiusdem actibus versatus.

5 *Quantum tempus requiratur, ne dicatur Neophitus.*

Secundum est, quod, vt possit ritè ad ordines promoueri, debeat diu esse versatus in actibus Religionis Catholicæ, & in rebus fidei. Quantum verò temporis ad hoc requiratur, non potest quid certum statui, quamuis aliqui assignant decennium, quod respectu omnium non potest esse æquale, cum aliqui breuiori, alij non nisi longiori tempore apti reddantur. Quamobrem hoc iudicio regulato Episcopi ordinantis remittendum existimo, si agatur de ordinatione ad eos ordines, quos conferre spectat ad Episcopum; si verò agatur de promotione ad Episcopatum, iudicio Pontificis, ad quem solum spectat promouere *Bonacina loc. quo supra num. 5.*

6 *Excipitur, qui magnis pollet virtutibus.*

Tertium est, quod ea, quæ dicta sunt, intelligi debeant, nisi in promouendo tanta appareat charitas, tanta humilitas, doctrina, vitæque integritas, vt sine dilatione iudicio Episcopi ex tunc habilis censeatur maximè sic exigente necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ. *Tiraquel in tract. de pæn. remit. causa num. 148. vers. sed & de greg. Barbatius cons. 41. Incip. Deum inuocent adiutorem col. 4. lib. 3., Felinus in cap. super his de accus. Bonacina loc. cit. num. 5. in fin.*, qui etiam asserit, Episcopum promouentem non dispensare super hac irregularitate, sed declarare dumtaxat irregularitatem cessare. Ex hoc titulo immediatè promoti fuerunt ad Archiepiscopatus Sergius Rauennatensem, Stephanus Neapolitanum, Seuerus ad Rauennatensem, D. Ambrosius ad Mediolanensem, qui omnes recentes ad Baptismum tales ordines, & dignitates consecuti fuerunt; vt de primis testatur Platina in Stephano III., & de alijs habetur *in cap. statuimus, §. his omnibus dist. 61.*

Prosequimur explicare secundum caput Neophitorum, eorum scilicet, qui diu in sæcularibus curis versati immediatè contendunt ad sacros ordines, & dignitates Ecclesiasticas promoueri; Hos certè irregulares esse, nec promouendos iura canonica in pluribus locis disponunt *in cap. sicut Neophitus dist. 48. cap. qui Ecclesiasticus distinct. 59., & cap. sicut dist. 48., & cap. hoc ad nos distinct. 59., & cap. Sacerdotali dist. 61.* Latè prosequitur hanc dispositionem D. Gregorius Nazianzenus in monodia, vbi inter cætera hæc habet. *Nam nec prius exercitatus, sed rerum Ecclesiæ ignarus rudisque adeo, & à sæculari vita recens promouetur, vt Gigantes apud Thebas, sic nos eadem die Præsules facimus, & cum nil didicerint credimus esse sapientes, qui nullo prius muniti sunt gradu, non virtute, non eloquentia, nullum pro iustitia laborem, nil demum pro Ecclesia sunt passi &c.* 7 *Etiam arcendi sunt, qui à sæculo immediatè se cōferunt ad ordines.*

Excipiendi tamen sunt ab hac regula, vt in præcedenti innuebamus, illi, in quibus claræ adeo virtutes discernuntur, vt non videantur vlteriori indigere probatione; virtus etenim supplet diuturnitatem temporis, & charitas cum cæteris qualitatibus ad hoc munus requisitis habilitatem inducit. 8 *Excipe, nisi polleant magnis virtutibus.*

Tandem iuxta tertium caput Neophitorum eorum scilicet, qui à sæculo recenter conuersi sunt ad Religionem habemus manifestum textum *in cap. Monasterijs 19. quæst. 3.*, in quo prohibentur tonsurari, qui biennium probationis *non compleuerint*; modo inualuit, vt nonnisi post annum probationis promoueantur ad ordines *Maiolus de irregular. lib. 1. cap. 31. num. 6.*, quia, vt dicitur *in d. cap. Monasterijs*, hoc spatio vita, moresque eorum sollicitè comprobari debent, ne quis eorum, aut non sit contentus, & quod voluit, aut ratum non habeat, quod elegerit. 9 *Conuersi ad Religionem non sunt promouendi.*

Pro coronide eorum, quæ hactenus dicta sunt, inquirēdum remanet, quisnam possit dispensare in hac irregularitate Neophitorum? In vniuersum sentiendum est ad summum Pontificem pertinere

hanc

10 hanc diſpenſationem; intellige, ſi adhuc perſeueret ſtatus Neophytiſmi; nam, ſi iudicio regulato Epiſcopi quis intelligatur breuiori tempore verſatus optimè in rebus fidei, & in Eccleſiaſticis muneribus (loquor quoad Neophitos primæ, & ſecundæ claſſis) benè inſtructus poterit accedente ſolius Epiſcopi auctoritate promoueri, qui non dicetur diſpenſare ſuper irregularitate, ſed ſolum declarare irregularitatem ceſſare, vt ſupra dictum eſt; quod idem intellige, quando quis tanta pollet charitate, & humilitate cum doctrina, & notitia munerum Eccleſiaſticorum, vt cenſeatur non indigere maiori probatione. Ratio autem, cur in vniuerſum pertineat ad Romanum Pontificem ex eo deducitur, quod hæc irregularitas ſit ex defectu, in quo ſolus Pontifex poteſt diſpenſare, ex vulgatis iuribus.

Diſpenſatio pertinet ad Romanum Pontificem.

ARTICVLVS XV.

De conditione negatiua relata ad illicitam ordinum ſuſceptionem.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa hunc titulum, 1.
Excommunicatus excommunicatione maiori recipiens ordines contrahit irregularitatem. 2.
Intellige de excommunicatione contracta ante ſuſceptionem ordinum, non de contracta in ipſa ſuſceptione. 3.
Innodatus excommunicatione minori recipiens ordines propriè non contrahit irregularitatem. 4.
Excommunicatus excommunicatione maiori contrahit irregularitatem, etiamſi recipiat ordines ſolum minores. 5.
Ignorans excommunicationem ignorantia craſſa, & recipiens ordines contrahit irregularitatem. 6.
Secus, ſi ignorantia inuincibili, & probabili. 7.
Siue ignorantia fuerit iuris, ſiue facti excuſat ab hac pæna ex delicto, niſi fuerit craſſa. 8.
Non ſic ſi irregularitas proueniat ex defectu. *Ibidem*.
Ignorantia probabilis iuris cenſuræ ex delicto excuſat, quamuis delictum ſit vetitum iure Diuino, ſi ignorantia ſit de pæna iniuncta ab Eccleſia. 9.
Intellige ſiue ignorantia ſit iuris communis, ſiue municipalis. 10.
Sciens delictum eſſe prohibitum lege Eccleſiaſtica, & ignorans eſſe prohibitum ſub pæna non contrahit pænam. 11.
Occidens Clericum cum ignorantia probabili Clericatus non contrahit irregularitatem ex hoc capite. 12.
Suſpenſi, & interdicti recipientes ordines fiunt irregulares. 13.
Prohibitus recipere ordines ſub pæna ſuſpenſionis non contrahit irregularitatem eos recipiendo. 14.
Antecedenter ſuſpenſus, ſi recipiat ordines etiam minores fit irregularis. 15.
Exercens ordines poſt contractam ſuſpenſionem ſiue in ipſa ordinatione, ſiue antea fit irregularis. 16.
Etiam per exercitium ordinum minorum. 17.
Si Diaconus canat Euangelium in Miſſa ſolemni ſine ſtola ſecundum aliquos non contrahit irregularitatem. 18.
Probabilius contrahit. 19.
Suſpenſi benedicentes in menſa non contrahunt irregularitatem. 20.
Interdicti ſuſcipientes ordines fiunt irregulares. 21.
In hac irregularitate, ſi delictum ſit notorium, ſolus Pontifex diſpenſat, ſi occultum, etiam Epiſcopus. 22.
Vt nequeat diſpenſari, niſi à Romano Pontifice non ſolum requiritur notorietas ſuſceptionis ordinum, ſed etiam notorietas excommunicationis, vel alterius cenſuræ. 23.
Si delictum eſt notorium, & ſuſceptio, vel exercitium ordinis eſſent occulta probabilius Epiſcopus poteſt diſpenſare. 24.
An Prælati Regulares poſſint ſuper illa diſpenſare remiſſiuè. 25.
Promotus per ſaltum ex hoc capite contrahit ſuſpenſionem, non irregularitatem. 26.
Diſpenſatio, quandoque latè ſumitur pro permiſſione. 27.
Promotus per ſaltum, ſi in ordine non ſuſcepto miniſtret, contrahit irregularitatem. 28.
An promotus per ſaltum ſit ſuſpenſus ſolummodo ab exercitio ordinis, quem non ſuſcepit, an verò etiam aliorum quos ſuſcepit remiſſiuè. 29.
Quinam dicantur furtiuè ordines ſuſcipere. 30.
Per furtiuam ordinum ſuſceptionem præcisè contrahitur ſuſpenſio, non irregularitas. 31.
Arguitur Bonacina inconſequentiæ. 32.
Etiamſi Epiſcopus in ordinatione comminatus fuerit ſententiam excommunicationis, ne quis furtiuè accedat, non contrahitur irregularitas. 33.
Rationes ſuadentes non contrahi irregularitatem, & ſolutiones obiectorum. 34.
Promotus furtiuè, ſi miniſtrat in ordine ſuſcepto fit irregularis. 35.
Si ſolum ordo fuerit furtiuè ſuſceptus, & non exercitus, nec fuerit comminata excommunicatio poteſt ſic ordinatus diſpenſari, vt promoueatur ad alios ordines, ſecus, ſi fuerit comminata excommunicatio. 36.

Pro-

Promotus ad ordines ante susceptam confirmationem non contrahit irregularitatem. 37.
Immo, nec suspensionem. 38.
Coniugatus suscipiens ordines suspenditur ab exercitio eorundem non solum durante, sed etiam soluto coniugio. 39.
Exceptio ad prædicta. 40.
Probabilius etiam contrahit irregularitatem. 41.
Coniugatus, qui suscepit ordines ante consummationem matrimonij, probabilius non tenetur Religionem ingredi. 42.
Et instante uxore potest compelli ad consummandum. 43.
Si uxor debitum non petat, nec ipse potest, nec debet reddere. 44.
Si susceptis ordinibus uxor consenserit, & , si fuerit iuuenis, ingressa fuerit Religionem, & si senex, votum continentiæ emiserit, non potest in illis sine dispensatione ministrare. 45.
Coniugatus suscipiens ordines minores non contrahit irregularitatem. 46.

1 *Articuli examinandi circa hunc titulum.* SVb hoc titulo plura veniunt examinanda. Primum est, an recipiens ordines innodatus aliqua censura contrahat irregularitatem. Secundum, an fiat irregularis, qui recipit ordines per saltus. Tertium, an fiat talis, qui ordines furtiuè recipit, & quis dicatur furtiuè recipere. Quartum, an irregularitatem contrahat, qui ordines recipit sine confirmatione. Quintum, an coniugatus recipiens ordines fiat irregularis.

Quoad primum diuersa videtur ratio decidendi inspecta excommunicatione maiori, & reliquis censuris suspensionis, & interdicti, & primo loquendo de excommunicatione maiori *Suarez disp. 42. sect. 9. num. 2.*, *Filliutius tract. 20. quæst. 3. cap. 7. num. 192.*, *Barbosa de potest. Episcop. part. 2. alleg. 47. num. 2.*, & alij plures

2 *Excommunicatus recipiens ordines cõtrahit irregularitaté.* sentiunt sic ordinatum in excommunicatione, non contrahere irregularitatem, sed remanere dumtaxat suspensum ab exercitio ordinis, quem in excommunicatione suscepit propter eam rationem, quod nullibi expressè reperiatur dispositum, ex hoc contrahi irregularitatem, & textus, si qui afferantur, intelligendos esse solummodo de tali suspensione. Melius tamen, & congruentius loquuntur *Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 19. punct. 3.*, *Reginaldus lib. 30 tract. 2. num. 181.*, *Toletus lib. 1. cap. 66. num. 1.*, *Rodriquez prima part. cap. 168. concl. 4.*, *Henriquez cap. 6. num. 5.*, *Bonacina de irregul. disp. 7. qu. 3. punct. 4. nu. 1.*, afferentes contrahere irregularitatem, qui mouentur ex textibus *in cap. cum illorum de sententia excommunicationis, & cap. 1. de eo, qui furt. ord. suscep.* in quibus textibus dicitur, quod, si quis innodatus anathemate, ordines receperit non possit ad superiores ordines promoueri, quod est effectus proprius irregularitatis.

Proclariori tamen intelligentia huius decisionis aduertendum est, dupliciter posse contingere, quem in excommunicatione ordines suscipere; primo, quatenus quis antecedenter est excommunicatus, & postea perseuerante eadem excommunicatione ordines suscipit. Secundò quatenus in ipsa susceptione ordinis inordinata contra vetitum Episcopi sub anathemate eosdem recipit. Iuxta primum sensum indubitati iuris videtur, irregularitatem contrahere, cum hæc nemine disceptante incurratur ab eo, qui iam excommunicatus est, & in excommunicatione ordines suscipit, aut solemniter illos exercet. Iuxta secundum sensum *Reginaldus lib. 30. num. 182.*, *Suarez disp. 31. sect. 1. num. 17.*, *& disp. 42. sect. 5. n. 2.*, *Coninchus disp. 15. dub. 5. num. 30.*, *Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 136. in fine vers. sed contrarium verius est*, sentiunt, non contrahere irregularitatem addita etiam ratione, quia irregularitas contrahitur propter excommunicationem, quam supponit, tanquam causam; in hac autem hypothesi non supponit eandem excommunicationem, cum hæc contrahatur in ipsa ordinis susceptione, & ratione eiusdem; quibus adhærendum existimo. 3 *Intellige de excõmunicatione cõtracta ante susceptioné ordinum*

Circa ea, quæ dicta sunt plæræque insurgunt rationes dubitandi. Prima est, an innodatus excommunicatione dumtaxat minori suscipiendo ordines contrahat irregularitatem. *Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 3. punct. 4. num. 1. vers. ligatus maiori excommunicatione*, sentit, non contrahere irregularitatem addita etiam ratione, quod, sicuti celebrans cum minori excommunicatione ipsam non contrahit per textum *in cap. si celebret de Cleric. excomm. minist.*, ita nec incurrat, si in minori excommunicatione sacros ordines recipiat; atque Bonacinæ adhæret *Maiolus de irreg. lib. 3. cap. 21. num. 2. vers. hæc autem vera sunt*, *Ioannes Andræas in cap. 1.*, *§. caueant de sent. excommun.*, *& ibi Nicolaus Dionisij de Perusio in prima limit. lib. 6.* His obstare potest, quod excommunicatio minor priuet directè passiua Sacramentorum participatione per textum *in cap. si celebret de Cler. excommun. minist.*, ergo non poterit ordines recipere, cum in Sacramentis passiuè participaret, vndè *in d. cap. si celebret*, dicitur *cum non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus*; ex quibus

4 *Innodatus excommunicatione minori recipiens ordines propriè non contrahit irregularitatē.*

bus etiam potest responderi ad rationem pro contraria sententia adductam, quod, sicuti celebrans in minori excommunicatione non fit irregularis, ita nec qui in eadem recipit ordines fiat irregularis; responderi, inquam, potest, quod ibi agitur de confectione, hic de passiua receptione, quæ per SS. PP. prohibetur. Quod, si vrgeas, quod in celebratione non solum conficiat Sacramentum, sed etiam recipiat, adeoque ratione receptionis contraheret irregularitatem, quod tamen in textu negatur; tunc dici posset, quod principale munus celebrantis consistat in confectione, quæ præterea, vtpotè principalior solum attenditur, non considerata receptione, quæ solum venit in consequentiam. Verum tamen est, quod non est in toto rigore irregularitas illa, quæ contraheretur per susceptionem ordinum in excommunicatione minori, quandoquidem ex irregularitate contracta ob susceptionem ordinum existente excommunicatione maiori, vel interdicto promotus est deponendus per textum *in cap. latores de Cler. excommunicat. minist.*, non sic ex illa, quæ consurgit ex susceptione ordinum in excommunicatione tantum minori, nam absolutus ab eadem excommunicatione potest promoueri ad alios ordines, vt notat *Glosa in d. cap. si celebret in verbo irregularitatis de Cler. excom. minist.*, vndè potius dicenda esset quoddam canonicum impedimentum, quam irregularitas.

5 *Excommunicatus excommunicatione maiori fit irregularis licet recipiat solum minores*

Secunda ratio dubitandi est, an innodatus excommunicatione maiori contrahat solum irregularitatem, si recipiat ordines maiores, an vero etiamsi recipiat minores *Nauarrus cons. 28. de sent. excom.*, *Auila part. 7. disp. 7. dub. 6.*, sustinent non contrahere irregularitatem, si recipiat minores, eo quia de hac in toto iure canonico non constat. Contrarium, & quidem rectius sentiunt *Siluester in verb. irregularitas quæst. 13. vers. tertium, Speculator in tit. de dispens.*, §. *iuxta vers. quid si Presbyter excommunicatus*, *Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 21. num. 7.*, *Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 3. punct. 4. num. 1. vers. Dixi recipiens ordines sacros*. Ratio est, quia excommunicatus excommunicatione maiori recipiens ordines, quantumuis minores communicaret in sacris; sunt etenim minores ordines Sacramenta, vt supra probauimus; excommunicatus autem communicans in sacris participatione passiua, si excommunicatio sit minor fit irregularis quoquo modo, & participatione actiua tam recipiendo, quam conferendo, si excommunicatio sit maior, fit irregularis; vndè *in cap. cum illorum de sentent.* *excommun.* simpliciter, & indefinitè afficiuntur irregularitate recipientes ordines Ecclesiasticos nulla facta distinctione inter maiores, & minores. Quod, si minores ordines non dicuntur sacri, hoc non est, quia non sint Sacramenta, sed quia non ita immediatè deseruiunt Eucharistiæ confectioni, & ministerio, sicut maiores.

6 *Ignorās ignorantia crassa fit irregularis.*

Tertia ratio dubitandi est, an, si quis receperit ordines innodatus excommunicatione maiori cum ignorantia eiusdem excommunicationis fiat irregularis. In hoc considerandum est, an ignorantia fuerit crassa, vel affectata, an probabilis, an vincibilis, an inuincibilis, an iuris, vel facti; quibus positis dicendum est primo, quod, si fuerit ignorans ignorantia crassa vel affectata, vel cum dubio de eadem excommunicatione contracta non euadat pœnam irregularitatis. *Maiolus de irreg. lib. 3. cap. 21. num. 13.*, *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 3. punct. 4. num. 1. vers. Dixi scienter*. Clare videtur deduci *ex cap. Apostolicæ de Cler. excomm. minist.*, & ratio ex eo deducitur, quia ignorantia affectata, crassa, vincibilis, improbabilis, & supina propter rationem præcedentis negligentiæ volita censetur per textum *in l. 1. §. 1., ff. de act. empt. l. qui contra, C. de incept. nupt.*, & regulariter pro scientia habetur per textum *in l. & si consensum, §. ignorantia 1. ff. de contrah. empt. l. nec supina, ff. de iur., & fact. ignor.*

7 *Secus, si ignorātia inuincibili, & probabili.*

Dicendum secundò, quod, si ignorantia fuerit inuincibilis, & etiam probabilis ignorans suscipiens ordines in tali excommunicatione ignorata nō contrahat irregularitatem. Ita sentiunt *Nauarrus, & Sanchez* apud *Bonacinam disp. 7. de irregul. disp. 7. quæst. 3. punct. 4. num. 1. vers. dixi scienter*, quamuis ipse contrarium sentiat. Clare deducitur *ex cap. vt animarum de constit. in 6.*, vbi generalitèr, dicitur ignorantia, quæ non est crassa, nec supina excusare ab omnibus sententijs quorumcumque ordinariorum; Clarius in terminis huius resolutionis liquet ex textu *in cap. Apostolicæ de Cler. excom. minist.*, nec obstare posse videtur textus *in cap. cum illorum de sent. excomm.*, vbi excommunicati suscipientes ordinem cum ignorantia suæ excommunicationis prohibentur dispensari ab Episcopis, & Archiepiscopis, cui textui innititur *Bonacina loc. cit.* Non, inquam, obstare posse videtur, quia hic textus vel intelligendus est de ignorantia crassa, & supina, vel communitèr in hoc rigore non est receptus, cum opponatur textibus pro nostra sententia relatis, qui vtpotè mitiores, & benigniores communitèr approbantur.

Dicen-

8 *Siue ignorantia fuerit iuris siue facti excusat, nisi fuerit crassa.*

Dicendum tertiò, siue ignorantia fuerit iuris, siue facti, modo non sit supina, nec crassa, nec affectata, excusare ab irregularitate proueniente ex delicto *Siluester verbo excommunicatio 2. not. 3., Nauarrus cap. 27 num. 16., Couaruuias in cap. alma mater prima part. §. 10. num. 6., Molina tract. 5. disp. 71. num. 8., Suarez disp. 4. sect. 8. num. 6., Filliutius quæst. 10. nu. 250.* Deducitur ex *cap. 2. de constit. in 6., & ex cap. si verò de sent. excomm.*; primus textus procedit de ignorantia iuris; secundus de ignorantia facti. Ratio autem, & resolutionis, & huiusmodi iurium, ea est, quia pæna debet proportionari delicto, nec ea pæna debetur pro violatione legis cognitæ, & pro delicto cognito, ac pro violatione legis, & delicti probabilitèr ignoratæ, seu ignorati. Dixi *ab irregularitate proueniente ex delicto*, nam de ea, quæ prouenit ex defectu certum est ignorantiam non excusare cum hæc nullam præexigat culpam, & non sit imposita tanquam pæna. Quod autem excuset ab hac irregularitate proueniente ex delicto ex eo euincitur, quod irregularitas, si contraheretur, esset ratione excommunicationis præcedentis, sed stante ignorantia probabili siue iuris, siue facti excommunicatio ipsa non contraheretur *Sanchez in summa lib. 1. cap. 16. num. 18., Vgolinus tab. 1. cap. 9. §. 8., Reginaldus lib. 9. nu. 200., Sairus lib. 1. cap. 18., Bonacina de Censuris in communi disp. 1. quæst. 2. punct. 1. prop. 2. num. 6., & prop. 2. num. 8.*, ergo nec irregularitas.

Intellige, quando est ex delicto.

9 *Ignorantia iuris ex delicto excusat, quamuis delictum sit vetitum iure diuino.*

Hinc quoad ignorantiam probabilem iuris deduces primo quod, quamuis quis sciat delictum aliquod prohibitum esse iure naturæ, vel Diuino nesciat tamen esse prohibitum ab Ecclesia sub censura, non incurrat censuram ab Ecclesia inductam ob tale crimen. *Nauarrus c. 27. num. 272., Siluester verb. excommunicatio vltim. quæst. 3., Sotus dist. 28. quæst. vnica art. 2., Suarez disp. 4. sect. 8. num. 20., Bonacina de censur. in communi disp. 1. qu. 2. punct. 1. num. 7. vers. ex dictis colligi potest.* Ratio est, quia, si ab Ecclesia non esset imposita pæna censuræ, committens illud delictum contraheret quidem culpam contra ius Diuinum, seu naturæ, non autem contraheret censuram Ecclesiæ, vt per se notum est, ergo neque contraheret eandem censuram, quantumuis sit imposita contra tale crimen ab Ecclesia, si tamen sit ignorata a committente tale crimen, quando quidem ignorans non dicitur negligere, aut contemnere ius *l. nec ignorans, C. de donat.*, imò ignorans nihil facit *Paulus de Castro in l. seruitutes num. 11. ff. de seruit.*, vndè etiam ei nihil potest imputari *l. fideiussor, ff. mandati*, & sic non dicitur contemnere constitutiones imperij *arg. l. si ignorans, ff. locati.*

Deduces secundò, hæc omnia procedere siue fuerit ignorantia iuris communis, siue municipalis. In hoc consentit *Bonacina de censur. in communi disp. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 6., Nauarrus cap. 27. n. 274. Suarez disp. 4. sect. 9. num. 19., Filliutius tract. 11. cap. 8. quæst. 11. num. 257., Salas de legib. disp. 15. sect. 9. num. 113.*, propter rationes supra adductas; quando enim verè est ignorantia, non est imputabile delictum, nec culpa ex allegatis iuribus; Nec obesse potest, quod ignorantia iuris maximè communis non præsumatur, nec excuset per textum *in cap. ignorantia de reg. iur. in 6.*, leges enim omnes scire debent, & lata culpa est iuris dispositionem ignorare *l. leges sacratissimæ, C. de legibus, Bartolus in l. quod Nerua num. 3., & 7. ff. depositi*, vndè scire, & debere scire paria sunt per textum *in l. & si consensum, §. ignorantia, ff. de contrah. empt.*, quod non solum verificatur in ignorantia iuris Diuini, naturalis, & gentium per textum *in cap. turbatur, §. notandum 1. quæst. 4. l. 2., & ibi Glosa, C. de in ius vocand.*, sed etiam in ignorantia iuris humani, siue communis, siue municipalis, vel statutarij *Gabriel sub tit. de reg. iuris concl. 5. num. 10., Sebastianus Medices de cas. fortuit. part. 1. quæst. 3. num. 42. vers. item statuti ignorantia, Gailus 2. obseruat. 48. num. 29.* Non, inquam, obesse potest, quia hæc omnia procedunt solummodò quoad præsumptionem, non quoad rei veritatem.

10 *Intellige siue ignorantia sit iuris communis siue municipalis.*

Deduces tertiò, quod, quamuis quis sciat delictum esse prohibitum ab Ecclesia; nesciat tamen esse prohibitum sub censura, non contrahat censuram committendo illud delictum. *Nauarrus c. 27. num. 274., Coninchus tom. 2. disp. 13. dub. 10. num. 90., Carolus Macignus de horis canon. cap. 28. num. 32., Suarez disp. 4 sect 9. num. 19.*, sicuti enim ignorans delictum esse prohibitum ab Ecclesia, quamuis norit esse prohibitum à Deo, contrahit peccatum contra Deum, non autem contra Ecclesiam per superius probata, ita qui ignorat delictum esse prohibitum ab Ecclesia sub pæna, contrahit quidem delictum contra Ecclesiam, non autem pænam ab Ecclesia impositam excusante ignorantia, dummodò sit probabilis, & inuincibilis.

11 *Ignorans pænam, non contrahit pænam.*

Quoad ignorantiam probabilem facti plura etiam deduces, & primò, quod, si quis occidat Clericum, quem ignorabat esse Clericum eo quod non procedebat in habitu Clericali, nec aliundè habebatur notitia de eius statu, non contrahat excom-

com-

communicationem, ac proindè, nec irregularitatem, ſi ſuſcipiat ordines poſt talem occiſionem *Molina tom.4. diſp. 53. n.1., & ſeqq.* Secundò, nec contrahit, ſi occidat Clericum, quem putabat probabilitèr eſſe feram ob probabilem ignorantiam facti. *Bonacina de Cenſur. in communi diſp. 1. quaſt. 2. punct. 1. num. 9.* Tertiò, nec contrahit, ſi occidat Clericum, quem probabilitèr putabat eſſe laicum. Idem *Bonacina loc. mox citato*. Intellige, quantum eſt ex vi contrahendæ excommunicationis ex occiſione Clerici; nam ex alio capite ex vi ſcilicet irregularitatis ex homicidio, non eſſet ab eadem eximendus iuxta ſupra probata dum de irregularitate ex homicidio. Neque obeſſe poteſt,

12 *Occidẽs Clericũ ignorãs eſſe Clericum, non contrahit excommunicationem.*

ſi aſſeratur, primo quod dans operam rei illicitæ, ex qua ſequitur actus prohibitus ſub cenſura, incurrat cenſuram; qui autem occidit Clericum exiſtimans eſſe laicum, dat operam rei illicitæ ex qua ſequitur occiſio Clerici prohibita ſub cenſura, ergo &c. Secundò, quod in contrahenda excommunicatione, & irregularitate ex ipſa proueniente potius intendatur factum, quam intentio; factum autem verſatur in occiſione Clerici cui annexa eſt excommunicatio; Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum quia, vt notat *Vaſquez de excomm. dub. 14. n. 3., & dub. 15. num. 4.,* falſum omninò eſt, quod dans operam rei illicitæ incurret cenſuram, quando laborat ignorantia probabili alicuius qualitatis, cui annexa eſt cenſura, vt in caſu, de quo loquimur, habetur expreſsè *in cap. ſi verò 2. de ſententia excommunicat.* Non ſecundum propter eundem textum *in cap. ſi verò aliquis*, in quo conſideratur præcisè opinio, ſeu ignorantia probabilis, non ipſum factum quoad effectum incurrendæ cenſuræ.

13 *Suſpenſi & interdicti ſuſcipientes ordines fiunt irregulares.*

Proſequendo deindè expoſita in explicatione tituli quoad ſuſpenſum, ſeu interdictum ſentiendum eſt primò quod, ſi quis ex aliquo delicto præcedenti fuerit ſuſpenſus, ſeu interdictus, & poſtea perſeuerante ſuſpenſione, vel interdicto ordines ſuſceperit, vtique obnoxius fit irregularitati. *Silueſter verb. irregularitas q 2., Coaruuias in cap. alma mater prima parte §.1., Auila part. 7. diſp. 7. dub. 6. concl. 5., Alterius de interd. diſp. 9. cap. 1. col. 11., Henriquez cap. 6. num 4.* Expreſsè colligitur *ex cap. ſi quis Epiſcopus in concilio 11. qu. 3.* Ratio ex eo deducitur, quod in ſuſpenſione recipiendo ordines, ſi non exercet formalitèr actus ordinum, exercet quodammodo radicalitèr, & iura, quæ vetant poſt ſuſceptos ordines exercitium ipſorum, præſumenda ſunt ſub eadem pæna vetare ſuſceptionem eorundem, quando non ſunt recepti; in tantum etenim prohibent exercitium, quando iam ſunt recepti, in quantum nequeunt ipſam receptionem vetare, cum per ipſam imprimatur caracther indelebelis. Cæterum prohibito conſequenti cenſetur, & prohibitum antecedens *arg. l. oratio, ff. de ſponſalibus*. Hæc intelligenda ſunt, quando ſuſpenſio eſt vniuerſalis ab omnibus Diuinis; ſi etenim ſuſpenſio ſit quoad aliqua tantum, exercendo ea, quæ ſibi non ſint prohibita per cenſuram, non diceretur violare cenſuram, & propterea non fieri irregularis. *Vgolinus de Cenſuris tab. 1. cap. 14. num. 23.*

14 *Prohibitus ſub pæna ſuſpẽſionis recipere ordines, ſi recipiat non fit irregularis.*

Statuendum ſecundò, quod, ſi quis eſſet prohibitus recipere ordines ſub pæna ſuſpenſionis, non contraheret irregularitatem recipiendo eoſdem ordines. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, dum de excommunicatione, nempè, quod irregularitas contrahatur propter ſuſpenſionem, quam ſupponit, tanquam cauſam; in hoc autem caſu non ſupponit ſuſpenſionem, cum hæc contrahatur in ipſa ordinis ſuſceptione.

15 *Antecè ſuſpẽſus recipiẽdo minores fit irregularis.*

Statuendum tertiò, quod antecedentèr ſuſpenſus ad ſuſceptionem ordinis, contrahat irregularitatem etiam ſuſcipiendo ordines minores quidquid ex aduerſo dixerint *Nauarrus de ſentent. excomm. conſ. 28.,* & alij, quia etiam ordines minores ſunt Sacramentum, &, ſicuti recipiens minores in excommunicatione eandem contrahit per ſuperius dicta *ex cap. cum illorum de ſentent. excommun.*, ita contrahit eoſdem recipiens in ſuſpenſione.

16 *Exercẽs ordines poſt contractam ſuſpenſionẽ fit irregularis.*

Statuendum quartò, non ſolum per ſuſceptionem ordinum poſt contractam ſuſpenſionem contrahi irregularitatem, ſed etiam per exercitium eorundem, quando ipſa ſuſpenſio contracta eſt in ipſa ordinum ſuſceptione, & multo magis, ſi ipſa ſuſceptio, & exercitium fiat poſt contractam eandem ſuſceptionem; in hoc communitèr conueniunt per textum *in cap. ſi quis Epiſcopus in concilio 11. quaſt. 3., & cap. is cui de ſentent. excomm.* Difficultas ſolummodò eſt in explicando per quos actus ordinum reſpectu ſuſpenſi contrahatur irregularitas. *Auila de Cenſur. diſp. 9. ſect. 2. dub. 3., Toletus lib. 1. cap. 67. num. 4., Nauarrus cap. 27. n. 241.,* & alij ſentiunt non contrahi irregularitatem per exercitium ordinum minorum, quandoquidem iſti etiam ſolemnitèr ex conſuetudine exerceantur etiam à laicis. Sed ego non libentèr adhærerem huic opinioni, ſicuti, nec adhærent, *Suarez de Cenſuris diſp. 31. ſect. 3. num. 7., Vgolinus de Cenſur. tab. 1. cap. 14. §. 1. num. 1.,*

S Alte-

Alterius lib. 2. disp. 1. cap. 1. dub. 1., & 17 *Etiã per exercitium ordinum minorũ.* *tom. 2. disp. 6. cap. 3., Graffius prima part. lib. 4. cap. 27. num. 34.* Ratio est, quia, quamuis huiusmodi munera exerceantur ex consuetudine etiam à laicis, non exercentur tamen ab eisdem ex proprio munere, quod secus est, quando exercentur ab initiato talibus ordinibus, quia tunc exercentur ex proprio officio, & videtur hoc clarè posse deduci ex textu *in cap. 2. de Cleric. excomm. minist.*, vbi dicitur, *si quis Presbiter, aut alius Clericus*, quæ particula, *si quis* est vniuersalis, & nomen *Clericus* comprehendit tam constitutum in maioribus, quam in minoribus ordinibus.

18 *Si Diaconus canat Euangelium in Missa solemni sine stola secũdũ aliquos nõ fit irregularis.* Sed quid erit dicendum, si Subdiaconus, seu Diaconus suspensi, vel interdicti, ille canat Epistolam in Missa solemni, hic Euangelium, an contrahant irregularitatem? Communitèr respondent contrahere, si ille canat habens manipulum, iste stolam plicatam, secus, si sine illis addita etiam ratione, quia in primo casu munus illud exercent ex officio cum indumentis proprijs illorum ordinum; in secundo non ex officio, sed tanquam cantores, quod munus præstari potest etiam à laicis. Sed quomodo hoc cohæret cum ijs, quæ mox dicebamus de constitutis in minoribus, quod scilicet contrahant irregularitatem, quamuis eorum munus exerceri possit etiam à laicis? Huic obiecto respondere tenetur etiam *Reginaldus*, qui ex vno capite *d. lib. 30. tract. 2. num. 183. in fine*, docet, quod, quando actiones ordinum exerceri possunt etiam a laicis, tunc intelligantur exerceri ex officio, cum exercentur adhibitis ceremonijs, & vestibus ijs, quibus consueuit exornari ille, qui tanquam ordine initiatus illa adhibet, vt cum quis canit Epistolam ornatus dalmatica, & manipulo, aut canit Euangelium indutus stola, vndè videtur a contrario sensu teneri asserere, quod, si exerceat sine illis ceremonijs, & vestibus, non præstet ex officio, & propterea non contrahat irregularitatem, cum ex alio capite *ibidem num. 186.*, dicat, quod constitutus in minoribus, si illorum actiones exerceat, contrahat irregularitatem; Certè hoc munus ordinum minorum exerceri etiam potest à laicis. Pro resolutione aduerte, ordines maiores ita exigere insignia propria, vt ab alijs, qui sunt extra tales ordines, adhiberi licitè non valeant; ordines verò minores habere insignia, quæ, quamuis sint propria huiusmodi ordinum, non prohibeantur tamen ab alijs adhiberi; Hinc dici potest iuxta hanc opinionem Subdiaconum, & Diaconum cantantes in Missa solemni Epistolam, seu Euangelium respectiuè loquendo sine proprijs insignibus illorum ordinum, non cantare ex proprio officio, & propterea non fieri irregulares eo quia illud munus exerceant, non vt Diaconus, nec vt Subdiaconus, sed vt simplices cantores, cum non habeant insignia illorum ordinum; Initiatos vero dumtaxat minoribus ordinibus eorum munera exercentes, cum supponantur illos exercere cum insignibus debitis, exercere ex proprio officio, nam quantumuis illa insignia deferri valeant ab alijs, qui non sunt talibus gradibus insigniti, denegari tamen non potest, quin cum proprijs insignibus exerceant; vndè respectu istorum dici possunt propria, respectu vero aliorum, qui non sunt ordinati, accommodatiua. Congruentius tamen crederem canentem Subdia- 19 *Probabilius cõtrahit*
conum Epistolam in Missa solemni, & Diaconum Euangelium, quantumuis ille canat sine manipulo, iste sine stola contrahere irregularitatem, eo quia illa sunt munera propria talium ordinum, quamuis permissiuè exerceantur ab alijs, qui non sint intra illos ordines, nec tollit quin ex proprio munere illos exerceant, quod exerceant sine ille insignibus, cum hæc sint dumtaxat signa ordinum, nec ius aliquod conferant.

Hinc patet discrimen, quod intercedit inter Diaconum, aut Subdiaconum sus- 20 *Suspensi benedicentes mensæ, non fiũt irregulares.*
pensos canentes Epistolam, & respectiuè Euangelium in Missa solemni, & eosdem tali affectos benedicentes mensæ, canentes responsoria, & similia; nam canere Epistolam, & Euangelium in Missa solemni sunt munera propria Diaconi, & Subdiaconi, quamuis permissiuè ab alijs exerceantur; benedicere verò mensæ, & canere responsoria non sunt munera propria talium ordinum, sed communia alijs, qui sunt extra tales ordines.

Ea, quæ dicta sunt de Clerico suspenso, intelligenda sunt de interdicto, adeo vt 21 *Interdicti suscipientes ordines fiũt irregulares.*
affectus tali censura, si suscipiat ordines, vel illos solemnitèr exerceat, contrahat irregularitatem, prout tradunt *Nauarrus in man. cap. 27. num. 243., Reginaldus lib. 30. tract. 2. num. 181., Bonacina de irregularitate disp. 7. quæst. 3. punct. 5. nu. 1.*, per textum *in cap. is, qui, & cap. is, cui de sentent. excomm. in 6.*, vnde *Coaruuias in Clement. si furiosus prima part. §. 1. in initio*, expressè asserit, hoc nulla vlterius indigere probatione.

Quisnam verò possit dispensare ab hac irregularitate, contracta ob violationem suspensionis, seu interdicti; dicendum est solum Romanum Pontificem in hac dispensare, si delictum, ob quod contracta est,

est, fuerit publicum, & notorium per textum *in cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6.*
22 Si verò delictum, ob quod contracta est, fuerit occultum, etiam Episcopus ex priuilegio *Trident. sess. 24. cap. 6.*, potest dispensare. In hoc tamen aduerto, notorietatem ad effectum, vt nequeat super irregularitate contracta dispensari, nisi à Romano Pontifice, non esse desumendam præcisè ex publica, & notoria susceptione ordinum, & exercitio eorundem, sed ex delicto excommunicationis, vel alterius censuræ, ob quod eadem irregularitas contrahitur; vndè, si quis publicè reciperet, vel exerceret ordines, sed delictum excommunicationis, vel suspensionis ignoraretur, non requireretur Pontificis auctoritas ad dispensandum super irregularitate indè contracta, sed sufficeret Episcopalis *Sairus lib. 7. cap. 10. num. 16.*, *Nauarrus in man. cap. 27. n. 241.*, *Reginaldus lib. 30. tract. 2. num. 188.*, *Alterius lib. 2. disp. 1. cap. 5. ad fin.*

In hac irregularitate si delictum sit publicū solus Pōtifex dispensat, & si occultū etiam Episcopus.

23 Quid verò esset dicendum, si delictum excommunicationes, vel suspensionis, vel interdicti esset notorium, susceptio tamen ordinum, vel exercitium eorundem esset occulta, an tunc Episcopus posset dispensare super irregularitate indè contracta? Absolutè aliqui credunt non posse, quandoquidem *Concil. Trident. d. sess. 24. c. 6.*, solum tribuit facultatem dispensandi super irregularitate prouenìente ex delicto occulto, hic autem delictum non esset occultum, quamuis actio, ob quam oritur, esset occulta.

Requiritur notorietas Censuræ.

24 Sed melius videtur dicendum, posse super dicta irregularitate dispensare, quia ipsa irregularitas in hac hypothesi non contrahitur præcisè ex ipso delicto, sed ex actione subsequente ad ipsum delictum ad differentiam irregularitatum, quæ sunt annexæ ipsi delicto, & ex ipso immediatè consequuntur, vndè cum talis actio sit occulta remanet sub dispositione eiusdem Concilij, ac proindè, sicuti ipsum delictum, cui immediatè est annexa irregularitas, si est occultum, irregularitas ex eo consurgens est dispensabilis ab Episcopo, ita, si actio subsequens, cui soli est affixa irregularitas, sit occulta, erit ab eodem Episcopo dispensabilis; & hinc respondetur ad ea, quæ pro contraria sententia asserebantur, Concilium scilicet loqui de irregularitate, quæ immediatè prouenit ex delicto, vnde solum dicit, quod, quando ista est ex delicto occulto, possit ab Episcopo dispensari; hic autem agitur de irregularitate, quæ non immediatè consurgit ex delicto, sed ex alia actione subsequente ad ipsum, vndè, si hæc actio, ex qua immediatè consequitur, erit occulta æque erit dispensabilis, sicuti est dispensabilis illa, quæ immediatè ex delicto prouenit, si delictum sit occultum.

Quid sētiendum sit si delictum sit notorium, & exercitium ordinum occultū.

25 Sed, an hæc irregularitas, si fuerit occulta, possit a Prælatis Regularibus in ordine ad suos subditos dispensari. *In authentica de Monacis in principio collatione prima* habetur. *Conuersationis Monacalis vita sic est honesta, sic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem humanam eius maculam detegat, purum autem declaret, ac rationabili natura decentem &c.*, ex quibus verbis nonnulli deducunt, & inter cæteros *Glosa in cap. cum deputati de iud. sub fin.*, per ingressum in Religionem omnem tolli irregularitatem, si quæ fuit. Sed ea, quæ hic dicuntur, non ita vera sunt, sicuti præferuntur, quandoquidem pluribus in locis habetur indigere dispensatione, quamuis facilius hæc sit concedenda; sic in particulari habetur in re præsenti *in cap. cum illorum de sentent. excommunic.* Abbatem posse dispensare cum eo, qui ex ignorantia siue iuris, siue facti contraxit irregularitatem ob susceptionem ordinum in excommunicatione, seu suspensione, & ibi nomine Abbatis venit quicunque Prior, seu alius Prælatus quocunque nomine designetur, vt notat *Glosa ibidem verb. Abbatem*; sic habetur *in cap. 2. de Apostat.* præfatum textum *in d. auth. de Monacis*, non intelligi de irregularitate simpliciter, sed ad summum de ea, quæ non consurgit ex proprio delicto, nam, quæ ex eodem consurgit, indiget dispensatione *ex eodem cap. 2. de Apostat.* Quamobrem sistendo in terminis præsentibus asserendum est, indigere dispensatione, quæ, an possit impertiri à Prælatis Regularibus, definiendum est iuxta eorum priuilegia, quæ certè videntur ad hoc extendi.

An Prælati Regulares possint in illa dispensare remissiuè.

Prosequendo de eo, qui per saltum ordinatus est; *Reginaldus d. lib. 30. tract. 2. num. 191.*, sustinet fieri irregularem ex illa præcisa ordinis, quem per saltum habuit, receptione per textum *in cap. sollicitudo dist. 52.*, *& c. vnico de Cler. per salt. ord.* Sed illi textus non euincunt Reginaldi intentum; solum etenim asserunt cum sic promoto vtendum esse misericordia, vt promoueatur ad ordinem, quem prætermisit; vndè *Turrecremata in d. cap. sollicitudo dist. 52. art. 4.*, quem postea secuti sunt *Bernardus Diaz in sua pract. canon. cap. 24.*, & alij, asserit nec remanere suspensum, cum suspensio non videatur in iure expressa, sed quoad suspensionem non libentèr Turrecrematæ adhærerem stante *d. cap. vnico de Cler. per saltum prom.*, *& Concil. Trident. sess. 23. de reformat. c. 14.*,

in quibus dicitur posse Episcopum dispen-
26 sare, quod certè congruè non diceretur, si nulla contraheretur suspensio. Quamobrem dico per illam ordinis receptionem per saltum contrahere quidem suspensionem, non tamen irregularitatem, nam de hac ex hoc præcisè non constat in iure.

Promotus per saltum cõtrahit suspensionem, nõ irregularitatem.

Quod, si dicatur gratis dici simplicem suspensionem, cum non solum impediat exercitium ordinis per saltum suscepti, sed etiam receptionem alterius ordinis, in quo conuenit cum irregularitate; tunc dicam simplicitèr etiam excommunicatum impediri ab exercitio ordinum, si quos habuerit, & à susceptione aliorum, nec propterea dici irregularem, vndè hoc est discrimen inter simplicem suspensionem, & excommunicationem; & inter irregularitatem, prout notant *Nauarrus cap. 27. num. 191.*, *Reginaldus lib. 30. tract. 2. num. 6. vers. Adde, quod ibidem Nauarrus*, quod irregularitas impediat ordinum acceptionem, aut aliquem vsum eorum, *quatenus ordines sunt*, suspensio verò, & excommunicatio impediunt, quatenus sunt communicationes quædam fidelium, quod præstat excommunicatio, aut quatenus sunt quædam officia Ecclesiastica, quod præstat suspensio. Addi etiam potest aliud discrimen, quod finis primarius irregularitatis est reuerentia Diuinorum; finis verò primarius censurarum emendatio delinquentis ad conseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ; quibus hoc aliud addi potest, quod censuræ pænitentia tolluntur, irregularitas verò, cum sit tantum impedimentum inhabilitatis institutum ad reuerentiam diuinorum, non simplici pænitentia tollatur, sed indiget dispensatione. Quod, si vlterius vrgeatur, quod promotus per saltum indigeat dispensatione per Episcopum impertienda, vt habetur *in d. cap. vnico de Cler. per saltum prom.*, *& in Concil. Trident. d. sess. 23. cap. 14.*, adhuc obsistam dicens, ibi nomine dispensationis intelligi permissionem; cum etenim esset impeditus ratione ordinis non suscepti ad ministrandum in susceptis per saltum dicitur, vt
27 per Episcopum ab officio Sacerdotali prohibeatur, donec proximo quatuor temporum ieiunio ordinis non suscepti ministerium eidem ritè imponatur, & sic deinceps ad maiora officia redire concedatur, vt expressè habetur *in c. sollicitudo dist. 52.* ad normam cuius textus intelligenda sunt ea, quæ dicuntur *in d. cap. vnico de Cler. per salt. prom.*, *& in Concil. Tridentino*, vt iurium contrarietas euitetur.

Soluitur obiectio cõtraria

Dispensatio, quandoque sumitur pro permissione.

Si promotus per saltum postea in ordine sic suscepto ministrauerit, antequam ordinem prætermissum susceperit, & à suspensione fuerit liberatus, certi iuris est, quod contraxerit irregularitatem. 28
In hoc arbitror omnes consentire, & vbi alia ratio non adesset, hæc sufficeret, quod violauerit suspensionem per exercitium ordinum, & vtique hæc irregularitas, si delictum, ex quo contracta est, fuerit notorium, esset solummodò a Romano Pontifice auferibilis iuxta alia superius dicta, & tradunt *Siluester verb. irregularitas quæst. 11.*, *& alij*.

Promotus per saltum, si ministret in ordine non suscepto, fit irregularis.

Hic oritur difficultas, an sic promotus per saltum intelligatur solummodò suspensus ab exercitio illius ordinis, quem inordinatè suscepit, an verò etiam ab exercitio illorum, quos recepit legitimè, & seruato ordine. Qui sustinent per receptionem ordinum per saltum induci irregularitatem, sustinere tenentur sic promotum suspensum remanere ab exercitio cuiuscumque ordinis siue legitimè, siue illegitimè suscepti, cum sit effectus irregularitatis impedire cuiuscumque ordinis susceptionem, & ministerium ex communitèr recepta sententia, atque hi sunt *Vgolinus tab. 1. c. 38. §. 1.*, *Valentia tom. 4. disp. 3. quæst. 19. punct. 3.*, *Sairus lib. 7. cap. 10. num. 39.*, *Reginaldus d. lib. 30. tract. 2. num. 191.* Qui verò sustinent non induci, nisi suspensionem, in duplicem classem sunt diuisi. Alij, inter quos *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi cap. 7. prop. 2. num. 13.*, *Siluester verb. irregularitas quæst. 11.*, *Bernardus Diaz in sua pract. cap. 29.*, *& alij recentiores*, sen- 29
tiunt, contrahere dumtaxat suspensionem ab exercitio ordinis malè, & inordinatè suscepti, eo quia in iure non est expressa huiusmodi suspensio, nisi ad summum quoad ordinem malè susceptum, vndè non videtur facienda extensio ad alios ritè susceptos; Alij verò sustinent suspensionem extendi quoad omnes. In hoc recole, quæ supra dicta sunt.

An promotus per saltum sit suspensus ab exercitio cuiuscumque ordinis.

Prosequendo de eo, qui furtiuè ordines suscepit, hoc in primis aduerto, illum 30
dici furtiuè ordines suscipere, qui ab Episcopo non admissus, vel non examinatus, & sine Episcopi conscientia se se ingesserit ordinationi, vel alium submiserit sub suo nomine examini, & approbationi, & deindè se ipsum sub illius ap- 31
probatione ordinare fecerit iuxta textum *in cap. extra distinct. 64.* Deindè dico probabilius esse, per huiusmodi furtiuam ordinum susceptionem non contrahere irregularitatem, sed simplicem suspensionem. Hic non possum, nisi mirari de inconsequentia *Bonacinæ dum disp. 7. de irregular. quæst. 3. punct. 4. prop. 4. num. 5.*, asserit recipientem ordinem per saltum non contrahere irregularitatem, sed meram suspen-

Quinam dicatur furtiuè ordines suscipere

Per furtiuam ordinum susceptionem contrahitur suspensio, non irregularitas.

suspensionem, & postea *ibidem num. 6.*, tradit, fieri eum irregularem, qui furtiuè ordines suscipit addens rationem huius secundæ partis consistentē in eo, quod *in c. veniens de eo, qui furt. ord. susc.* detur facultas dispensandi Episcopo, vt ad altiorem ordinē, possit sic furtiuè promotū promouere, quod asserit esse proprium munus irregularitatis. Si benè ponderasset Bo-

32 *Arguitur Bonacina inconsequentia*

nacina verba *Concil. Trid. sess. 23. de reformatione cap. 14.*, vbi similis facultas conceditur Episcopo quoad promotum per saltum, non ita facilè adhæsisset assertioni huic fundatæ in tali ratione, cum eadem ratio militet pro prima. Potest quidem quædam maior ratio apparere contra furtiuè ordinatum, ac contra promotum per saltum fundata in eo, quod, qui furtiuè suscipit ordines, suscipit fraudulentèr, & cum scientia; qui verò suscipit per saltum non videtur suscipere cum scientia, sed cum ignorantia, quamuis crassa; sed nec hæc ratio euincit irregularitatem, sed solum maiorem difficultatem absolutionis a suspensione, vt clarè infrà videbimus.

33 *Etiamsi Episcopus comminatus fuerit excōmunicationē, ne quis furtiuè accedat, non contrahitur irregularitas.*

Alia ratione probat per talem furtiuam ordinationem contrahi irregularitatem *Maiolus de irregul. lib. 4. cap. 8.* fundata in eo, quod regularitèr Episcopi iuxta præscriptum Pontificalis in ordinationibus peragendis solent comminari excommunicationis sententiam, ne quis audeat se ingerere, qui non fuerit approbatus; ex qua deindè excommunicatione infert, quod, qui contra talem sententiam furtiuè promotus fuerit, irregularitatem contrahat, vtpotè qui in excommunicatione recipit ordines. Hæc ratio fundatur *in d. cap. 1. de eo, qui furt. ord. suscept.*, vbi dicitur quod, si fuerit ab Episcopo comminata excommunicatio, non possit ipse Episcopus dispensare, secus, si non fuerit comminata. Sed hæc ratio iuxta superius dicta euincit quidem, quod, si in tali ordine sic illegitimè suscepto ministrauerit, contrahat irregularitatem ex duplici quodamodo capite, eo quia violet suspensionem latam à iure, & excommunicationem latam ab homine; non autem, quod contrahat eandem per simplicem furtiuam ordinis susceptionem. Ratio autem ea est, quam supra adducebamus, quod scilicet irregularitas, quæ contrahitur per excommunicationem, vel suspensionem, supponit easdem, tanquam causam; in hac autem hypothesi, qua in receptione furtiuè ordinis contrahitur excommunicatio, & suspensio non potest hæc supponi ad irregularitatem, si hæc contraheretur simul in eadem ordinis receptione, licet supponatur ad exercitium eiusdem ordinis. Nec vim aliquam facit textus *in d. cap. 1. de eo, qui furt. ord. suscept.*, quandoquidem solum exigit pro relaxatione maiorem auctoritatem, quando comminata est sententia excommunicationis, ac quando non est comminata. Cæterum quoad irregularitatem, vel suspensionem nihil ibidem statuitur.

34 *Rationes propter quas non contrahitur irregularitas, & solutiones obiectorum.*

Probatur iam, quod irregularitas non contrahatur, sed mera suspensio argumento communi, quod scilicet, cum irregularitas sit inducta dumtaxat iure Ecclesiastico, non contrahatur, nisi in casibus in iure expressis, adeo vt, si aliquod in iure decernatur, quod possit in sensu accipi, quo vitari possit irregularitas, in eo sensu sit accipiendum, quia pænæ, & odia sunt potius mitiganda, quam exasperanda; iura autem, si quæ afferantur circa hoc, possunt simplicitèr accipi pro suspensione, cum nullo modo exprimant irregularitatem. Quod, si dicatur, quod *in d. cap. 1. de eo, qui furt. ord. suscept.*, exprimatur, non quod possit absolui, sed dispensari, quod proprium est irregularitatis, non censurarum, quæ potius absoluuntur, quam dispensantur; tunc repetam ea, quæ in præcedentibus, dum de promoto per saltum, dicta sunt, sumi scilicet ly dispensari lato modo pro permitti, seu relaxari, in quo sensu tenetur accipere Bonacina, dum asserit promotum per saltum contrahere solum suspensionem, & tamen *Concil. Trid. d. sess. 23. de reformat. cap. 14.*, asserit dispensandum per Episcopum. Quod, si repetatur, quod sic furtiuè promotus non solum impediatur ab exercitio ordinis suscepti, sed etiam à promotione alterius ordinis superioris, quod proprium est irregularitatis; tunc & ego repetam iuxta superius dicta, impediri per irregularitatem exercitium ordinis suscepti, & susceptionem aliorum, quatenus ordines sunt, non quatenus sunt communicationes, quædam fidelium, aut quatenus sunt quædam officia Ecclesiastica, quod proprium est excommunicationis, & suspensionis. In casu igitur, de quo loquimur impeditur sic promotus ab ordinum exercitio, ea susceptione, quatenus sunt quædam communicationes fidelium, & Ecclesiastica officia, non quatenus præcisè ordines sunt.

35 *Promotus furtiuè, si ministret fit irregularis.*

Quamuis autem per simplicem furtiuam ordinum susceptionem non contrahatur irregularitas, contrahitur tamen, si postea ante relaxationem censuræ indè contractæ munera eiusdem ordinis exerceantur, quia tunc verificaretur, quod in suspensione, vel excommunicatione exi-

existens actus ordinis exerceret, cui ex superius dictis annexa est irregularitas per textum *in cap. si quis Episcopus in concilio* 11. *quaest.* 3., *& cap.* 1., *& cap. is, cui de sent. excommunicat.* Atque ab hac irregularitate contracta per exercitium ordinum post contractam excommunicationem, seu suspēsionem, potest solus Pontifex dispensare, si violatio fuerit publica per textum *in cap.* 1. *de sentent. excommunicat. in* 6., si verò fuerit occulta etiam Episcopus dispensat ex priuilegio *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 7.

36 *Quando possit in hoc Episcopus dispensare.*

Quando verò fuit ordo solum furtiuè susceptus, non tamen subsequentèr positum exercitium eiusdem, tunc si per Episcopum fuerit comminata excommunicatio, ne quis se ingereret non approbatus, relaxatio impedimenti ad suscipiendos alios ordines pertinet ad Romanum Pontificem, si verò non fuerit comminata, potest Episcopus relaxare imposita tamen condigna satisfactione, prout expressè habetur *in cap. veniens de eo, qui furt. ord. suscep.* Hæc tamen ibidem additur limitatio, quod, si fuerit comminata excommunicatio, & nihilominus ordinem susceperit furtiuè, possit impedimentum ab Episcopo relaxari, si in aliquo Monasterio, seu canonica habitum suscipiat regularem, & pro aliquo tempore ibidem fuerit laudabilitèr conuersatus, & hoc fauore Religionis.

37 *Promotus ad ordines ante susceptam confirmationē non fit irregularis.*

Prosequendo de eo, qui recipit ordines non suscepta confirmatione certum videtur, quod non contrahat irregularitatem, *Vgolinus tab.* 1. *cap.* 38. §. 1., *Henriquez lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 3., *Sairus lib.* 7. *cap.* 14. *ad fin.*, *Suarez disp.* 42. *sect.* 3. *nu.* 14., *Filliutius tract.* 20. *num.* 205., *& alij communitèr.* Ratio est, quia ex vna parte quamuis daremus suscipientem ordines furtiuè, seu per saltum contrahere irregularitatem, adhuc tamen promotus sine confirmatione non comprehenderetur sub illa regula, cum confirmatio non sit ordo; ex alia parte nullibi in iure hæc irregularitas expressa reperitur contra promotos sine confirmatione; atque ita præter præcitatos Doctores sentiunt *Victoria de Sacram. Ordinis quaest.* 232., *Sotus in* 4. *distinct.* 24. *quaest.* 1. *art.* 4., *August. Barbosa de offic., & potest. Episcop. secunda allegat. num.* 14., *Diana mor. resol. tom.* 1 *tract.* 16., *Miscel. resol.* 4. *in fin., & part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 55. *vers. nota etiam secundo*, *Homobonus de exam. Eccl. tract.* 2. *cap.* 2. *quaest.* 4. *vers. dico secundo*, *Marchinus tract.* 1. *de Sacram. Ordin. in communi part.* 4. *c.* 3. *prop.* 3. *num.* 6., *& seqq.* Sed, an saltem contrahat suspensionem? Negatiuè respondendum est; non enim prærequiritur confirmatio ad ordinationem ex natura Sacramenti, nec ex necessitate præcepti, prout tradunt *D. Thomas tertia part. q.* 35. 38
art. 4., *Siluester verb. ordo* 2. *quaest.* 1., *Nauarrus in manuali cap.* 22. *num.* 9., *Henriquez lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 2., *loquentes ex natura Sacramenti ea ratione*, quod confirmatio non requiritur ad valorem aliorum Sacramētorum, vt per se patet, adeoque, nec ad valorem ordinis, cum nullam habeat cum ordine intrinsecā connexionē ex Diuina institutione magis, quam cum alijs Sacramentis; nec quoad necessitatem præcepti *Sotus in* 4. *dist.* 7. *art.* 8. *concl.* 3., *& dist.* 24. *quaest.* 1. *art.* 4. *propè finem*, *Molfesius in summa tract.* 2. *cap.* 11. *num.* 7., *Coninchus de Sacram. quaest.* 72. *art.* 9. *num.* 90., *Homobonus loc. cit.*, *Reginaldus lib.* 28. *n.* 24., *Azorius mor. Instit. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 48. *quaest.* 1., cum nullibi constet de tali præcepto obligante saltem sub læthali; Neque hoc præceptum sic obligans deducitur *ex Concil. Trident. sess.* 23. *de reformat. cap.* 4., vbi dicitur, quod *prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non receperint*; nam, vt notant *Salzedo in pract. crimin. cap.* 24., *Rodriquez in summa part.* 2. *cap.* 17. *num.* 10., verba Concilij non sunt præceptiua saltem sub graui, sed consultiua, & non important præceptum, sed decentiam, & congruitatem. Ex quibus infero, quod per consequens, nec eiusdem confirmationis omissio inuoluat suspensionem, cum hæc vtpotè pæna grauis non possit iustè imponi sine delicto, vel sine delicto graui. Deindè, quamuis etiam importaret delictum graue, non propterea induceret pænam suspensionis, cum hæc non inducatur ex præcisa grauitate delicti, sed ex iure Ecclesiastico, de quo non constat.

Immò, nec suspensus.

Tandem concludendo præsentem articulum de eo, qui, cum sit coniugatus, recipit ordines, ipsum absolutè suspensum arbitror, adeo vt, nec durante coniugio ministrare valeat in suscepto ordine, quinimmò, nec soluto eodem ob mortem vxoris, donec suspensio relaxetur, prout sentiunt *Henriquez lib.* 13. *cap.* 39. *num.* 1., *Sairus lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 28., *Filliutius tract.* 10. *part.* 2. *num.* 159., *Sanchez disp.* 42. Intellige ea, quæ hic dicuntur, quando ordines suscipit illegitimè; si etenim eosdem suscipiat facto legitimè diuortio quoad thorum, & habitationem cum vxore, vel in casibus, in quibus potest Religionem ingredi etiam inuita vxore, vel vxore legitimè consentiente adeo vt, si sit iuuenis ingrediatur Religionem, vel si sit senex voueat castitatem iuxta textum *in cap. Agatosa* 27. *quaest.* 2., certè nullam contrahet censuram *Sanchez lib.* 7. *disp.* 39. *num.* 6.

39 *Coniugatus suscipiēs ordines fit suspēsus*

40 *Exceptio ad predicta*

num.6., *Henriquez lib. 12. cap.5. num.10.*, *Coninchus disp. 35. dub. 6. num. 32.* Cæterum, quod, quando constante matrimonio illegitimè ordines suscepit, contrahat suspensionem, apertè deducitur ex extrauag. *Antiqua concertationi de voto, & voti redempt.*, vbi prohibetur, & in susceptis ordinibus ministrare, & ad superiores ascendere.

Sed an solum contrahat suspensionem, an verò etiam irregularitatem? Allegati Doctores absolutè sentiunt contrahere etiam irregularitatem ea ducti ratione, quod *in d. extrauag. Antiqua*, non solum prohibeatur exercitium receptorum ordinum, sed etiam receptio superiorum, quod proprium esse irregularitatis asserunt. Sed huic rationi posset iuxta superius dicta responderi, hanc prohibitionem

41 *Probabilius etiã contrahit irregularitatē*

non esse ratione ordinum, qua ordines sunt, sed quia ratione suspensionis prohibentur quæcunque Ecclesiastica officia, quod præstat præcisè suspensio. Nihilominus quia *in d. extrauag. Antiqua* nititur expressis verbis irregularitatem, in effectu importantibus, & quidem continuatis, quatenus non solum dicunt impedimentum exercitij, & susceptionis alterius ordinis, sed etiam exigunt pro relaxatione eiusdem dispensationem, non abs re crederem sic promotum eandem irregularitatem contrahere exigente hoc maiori grauitate delicti.

Ex occasione eorum, quæ hic dicuntur, nonnullæ oriuntur occasiones dubitandi, quas placet hic non præterire. Prima est, an, si coniugatus, qui suscepit ordines pro tempore quo nundum matrimonium consummauerat, teneatur ingredi Religionem ratione voti, quod annexum est sacris ordinibus. Fundamentum dubitationis in eo consistit, quod coniuges post contractum matrimonium, & ante illius consummationem liberè possunt ad Religionem pertransire, cum hoc à iure eisdem permissum sit ratione perfectioris status; cum igitur ratione voti castitatis,

42 *Coniugatus, qui suscepit ordines ante cõsummatum matrimonium non tenetur Religionem ingredi.*

quod implicitè annexum est sacris ordinibus, teneatur illis initiatus, quantum in se est, eandem castitatem seruare, & vtique possit transeundo ad Religionem, videtur vtique teneri ad eandem transire. Nihilominus, quia *in d. extrau. antiqua concertationi de vot., & voti redempt.* dicitur. *Ad ingressum huiusmodi sic ordinatum (si matrimonium consummatum non fuerit) per Diœcesanum instantèr moneri præcipimus, & induci, quod, si forsan renuerit &c.*, quæ verba non videntur importare coarctatam necessitatem, sed præcisè cohortationem, & consilium, cum renuente promoto aliud statuatur, non incongruè asserimus non teneri Religionem ingredi, quamuis rectum gereret, si ingrederetur. Hoc nostrum assertum sustinent *Sanchez lib. 7. disp. 99.*, *Henriquez lib. 12. cap. 5. num. 10.*, *Petrus Ledesma quæst. 55. art. 4.*, *Bonacina de imped. matrim. quæst. 3. punct. 9. num. 20. vers. vtrum verò coniugatus*; si etenim Pontifex *in d. extrauag. antiqua*, agnouisset necessitatem ingrediendi non præcisè suasisset, sed compulisset ingredi. Ad rationem, quæ ex aduerso afferebatur, dicendum est eximi ab obligatione ingrediendi ratione status, quatenus Deus vult seruum sibi voluntarium, non coactum per textum *in cap. non est is quæst. 7.*, & per hoc eliditur opinio *Hostiensis*, & *Nauarri cap. 13. num. 79.*, volentium posse compelli.

Secunda ratio dubitandi est in explicando, quid esset cum ipso agendum, 43 *Et instante vxore potest compelli ad consummãdum.*
vbi renueret Religionem ingredi? Non enim ipse posset ab vxore debitum coniugale petere, cum ratione voti annexi ordinibus sacris teneatur, quantum in se est, seruare castitatem ex communi Doctores consensu. Dicendum est, in ea hypothesi posse compelli sic instante vxore censuris Ecclesiasticis ad consumandum matrimonium, prout expressè habetur 44 *Vxore non exigente nõ potest petere.*
in d. extrauag. antiqua Ibi *Quod, si forsan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa eius instituit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus, contractum matrimonium consummare*; non etenim per talem ordinum susceptionem vxor amisit ius, vt possit debitum exigere. Quod, si ipsa sponsa debitum non exigat, tunc nec ipse potest, nec debet reddere. Sed, an in ea hypothesi posset in susceptis ordinibus ministrare? Negatiuè respondendum est propter contractam censuram, & irregularitatem in susceptione illa sacrorum ordinum non consentiente vxore. Quod, si postea vxor consenserit, &, si fuerit iuuenis, Religionem fuerit ingressa, & in 45 *Etiam accedēte consensu vxoris transeuntis ad Religionem, vel emittentis votum castitatis, non potest in ordinibus susceptis ministrare.*
eadem professa, vel si fuerit senex votum simplex castitatis emiserit, an tunc maritus in susceptis ordinibus posset ministrare? Negatiuè etiam respondendum est, quia per præcisam illam ordinum susceptionem constante matrimonio sine vxoris consensu censuram, & irregularitatem contraxit, vndè *in eadem extrauag. antiqua*, dicitur. *Quod, si secus à quoquam forsitan attentatum fuerit, ordinamus, quod nec matrimonio soluto in sic suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines proueht valeat*, vbi *Glosa in verb. nec matrimonio soluto* inquit *soluto vel per mortem, vel per ingressum Religionis ante carnalem copulam*; si ergo etiam soluto matrimonio per mortem non potest in suscepto ordine mini-

strare

ſtrare ratione contractæ cenſuræ, & irregularitatis in illo ordine ſic ſuſcepto, vtique, nec poterit miniſtrare in eodem, quantumuis poſtea acceſſerit legitimus conſenſus vxoris, ob eandem irregularitatem contractam; & ſi quantumuis ante carnalem copulam ingreſſus fuerit Religionem legitimam, & approbatam non poteſt miniſtrare, niſi accedente Epiſcopi Diœceſani diſpenſatione, quamuis per talem ingreſſum, & profeſſionem in Religionem diſſoluatur coniugium, vt habetur *in d. extrauag. antiqua*. Ibi. *Niſi aliquam de Religionibus approbatis ipſum canonicè contigerit ingredi ac eius regulam expreſsè, vel tacitè profiteri, quo caſu Diœceſanus ſuper præmiſſis, & ſingulis præmiſſorum cum eo diſpenſare valeat*, multo minus, ſi præcisè habuerit conſenſum legitimum vxoris poſt contractam cenſuram poterit miniſtrare ſine diſpenſatione, quam crederem non poſſe à ſolo Diœceſano haberi, cum Pontifex eidem ſolum tribuat hanc facultatem, quando ante carnalem copulam ingreſſus eſt, & profeſſus in Religione approbata, quæ propterea non eſt extendenda ad hunc caſum.

46 *Coniugatus recipiẽs ordines minores non contrabit irregularitatẽ.* Tertia ratio dubitandi eſt, an contrahat hanc cenſuram, & irregularitatem, quando conſtante matrimonio recipit ordines ſacros, an verò etiam, ſi recipiat dumtaxat minores? Sentiendum eſt ſolum contrahere, ſi ſacros ordines, ſeu maiores recipiat. Expreſsè colligitur *ex d. extrauag. Antiqua de vot., & voti redempt.* Ibi. *Auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibentes, ne quiſpiam durante matrimonio nondum etiam conſummato aliquem de ſacris ordinibus præſumat ſuſcipere*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem non ita cum coniugio repugnant ordines minores, quibus non eſt annexum votum caſtitatis, ſicuti repugnant maiores, & ſacri, quibus tale votum annexum eſt; vndè in iure canonico tam in decretalibus, quam in ſexto habetur titulus *de Cler. coniug.*

ARTICVLVS XVI.

De conditione negatiua relata ad alia in ſuſceptione ordinum.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum, 1.
Laicus exercens ordines, contrahit illam irregularitatem, quam contrahit Clericus exercens ordines quos non habet, 2.
Clericus exercens ordines minores, quos non habet, etiam adhibitis veſtibus illorum ordinum non fit irregularis. 3.
Clericus exercens ordines maiores, quos non habet ſolemnitèr, & adhibitis eorum inſignibus contrahit irregularitatem. 4.
Requiritur tamen ſcientia ad incurrendam irregularitatem. 5.
Clericus, vel Subdiaconus ſolemnitèr baptizans, contrahit irregularitatem. 6.
Diaconus habens facultatem à Parocho, ſi ſolemnitèr baptizet, non fit irregularis. 7.
Probabilius tamen contrahit, ſi non habeat talem facultatem. 8.
Peccaret tamen grauitèr. 9.
Diaconus ſolemnia Miſſæ celebrans contrahit irregularitatem. 10.
Non Sacerdos abſoluens ſacramentalitèr à peccatis fit irregularis. 11.
Non Epiſcopus confirmans, & conferens ordines contrahit irregularitatem. 12.
Epiſcopus promotus per ſaltum conferens illum ordinem, quem non accepit, probabilius fit irregularis. 13.
Non Sacerdos benedicens ſponſis, contrahit irregularitatem. 14.
Non Subdiaconus canens Epiſtolam ſine manipulo non contrahit irregularitatem. 15.
Non Diaconus canens Euangelium in Miſſa ſolemni etiam ſine ſtola probabilius contrahit. 16.
Non Subdiaconus canens Epiſtolam in Miſſa ſolemni ſine manipulo, cum intentione exercendi illud munus tanquam ex officio, vel canens cum manipulo ſine intentione exercendi illud ex officio, contrahit irregularitatem. 17.
Probabilitèr credens ſe habere ordinem, quem non habet, ſi in illo miniſtret, non contrahit irregularitatem. 18.
Sciens ſe non eſſe baptizatum, ſi ordines ſuſceperit, vel ignorantèr ſuſceptos exercuerit contrahit irregularitatem. 19.
Recipiens cum fictione baptiſmum, & ordines, an ſit irregularis, 20.
Duplex fictionum genus explicatur. 21.
Recipiens cum fictione, cum qua non compatitur caracther, fit irregularis. 22.
Si recipiat cum fictione non excludente caractheris impreſſionem, non fit irregularis, grauitèr tamen peccat. 23.
Adultus differens receptionem baptiſmatis vſque ad ægritudinem eſt irregularis. 24.
Diſpenſatio ſuper hac irregularitate orta ex exercitio ordinum, quos quis non habet, pertinet ad Romanum Pontificem. 25.
Niſi delictum fuerit occultum. 26.
Dubitans, an ſit cenſura irretitus, debet à ſuſceptione, & exercitio ordinum abſtinere. 27.
Recipiens, vel exercens ordines in tali dubio, quamuis grauitèr peccet, probabilius non contrahit irregularitatem. 28.

Niſi

Nisi postea cognita vera existentia censuræ ministret. 29.

Intellige, si dubium sit suspensiuum. 30.

Si dubium sit opinatiuum, & ipse dubitans inclinet in partem, quod non sit affectus censura non contrahit irregularitatem, secus si inclinet in partem, quod illa sit affectus. 31.

Irretitus duplici censura eiusdem rationis, & ex eadem, seu simili causa proueniens non contrahit duplicem irregularitatem suscipiendo ordines. 32.

Varijs exemplis euincitur. 33.

Disparitas de pluribus affinitatibus concurrentibus ex coniunctione cum pluribus consanguineis eiusdem fœminæ. 34.

Irretitus duplici censura eiusdem rationis, sed ex diuersa causa suscipiendo ordines non contrahit duplicem irregularitatem. 35.

Irretitus duplici censura diuersæ speciei contrahit vnam solum irregularitatem non solubilem tamen, nisi soluto vtroque vinculo. 36.

Ordinatus à non suo Episcopo contrahit suspensionem ab vsu ordinum ad beneplacitum sui. 37.

Ordinatus scienter ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui, & loco contrahit suspensionem. 38.

Ordinatus ab Episcopo, qui renuntiauit loco & non Episcopatui sine licentia Episcopi illius loci contrahit suspensionem. 39.

Si Episcopus renuntiauerit loco & Episcopatui potest hic de licentia Episcopi illius loci ordinare ad minores. 40.

Si quis receperit scientèr ab Episcopo, qui renuntiauit, & loco, & dignitati contrahit suspensionem non solubilem, nisi à Romano Pontifice. 41.

Si ignorantèr contrahit quidem suspensionem, sed solubilem à proprio Episcopo. Ibidem.

An verò contrahat irregularitatem remissiuè. 42.

Recipiens plures sacros ordines eadem die fit irregularis. 43.

An contrahat eandem, si eadem die omnes ordines minores, & Subdiaconatum recipiat remissiuè. 44.

Si pluribus ordinibus sacris eadem die initiatus transeat ad Religionem facilius dispensatur. 45.

Initiatus sacris ordinibus extra tempora sine dispensatione est suspensus ab exercitio eorundem ordinum. 46.

Non tamen irregularis. 47.

In hac suspensione potest Episcopus dispensare, si non fuit in culpa, secus, si fuerit in culpa. 48.

Ordinatus in peccato enormi trahente secum infamiam fit irregularis. 49.

Si non trahat infamiam grauitèr peccat, non tamen fit irregularis. 50.

Recipiens ordines ab Episcopo hæretico fit irregularis. 51.

Recipiens scientèr ab eodem non potest, nisi à summo Pontifice dispensari. 52.

Recipiens ignorantèr potest dispensari à proprio Episcopo. 53.

Recipiens ab Episcopo scismatico, contrahit irregularitatem. 54.

Recipiens ab Episcopo excommunicato non tamen nominatim denuntiato nec suspensionem contrahit, nec irregularitatem, secus si ab eodem nominatim denuntiato. 55.

Si recepit scientèr ab excommunicato non tolerato indiget dispensatione Pontificis, secus, si ignorantèr. 56.

Recipiens ab Episcopo deposito, vel degradato fit suspensus. 57.

I PRo complemento eorum, quæ actitata sunt in præcedenti articulo, nonnulla alia remanent sub præsenti discutienda. Primum erit, an contrahat irregularitatem, qui exercet ordinem, quem non habet. Secundum, an dubitans se esse aliqua censura irretitum, contrahat eandem irregularitatem, si in tali dubio recipiat ordines, vel eosdem exerceat. Tertium, an irretitus duplici censura, si recipiat ordines, duplicem contrahat irregularitatem. Quartum, an eandem contrahat, qui recipit ordines ab Episcopo non suo, vel ab Episcopo, qui renuntiauit dignitati. Quintum, an fiat irregularis, qui simul, & eadem die plures ordines recipit. Sextum, an irregularitatem contrahat, qui extra tempora sine priuilegio ordinatur. Septimum, an eandem contrahat, qui in peccato enormi, & notorio ordinatur. Octauum, an contrahat, qui ordinatur ab Episcopo hæretico, vel scismatico, vel simoniaco, vel suspenso, & interdicto specialitèr, & nominatim, vel excommunicato, vel deposito, & degradato.

Articuli examinandi circa titulum

Quoad primum dubitant in primis Doctores, an, quando per exercitium ordinum, quos non recepit, Clericus contraheret irregularitatem, eandem etiam contraheret laicus, si ipsos exerceret. Quo in dubio *D. Antoninus 3. part. tit. 28. in princip.*, *Maiolus de irreg. lib. 4. cap. 13. num. 4.*, & alij sentiunt hanc irregularitatem contrahere etiam laicos exercentes munera ordinum, propter quæ eandem contraheret Clericus non initiatus illo ordine, si eiusdem munera exerceret, ratione etiam adducta, quia maior apparet contemptus in laico diuina pertractante, quam in eo, qui iam in Clericatus ordine adscriptus est. Ex aduerso *Angelus in verb. irregularitas 1. num. 38.*, *Rosella eod. verb.*

T

2 *verb. irregularitas 2. in princip., Coarruuias in Clement. si furiosus prima part. §. 1. num. 1., Henriquez lib. 14. cap. 6. §. 1., Reginaldus lib. 30. tract. 2. cap. 14. num. 192.*, sustinent eandem irregularitatem non contrahere addita etiam ratione, quia textus ipsam inducens non loquitur de laicis, sed de Clericis, cum contineatur *sub titulo de Cler. non ord. minist.*, nec extendenda est irregularitas vltra terminos, sub quibus concipitur; nec arbitrandum est ex identitate, seu maioritate rationis contrahi, cum præferat maiorem contemptum laicus administrans sine aliquo ordine, ac Clericus iam Clericatui adscriptus ministrans in ordine, quem non accepit; Non, inquam, arbitrandum, quia pænæ, qualis est illa, non extendendæ sunt ex maioritate etiam delicti, vt in pluribus videre est, & præcipuè in reseruatione sodomiæ, quæ non est extendenda ad bestialitatem, quamuis hæc ex genere suo sit grauius delictum; In reseruationibus etenim, & dispositionibus pænalibus iura non respiciunt præcisè delicta grauiora, sed quandoque frequentiora, dummodò ex genere suo sint grauia. Hinc, cum facilius, & crebrius Clerici præsumant sibi vsurpare in muneribus Ecclesiasticis, & ordinum, quæ sibi non competunt, quam laici, ideo asserunt huiusmodi Doctores comprehendi sub illa censura Clericos potius, quam laicos. Probabiliorem existimo primam sententiam propter rationes, quibus innititur, quam etiã latè probo *in qu. de baptismo q. 5. art. 5. vers. sed an Laicus* confutatis omnibus obiectis; Intellige tamen quoad illos ordines, quorum vsus Laicis interdicitur.

Laicus exercēs ordines non contrahit irregularitatē quam cōtrahit Clericus exercēs ordines, quos nō habet.

3 An verò Clericus ministrans in ordine, quem non habet, contrahat hanc irregularitatem. Cum distinctione procedendum est, vel etenim ministrat præcisè in ordinibus minoribus, quos non habet cum sit simplicitèr tonsuratus, vel ministrat in ordine maiori, cum sit simplicitèr minoribus initiatus, Iuxta primũ membrũ distinctionis existimo, non contrahere, cum etiam laicus in illorum ministerio adhibeatur, nec vllus est, qui ipsum subijciat irregularitati, quantumuis adhibeat vestes, quibus vtuntur in huiusmodi functionibus Clerici talibus ordinibus initiati, prout sentiunt *Angelus verb. irregularitas 1. num. 38., Sairus d. cap. 10. num. 6., Vgolinus de irregular. cap. 37. n. 13., Coninchus disp. 18. dub. 6.* Iuxta secundum membrum adhuc subdistinctione vtendũ est; vel etenim in ijs functionibus quoad ordines sacros, in quibus ex consuetudine quandoque admittuntur laici exercent solemnitèr adhibendo insignia propria talium ordinum, puta manipulum cum dalmatica in Missa solemni, & canendo Epistolam, vel stolam canendo Euangelium, vel exercent non solemnitèr, nec adhibendo huiusmodi insignia; si primo modo exerceant, vtique contrahunt irregularitatem, prout habetur *in cap. 1., & 2. de Cler. non ordin. minist.*, prout expressè tradunt *Nauarrus in man. c. 27. n. 242., Filliutius tract. 20. cap. 7. quæst. 8., Reginaldus lib. 30. nu. 191., Toletus lib. 1. c. 72., Sotus in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 3., Vgolinus de irreg. cap. 37.*, quamuis *Suarez disp. 42. sect. 4. num. 2.*, dicat non esse totalem irregularitatem, sed partialem dumtaxat; sed, cum impediat absolutè ministerium ordinum, & susceptionem ordinis, non video quid deficiat ad constituendam ipsam in ratione totalis irregularitatis; secus, si exerceat secundo modo.

Clericus exercēs ordines minores quos nō habet, non fit irregularis.

4 *Clericus exercēs ordines maiores cum insignibus proprijs illorum ordinum quos non habet fit irregularis.*

Verum ad incurrendam hanc irregularitatem plura requiruntur; & primo, vt hoc munus præstet sciéntèr, si etenim exerceat ex ignorantia, quantumuis crassa, non contraheret irregularitatem, prout tradit *Vgolinus de censuris cap. 37. num. 8., Nauarrus consi. 70. de sent. excomm., Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 1.* Ratio ex eo deducitur, quod in *alleg. cap. 1. de Cler. non ord. minist.*, dicitur *propter eius temeritatem, & in cap. 2. eodem tit.* dicitur, *præsumpsit*; temeritas autem, & præsumptio stare nequeunt cum ignorantia, sed ex genere suo important scientiam in temerè, & cum præsumptione operante, vt habetur *in Clement. 1. §. si quis autem præmissorum de stat. Monac.*, vbi Cardinalis dicit, eum temerarium dici, qui sciéntèr, & ex proposito aliquid de prohibitis facit. Secundò, quod hoc præstet quasi ex officio. 5

Requiritur tamen scientia ad incurrendam hanc pœnam.

Hinc in particulari plura deducuntur, in quibus contrahatur, vel non contrahatur hæc irregularitas, & primo verè contrahi irregularitatem ab eo, qui cum non sit Sacerdos, sed præcisè Subdiaconus solemnitèr baptizat, quod est id, quòd dicitur signantèr *in cap. 1. de Cler. non ord. minist.* Intellige etiam, si hoc præstet in casu necessitatis, nam necessitas ad subueniendum in eadem constituto tribuit quidem facultatem, quin potius obligationem saltem ex lege charitatis baptizandi, non autem baptizandi solemnitèr, cum hoc sit proprium munus Sacerdotis *Filliutius tract. 20. cap. 7. quæst. 8. num. 308., Auila dub. 14., Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 5.* Dixi, *sed præcisè Subdiaconus*, nam, si foret Diaconus, & facultatem haberet à proprio Parocho, tunc secundum *Caietanum 3. part. qu. 67. art. 1., Sotum in 4. distinct. 4. quæst. vnica art. 1.* 6

Subdiaconus solemnitèr baptizans contrahit irregularitatem.

art. 1., baptizans solemnitèr non contraheret irregularitatem, cum hoc competat illi ex proprio munere, dummodò hoc præstet ex facultate Episcopi, vel proprij Parochi, quinimmò credunt aliqui stante hac sententia, nec eandē contrahere, si sine tali facultate hoc præstaret, licet grauitèr peccaret. Rationem ex ijs deducunt, quæ tradit *Bonacina loc. cit. num. 6.*, nempè Sacerdotem ministrantem Sacramentum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, vel Extremæ Vnctionis sine facultate non contrahere irregularitatem, cum non exerceret actū ordinis, quem non habet; verè etenim est Sacerdos, sed actum iurisdictionis, quam non habet; irregularitas autem illata est contra exercentem ordinem, quem non habet, non autem iurisdictionem, prout notant etiam *Henriquez lib. 2. cap. 29. num. 2.*, *Coninchus disp. 18. dub. 6.*, *& alij*; Cum igitur facultas in Diacono ministrante solemnitèr baptismum sit actus iurisdictionis non videtur ipsum exercens ex allata doctrina irregularitatem contrahere: Sed isti confutantur *in q. de baptismo qu. 5 art. 5. vers. sed, an Diaconus.*

7 *Diaconus habens facultatē à Paroco si solemnitèr baptizat, non fit irregularis.*

8 *Immò secundū aliquos, nec si nō habeat facultatem, sed incognitè.*

9 *Peccaret tamen grauitèr*

Secundò irregularitatem contrahi ab eo, qui cum sit præcisè Diaconus audet solemnia Missæ celebrare. Hic est casus specialitèr relatus *in cap. 2. de Cler. non ord. minist.*, vbi expresśè præcipitur, quod non promoueatur ad Sacerdotium, & per biennium, & vltrò priuetur exercitio Diaconatus. Difficultas solummodò in eo videtur consistere, quod, cum non priuetur absolutè exercitio ordinis Diaconatus, sed dumtaxat ad tempus biennij, vel triennij, non videtur propriè fieri irregularis, sed ad summum suspendi. Nihilominus, cum absolutè prohibeatur promoueri ad Sacerdotium, & indigeat dispensatione Episcopi, vt possit exercere ordines, quos habet, irregularitas videtur ex se resultare.

10 *Diaconus celebrans Missam fit irregularis.*

Tertiò eandem contrahi ab eo, qui, cum non sit Sacerdos, seriò, & sacramentalitèr alterum à peccatis absoluit. *Nauarrus in man. cap. 27. num. 142.*, *Sotus de iust. quæst. 4. art. 1.*, *Vgolinus cap. 37. n. 6.*, *Auila dub. 15.*, *Coninchus disp. 18. dub. 6. num. 48.*, verè etenim iste exerceret actum ordinis, quem non haberet. Neque hic audiendus est *Siluester verb. Confessor 1.*, asserens, absolutionem sacramentalem nō comprehendi sub nomine Diuini Officij; *in tit. autem de Cler. non ordin. minist.* afficiuntur illa nota, qui sine ordine baptizant, vel Diuinum Officium exercent. Non, inquam, audiendus est, quia nomine Diuini Officij in præsenti materia veniunt munera, quæ sunt propria ordinum, qualis est sacramentalis absolutio respectu ordinis Sacerdotalis, vt ex communi scribentium sententia refert *Coninchus d. disp. 18. dub. 6. num. 48.*

11 *NonSacerdos absoluēs sacramentalitèr à peccatis est irregularis.*

Quartò contrahi ab eo, qui, cum non sit Episcopus, exercet munera, quæ propriè sunt Episcopalia, puta confirmando, conferendo ordines, benedicendo solemnitèr cum ceremonijs, & ritibus, quibus Episcopi ex proprio munere benedicunt, vt de communi testatur *Suarez disp. 42. sect. 4. num. 7.*, *Filliutius tract. 70. cap. 7. quæst. 8. num. 210.*

12 *Non Episcopus, confirmans, & ordinans fit irregularis.*

Sed, an Episcopus promotus per saltum contrahat hanc irregularitatem, si conferat illum ordinem, quem ipse ratione saltus non recepit? Affirmat *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 2. in fine*, vbi pro sua sententia refert *Suarez disp. 42. sect. 4. num. 9.*, cum verè exerceat ordinem, quem non habet. Sed huic opinioni aduersari potest, quod licet formalitèr non habeat illum ordinem, habeat tamen eminentèr in superiori ordine, quem habuit per saltum, quatenus ordo superior continet eminentèr omnes inferiores, sic Sacerdotium eminentèr continet Diaconatum, Subdiaconatum, & alios. Verum, quia omnia iura compellunt sic per saltum ordinatum ad recipiēdum ordinem, quem omisit, vt possit alios recipere, & in susceptis ministrare, non recedendum arbitror a prima sententia asserente, contrahere irregularitatem.

13 *Episcopus promotus per saltum cōferens ordinē quem nō habet, fit irregularis.*

Quintò contrahi ab eo, qui, cum non sit Sacerdos, sponsis benedicit, quamuis hoc præstet sine Sacerdotalibus indumentis, prout tradunt *Vgolinus de censur. cap. 37. num. 10.*, *Suarez disp. 42. sect. 4. num. 19.*, *Coninchus disp. 18. cap. 7. qu. 8. num. 49.*, *Filliutius tract. 70. cap. 7. qu. 8. num. 212.*, cum hoc sit proprium munus Sacerdotio affixum. Idem asserunt de Diacono solemniter benedicente aquam lustralem *Sairus de censur. lib. 7. cap. 10. num. 4.*, *Vgolinus de irregul. cap. 37.*, *Mar. Anton. lib. 3. var. resol. resol. 16. num. 4.*, *Homobonus tract. 4. de art. circa exam. ad Diacon. cap. 6. quæst. 48. in fin.*, cum hoc munus ad Sacerdotem spectet per textum *in cap. aquam*, *& ibi Turrecremata de consecr. dist. 3.*, *Mars. Columna de aqua benedicta sect. 2. cap. 5.*

14 *NonSacerdos benedicens sponsis cōtrahit*

Ex aduerso hanc irregularitatem non contrahunt primo, qui canunt Epistolam in Missa solemni sine insignibus proprijs Subdiaconi, puta sine manipulo, vel Euangelium sine stola, sed circa Euangelium in Missa solemni plerique contendunt, & quidem non improbabilitèr, cum ad hoc munus ex consuetudine non admittantur non Diaconi, sicuti admittuntur non Subdiaconi ad canendam Episto-

15 *NōSubdiaconus canens Epistolā sine manipulo non est irregularis.*

16 *Benè tamen Diaconus canens Euangelium etiam sine stola*

Epistolam. Sed quid esset dicendum, si non Subdiaconus caneret Epistolam in Missa solemni sine manipulo, intenderet tamen canere ex officio, vel viceuersa caneret cum manipulo, non intenderet tamen canere ex officio, an in vtroque hoc casu contraheret irregularitatem? In neutro contrahere asserit *Bonacina de irregular. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 2.* Non in primo, quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit actus merè internus deficientibus ijs, quæ requiruntur ad externam solemnitatem. Non in secundò, quia non existente intentione canendi ex officio, quantumuis habeat exteriora insignia non dicitur actus completus ex officio, quia ad complementum non solum requiritur actus exterior, sed etiam internus id muneris peragendi. Sed in neutro casu libentèr adhærerem Bonacinæ; non in primo, quia denegari non potest quin officium illud canendi Epistolam in Missa solemni sit ex genere suo proprium Subdiaconi, quamuis ex permissione, & consuetudine quoquo modo in exercitio accommunetur alijs; prout autem exercetur cum intentione expressa tale munus præstandi ex officio, exercetur, vt proprium, quantum est ex affectu

17 *Quid erit sentiendũ, si non Subdiaconus caneret Epistolã sine manipulo, & cum intentione illud munus exercẽdi ex officio.*

operantis adeoque inducit irregularitatem comminatam per iura contra exercentes ordines, quos non habet, nec excusabitur ex eo, quod non fuerint adhibita insignia propria talis ordinis, quia insignia sunt præcisè inditia ordinum, nec conferunt aliquam potestatem; vndè, sicuti, si verè Subdiaconus caneret in Missa solemni Epistolam sine manipulo, cum intentione tamen exercendi munus proprium ordinis, verè caneret ex officio, ita si non Subdiaconus caneret etiam sine manipulo in Missa solemni, si tamen caneret cum intentione expressa præstandi illud munus ex officio, verè vsurparet munus proprium Subdiaconi, quamuis non adhiberet manipulum in illa actione, & sic contraheret irregularitatem *ex c. 1., & 2. de Cler. non ord. minist.* Nec officit ratio Bonacinæ, quod actus purè internus non sufficiat ad contrahendam irregularitatem; non officit, inquam, quia irregularitas in hac hypothesi non contrahitur præcisè propter actum internum, sed propter actionem exteriorem illius muneris præstiti in Missa solemni, quod munus factum est quodammodo, tanquam proprium illius ordinis per illum actum internum; Non in secundò, quia adhibere omnia requisita ex vi illius ordinis ad illud munus exercendum, & seriò illud peragere, & non ioco, non potest compati cum negatione intentionis illud peragendi cum illis qualitatibus, cum quibus peragitur. Neque obstat, quod intentio, sicuti in præcedenti casu efficit, quod illud munus, quod secundum se erat commune, fiat proprium; ita defectus illius intentionis efficiat, quod opus, quod secundum se cum illis insignibus esset proprium, fiat quodamodo commune; in exercitio autem ordinum, prout est commune Clericis, & laicis non contrahitur irregularitas à Clerico, si illud munus commune exerceat. Non, inquam, obstat, quia illa prima intentio positiua coniuncta cum exercitio illius ordinis determinat illud exercitium, & illud quodamodo constituit proprium illius ordinis, cum non habeat insignia, per quæ determiuatur; illa autem negatio intentionis in secundo casu, cum iam habeat determinatiuum per illa insignia, cum quibus munus illud seriò exercetur, non habet tollere, quin sit opus proprium illius ordinis. Deindè præsumptio, seu temeritas, cum qua adhibet insignia propria illius ordinis, quæ iustè adhibere non potest, coniuncta cum actuali exercitio illius ordinis efficit, quod sit vsurpatio propria eiusdem ordinis, cui est annexa illa irregularitas, & sicuti, si verè Diaconus indutus insignibus illius ordinis caneret Euangelium in Missa solemni diceretur ex officio exercere munus illius, quamuis assereret non habere intentionem exercendi ex officio illud munus, quia factum ipsum aduersatur illi intentioni, ita, si non Diaconus indutus illis insignibus idem munus præstaret, dicendus esset illud vsurpare quasi ex officio, quamuis haberet intentionem illud non exercendi ex officio.

Non contrahunt secundò, qui licet verè, & realitèr non habent illum ordinem, quem administrant, probabilitèr tamen credunt se illum habere, prout notant *Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 13. num. 6., Tabiena in verb. irregularitas 4. num. 2., Siluester eodem verb. irregularitas quæst. 12., Vgolinus de censuris cap. 37. n. 8., Nauarrus cons. 70. de sent. excommunic., Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 1. vers. dixi in propositione scientèr.* 18 *Ministrans in ordine, quem credit habere, & non habet, non est irregularis.*

Ratio est, quia iura inducentia hanc pœnam irregularitatis loquuntur de eo, qui cum præsumptione, & temerè exercent illa munera; cum ignorantia autem probabili non compatitur illa præsumptio, seu temeritas. Hinc, si quis ad Episcopum accesserit; vt ordines reciperet, seu Sacerdos fieret, & tamen Sacerdotium non receperit ob aliquem defectum substantialem tunc non cognitum, & Sacerdotij munera exerceret, certè nullam con-

contraheret irregularitatem, quod idem dicendum est de eo, qui probabilitèr arbitrans, se esse baptizatum, cum tamen reuera non esset, reciperet ordines, & in illis ministraret, quia in neutro casu peccaret, & per consequens non contraheret illam pænam, quæ nequit esse sine peccato *Siluester in verb. ordo quæst. 4. vers. tertium in fine, Albericus in verb. Baptismus 4. in fin., Glosa in cap. 2. de Presbit. non ord. minist., vbi etiam textus innit. etiam textu in cap. 3. eodem tit.*

Nõnulla corrolaria ad prædicta.

19 *Sciens se non esse baptizatũ suscipiens ordines, & in illis ministrans sit irregularis.*

Quod, si sciens se non esse baptizatum ordines susceperit, vel ignorantèr susceptos sciens exercuerit, tunc *Maiolus de irregul. lib. 4. cap. 13. num. 9.* asserit nulli dubium esse eum effici irregularem, & vt quemlibet non ordinatum ministrantem puniendum esse iuxta terminos *c. 1., & 2. de Cler. non ord. minist.*, & iuxtà superius dicta, si exercuerit sciens se non esse baptizatum, licet ignorantèr ordines receperit certè contrahit irregularitatem, cum exerceat ordinem, quem scit se non habere, si exerceat solemnitèr, & tanquam ex officio; Neque obstare potest, si asseratur, quod ad contrahendam irregularitatem ex vi *d. cap. 1., & 2.*, requiratur, vt exerceat, vt Clericus, nam iuxtà superiùs dicta laicus, vt talis non comprehenditur sub dispositione talium iurium; ex eo autem, quod postea nouerit, se non esse baptizatum, non potest se considerare, vt Clericum, cum sine baptismo non possit esse talis, adeoque non videtur posse sub illo iure comprehendi. Non inquam, obstare potest; nam licet reuera non sit Clericus, ex eo tamen, quod ordines receperit licet inualidè, in illa actione se habet, vt Clericus, & vt talis se gerit, adeoque non est, cur non debeat irregularitatem contrahere. Cæterum, quod sciens se non esse baptizatum contrahat irregularitatem, si ordines suscipiat, vel susceptos exerceat est in confesso apud omnes.

20 *Recipiens cũ fictione baptismum, & ordines, an sit irregularis.*

Ex occasione eorum, quæ hic dicuntur insurgit ratio dubitandi, an, si quis cùm fictione baptismum, & postea ordines receperit, contrahat irregularitatem. Duplex in hoc potest considerari fictio, altera, quæ impedit caractheris impressionem, quatenus, qui recipit non habet intentionem recipiendi, quin potius positiuam voluntatem non recipiendi, vndè nec caractherem, nec gratiam Sacramenti consequitur; altera qua intendit recipere Sacramentum, seu caractherem Sacramenti ponit tamen obicem consecutioni gratiæ. Hæc secunda fictio iuxtà *Siluestrum verb. Baptismus 3. quæst. 14.*, quatuor potissimum modis contingit; primò non credendo; secundò indeuotè accedendo; tertiò paruipendendo; quartò variando vsum contra constitutionem Ecclesiæ circa ea, quæ non sunt substantialia Baptismi; omnibus his quatuor modis semper caracther accipitur, sed non gratia per textum *in cap. maiores, §. vltim. de baptismo*. Si recipiat baptismum cum fictione in primo sensu accepto, & deindè ordines, non reiterato legitimè baptismate; tunc distinctione procedunt aliqui, vel etenim recipit præcisè ordines, vel recipit, & in ijsdem administrat; si præcisè recipit; tunc aliqui asserunt non contrahere irregularitatem ex vi textus *in cap. 1., & 2. de Cler. non ord. minist.*, quia non potest dici, quod ministret in ordine, quem non habet, cùm nullum exerceat ministerium; si verò administret, tunc asserunt verè irregularitatem contrahere, cum verè ministret in ordine, quem non habet. Ego in vtroque membro distinctionis absolutè crederem, contrahere ob eam iniuriam factam Sacramento, nam certè est maior culpa in eo, qui tali fictione recipit baptismum, quam in eo, qui recipit necessitate ductus; qui autem ex necessitate baptismum recipit, fit irregularis per textum *in cap. 1. dist. 57., & per Concil. Neocesariense cap. 12.*, adeoque a fortiori fiet talis, qui animo illo simulato recipit. Si recipiat cum fictione secundo modo accepta, tunc *Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 7., & lib. 4. cap. 13. n. 10.* existimat contrahere irregularitatem repetito argumento, quo nos vtebamur de baptizato fictione iuxta primum modum sumpta, hoc est irritante, quod scilicet maior sit culpa in eo, qui simulatè recipit Sacramentum ac sit in eo, qui recipit vrgente necessitate per textum *in cap. de homine de celebrat. Missar.* Sed aduertendum est, quod ille, qui simulauit *in d. cap. de homine*, conficere Sacramentum, ea simulatione confecit, qua nec confecit, nec recepit Sacramentum, non etenim consecrauit, sed finxit consecrare; vndè argumentum non videtur extendendum ad casum præsentem, in quo verè supponitur Sacramentum recepisse; nec argumentum à paritate, vel maioritate rationis in pænalibus videtur vrgere, potissimum cum irregularitas non inducatur, nisi sit in iure expressa; nullibi autem reperitur expressa contra recipientes baptismum cum fictione secundo modo accepta. Quamobrem assererem, baptizatum cum hac fictione recipientem ordines eosque exercentem irregularitatem non contrahere, quamuis grauitèr peccaret ob susceptionem Sacramenti existens in peccato læthali; Remota postea fictione, sicuti

21 *Duplex fictionũ genus explicatur.*

22 *Recipiens cũ fictione, cum quo nõ compatitur caracther fit irregularis.*

23 *Recipiens cũ fictione non excludẽte caractherem, non fit irregularis.*

Grauitèr tamen peccat. sicuti recipit gratiam sacramentalem iuxta *D. Thomam in 3. parte quæst. 69.*, quem communitèr Doctores sequuntur, ita recipit liberum, & licitum exercitium ordinum susceptorum.

Mox occasione item eorum, quæ mox dicta sunt de recipiente baptismum ex necessitate, seu eadem vrgente remanet hic inquirendum, an differens receptionem baptismatis vsque ad ægritudinem irregularitatem contrahat. Affirmatiuè
24 respondendum est *Suarez. disp. 42. sect. 1. num. 5.*, *Sairus cap. 8. num. 30.*, *Reginaldus lib. 30. num. 179.*, *Toletus lib. 1. cap. 65. num. 7.* Expresè deducitur *ex cap. si quis. distinct. 57.* Intellige tamen de adultis sic differentibus, non autem de infantibus. Ratio responsionis, & textus ea est, quia non videtur fidem liberè, & voluntariè suscipere; vndè sic baptizati, si conualescant, non sunt ad ordines promouendi, nisi postea eorum fides probata sit, vel necessitas ministrorum id exigat. Sed, an probata fide, vel necessitate ministrorum exigente sic baptizati possint ad ordines promoueri sine alio, an verò adhuc indigeant dispensatione Episcopi? Textus *in d. cap. si quis dist. 57.*, nullam facit mentionem talis dispensationis, sed positis illis duabus conditionibus statuit posse promoueri; vndè aliqui asserunt non esse necessariam talem dispensationem. Necessariam tamen agnoscunt *Suarez d. disp. 42. sect. 1. num. 6.*, *& alij apud ipsum* seruata regula irregularitatis, quæ regularitèr nonnisi dispensatione tollitur.

Differēs receptionem baptismi vsq; ad ægritudinē.

25 Pro complemento eorum, quæ pertinent ad primum dubium in principio articuli propositum remanet discutiendum ad quem spectat dispensare in irregularitate consurgente ex exercitio ordinum, quos quis non habet in casibus, in quibus hæc contrahitur. Asserendum est regularitèr ad solum Romanum Pontificem pertinere, cum talis irregularitas proueniat ex iure communi, in quo solus Pontifex tanquam superior ad ipsum dispensat. *Siluester verb. irregularitas quæst. 8.*, *Vgolinus de irregul. cap. 37. num. 14.*, *Auila dub. 15. concl. 3.*, *& alij magis communitèr.* Dixi *regularitèr*, nam, si delictum fuerit occultum ex dispositione *Concilij Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* Episcopus potest
26 dispensare super eadem. Addunt aliqui, inter quos *Panormitanus ad cap. 1. de Cler. non ord. minist.*, *Nauarrus in man. cap. 27. num. 243.*, *Reginaldus lib. 30. num. 192. vers. in hac autem specie*, *Bonacina de irreg. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. num. 10.*, quod, quamuis Episcopus non possit in tali irregularitate dispensare in ordine ad vlteriores ordines suscipiendos, possit tamen dispensare, vt suscepti exerceantur. Sed, an Regulares ex vi suorum priuilegiorum possint in illa dispensare, consulenda sunt eorum priuilegia.

Dispensatio super hac irregularitate pertinet ad Rom. Pontif.

Nisi delictum fuerit occultū.

Quoad secundum dubium in principio articuli propositum, an scilicet dubitans se esse censura irretitum contrahat irregularitatem, si illo dubio perseuerante recipiat ordines, vel receptos exerceat? Certum est, quod illo dubio, si verè dubium est, perseuerante, debeat dubitans à susceptione, & exercitio ordinum abstinere, quia in dubijs tutior pars est eligenda potissimum in ijs, quæ concernunt animæ salutem, vt per textum *in l. si fuerit, §. vlt. de reb. dub.*, *& c. iuuenis de sponsal.* tradunt *Couaruuias in cap. alma mater part. 1. §. 2. num. 5. cas. 1.*, *Nauarrus in man. cap. 27. num. 139.*, *Emanuel Roder. in summa tom. 2. cap. 51. num. 6. concl. 4.*, *Vasquez in prima secunda quæst. 19. art. 6. disp. 65. cap. 3.* Certum autem est, quod abstinere in hoc dubio tutius sit in fauorem animæ, quam recipere, & exercere ordines, nam abstinendo nullam labem contrahit, quam contraheret recipiendo, se etenim periculo violandi censuram exponeret; vndè etiam communitèr tradunt Doctores, quod verè dubitans, an peccatum aliquod commiserit, teneatur illud clauibus subijcere propter eandem rationem. Sed, an verè in tali dubio recipiens, vel exercens ordines contrahat irregularitatem, dato, quod grauitèr peccet recipiendo, vel exercendo. *Bonacina de irregul. disp. 7. quæst. 3. punct. 5. num. 2.* citatis *Suarez de censur. disp. 31. sect. 3. n. 7.*, *Vgolino de censur. tab. 1. cap. 14. num. 12.*, *& 24.*, *Siluestro verb. irregularitas num. 15.*, *Sairo lib. 7. cap. 9. num. 29.*, asserit incurrere irregularitatem, si re vera detinebatur censura, non incurrere, si postea comperiat se re vera non fuisse illa irretitum addita etiam ratione, quia hæc non incurritur ob conscientiam erroneam, sed ob violationem censuræ. Sed hæc Bonacinæ assertio non videtur euacuare difficultatem, quæ consistit in eo, an contrahatur irregularitas ex eo præcisè, quod in dubio censuræ recipiat, vel exerceat ordines, adeo vt irregularitas sit pæna præcisa susceptionis vel exercitij in tali dubio, siue postea appareat existentia, vel non existentia censuræ. Cum versemur in pænalibus, crederem non contrahere irregularitatem, quia, cum pænæ sint potius moliendæ, quam exacerbandæ per textum *in cap. pæna 18. de pænit. dist. 1.*, & ex communi scribentium sententia pæna illata contra delictum certum non est extendenda ad delictum dubium. Ex quibus infero, quod, quamuis in tali

27 Dubitās an sit censura irretitus debet abstinere à susceptione, & exercitio ordinum.

28 Non tamen cōtrahit irregularitatē.

dubio

dubio recipiendo, vel exercendo ordines peccet, non tamen subijciatur dispositioni pænali irregularitatis, adeo vt, si postea cognosceretur adstitisse censuram, de qua erat dubium, an extiterit, ante talem cognitionem, licet fuerit receptio, seu exercitium, irregularitas non intelligatur contracta, quia tunc delictum, ex quo oritur, non erat certum, sed merè
29 dubium; quod, si postea cognita censura in ordine suscepto ministrauerit, certum est, quod ex tunc irregularitatem contraheret, quia exerceret ordinem in censura cognita, & certa. Nec valet ratio à Bonacina adducta, quod irregularitas non contrahatur ob conscientiam erroneam, sed per violationem censuræ. Non valet, inquam, quia reuera irregularitas contrahitur propter violationem censuræ, sed, cum sit pæna, exigit eandem violationem cum omnibus qualitatibus requisitis ad eandem inducendam, nempè cum cognitione certa existentiæ eiusdem, &, sicuti ex superius dictis, quantumuis censura existat, si tamen fuerit ignorata, non inducit irregularitatem, ita &c.

Nisi postea cognita censura ministret.

Dixi, *si verè dubium est*, pro quo aduerte, duplex quoquomodo dubium posse distingui; aliud suspensiuum, quod alij vocant negatiuum, aliud opinatiuum, quod tamen potius dicendum est opinio, quam dubium. Primum est, quod nec in vnam, nec in alteram partem inclinat, sed quoquomodo manet in æquilibrio. Secundum est, quod habet rationes probabiles pro vtraque parte inclinantes, & fortè probabiliores pro vna, quam pro altera. Iuxta primum dubium proce-
30 dunt ea omnia, quæ mox dicta sunt de recipiente, & exercente ordines existente dubio de præexistentia censuræ. Iuxta secundum assero, quod, si adhæreat rationibus inclinantibus pro existentia censuræ, quæ verè adsit, probabilius contrahat irregularitatem, cum recipiat, vel exerceat ordines irretitus censura, quam ipse sentit contraxisse. Quid verò esset sentiendum, si ipse rationabilitèr
31 crederet censuram existere, quæ tamen in re non existeret, & cum tali opinione reciperet, vel exerceret ordines, an tunc contraheret irregularitatem? In hoc sentiendum arbitror non contrahere, quia irregularitas non imponitur propter conscientiam erroneam, sed propter violationem censuræ, quæ hic non est. Verum tamen est, quod grauiter peccaret propter conscientiam erroneam, cum peccatum sumatur secundum intentionem peccantis, non tamen pænam cõtraheret, cum hæc potius sumatur secundum conditionem delicti, quam secundum affectum delinquentis.

Intellige, si dubium sit suspensiuũ.

Quid sentiendum, si dubium sit opinatiuũ.

Quoad tertium dubium, an scilicet irretitus duplici censura, si ordines recipiat, vel exerceat contrahat duplicem irregularitatem. In hoc considerandum venit, an duplex censura, qua afficitur, sit eiusdem rationis, & ex simili causa dimanans, puta duplex excommunicatio ex duplici Clerici percussione, vel eiusdem rationis, sed ex diuersa causa proueniens puta duplex excommunicatio altera proueniens ex Clerici percussione, altera ex commissione abortus, an verò sit diuersæ rationis puta excommunicatio, & suspensio, vel interdictum. His sic pro notitia destinatis.

Dicendum est primò, irretitum duplici censura eiusdem rationis, & ex simili causa proueniente non contrahere duplicem irregularitatem. Ita in similibus. *Henriquez lib. 12. cap. 10. §. 3., & lib. 14. cap. 7. §. 8., Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 24. num. 7., Auila disp. 10. de irregul. dub. 8., Zerola in praxi secunda part. verb. irregularitas, §. 12. ad finem, Garzias 8. part. de beneficijs cap. 3. à num. 80. ad 87., Diana part. 8. tract. 3. resol. 58.*, qui omnes asserunt per plura homicidia nõ contrahi plures distinctas irregularitates, sed omnia cadere sub eadem; ex quibus infero, ergo nec per violationem plurium censurarum eiusdem rationis, & ex eadem causa prouenientium non contrahuntur plures irregularitas; æquè etenim irregularitas consurgit ex violatione censurarum, ac ex homicidio. Ratio nostri dicti ex eo deducitur, quià irregularitas proueniens ex violatione censurarum inhabilitat subiectum per modum habitus ad Ecclesiastica munera, & quidem priuatiuè, ergo per violationem alterius censuræ eiusdem rationis, & ordinis non potest alia induci, cum vna inhabilitas ex eadem causa non possit super aliam operari, nec vna priuatio super aliam. Propter hanc rationem docent primò. 33
Nauarrus cons. 8. de raptor. num. 6., & Garzias loc. cit., Henriquez lib. 13. de excommunicatione cap. vlt. num. 2. in comment. litt. M., Sanchez de matrimon. lib. 8. disp. 24. num. 7., quod, qui sæpius in excommunicatione celebrauit, non contrahat plures distinctas irregularitates. Secundò asserunt *Sanchez loc. cit., Toletus lib. 7. cap. 19. ad fin., Azorius 3. parte lib. 3. cap. 10. quæst. 4.*, non contrahere diuersam numero affinitatem illum, qui sæpiùs fornicatus est cum eadem consanguinea, nec teneri omnium fornicationum mentionem facere in dispensatione obtinenda. Tertiò docent non contrahere diuer-

32 *Irretitus duplici censura eiusdem rationis & orta ex simili causa, non contrahit duplicẽ irregularitatẽ*

Varijs exẽplis euincitur.

sam

sam bigamiam, qui ter, vel quater contraxit nuptias *Garzias loc. cit. num. 79., Sanchez lib. 7. disp. 87. num. 24., Henriquez lib. 12. cap. 6. §. 9., Vgolinus de irregular. cap. 56. §. 7. num. 3., Auila de censuris 7. part. disp. 8. in fin.*

34 *Disparitas de pluribus affinitatibus consurgẽtibus ex coniũctione cum pluribus consanguineis eiusdem fæminæ.* Neque dicas, quod, qui violat per fornicationem plures consanguineas eiusdem fæminæ, vtique contrahat diuersas numero affinitates vtique aperiendas in impetratione dispensationis, ergo etiam, qui violat plures censuras eiusdem etiam rationis, debet contrahere plures irregularitates in impetratione dispensationis explicandas; quo argumento vtuntur etiam ad euincendum per plura homicidia contrahi plures irregularitates; Contra enim impugnaberis; nam admisso assumpto neganda est absolutè consequentia. Ratio disparitatis in eo fundatur, quod affinitas, cum consurgat ex coniunctione, importat ex genere suo relationem ad alterum, ex cuius coniunctione resultat affinitas cum alijs cum eodem coniunctis; vndè, si fuerint plures coniunctiones cum pluribus personis, vtique erunt affinitates diuersæ, cum procedant ex diuersis principijs, & causis; sic principium vnius affinitatis cum Berta v. gr. est coniunctio Caij cum Sempronia consanguinea eiusdem Bertæ; principium verò alterius affinitatis cum eadem Berta est coniunctio eiusdem Caij cum Calidonia altera consanguinea eiusdem Bertæ, vbi autem diuersum est principium non potest esse, nisi diuersus saltem in numero effectus; principium autem irregularitatis ex homicidio, vel censuris eiusdem generis potissimum prouenit ex actione homicidæ, vel excommunicati, ad quam materialitèr se habent occisus, & censura.

35 *Nec cõtrahit duplicẽ irregularitatẽ quamuis sit effectus duplici censura ex diuersa causa.* Dicendum secundò irretitum duplici censura eiusdem rationis, sed proueniente à diuersa causa non contrahere etiam duplicem irregularitatem. Ratio est, quia illa diuersitas causæ materialitèr se habet ad effectum illum irregularitatis, nam non contrahitur ratione illius causæ, sed ratione censuræ ex illa resultantis ergo ratione illius diuersitatis causarum non erit multiplicanda irregularitas, si non multiplicatur ratione censurarum indè resultantium, quando sunt eiusdem rationis.

Irregularitas inhabilitat per modum habitus negatiui Neque dicas primo, quod, sicuti multiplicantur censuræ non solum ex multiplicitate causarum, sed etiam ex multiplicitate actionum ita multiplicari debeant, & irregularitates; contra enim impugnaberis, quia censuræ sunt vinculum quoddam positiuum; positiuum autem supra positiuum potest operari, illudque augere; irregularitas autem est inhabilitas per modum habitus negatiui, seu priuatiui ad munera Ecclesiastica; priuatio autem supra priuationem non potest operari.

Neque dicas, secundò ex diuersitate principiorum argui diuersitatem effectuum; quando autem censuræ sunt ex diuersa causa constituunt diuersa principia, ergo ad multiplicationem eorum, & diuersitatem debent multiplicari, & diuersificari irregularitates, quæ sunt effectus eorundem; Contra enim adhuc impugnaberis; primo illa diuersitas merè materialitèr se habet, & causat censuras eiusdem omninò rationis; quando autem principia eiusdem omninò rationis simul applicantur non causant, nisi eundem numero effectum, quod præsertim verificatur, quando effectus est per modum habitus negatiui.

Dicendum tertiò, irretitus duplici censura diuersæ omninò speciei, & rationis puta excommunicatione, & suspensione vel interdicto, si recipiat ordines, vel eosdem exerceat, dici potest vnam dumtaxat irregularitatem contrahere, propter respectum tamen, quem habet ad duplex principium specie diuersum non potest solui, nisi vtroque principio dissoluto, vndè, si solueretur excommunicatio remanente suspensione, adhuc irregularitas permaneret. Quod dici possit, vnam dumtaxat irregularitatem contrahere deduci potest ex eodem fundamento, quod irregularitas consistat in negatiuo; effectus autem negatiuus potest esse à duplici principio specie diuerso, vt videre est in extinctione ignis, quæ haberi potest vel per suffocationem, vel per agens contrarium. Quod verò solui non possit, nisi dissoluto vtroque principio ex eo deducitur, quia vtrumque principium est sufficiens ad causandum illum effectum, ergo altero eorum perseuerante remanebit idem effectus. Quod, si dicas, hoc idem asseri posse, quando concurrit duplex censura eiusdem omninò rationis præsertim, si procedat ex duplici causa diuersa, nam certè vtraque debet solui, vt irregularitas tollatur; hoc non officit meæ sententiæ; non etenim nego, quod duplex illa censura tanquam causa, & fundamentum irregularitatis debeat tolli. 36 *Irretitus duplici cẽsura diuersæ rationis non contrahit, nisi vnã irregularitatẽ.* *Hæc tamen non soluitur nisi soluto vtroque vinculo.*

Quoad quartum dubium de ordinato à non suo Episcopo, vel ab Episcopo, qui renuntiauit dignitati, & Episcopatui recolenda sunt ea, quæ dicta sunt *supra quæst. 2. art. 6.*, vbi recensitæ sunt pænæ tam contra Episcopum alienum ordinantem non sibi subditum sine dimmissorijs

proprij

proprij Episcopi, quam contra sic ordinatum, & ibi præcipuè contra hunc statuta est pæna suspensionis ab vsu ordinis ad beneplacitum proprij Episcopi, prout habetur *in cap. eos, qui de temp. ord. in 6., & ex Concil. Trident sess. 6. cap. 5. de reformat., & sess. 14. cap. 2. item de reform., & sess. 23. cap.* 8. Ea, quæ pertinent ad hanc pænam recole ex ibi dictis; non enim vacat hic repetere. Hoc solum hic aduertendum est, quod, si sic ordinatus, antequam à proprio Episcopo relaxaretur illa suspensionis censura, ordines sic receptos administraret, vtique contraheret irregularitatem ex generali regula, quod suscipiens ordines in censura existens fiat irregularis.

37 *Ordinatus à nō suo Episcopo suspēditur ab vsu ordinum ad beneplacitū sui Episcopi.*

38 *Ordinatus sciētèr ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui, est suspensus.*

Solum hic discutiendum remanet, an contrahat irregularitatem, vel aliquam aliam pænam, qui recipit ordines ab Episcopo, qui renuntiauit dignitati, & Episcopatui, & Ciuitati. Pro quo non est dubitandum quod, si fuerit sciens, verè contrahat suspensionem, cum verificetur, quod ordines recipiat à non suo, nam renuntiando Episcopatui, dignitati, & loco non remanet amplius Episcopus illius loci, nec habet executionem sui officij. Dixi, *si fuerit sciens*. Sed quid erit dicendum, si ignorans eundem Episcopum renuntiasse Episcopatui, ab ipso ordines receperit, tunc textus *in cap. 1. de ordin. ab Episcop., qui renunt. Episcop.* statuit, quod, si Episcopus ille renuntiauit loco tantum, & non Episcopatui, possit de licentia alicuius Episcopi, & cum dimmissorijs eiusdem ordines conferre, sine licentia non videtur posse, eo quia non esset Episcopus illius adeoque recipiens ab illo ordines reciperet à non suo, quod etiam clarè euincitur ex verbis eiusdem textus. Ibi: *rogatus ab Episcopo aliquo*, ergo, si non rogatus argumento à contrario sensu deducto non poterit conferre. Si verò renuntiauit Episcopatui simul, & loco; tunc idem textus nulla facta distinctione de scientia, vel ignorantia asserit quoad minores ordines, quod recipiens illos ab ipso non contrahat suspensionem, sed possit in illis ministrare, & ad altiores promoueri, addita etiam ratione, *quia & huiusmodi ordines à non Episcopis, quandoque conferuntur*, sed hæc intelligenda sunt, si conferat ex commissione Episcopi illius loci, in quo confert, cæteroqui cum reciperet à non suo ex allegatis iuribus contraheret suspensionem. Quoad ordines verò maiores asserit, quod, si scientèr ab hoc Episcopo, qui renuntiauit, receperit, remaneat suspensus, nec possit nisi à Romano Pontifice dispensari; si verò receperit ignoranter, tunc asserit contrahere quidem suspensionem, sed posse super illa ab Episcopo dispensari, nisi ignorantia fuerit crassa, & supina.

39 *Ordinatus ab Episcopo, qui renuntiauit loco, & non Episcopatui est suspensus.*

40 *Si Episcopus renuntiauerit & loco, & dignitati potest de licentia ordinare ad minores.*

Ex hac distinctione renuntiationis Episcopatus, & loci hæc differentia consurgit, quod, qui præcisè renuntiauit loco, seu Ciuitati potest ordinationes facere conferendo tum maiores, tum minores ordines de consensu, & licentia ordinarij, quo casu ordinatus ab eodem nullam contraheret suspensionem, quia adhuc ille Episcopus retinet dignitatem; qui verò etiam renuntiauit Episcopatui, seu dignitati, nec de consensu ordinarij potest maiores ordines conferre per textum *in cap. 1. de Episcop., qui renunt.*, vndè, qui ab eodem etiam consentiente ordinario ordinaretur, non eximeretur à suspensione; minores verò ordines de tali consensu ordinarij posset conferre, quia in memoriam pristinæ dignitatis canones permittunt huic renuntianti, vt conferre eos possit de licentia eiusdem ordinarij *in d. cap. 1. de ordin. ab Episc., qui renuntia. Episcop.*

41 *Quid dicendū, si ab illo receperit ordines maiores*

Sed, an in casibus, in quibus ordinatus ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui, dictus est contrahere suspensionem, intelligatur etiam contrahere directè irregularitatem. Textus *in d. cap. 1. de ordin. ab Episcop., qui renunt. Episcop.*, videtur solum asserere suspensionem incurrere, cum solum dicat *executionem officij non habebit*, nec aliud innuat. Doctores tamen non pauci inter quos *Speculator in tit. de dispens. §. iuxta vers. item est irregularis, Reginaldus lib.* 30. *num.* 190., *Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 20. num.* 5., sentiunt contrahere propriè irregularitatem. In hoc tu videris. Hoc vnum moneo, quod, si sic suspensus exercuerit ordines, quos talitèr recepit, certè fieret irregularis ob violationem censuræ.

42 *An contrahat directè irregularitatē remissiuè.*

Quoad quintum dubium de recipiente plures ordines eadem die hic aduerto *Concil. Trident. sess. 23. cap. 11. de reformat.* dicere omnes ordines tam maiores, quam minores seruatis certis temporum interstitijs conferendos, & licet ibidem arbitrio Episcopi permittat simul omnes minores conferre, & etiam maiores ex necessitate, & vtilitate Ecclesiarum non seruatis eisdem interstitijs, super quæ potest dispensare, non tamen quoad maiores permittit, vt plures eadem die possit conferre, nec in hoc dispensare; vndè ex hoc plura emanant dubia mox discutienda. Primum est, an, si quis eadem die plures ordines sacros receperit, contrahat ex hoc præcisè irregularitatem. Affirmatiuè respondendum est, prout statuit *Speculator sub tit. de dispensat. §. iuxta vers. item* reci-

43 *Recipiēs plures sacros ordines eadem die fit irregularis.*

recipiens, *Maiolus de irregul. lib. 4. cap. 11.*, & alij communitèr, & expresſè euincitur *ex cap. in ſingulis, & cap. quicunque diſt. 57.*, nec in hoc poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt ſimul recipiantur ſine incurſu irregularitatis, nam quamuis, vt aſſerebam, poſſit Epiſcopus diſpenſare ex neceſſitate, ſeu vtilitate Eccleſiarum ſuper legem interſtitiorum permittente Concil. Trident., non tamen diſpenſare, vt duo ordines ſacri eadem die percipiantur.

44 *An contrahat, ſi eadē die omnes ordines minores cū Subdiaconatu recipiat.* Secundum eſt, an contrahatur hæc irregularitas, ſi eadem die recipiantur omnes ordines minores ſimul cum Subdiaconatu. In hoc diu non eſt immorandum, cum latè de ipſo egerimus ſupra *qu. 2. art. 7. verſ. circa hanc prohibitionem, & ſeqq.* Quamobrem ibidem dicta hic ſunt recolenda, non repetenda; ſicuti etiam ibidē recolenda eſt reſolutio alterius dubij, an ſcilicet ſaltem die Sabbati quatuor temporum à prandio poſſit conferri vnus Ordo Sacer, & continuato ieiunio alter die Dominico immediatè ſequenti, vel etiam conferri quatuor minores ordines die Veneris à prandio ante Sabbatum ſolemnium ordinationum, & deindè ipſo die Sabbati Ordo Sacer Subdiaconatus.

45 *Si initiatus pluribus ſacris ordinibus eadē die tranſeat ad Religionem facilius diſpenſatur.* Quamuis autem ſuper hac irregularitate contracta ob ſuſceptionem duorum ſacrorum ordinum eadem die non poſſit Epiſcopus diſpenſare, monet tamen *Maiolus de irregularit. d. lib. 4. cap. 11. num. 2.*, quod, ſi ſic ſuſpenſus, ſeu irregularis tranſeat ad Religionem non ſolum poſſit diſpenſari, vt in ſuſceptis ordinibus adminiſtret, ſed etiam, vt ad altiores promoueatur, ſi ſic videbitur Prælatis ſuis ob bonos eius mores, quod probat per textum *in cap. innotuit de eo, qui furt. ord. ſuſcip., & c. cum H. lator eod. tit.*

Quoad ſextum dubium de recipiente ordines extra tempora, an, ſi hoc præſtet abſque priuilegio, atque ſine diſpenſatione contrahat irregularitatem. Dubium hoc vel poteſt intelligi in ordine præciſè ad maiores, vel in ordine etiam ad minores. Si loquamur de minoribus certum eſt ex ſuperius dictis poſſe Epiſcopum eoſdem conferre extra tempora, vndè eoſdem extra tempora recipientes, non videntur irregularitatem contrahere; ſi verò loquamur de maioribus, certum eſt in iure, quod ipſos recipiens extra conſueta tempora ſuſpendatur ab exercitio eorundem ordinum, prout expreſsè habetur *in cap. cum quidam de tempor. ord.*, adeovt, nec contraria conſuetudine excuſari valeat per textum *in cap. ſanè eod. tit.* Sed, an ſic promotus propriè fiat irregularis? Affirmat *Speculator in tit. de diſpenſ. §. iuxta verſ. item ordinatus extra tempora*, & cum eo *Maiolus de irregular. lib. 3. cap. 24. num. 9., & lib. 4. cap. 14.* Sed cum textus prædicti *in cap. cum quidam, & cap. ſanè de temporibus ord.* loquantur præciſè de ſuſpenſione ab exercitio ordinum ſic ſuſceptorum, nec expreſsè aliquam priuationem inducant ad alios ordines ſuſcipiendos, non auderem hanc irregularitatem inducere. Sed, ſi quæratur, quiſnam poſſit in hoc impedimento diſpenſare qualecunque illud ſit, ſiue ſimplicis ſuſpenſionis, ſiue irregularitatis? Video in hoc duos textus, qui videntur ſibi aduerſari directè; Alterum *in d. cap. cum quidam de tempor. ord.* Ibi: *Donec apud nos reſtitutionis gratiam conſequatur*, vbi per ly *apud nos* excluditur poteſtas in alijs diſpenſandi arg. textus *in cap. nuper de ſentent. excommunicat., & in cap. cum graue de Præben. in fin.* alterum *in cap. conſultationi eod. tit. de temp. ord.* Ibi: *Quos pro tranſgreſſione huiuſmodi (prius eiſdem impoſita pœnitentia competenti) ſuſtinere poteris in ſuſceptis ordinibus miniſtrare*, vbi vides poteſtatem diſpenſandi Epiſcopo concedi. Ad conciliandos huiuſmodi textus *Maiolus de irregular. lib. 3. cap. 24. verſ. ſed & in omnibus* videtur aſſerere, quod Epiſcopus, quandò in culpa non fuit, poſſit diſpenſare, & in hoc ſenſu intelligendum eſſe textum *in d. cap. conſultationi*; ſi verò fuerit in culpa, diſpenſationem ad Pontificem pertinere; & ſic intelligendum eſſe textum *in d. cap. cum quidam*. Alij relatiuè ad alios textus, & ſupponentes contrahi per talem ſuſceptionem ordinum ſacrorum extra tempora irregularitatem, aſſerunt, quoad exercitium ordinum ſuſceptorum poſſe ab Epiſcopo poſt condignam pœnitentiam diſpenſari *per d. cap. conſultationi de temp. ord.* quoad promotionem verò ſuperiorum ordinum diſpenſationem obtinendam eſſe à Romano Pontifice adducto textu *in cap. 1. de Sacram. non iter.*, qui tamen textus, ſi benè perpendatur, hoc non euincit. Quamobrem in hoc ſtandum eſſe arbitror conciliationi poſitæ per Maiolum vt ſupra.

46 *Ordinatus in ſacris extra tempore eſt ſuſpenſus.*

47 *Non tamen irregularis.*

48 *Quiſnā poſſit in hoc impedimento diſpenſare.*

49 *Ordinatus in peccato enormi trahente infamiam fit irregularis.* Quoad ſeptimum de ordinato in peccato enormi, & notorio diſtinguendum arbitror; vel etenim eſt ex illis peccatis, quæ ſecum trahunt infamiam vel iuris vel facti, vel non eſt ex illis; ſi ex primis indubitati iuris eſt, quod ex ſe inuoluit irregularitatem, quia omnis infamis irregularis eſt. Vide, quæ ſupra diximus dum de irregularitate ex infamia; ſi verò non ſit ex illis, arbitror peccare quidem grauiſſimè infectum tali labe, ſi promoueatur, non tamen contrahere irre-

gu-

gularitatem, Quod grauissimè peccet deducitur ex generali regula, qua sancta sanctè sunt pertractanda; non sanctè autem pertractantur, quando recipiuntur ab existente in peccato læthali manifesto,
50 & notorio. Quod, si dicatur *in Concil. Nicæno 1. cap. 2.*, prout refertur *in cap. quoniam dist inct. 48.* haberi, quod, si quis ordinatus fuerit existens in peccato læthali, cessare debeat à Clero, vbi *Glosa in verbo cessabit* dicit, quod sit deponendus, quod verè importat irregularitatem, & *D. Thomas quodlib. 1. quæst. 6. art. 2.*, asserit, quod, sicuti in reliquis Sacramentis suscipiendis peccatum mortale siue occultum, siue manifestum obstat, ita in ordinibus accipiendis; si, inquam, hoc dicatur, statim respondebimus, Concilium Nicænum, & textum allegatum non facere ad rem præsentem; procedunt etenim non de peccato quomodocunque, sed de peccato Neophiti; hæc enim regula ibi præscribitur, vt Neophitus statim ac est baptizatus, non promoueatur ad ordines, nec minus ad Episcopatum, nam & tempore opus est, vt sit catechumenus, & post baptismum multa probatione indiget; si verò præcedente tempore aliquod mortale peccatum admiserit, & conuictus duobus, vel tribus testibus fuerit, cessare debeat à Clero; hoc est, vt notat *ibidem Glosa in verb. cessabit*, non debeat promoueri, vel secundum aliam Glosã, si promotus fuerit debeat deponi; vbi nota, quod singulare est in Neophitis, quod, si peccent grauitèr pro tempore eis præscripto ad experimentum virtutis, non sint promouendi eo, quia supponuntur deficere à conditionibus in ipsis requisitis, vt promoueantur, quod non est extendendum ad alios, qui tales non fuerint.

Si non trahat infamiã non fit irregularis.

Nec illud, quod subditur ex D. Thoma *loc. cit.* aliquid euincit, nam solum habet, quod existens in peccato læthali communicando tam in alijs Sacramentis, quam in susceptione ordinum grauissimè peccet, & quidem peccato sacrilegij, non tamen asserit, quod aliquam contrahat irregularitatem, cum de hac nullibi constet. & incongruè Doctores insudarent in assignandis singillatim delictis, quæ in susceptione ordinum irregularitatem inducunt, si ex omnibus læthalibus oriretur.

D. Thomas non est contrarius.

Neque vlterius obstare potest, quod recipiens ordines in peccato læthali notorio, & manifesto ingerat scandalum, qui autem in susceptione Sacramentorum scandalum infert, irregularis videtur per textum *in cap. ex literis 1. de homicid.* Non, inquam, obstare potest, quia textus ille loquitur de scandalo prouenienti ex suspecta causa homicidij, vel infamiæ; ex qua certè oritur irregularitas, cum tam infamia, quam homicidium sint ex illis delictis, quibus irregularitas est affixa ex iurium dispositione.

Respondetur textui in cap. ex literis 1. de homic.

Quoad vltimum de recipiente ordines ab hæretico, vel scismatico, vel simoniaco, 51 vel suspenso, & interdicto, vel excommunicato, vel deposito, vel degradato plura singillatim de singulis dicenda sunt, & quidem incipiendo de recipientibus ab hæretico, vel scismatico, dico siue scientèr, siue ignorantèr receperit, contrahere irregularitatem *Nauarrus in Enchirid. cap. 27. num. 241., & seqq., Henriquez lib. 14. cap. 6. §. 6., Maiolus de irregul. lib. 4. c. 22., Reginaldus lib. 30. tract. 2. num. 190. vers. 4. propositio est, Siluester in verb. irregularitas quæst. 7.* Ex multis textibus iuris canonici elucet, & primo *ex cap. 2. de eo, qui Episc. renunt.* secundo *ex cap. statuimus decretum 1. quæst. 1.* tertio *ex cap. Pisabertum, & cap. conuenientibus vers. Constantinus 1. q. 2.*

Recipiẽs ordines ab hæretico fit irregularis.

Hoc tamen intercedit discrimen inter sic ordinatum scientèr, & ordinatum 52 ignoranter (intellige de ignorantia probabili) quod primus non possit dispensari, nisi a Romano Pontifice iuxta sententiam Hostiensis, secundus verò possit per Episcopum dispensari præuia causæ cognitione *Siluester in verb. irregularitas qu. 7., Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 22. n. 1., Glosa in cap. fin. de Apostat.* argum. textus *in cap. 1., & 2. de ordin. ab eo, qui renunt. Episc.* Quod, si dicas ignorantiam maxime, si sit probabilis, excusare in totum à quacunque pæna; tunc dicam cum *Glosa vltim. in cap. 1. de ordin. ab Episcop., qui Episcop. renuntiauit*, hoc esse inditum à iure, vt in hoc non excusentur in toto, propterea, quod sint ordinati ab eo, qui, cum non habeat executionem sui officij, non potest ordines conferre.

Recipiẽs scientèr ab eodẽ, non potest, nisi à Pontifice dispensari.

Quamuis autem ordinatus ignorantèr 53 ab Episcopo hæretico, & scismatico possit a proprio Episcopo dispensari, hoc tamen intelligendum est limitatiuè quoad ordinem Presbiteratus, & inferiores, non autem quoad Episcopalem, nam sic promotus ab hæretico siue per scientiam, siue per ignorantiam, indiget dispensatione a Romano Pontifice per textum *in cap. quia diligentiam de elect.*, hocque tradunt *Albericus in verb. schisma post med., Summa Confess. de ætat. ord. quæst. 37., Maiolus de irregul. lib 4. cap. 22. num. 2.*, vbi etiam tradit, quod, si sciens fuerit consecratus ab Episcopo hæretico, vel schismatico, nullo modo sit dispensandus, possit tamen dispensari, si fuerit ignorans per textum *in cap. ordinationes 1. quæst. 1.*

Recipiẽs ignorantèr potest dispensari à proprio Episcopo.

54 *Idem dic de recipiente ab Episcopo simoniaco.* Deindè loquendo de recipientibus ordines ab Episcopo simoniaco, non hæsitandum est, eosdem irregularitatem, seu melius suspensionem contrahere, quia in iure simonia pro hæresi reputatur per textum *in cap. præsentium 7. quæst. 1.*, vndè ea omnia de ipsis dicenda sunt, quæ fuerunt dicta de ordinatis ab hæretico, vel schismatico.

55 *Recipiens ab Episcopo tolerato nullam censurã cõtrahit secus, si à non tolerato* Rursus loquendo de ordinatis ab Episcopo suspenso, interdicto, vel excommunicato, aduertendum est, an Episcopus suspensus, interdictus, & excommunicatus sit talis specialiter, & nominatim denuntiatus, an verò non denuntiatus; si etenim non fuerit nominatim denuntiatus, sentiendum est non contrahere irregularitatem, nec suspensionem, quandoquidem ex Concil. Constantiensi sub Martino V., sicuti non est prohibitum cum eodem communicare in verbis, & oratione, (nisi excommunicatus esset per euidentem iniectionem manuum in Clericum, & notoriam) ita nec vetitum est communicare cum eodem in Ecclesiasticorum ordinum susceptione, vt statuunt communitèr Doctores, & signantèr *Siluester in verb. irregularitas quæst. 7. in fin.*, *Tabiena in verb. interdictum 3. num. 9.*, *Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 25. num. 3.*, *Reginaldus lib. 30. num. 190. vers. quarta propositio est*; si verò fuerit nominatim denuntiatus, recipiens ab ipso ordines, vtique contraheret irregularitatem, seu suspensionem, prout expressè habet *Glosa in cap. 1. de ord. ab Episc., qui ren. Episcop. Speculator in tit. de dispens. §. iuxta vers. 4.*, & videtur deduci *ex cap. tanta de excess. Prælat.*

56 *A quonã possit dispensari.* Hoc tamen aduertendum hic est, quod si ab ipso quis receperit ordines ignorans denuntiationem possit a proprio Episcopo super illa irregularitate, seu suspensione dispensari; secus, si sciens receperit, nam tunc indigeret Pontificis dispensatione per ea, quæ habentur *in cap. 2. de ord. ab eo, qui Episc. renunt.*, *& in cap. statuimus decretum 1. quæst. 1. iuncto cap. seq.*

57 *Quid sentiendum sit de recipiente à deposito, vel degradato.* Tandem loquendo de Deposito, seu degradato Episcopo recipiens ab illo ordines vtique irregularis constituitur, vel saltem suspensus, nam, vel recipit sciens, & sic constituitur particeps sceleris, vel ignorans, & sic non recipit ordinum executionem, licet recipiat eorundem caractherem cum recipiat ab illo, qui eam non habet. Hæc omnia tradunt *Nauarrus in Enchirid. cap. 27. num. 241., & seqq.*, *Henriquez lib. 14. cap. 6. §. 6.*, *Maiolus de irreg. lib. 4. cap. 26., & alij magis communitèr.*

ARTICVLVS XVII.

De impedimento promotionis ad ordines, & exercitij eorundem contra voluntatem Superioris.

SVMMARIVM.

Articuli discutiendi sub hoc titulo. 1.

Promotus contra voluntatem superioris habentis potestatem præcipiendi, & præcipientis simplicitèr, ne promoueretur contrahit canonicum impedimentum. 2.

Non propriè irregularitatem. 3.

Prohibitus promoueri à certo Episcopo, vel in certo loco, si ab illo, vel in illo promoueatur, si prohibitio sit nuda, non contrahit irregularitatem, si verò prohibitio sit vestita pœna censuræ contrahit pœnam comminatam, non tamen irregularitatem. 4.

Si tamen post contractam censuram ministret contrahit irregularitatem. Ibidem.

Intellige, si prohibitio sit nuda, quando non est facta à proprio Episcopo, sed ab alio superiori, puta à Prælato Regulari quoad suum subditum. 5.

Vbi prohibitio est nuda ordinatus contra illam non indiget dispensatione, sed congrua pœnitentia. 6.

Cur suscipiens præcisè ordinem contra illam prohibitionem non contrahat irregularitatem. 7.

Cur postea ministrans contrahat eandem. 8.

Protestante Episcopo non ordinandi excommunicatos, si excommunicatus accedit, contrahit irregularitatem. 9.

An posita illa protestatione sub pœna excommunicationis, si excommunicatus accedat, contrahat nouam excommunicationem, sententia negatiua exponitur. 10.

Sententia affirmatiua, cum suis rationibus. 11.

Præfertur hæc secunda sententia affirmatiua. 12.

Cur non obstante illa protestatione conferatur ordo, & tamen noua contrahatur excommunicatio. 13.

Irregularitatem contraheret ratione præcedentis excommunicationis. 14.

An quandoque per præceptum nudum inducatur suspensio, seu irregularitas, duplex casus dubitabilis. 15.

Probabilius in vtroque casu non contrahitur. 16.

Mvltiplicitèr potest contingere, quod quis promoueatur ad ordines contra voluntatem superioris, vel eosdem exerceat; primò quatenus simplicitèr superior prohibeat, ne quis ad ordines ascendat, & ne illos exerceat; secundò, 1 *Series agendorum sub hoc titulo.*

secundò, quatenus prohibeat qualificatè, ne scilicet promoueatur à certo Episcopo, vel in certa Ecclesia, vel ne administret in certo Altari, vel in determinata Capella; tertiò, quatenus prohibeat adiecta pæna suspensionis, interdicti, vel excommunicationis, si aliter faciat; quartò, quatenus Episcopus præcipiat, ne quis excommunicatus, vel suspensus accedat, nam non intendit ipsum ordinare. Circa hæc omnia genera prohibitionis procedemus in præsenti articulo. Pro quo sit

Promotus simplicitèr contra voluntatem superioris, contrahit impedimentum nō irregularitatem.

2 Assertio I. Promotus contra voluntatem superioris habentis potestatem præcipiendi, & præcipientis simplicitèr, ne promoueretur, vel ne administraret, contrahit quidem canonicum impedimentum ad altiores ordines, & ad exercitium susceptorum, non tamen propriè irregularitatem *Glosa, & Abbas in cap. ex tenore literarum de temp. ordin., Pisanella in verb. irregularitas 2. vers. 1., Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 18. num. 1., & 2.* Hæc assertio, vt ex terminis patet, duas habet partes, quarum prima est, quod contrahat canonicum impedimentum; secunda, quod hoc impedimentum nō connectatur cum irregularitate propriè sumpta. Hoc autem canonicum impedimentum non consistit in eo solum, quod recipiat, vel exerceat in peccato mortali, quo pacto omnes, qui reciperent ordines in peccato læthali, vel eosdem exerceret, nō possunt alios recipere licitè, nec in susceptis ministrare, sed ex speciali etiam iuris dispositione propter contemptum, prout habetur *ex Concilio Tridentino sess. 14. de reformat. c. 1.* Ibi- *Ei, cui ascensus ad sacros ordines à suo Prælato, & quacunque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extra iudicialitèr fuerit interdictus, nullus contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promouere faciendo, aut ad priores ordines, gradus, & dignitates, siuè honores restitutio suffragetur.*

Non irregularitatē

3 Quod verò hoc impedimentum non sit propriè irregularitas ex eo euincitur, quod hoc impedimentum non egeat dispensatione, sed condigna pænitentia auferatur ad normam textus *in c. tenore tuarum literarum, & cap. vlt. de tempor. ordinat.*, prout statuunt *Pisanella in verb. irregularitas 2. vers. 1., Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 18. num. 2.* irregularitas autem propriè sumpta non tollitur, nisi per dispensationem, vt communitèr statuunt Doctores.

Prohibitus promoueri à certo Episcopo, vel in certo loco, quā pænam iubeat, si ab illo vel in illo promoueatur.

4 Assertio II. Prohibitus qualificatè, ne scilicet promoueatur à certo Episcopo, vel ne administret in certo Altari, vel determinata Ecclesia, si prohibitio sit nuda, non contrahit propriè irregularitatem; si verò sit vestita pæna excommunicationis, vel alterius censuræ contrahit quidem prima vice, qua recipit ordines, vel administrat, censuram comminatam, non tamen irregularitatem, quam tamen postea contrahit administrando post contractam excommunicationem in susceptione, vel prima administratione. Consentiunt *Siluester verb. irregularitas qu. 13. vers. secundum*, vbi pro se citat D. Antoninum, *Maiolus de irregularitate cap. 18. vers. ad hoc autem*.

Limitatio ad prædicta

Aduerte tamen, quod prima pars huius assertionis intelligenda est limitatè ad alios superiores prohibentes, qui non sint proprij Episcopi respectu prohibitorum; si etenim proprius Episcopus prohiberet etiam sine comminatione, seu adiectione censuræ, ne proprius subditus ordinaretur à certo quodam alio Episcopo, si hic contraueniret, vtique contraheret suspensionem rigorosam ad arbitrium tamen proprij Episcopi dispensabilem, quandoquidem ordines reciperet à non suo, & sine commisione sui Episcopi, vt per se patet, vndè in hac hypothesi duplicem quodamodo suspensionem cōtrahit, alteram propriam, quatenus recipit ordines ab Episcopo non suo, alteram in propriam, qua ratione peccati inobedientiæ, & transgressionis præcepti Episcopi contrahit peccatum, quo perseuerante non potest licitè in Sacramentis communicare, & minus in receptione ordinum, & ministerio eorundem. Quamobrem assertio nostra quoad primam partem procedit potissimum quoad prohibitionem factam non in ordine ad recipiendos ordines ab alio Episcopo, quam a suo, sed quoad administrationem eorundem ordinum qualificatè iuxta modum supra præscriptum, & quoad receptionem etiam ordinum à proprio Episcopo per prohibitionem factam ab alio superiore, puta à Prælato Regulari respectu sui subditi. 5

Vbi prohibitio est nuda non est necessaria dispensatio sed congrua pænitentia

Probatur iam prima pars ex dictis in probatione secundæ partis præcedentis assertionis iuncta cum probatione primæ partis; nam licet *ex Concilio Tridentino d. sess. 14. de reformat. cap. 1.* ex tali superioris prohibitione oriatur impedimentum ad susceptionem, & ministerium ordinum, hoc tamen non indiget dispensatione, vt dissoluatur, sed solum condigna pænitentia, vt *ex d. cap. tenore tuarum literarum, & cap. fin. de temp. ord.*, ergo non inuoluit propriè irregularitatem, quæ solum dispensatione dissoluitur. 6

Probatur secunda pars, quod scilicet quando prohibitio est vestita pæna anathematis per susceptionem, vel ministerium

riumordinum prima vice non contrahatur irregularitas, ſed præcisè anathema hac ratione, quia irregularitas ex mox allegatis, & probatis non contrahitur præcisè ratione prohibitionis, nec ratione anathematis iniuncti, quia tranſgrediendo præceptum veſtitum tali pæna ſolum habet incurrere talem pænam, nec ex eo quod recipiendo tales ordines, vel primo miniſtrando in eiſdem contrahat cenſuram, ſequitur, quod ſimul contrahat irregularitatem, nam, ſi hæc contraheretur, contraheretur propter excommunicationem, quam ſupponeret tanquam cauſam; hanc autem non ſupponit, cum contrahatur in ipſo actu ſuſceptionis, vel primæ adminiſtrationis, adeoque non ſupponeretur, ſi per ipſum actum receptionis ſimul contraheretur irregularitas.

7 *Cur ſuſcipiens præcisè ordinem non contrahat irregularitatē*

8 *Cur poſtea miniſtrans in ſuſcepto ordine illam contrahat.*

Probatur tertia pars, quod ſcilicet miniſtrando poſt contractam excommunicationem, vel recipiendo alium ordinem contrahat irregularitatem ex generali regula præhabita, quod ſcilicet recipiens vel adminiſtrans ordines in excommunicatione, vel alia cenſura contrahat irregularitatem propriè ſumptam per ea, quæ latè in præcedentibus allegatis iuribus, & rationibus commendauimus.

Ex ijs latè reſoluitur dubium, quod tertio loco in principio articuli excitauimus, quando ſcilicet prohibitio facta eſt ſub pæna cenſuræ; conſtat enim, quod recipiendo, vel adminiſtrando primo contra talem prohibitionem contrahat cenſuram iniunctam, non tamen pro tunc irregularitatem propter rationes adductas in probatione ſecundæ partis; contrahat verò, ſi poſt contractam cenſuram recipiat alios ordines, vel miniſtret in ſuſceptis, prout probauimus in tertia parte.

9 *Excommunicatus ordinatus contra proteſtationē Epiſcopi contrahit irregularitatē*

Aſſertio III. Si Epiſcopus ante ordinum collationem præmittat proteſtationem expreſſam, ne quis excommunicatus, vel alia cenſura irretitus accedat ad ordines ſuſcipiendos, nam non intendit ipſum ordinare, & excommunicatus non obſtante tali proteſtatione accedat, & ordinetur, validè ordinatur, & recipit caractherem; contrahit tamen propriè in tali ordinatione irregularitatem. In hanc arbitror communitèr Doctores conſentire, & ſignantèr *Henriquez de ord. cap. 20. num. 2., Nauarrus in man. cap. 25. n. 70., Suarez lib. 1. disp 42. ſect. 3. num. 5., Homobonus de Bonis tract. 4. de art. circa exam. ad Subdiac. ord. cap. 5. quaſt. 44. num. 4.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia illa proteſtatio eſt præcisè comminatoria, & generalitèr lata, quæ propterea quodamodo reuocatur per ſpecialem intentionem verè ordinandi ſingulos in ipſo exercitio collationis ordinum, quam tenetur Epiſcopus habere, quod ſic explicatur. Quamuis Epiſcopus ante ordinationem præmittere ſoleat illam proteſtationem non directam ad aliquos in particulari, cum nullum nouerit cenſura irretitum, ſed ad omnes in communi; nihilominus, quando actu ordinat debet habere intentionem ſaltem virtualem illos, quos ordinat, verè, & ſpecialitèr ordinandi, ne irritam faciat ordinationem, & periculo ſe exponat, vt ille, qui ordinatus eſt, habeatur pro ordinato, & irritas actiones exerceat, cum detrimento illorum, qui talibus actionibus ſubijcerentur; vnde, ſi v. gr. ordinaret aliquem in Sacerdotem ſine intentione ordinandi ex vi illius præmiſſæ proteſtationis, & hic vi ordinationis celebraret, & abſolueret, irrita eſſent ſacrificia, & inualidæ abſolutiones cum ruina ſpirituali pænitentium, quod optime conſiderauit *Henriquez lib. 2. de baptiſmo cap. 8. num. 5., Zerola in praxi Epiſcop. part. 2. in verb. ordo, Nauarrus conſ. 1., & 6. de tempor. ordin., Reginaldus lib. 30. num. 181., & ſeqq., & alij.*

Illa comminatio eſt generalis, & ad terrorē.

Sed, an ſaltem, ſi Epiſcopus in illa proteſtatione præcipiat, ne quis irretitus excommunicatione accedat ad ordinum receptionem ſub pæna excommunicationis, eadem irretitus accedat, & promoueatur irretiatur noua excommunicatione. Negant *Homobonus de Bonis tract. 4 de art. circa exam. ad Subd. ord. cap. 5. q. 44. num. 4., Henriquez de ord. cap. 20. num. 2., & alij*, eo quia talis proteſtatio ſub tali pæna eſt præcisè comminatoria, nec expediat tales excommunicatione afficere, ne ſit occaſio nouos laqueos ingerendi. Affirmant alij, eo quia ex vno capite, non repugnat excommunicationem excommunicationi accumulari; ex alio adeſt poteſtas, & voluntas in comminante, & coacta ex parte comminati, ergo ſecuto effectu, propter quem talis excommunicatio eſt comminata, non erit, cur non debeat ſuum effectum ſortiri. Propter hanc rationem habetur *in cap. innotuit de eo, qui furt. ord ſuſcept.*, quod, ſi Epiſcopus ſub excommunicationis ſententia inhibuerit, ne quis ad duos ordines ſuſcipiendos ſe ingereret, & nihilominus quis Subdiaconatus, & Diaconatus ordines ſimul ſuſceperit, in ſuſceptis ordinibus miniſtrare non habeat, ex quo textu eruitur, quod comminata ſententia excommunicationis afficiat delinquentem, ergo illa ſententia excommunicationis, quantumuis lata in genere, afficit ordinatum contra

10 *An proteſtatio ſub pæna excōmunicationis afficiat excommunicatum, ſi accedat noua excommunicatione ſententia negatiua.*

11 *Sententia affirmatiua.*

contra præceptum Episcopi latum sub illa pæna. Non recedendum tamen aliqui arbitrantur à prima sententia asserente non contrahere illam excommunicationem comminatam, eo quia illa est præcisè comminatoria, & lata ad terrorem; Nec obstare asserunt, quæ pro contraria sententia afferebantur; nam illa voluntas comminantis non est absoluta, & efficax, sed tantum inefficax, comminatoria, & ad terrorem; nec allegatus textus *in d. cap. innotuit*, quid magis euincere statuunt, eo quia procedit de sententia lata contra personam determinatam.

12 *Præfertur hæc secunda sententia affirmatiua.*

Sed ego arbitror absolutè contrahere hanc secundam excommunicationem per textum *in cap. 1., & 2., & cap. innotuit de eo, qui furt. ord. suscept.*, qui textus, si benè perpendantur, non sunt directi ad certas, & determinatas personas, nam *in d. cap. innotuit* hæc expressè habentur. *Cumque ab eodem Episcopo sub excommunicationis sententia fuisset inhibitum, ne quis se ad duos ordines suscipiendos ingereret*, vbi ly. *Ne quis*, non refertur ad certam personam, sed ad quamcunque, quæ fuerit tali labe infectus, & innodatus, seu ausus fuerit duos ordines sacros simul, vel vnum furtiuè recipere, quod, si hæc verificantur in ordine ad recipientes furtiuè vnum, vel simul duos ordines non obstante, quod Episcopus comminationem ordinet in communi, non video, cur verificari non debeat in ordine ad excommunicatos, quando excommunicatio ad ipsos dirigitur, quamuis in communi; nec potest dici, quod voluntas Episcopi comminantis in communi non sit efficax, nam in primis, si est efficax in ordine ad recipientes furtiuè, cur non erit efficax in ordine ad recipientes cum anathemate? Deinde licet videatur quodamodo conditionata, si scilicet sit censura innodatus, purificata tamen conditione per censuræ existentiam fit absoluta, & efficax.

13 *Discrimen cur conferatur ordo, & tamen contrahatur excommunicatio.*

Nec valet paritas de protestatione facta aduersus excommunicatos, quod scilicet Episcopus non intendit ipsos ordinare, quæ protestatio, vtpotè comminatoria non habet effectum, quamuis aliquis excommunicatus accedat, vt supra dicebamus; non valet, inquam, quia in hoc casu protestatio illa comminatoria quodamodo retractatur in ordine ad validitatem ordinis collati per subsequentem intentionem particularem, quam Episcopus debet habere conferendi ordines singulis quibus ordines confert propter rationes supra allatas, quod non verificatur in ordine ad intentionem comminantem censuras contra sic accedentes, quam certè non retractat in collatione ordinum, nec tenetur retractare.

14 *Irregularitatē contraheret ratione præcedentis excommunicationis*

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod verè recipit ordines existens in excommunicatione; suspensus autem, interdictus, & excommunicatus recipiens ordines ex allegatis iuribus, & rationibus fit irregularis nemine disceptante. Hic tamen aduerte, hanc irregularitatem contrahere ratione præcedentis excommunicationis, qua cum esset innodatus accessit ad ordines; non ex vi excommunicationis, quam contrahit in susceptione ordinum ratione comminationis sub illa censura factæ ab Episcopo, *ne quis accederet excommunicatus*; nam iuxta superius dicta cum hæc contrahatur in ipsa susceptione non potest inducere irregularitatem, cum non possit considerari, vt causa præsupposita, cum simul cum irregularitate induceretur.

Pro complemento eorum, quæ dicta sunt sub hoc titulo, remanet inquirendum, an quandoque præceptum nudum superioris non vestitum pæna alicuius censuræ inducat suspensionem, seu irregularitatem: Duos casus enumerat *Speculator in tit. de dispens. §. iuxta vers. item ordinatus non à suo Episcopo*: Primus est, quando quis de iure ob graue aliquod delictum esset suspendendus, nondum tamen actu esset secuta suspensio, & Episcopus, donec fieret inquisitio, seu declaratio super delicto præciperet, ne administraret in susceptis ordinibus, nec alios reciperet; tunc etenim contrauenìendo tali præcepto contraheret suspensionem, & irregularitatem addita etiam ratione, quia, cum esset suspendendus ratione delicti, præceptum illud superioris additum tunc haberet vicem suspensionis.

15 *An quandoque per præceptum nudum inducatur suspensio, seu irregularitas.*

Secundus est, quando illud præceptum nudum fieret notoriè, & manifestè, tunc etenim eius transgressio ratione scandali indè emanantis irregularitatem induceret, quæ indigeret dispensatione saltem Episcopali, quod etiam sustinet *Pisanella in verb. irregularitas vers. 1., & supplementum in verb. irregularitas 2. vers. nam notorius, & Maiolus de irregular. lib. 3. cap. 18. num. 4., & 5.* Sed primus casus, quamuis videatur habere aliquam speciem probabilitatis maximè stante dispositione *Concil. Trident. d. sess. 24. de reformat. cap. 1.*, nihilominus, cum versemur in pænalibus, casus fictus, seu per æquiualentiam non est trahendus ad pænas casus veri; illud autem præceptum superioris non secuta adhuc suspensione per sententiam Iudicis non inducit verè suspensionem, adeoque ratione eiusdem

Refertur duplex casus dubitabilis.

non

non sunt subeundæ pœnæ veræ suspensionis. Verum tamen est, quod ratione dispositionis eiusdem Concil. Trident., qui contraueniret tali præcepto, grauiorem contraheret culpam, non tamen propriè suspensionem, vt est censura Ecclesiastica, sed impedimentum quoddam grauius ratione grauioris peccati indè emanantis, propter quod non potest licitè ordines recipere, nisi eodem purgato per pænitentiam; non etenim Concilium Tridentinum ibidem propriè inducit suspensionem, sed solum dicit, non posse promoueri sine eiusdem superioris præcipientis, seu prohibentis licentia. Secundus

16 casus, nisi delictum, ob quod facta fuit illa notoria, & manifesta prohibitio, trahat secum infamiam, non videtur præcisè ratione scandali inducere suspensionem, seu irregularitatem, licet tribuat fundamentum tum ratione inobedientiæ, tum ratione eiusdem scandali delinquentem suspendendi; non etenim quodcunque delictum, & scandalum ex eius transgressione emanans ipso iure inducit suspensionem, & irregularitatem.

Probabilius in vtroque casu non contrabitur.

ARTICVLVS XVIII.

De impedimento ad ordines ratione iterationis Sacramentorum irretirabilium.

SVMMARIVM.

EVm, qui bis, vel sæpius fuerit baptizatus, contrahere irregularitatem, adeo vt non possit ad ordines promoueri, nec in eisdem ministrare expresè constat ex *cap. literarum de Apostatis, & cap. qui in qualibet 1. quæst. 7., & cap. Afros dist. 98., & cap. quibus dist. 4. de consecrat., & cap. confirmandum dist. 50*, & tradunt expresè *Glos. in cap. fin. de Apost. Speculator in tit. de dispens. §. iuxta vers. item rebaptiz., Couarruuias in Clem., si furiosus prima part. nu. 8., Nauarrus cap. 27. nu. 246., Suarez disp. 42. sect. 1. num. 1., & 2., Siluester verb. irregularitas quæst. 4., Conincbus disp. 18. dub. 5. num. 34.* 1

Bis baptizatus est irregularis.

2 Suppositis iam huiusmodi iuris dispositionibus, & Doctorum auctoritatibus plures circa illas insurgunt rationes dubitandi, quas mox profero, & diluo. Prima est, an huiusmodi irregularitatem contrahat dumtaxat, qui bis, vel sæpius rebap-

Rationes dubitandi circa præsentem titulum.

rebaptizatur scientèr, an verò ignorantèr etiam. Secunda, an rebaptizatus sub conditione, fiat irregularis. Tertia, an ratam habens suam rebaptizationem, subdatur pænæ irregularitatis rebaptizatorum. Quarta, an rebaptizatus per metum, vel per vim contrahat irregularitatem. Quinta, an contrahant hanc irregularitatem non solum rebaptizans, & rebaptizatus, sed etiam Pater, & Patrini concurrentes ad rebaptizationem. Sexta, an rebaptizans puerum expositum sine vllo testimonio fiat irregularis. Septima, an solum rebaptizatus fiat irregularis, an verò etiam bis confirmatus, & sæpè eodem ordine initiatus. Octaua, quisnam possit in hac irregularitate, in casibus quibus contrahitur, dispensare.

3 *Textus in cap. qui bis de consecr. dist. 4. exponitur.*

Incipiendo iam à prima vim aliquam facere videtur etiam contra ignorantèr rebaptizatum textus *in cap. qui bis de consecrat. distinct. 4.*, vbi sic legitur: *Qui bis ignorantèr baptizati sunt, non indigent pro eo pænitere, nisi quod secundum canones ordinari non poßunt, nisi aliqua magna necessitas cogat*. Sed licet hic textus possit per varias explicationes elidi, vel conciliari, per hoc tamen solum ei satis occurritur, quod exceptus est à quodam opere Teodori Episcopi Cantuariensis, quod inscripsit Pænitentiale, prout notarunt *Siluester in verb. irregularitas quæst. 4.*, *Nauarrus in man. cap. 27. num. 246.*, *Toletus lib. 1. cap. 70.*, *Reginaldus lib. 30. nu. 173.*, qui Theodorus, cum non esset Pontifex, nullam habebat potestatem inducendi irregularitatem, quæ non fuerit à iure inducta; & quamuis *Maiolus de irregul. lib. 3. c. 14. num. 1. vers. quod verò etiam rebaptizati ignorantèr*, asserat, quod dictum Theodori vtpote insertum in corpore decretorum habeatur pro iure communi; attamen hoc absolutè verum non est; non enim omnia, quæ comprehenduntur in corpore eorundem decretorum habent vim legis, vt videre est in pluribus præcipuè ex extractis à Concil. Trullensi, quæ, quamuis inserta in eodem corpore, communitèr reprobantur.

4 *Rebaptizatus cū ignorantia probabili eximitur ab irregularitate.*

Quamobrem ad eandem primam rationem dubitandi asserendum est, rebaptizatum ignorantèr cum ignorantia probabili excusari ab irregularitate in recensitis iuribus imposita. *Nauarrus in man. cap. 27. num 246.*, *Toletus lib. 1. cap. 70.*, *Reginaldus lib. 30. num. 173.*, *Bonacina de irregular. disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 3.* quidquid ex aduerso dixerint *Henriquez lib. 14. cap. 4. num. 3.*, *Auila part. 7. disp. 7. conclus. 4.*, *Vgolinus cap. 35. §. 3. num. 7.* *Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 14.*, qui tamen solum innituntur *d. cap. quibus distinct. 4. de consecr.*, asserentes dictum Theodorum Episcopum Cantuariensem non id dixisse proprio marte, sed secundum canones, indè illi, vt perito credendum est. Ratio ex eo deducitur, quod æquum non sit, vt quis sine vlla prorsus culpa contrahat grauem pænam irregularitatis; qui autem rebaptizatur ignorans ignorantia inculpabili, rebaptizatur sine vlla prorsus culpa, ergo non est afficiendus graui illa pæna; Neque obstat, si dicatur, quod ordinatus ab Episcopo hæretico ignorantia etiam probabili iuxta superius dicta non eximatur à suspensione, seu irregularitate, ergo neque, si rebaptizetur cum tali ignorantia eximetur. Non obstat, inquam, quia hoc est speciale in ordinato ab hæretico alijsque suspensis ab exercitio ordinum, qui, sicuti non habent executionem eorundem, ita nec possunt illam alijs conferre, quod non militat respectu rebaptizati, qui supponitur recipere ab habente legitimam potestatem conferendi, & executionem ordinum non impeditam.

5 *Infans, vel in somno existēs, si rebaptizetur, non est irregularis.*

Hinc multa inferuntur: Primum, quod, si infans, vel in somno existens rebaptizetur, nullo modo contrahat irregularitatem *Sairus lib. 7. cap. 8. num. 10.*, *Henriquez lib. 14. cap. 4. num. 3.*, *Nauarrus in man. cap. 17. num. 246.*, *Suarez tom. 5. disp. 42. sect. 1. num. 5.*, *Auila part. 7. disp. 7. dub. 2.* Secundum illum, qui à teneris annis educatus est apud infideles, apud quos non viget baptismus, nec nouit se esse baptizatum, nec habeat parentes, nec notos, à quibus possit certiorari de baptismo suscepto, non fieri irregularem, si

6 *Natus, & educatus inter infideles, si rebaptizetur, non est irregularis.*

patiatur se baptizari, etiam si posteà cognouerit, se fuisse antea baptizatum. Ratio est, quia ius habet constituendi suam certiorem salutem, & ex eo, quod ab ineunte ætate versatus fuerit inter infideles non baptizatos, habet iustam, & rationabilem occasionem suspicandi, seu opinandi, se non esse baptizatum. Tertium non solum rebaptizatum ex ignorantia probabili, sed etiam rebaptizantem cum eadem ignorantia non fieri irregularem ipsum eadem causa excusante.

7 *Rebaptizatus cū ignorantia culpabili est irregularis.*

Dixi *cum ignorantia probabili*, nam, si hæc esset crassa, & supina, quatenus non est adhibita debita diligentia, qua posita habita fuisset certa notitia de præxistente baptismo, certè non videretur excusare ab irregularitate, vt notant *Nauarrus in man. cap. 27. num. 246.*, *Reginaldus d. lib. 30. num. 174.*, nam hæc non esset ignorantia inculpabilis; & pro eodem computantur scire, & debere scire. Parisormitèr non esset excusandus ab irregularitate, qui haberet vehementes, & vrgentes præsump-

ſumptiones pro baptiſmo ſuſcepto, & his non obſtantibus, ſineret ſe iterum baptizari. Hoc contingeret in eo, qui ſciret, ſe natum eſſe ex parentibus Catholicis, & diu apud eoſdem educatum, quia præſumendus eſt baptizatus, cum diu apud eoſdem non differatur baptiſmus quoad ſubſtantiam, licet quandoque ex cauſa differatur quoad cæremonialia, hocque euincitur *ex cap. veniens ad fin. de Presbitero non baptizato*, & expreſsè tradunt *Nauarrus in man. cap. 27. num. 246., Reginaldus d. lib. 30. num. 174.*

8 *Rebaptizatus ſub conditione ignorato primo baptiſmo ignorãtia inculpabili, non eſt irregularis.* Proſequendo iam ſecundam rationem dubitandi de rebaptizato ſub cõditione, conſiderandum venit, an rebaptizetur ſub illa conditione, quando neſcitur, an fuerit baptizatus, vel quando etiam ſcitur, quod fuerit ante baptizatus. Iuxta primum ſenſum adhuc procedendum eſt cum diſtinctione, vel etenim fieret rebaptizatio adhibita debita, & congruenti diligentia, qua etiam poſita non reſultaret de baptiſmo ſuſcepto, & ſub hac conſideratione certum eſt, quod per baptiſmum ſub conditione nulla contraheretur irregularitas; nam vnuſquiſque ius habet in dubio certiorem ſuam ſalutem per media neceſſaria requirendi, nec per adimplementum ſui iuris conſtituitur reus culpæ, ac proindè, nec pænæ, & in hoc conſentiunt *D. Antoninus tertia part. tit. 28. cap. 6. §. 3., Reginaldus d. lib. 30. num. 174.*, atque iuxta hunc ſenſum procedit textus *in cap. 2. de baptiſmo*, vel fieret rebaptizatio nulla præmiſſa diligentia, nec perquiſitione, & tunc iuxta Cathechiſmum ad Parochos editum iuſſu

9 *Si fuerit rebaptizatus, nõ adhibita cõgrua diligentia eſt irregularis.* Concilij Tridentini rebaptizando etiam ſub conditione videtur tam rebaptizans, quam rebaptizatus contrahere irregularitatem eo, quia in eodem Cathechiſmo habeatur, numquam fas eſſe rebaptizare ſub conditione, quam præſtita debita diligentia, & dubio adhuc perſeuerante, &, ſi alitèr fiat, rebaptizantem ſe conſtituere reum ſacrilegij, & fieri irregularem. Sed *Nauarrus in man. d. cap. 27. num. 246.*, aſſerit vtrumque tam baptizantem, quam rebaptizatum, quamuis non eximatur à graui culpa ob indebitam Diuini Myſterij executionem, eximi tamen ab irregularitate prouenienteex iteratione baptiſmi addita etiam ratione, quia tunc baptiſmus non iteratur de facto iuxta *cap. Presbiteri diſt. 68.* Sed ego tutiorem arbitrarer diſpoſitionem Cathechiſmi aſſerentis ſine debita diligentia miniſtrantem baptiſmum in dubio reum eſſe ſacrilegij, & pænæ irregularitatis, quia temerè ſe exponit periculo eundem baptiſmum iterandi contra diſpoſitionem ſacrorum canonum, &, ſicuti nos in præcedentibus diximus, rebaptizantem cum ignorantia craſſa, & ſupina non eximi ab irregularitate, ita non videtur eximi, qui congruam diligentiam non adhibuerit, cum defectus talis diligentiæ congruat cum tali ignorantia, & ſupina, nec textus *in d. cap. Presbiteri diſtinct. 68.*, nec ratio per ipſum adducta, quod ſcilicet baptiſmus ſub forma conditionata non officiat, cum, ſi ſit baptizatus, non conferatur de nouo baptiſmus, ſed tantum ablutio, ſi verò non ſit baptizatus, verè conferatur baptiſmus, quod eſt id, quod intenditur, aliquid euincit, quandoquidem irregularitas inducitur in pænam non præſtitæ debitæ diligentiæ, propter quam ſe exponit periculo reiterationis baptiſmi; cæterum, ſi non contraheretur irregularitas præciſè ex ratione adducta, poſſet quis ſine nota irregularitatis rebaptizare, quem ſcit certo iam eſſe baptizatum, nam non baptizaret, ſed præciſè ablueret, quod eſt contra omnia iura allegata in principio articuli. Intelligit ergo textus, quando perſeuerat rationabile dubium, quod non eſt rationabile, quando non eſt præſtita debita, & congrua diligentia ad dignoſcendam veritatem.

Iuxta ſecundum ſenſum *Bonacina de irregular. diſp. 7. quæſt. 3. punct. 3. num. 4.*, tradit baptizantem ſub conditione eum, quem ſcit eſſe iam baptizatum, non contrahere irregularitatem propter rationem mox adductam, & impugnatam, quod ſcilicet, ſi iam eſt baptizatus, non conferat baptiſmum, ſed ablutionem præciſè, & ſic non iterat baptiſmum, ſi verò non eſt baptizatus primo confert baptiſmum, non iterat; idem enim aſſerit eſſe. *Ego te baptizo, ſi non es baptizatus ac ſi es baptizatus, ego non te baptizo.* Sed Bonacina rationibus iam adductis improbatur, quibus adde, quod in re idem eſſet, ac ſi ſimplicitèr baptizaret ſine conditione, ac proindè Bonacina habet omnia iura ſupra allegata ſibi repugnantia; illa etenim conditio fruſtraneè eſſet appoſita, cum enim certò ſciret, illum eſſe iam baptizatum, & nihilominus voluit iterum baptiſmum conferre, intelligitur abſolutè voluiſſe rebaptizare, & inanitèr addidiſſe illam conditionem, quam nouerat nullum poſſe ſortiri effectum. Dicere deindè, quod illa propoſitio conditionalis. *Ego te baptizo, ſi non es baptizatus* reſoluatur in iſtam. *Si es baptizatus, non te baptizo, ſi verò non es baptizatus. Ego te baptizo*; hoc aſſertum in caſu præſenti non poteſt habere locum, cum eſſet proteſtatio contra factum; cum enim no-

10 *Baptizans, quem certo nouit baptizatum ſecundũ Bonacinam, non ſit irregularis.*

11 *Secundũ veritatem ſit talis.*

nouerit, certo esse baptizatum, & per consequens illam conditionem non posse cadere ex eius mente supra non baptismum, intelligitur resoluta in simplicem de baptizando, quem nouit iam esse baptizatum.

12 *Irregularitas trahitur propter temeritatem rebaptizantis*

Vlterius idem Bonacina cum alijs suis sectatoribus sic impugnatur. Pæna irregularitatis præcipuè imponitur propter malitiam, præsumptionem, & temeritatem conferendi contra Ecclesiæ, & institutoris vetitum, iterum Sacramentum iam collatum, quod ex genere suo non est iterabile; si etenim iteret inculpabilitèr, seu ignorantèr cum ignorantia inculpabili nullam irregularitatem contrahit, vt expressis verbis fatetur idem *Bonacina d. disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 2., & seqq.*, sed in præsenti hypothesi, cum ille, qui baptizat, sciat certò alium, quem baptizare intẽdit, esse baptizatum, culpabiliter, scienter, & temerè rebaptizaret, ergo non est, cur non debeat irregularitatem contrahere; nec talis conditio apposita potest ipsum eximere a tali pæna, tum quia hæc non desumitur præcisè ex afflictiua iteratione baptismi, sed ex temeraria, culpabili, & scientifica, quæ vtique dignoscitur in conferente, tum quia, vt supra innuebam, illa conditio, cum non possit cadere supra non existentiã baptismi, cum baptizans certò sciat illum existere, resoluitur in absolutam iterum baptizandi iam baptizatum, cæteroqui eius actio esset omninò superflua, & illusoria, & ita se haberet ac si supra subiectum inanime diceret. Si non es baptizatus, ego te baptizo.

Vlterius contra eundem Bonacinam sic insurgo. Collato ritè Sacramento irriterabili, si iterum hoc conferatur, inualidè confertur propter naturam Sacramenti, & propter incapacitatem subiecti ad illud recipiendum, quo posito sic ad hominem argumentor contra eundem Bonacinam. In tantum ipse eximit rebaptizantem sub conditione iam baptizatum, quantumuis hic nouerit præexistentiam baptismi, in quantum ratione conditionis appositæ non iterat baptismum; illa etenim conditionalis, *si es baptizatus non te baptizo* resoluit illam collationem in non existentiã baptismi; sed hæc ratio non eximit a nota irregularitatis ipsum rebaptizantem, quando nouit certò præexistentiam baptismi, quod sic euinco. Stante irriterabilitate baptismi, quando quis scientèr, & sub forma absolutè baptizat iam baptizatum, certè non confert nouum, & validum baptismum, neque illum propriè iterat, & tamen iuxta eundem Bonacinam, & alios communitèr,

13 *Baptizare scientèr baptizatum sub contione, est quasi baptizare absolutè.*

contrahit irregularitatem ad notata in præfatis iuribus in fronte articuli, ergo non ex iteratione præcisè, sed ex peruersa intentione iterandi contrahitur irregularitas. Fateatur ergo Bonacina, irregularitatem contrahi ex eo, quod quis scientèr attentet iterare baptismum iam ritè collatum, quamuis non sequatur effectus validæ secundæ collationis.

Tandem aduersus eundem sic concludo. Non est concessa iteratio baptismi sub conditione, nisi existente inuincibili dubio de prima valida collatione, vt definitum est in dicto Cathechismo ad Parochos iussu Concil. Trident. edito, ergo nullo existente dubio, immò certa scientia de validitate, & existentia primi baptismi, non poterit etiam sub conditione iterari idem baptismus, & hoc vtique sub eisdem pænis, sub quibus interdicitur iteratio baptismi facta sub forma absoluta, cum forma conditionalis nõ admittatur, nisi in casu dubio, & reputatur pro absoluta, quando casus non est dubius.

14 *Non potest reiterari baptismus sub conditione, nisi existente dubio inuincibili prioris baptismi.*

Hæc, quæ hactenus diximus, quamuis videantur procedere de rebaptizante sub tali forma conditionali, quando adest scientia de existentia prioris baptismi, procedunt etiam de ipso rebaptizato cum tali scientia, licet baptismum secundum recipiat sub tali conditione; ipse etenim etiam constituitur reus culpæ, adeoque etiam pænæ.

15 *Etiam rebaptizatus scientèr sub conditione fit irregularis*

Prosequor modo ea, quæ proposita sunt in tertio dubio de ratam habente suam rebaptizationem, postquam facta est ipso ignorante, circa quod dubium *Couaruuias ad Clement. si furiosus prima part. in princip. num. 8. circa medium, D. Antoninus tertia part. tit. 18. cap. 6. § 3., Siluester verb. irregularitas quæst. 4.*, sustinent sic rebaptizatum contrahere irregularitatem non solum ex generali ratione, quod ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur per textum *in cap. quoties 2. extra de pact. cap. ratihabitionem de reg. iur. in 6.*, cuius regulæ sensus est, vt per ratihabitionem retrouersus res æstimetur, quasi ab initio res gesta esset, mandatumque interuenisset; sed etiam ex approbatione rei contra vetitum Ecclesiæ exercitæ; vndè saltem ex tunc, quando ratihabetur, incipiat culpa, ac proinde etiam pæna. Contrarium tamen sustinet *Bonacina de irregular. disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 2.*, & quidem fortiori ratione, quia pæna irregularitatis imposita est propter rebaptizationem, non propter subsequentia ad factum; ratihabitio autem est post rebaptizationem, adeoque non videtur posse inducere illam pænam, quamuis ratihabens grauiter peccet, quodammodo

16 *Ratihabens suã rebaptizationem secundum aliquos, fit irregularis.*

17 *Secundũ veritatem, non fit talis.*

approbans actum à iure vetitum. Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur; nō primum, quia illud axioma, quod ratihabitio retrotrahatur ad instar mandati, non procedit quoad pœnas, quæ nonnisi actui primo sunt appositæ, cum sint ordinatæ ad ipsum actum vitandum, qui, cum iam sit positus in esse, non potest ex timore pœnæ vitari, & per hoc etiam ad secundum obiectum respondetur.

18 *Rebaptizatus per metū, quātumuis grauem non euitat irregularitatem.* Prosequor quoad quartum dubium excitatum de rebaptizato per metum, vel per vim, & quidem loquendo præcisè de metu quantumuis graui, & cadente in constantem virum afferendum est, rebaptizatum per eandem non euitare pœnam irregularitatis, prout statuunt *Sairus lib. 7. cap. 8. num. 19., Coninchus disp. 18. dub. 5. num. 40., Henriquez lib. 14. cap. 4. num. 3., Reginaldus lib. 30. num. 173., Bonacina de irregular. disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 7., Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 14. num. 3. vers. sed, & si quis, Siluester in verb. irregularitas quæst. 4.* Expressè deducitur ex textu *in cap. eos quos de consecrat. dist. 4.*, nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandoquidem in ijs, quæ sunt contra legem Diuinam vetantem, metus, quicunque ille sit, non excusat, quia debemus potius mortem subire, quam legem violare; & metus non adimit libertatem voluntatis, quæ adhuc posito illo metu potest velle baptizari, vel non baptizari.

19 *Rebaptizatus per vim cui non possit obsistere non fit irregularis.* Loquendo verò de vi, cui rebaptizandus non possit obsistere *Bonacina de irregularitate disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 7.*, fretus suo principio, quod supra allegauimus, & probauimus, statuit quidem, quod non contrahat irregularitatem, sed assertum fundat in eodem principio, quod scilicet non validè baptizetur, ac proindè, nec reiteretur baptismus, cui reiterationi est imposita irregularitas; sed, quamuis rectè procedat quoad assertum, non tamen quoad rationem, in qua fundat idem

20 *Reijcitur ratio Bonacinæ.* assertum, quandoquidem, vt supra dicebamus, non ipsi reiterationi quoad substantiam annexa est irregularitas, sed prauo animo reiterandi annexo illi actioni, qua intendit rebaptizari contra vetitum Ecclesiæ. Ratio igitur est, quod non debet contrahere grauem illam pœnam sine culpa, qui autem coactus per

21 *Vera ratio adducitur.* vim absolutam, cui non possit resistere, rebaptizatur, nullam culpam contrahit cum non possit esse culpa, quæ non sit voluntaria, ergo neque illam pœnam irregularitatis. Hinc refert *Victor Episcopus Vicensis de persecut. Vandalorum lib. 3.*, de quodam Episcopo, cui nomen erat. *Habet Deum*, quod ab Arrianis manibus, & pedibus ligatis fuerit eius voluntate reluctante rebaptizatus, cui testatur nullam irregularitatem Ecclesiam imputasse, & *D. Ciprianus Epist. 19. ad compresbiteros Cartaginenses* narrat de quadam Venerabili muliere, cui nomen *Bona*, quæ ligatis manibus coacta actionem aliquam contra vetitum Ecclesiæ, & Dei peragere semper clamabat. *Ego non feci, vos fecistis*, vndè ei nulla culpa fuit imputata.

Suo innixus fundamento *Bonacina loc. cit.*, se extendit ad afferendum, quod, si quis fictè rebaptizet, aut rebaptizetur, nullam contrahat irregularitatem, eo quia defectu intentionis requisitæ tam in agendo, quam in patiendo, validus non conferatur baptismus, adeoque hic propriè non iteretur. Sed in hoc quoque decipitur propter rationes contra ipsius fundamentum supra allatas, præterquam quod eiusdem malitia in illa fictione nequit ipsi suffragari, vndè posita illa extrinseca ablutione cum forma Sacramentali, non erit, cur non sit irregularis habendus. 22 *Fictè rebaptizans, & rebaptizatus, cōtrahit irregularitatē* Sed quid erit dicendum, si quis ob metum cadentem in constantem virum simulet rebaptismum recipere ad euitandum damnum graue sibi comminatum. 23 *Simulās se baptismum iterum recipere ad vitādū graue damnum, fit irregularis.* Moneo primo ab Innocentio XI. semper recolendæ memoriæ in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita die 2. Martij 1679. damnatam fuisse illam propositionem, quæ est in numero 29., qua dicebatur. *Vrgens metus grauis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.* Deindè hoc supposito assero absolutè, sic fictè rebaptizatum non eximi a pœna irregularitatis, nam, sicuti ex prædictis grauis metus non excusat à pœna in reiteratione, ita nec videtur excusare ab eadem pœna in fictione reiterationis.

Procedo iam ad quintum dubium in principio articuli excitatum, an scilicet solum hanc irregularitatem in reiteratione baptismi, contrahat rebaptizans, & rebaptizatus, an verò etiam Pater, & Patrini concurrentes ad rebaptizationem. *Vgolinus de irregular. cap. 35. §. 3., Coninchus cap. 18. dub. 5., & alij apud Bonacinam d. disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 1.*, sentiunt, hanc irregularitatem afficere non solum rebaptizantem, & rebaptizatum, sed etiam Parentes, Compatres, aliosque cooperantes ad reiterationem, cum pari pœna puniantur exercentes, & cooperantes ad delictum. Ex aduerso ipsa *Bonacina loc. mox citato*, asserit hanc pœnam non esse extendendam vltra eos, qui inseruiunt reiterationi baptismi ex officio, & ad hoc mouetur ex textu *in c. ex literarum de Apostatis*, vbi fit mentio solum de

Aco-

Sententia asserens Patrinos, & parētes concurrentes ad rebaptizandum non contrahere irregularitatē.

Acolyto, qui scientèr ministrauit Sacerdoti rebaptizanti, vnde non videtur facienda extensio ad alios, qui non præstant ministerium ex officio. In hoc non recedendum arbitror ab opinione Vgolini, & Coninchi, quod scilicet tam Parentes cooperantes, quam Patrini coadiuuantes, contrahant irregularitatem; pro quo silendo *in d. c. ex literarum de Apost.* allegato à Bonacina pro fundamento suæ opinionis aduerto, quod ille Acolytus, qui erat frater infirmi rebaptizandi ex falso supposito sanitatis recuperandæ ex illa iteratione baptismi, non contulerit secundum baptismum, cum hic fuerit collatus à Sacerdote ibi præsenti, sed solum ministrauerit ipsi Sacerdoti rebaptizanti, quo supposito ad rem nostram sic

24 *Probabilius contrahunt.*

arguo. Magis conferunt ad actionem baptismalem Patrini leuantes baptizatum de sacro fonte, aliaque ex munere proprio præstantes, quam Acolytus deseruiens Sacerdoti baptizanti, siquidem hoc munus omninò extrinsecum est, & præstabile à quocunque alio, ergo si contrahit irregularitatem Acolytus ministrans Sacerdoti, à fortiori eandem debent contrahere Patrini, alijque cooperantes. Accedit, quod ex baptismo inter Patrinos, Parentes &c., & baptizatum, & baptizantem consurgit cognatio spiritualis, quæ non consurgit cum Acolyto ministrare Sacerdoti, quod euidentèr inducit, quod plus conferant ad baptismum primi, quam hic secundus, nempè Acolytus purè ministrans Sacerdoti, adeoque, si iste ministrando Sacerdoti rebaptizanti contrahit irregularitatem, à fortiori illi eandem debeant contrahere.

25 *Baptizans puerum expositum de cuius baptismo, non constat adhibita congrua diligentia, non fit irregularis.*

Accedo ad sextum dubium de baptizante puerum expositum sine vllo testimonio de non collato alio baptismo; circa quod absolutè assero, non constante nec per testes, nec per aliud signum inducens credulitatem de baptismo collato non fieri irregularem puero exposito ministrantem, seu conferentem baptismum *Sairus lib. 7. cap. 8. num. 11., Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 14. num. 4., Siluester in verb. Baptismus 5. quæst. 4., Bonacina de irregular. d. disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 6.* Verum tamen est, quod prius debeat præmittere congruam diligentiam ad perquirendum, an puer sic expositus fuerit baptizatus, necne, qua posita, & non constante de baptismo, baptizando, nec sit reus culpæ, nec pænæ, quod sic probatur. Ignorantia probabilis per supra allegata, & probata excusat ignorantem in collatione baptismatis ab incursu irregularitatis, si baptizet, quem probabilitèr ignorat esse baptizatum, sed in hac hypothesi pueri expositi probabilitèr ignorat, eum esse baptizatum, ergo baptizando non contrahit irregularitatem; vndè *Leo Papa Epist. 35., & Epist. 90. cap. 15.*, habet, quod, si præcesserit congrua diligentia, tam baptizans, quam baptizatus excusetur a culpa, sine qua non potest esse pæna irregularitatis. Accedit maximè expedire, vt periclitanti constituatur certior eius salus æterna.

Sed, si inquiras, an in hac hypothesi baptismus sit conferendus puero sic exposito absolutè, & simplicitèr, an verò solummodò sub forma conditionali. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod baptismus sub forma conditionali non est impendendus, nisi vbi fuerit magnum dubium, an quis fuerit baptizatus, sed in hac hypothesi non potest esse magnum dubium, cum præcesserit examen, & debita diligentia, qua etiam posita non resultat de collatione baptismi, vndè est vehemens præsumptio de non præexistentia baptismi, quæ præsumptio euacuat dubium maximè in ea qualitate, quod sit magnum. Propter hanc rationem non improbabilem existimo opinionem asserentem baptismum conferendum esse absolutè; tutius tamen crederem ad purgandum piaculum rebaptizationis, si conferretur sub illa conditione, quia ex vna parte tutius consulitur saluti eiusdem pueri expositi; ex alia non confertur iniuria Sacramento propter illam conditionem appositam. 26

Cōgruentius in hoc casu esset baptizandus sub conditione.

Eadem ratione eximerem à pæna irregularitatis eum, qui baptizaret pueros infidelium, apud quos non viget baptismus, nam iustè ignorare potest, eos esse baptizatos, vt habetur *cap. placuit de consecrat. cap. 4.* Dixi, *apud quos non viget baptismus*, nam, si apud ipsos vigeret vsus baptismi seruata consueta forma Ecclesiæ, & necessaria materia, temerè baptizaret, cum esset vehemens, & fortis præsumptio, quod sint baptizati, nisi fortè apud ipsos vigeat hæresis, quod paruulis vsum rationis non habentibus non sit baptismus conferendus, vt somniarunt Petrus de Bruis Gallus, & quidam Henricus etiam Gallus, nam, si conferret eisdem baptismum, antequam ad vsum rationis peruenirent, tunc cessaret præsumptio de baptismo collato, & sic non contraheret irregularitatem. 27

Baptizans pueros infideliū apud quos nō viget baptismus, non fit irregularis.

Accedo ad septimum dubium de bis confirmato, & eodem ordine sæpius initiato; circa quod auctores diuisos inuenio; nam aliqui statuunt, per iterationem culpabilem Confirmationis, & Ordinis; contrahi irregularitatem. Inter quos numerantur *Nauarrus in man. cap. 27. num. 247.*

num. 247., D. Antoninus tertia part. tit. 18. cap. 6., Maiolus de irregular. lib. 3. cap. 15., qui omnes procedunt ex paritate iterationis baptismi per textum *in cap. dictum de consecrat. dist. 5., & cap. quod quidam 1. quæst. 1.* Alij verò, inter quos *Suarez disp. 42. num. 6., Sairus lib. 7. cap. 8. num. 28., Auila part. 7. disp. 7. dub. 5., Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 1. punct. 4. vers. finem, & disp. 7 quæst. 19. punct. 3., Reginaldus lib. 30. num. 178.*, statuunt nullam contrahi irregularitatem, qui omnes mouentur ex generali regula, quod irregularitas non contrahatur, nisi sit in iure expressa; expressum autem in iure non reperitur, quod ista contrahatur ex iteratione Confirmationis, & Ordinis; vndè *Reginaldus loc. cit.* respondens ad argumentum à paritate reiterationis baptismatis deductum pro contraria sententia, asserit, quod pœnæ Ecclesiasticæ non sunt ad pœnam tantummodò, sed præcipuè ad Medicinam, non ad destructionem, sed ad ædificationē, adeoq; in ipsis imponendis magis iura attendunt ad delicta, quæ frequentiora sunt, quam ad ea, quæ quandoque sunt grauiora, & non ita crebrò committuntur; cum igitur plures consurrexerint hæreses de iterando baptismo, & præcipuè Anabaptistarum, quæ non fuerunt de iteranda Confirmatione, & Ordine, ideò mirum non fuit, quod iura Ecclesiastica animaduerterint contra iterantes Baptismum, & non contra iterantes Confirmationem, & Ordinem. Quid iam in hoc dubio concludendum?

28 *Bis confirmatus, vel bis eodē ordine initiatus secundum aliquos, non contrahit irregularitatē.*

29 Sentio absolutè per culpabilem iterationem Confirmationis, & Ordinis, contrahi irregularitatem. Moueor potissimum *ex d. cap. dictum de consecrat. dist. 5.*, vbi parificatur iteratio confirmationis, & iteratio baptismatis. Ibi *vndè visum est nobis eandem confirmationem sicut nec baptisma iterari minimè debere*, & ex eo, quod ibidem subdatur, *quia bis vel ter, vel amplius baptizatos, aut confirmatos non sæculo, sed soli Deo sub habitu Regulari, seu Clericali Religiosissimè famulari decretum est*. Pro cuius decreti intelligentia aduertendum est, contrahentes irregularitatem ex multis capitibus supra allegatis non dispensari ab irregularitatibus cōtractis, nisi ad Religionem conuolent, & hoc in fauorem Religionis; cum ergo in præsenti *cap. dictum de consecrat. dist. 5.*, dicatur, sic confirmatos non sæculo, sed soli Deo sub habitu Regulari &c., vtique refertur ad hoc, quod irregularitatem contrahant dispensabilem, dum soli Deo vacant sub habitu Regulari.

Probabilius tamen contrahit.

Nec disparitas assignata à *Reginaldo loc. cit.*, & ante eum *ab Alphonso de Castro in lib. 1. de leg. pænali cap. 7. document. 3.* quidquam euincit, quandoquidem vbi lex vtrumque casum expresse comprehendit non est curandum de fine legis, seu præsumpta mente legislatoris, nam in multis possint esse diuersæ rationes, quæ tamen si comprehendantur sub verbis legis, sub dispositione eiusdem æque cadunt; & per hoc etiam respondetur ad rationem contrariæ sententiæ asserentis irregularitatem non contrahi, nisi vbi est in iure expressa; respondetur, inquam, quod hæc sufficientèr exprimitur *in d. cap. dictum de consecrat. dist. 5.* iuxta explicata.

Satisfit rationi oppositæ

Tandem concludendo de vltimo dubio proposito potestatis dispensandi super hac irregularitate, quando contracta est, dicendum est super eadem solum Romanum Pontificem dispensare, quando publica, & notoria est demptis nonnullis casibus in iure exceptis. *Tabiena in verb. dispensatio num. 13. vers. decimoquarto.* Ratio est, quia in ijs, quæ iuris communis sunt, solus Pontifex dispensat. Dixi, *quando publica est, & notoria*, si etenim fuerit occulta etiam Episcopus dispensare potest ex dispositione *Concilij Trident. sess. 24. cap. 6.*, vbi conceditur Episcopis posse dispensare in quibuscunque irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto excepto homicidio voluntario. Dixi *exceptis nonnullis casibus in iure expressis*, quod specialitèr dixerim propter casum, quo quis contracta huiusmodi irregularitate ex iteratione baptismi, vel confirmationis se reciperet in Religionem iuxta textum *in cap. 2. de Apost.* Ibi *Nisi ad Religionem transire voluerit, vt fauore Religionis ipsius circa eum valeat dispensari.* 30

Regulariter dispensatio super hac irregularitate spectat ad summum Pontificem.

ARTICVLVS XIX.

De impedimento ob carentiam iusti tituli ad ordines suscipiendos.

SVMMARIVM.

Habens

Habens coadiutoriam sine fructibus, habens tamen bona allodialia, non potest ordinari titulo coadiutoriæ. 10.
Possidens beneficium de facto, nec valens percipere fructus, nisi post presbiteratum potest ad illius titulum ordinari. 11.
Titulus perpetuus quotidianarum distributionum est sufficiens. 12.
Titulus præstimonij est sufficiens. 13.
Præstimonia sunt in duplici differentia. 14.
Ecclesiastica habent rationem beneficij. 15.
Pensiones perpetuæ, & sufficientes ad congruam sustentationem sufficiunt. 16.
Item addictio perpetua Ecclesiæ cum sufficientibus prouentibus ad victum. 17.
Gradus, & laurea in Theologia, & sacris canonibus non est sufficiens. 18.
Beneficium debet esse pacificè possessum. 19.
Non requiritur, quod sit vnum, sed sufficit, quod sit conflatum ex pluribus. 20.
Etiam si illa sint in pluribus locis dispersa. 21.
In hoc casu à quonam Episcopo esset ordinandus? 22.
Quot fructus debeat reddere beneficium, remittendum est arbitrio regulato proprij Episcopi. 23.
Habens titulum in spe, quantumuis moralitèr certa non potest ad illum ordinari. 24.
Habens titulum per legitimam collationem, nec valens fructus percipere, nisi acquisito Presbiteratu validè potest ordinari, & licitè. 25.
Habens beneficium legitimè collatum, cuius nequeat possessionem acquirere, nequit ad illius titulum ordinari. 26.

1 *Titulus quid sit.* NOmine tituli hic intelligimus ius, quod quis habere debet ad temporales prouentus, quod ius fundatur vel in Ecclesiastico beneficio antecedentèr recepto, vel in patrimonio sufficienti eidem constituto, vel in voluntaria paupertate in Religione, quæ æquiualet patrimonio, vel loco beneficij succedit. De ijs omnibus agendum est, sed primo in hoc, & sequentibus articulis de titulo beneficij; successiuè de titulo patrimonij; tandem de titulo voluntariæ paupertatis.

2 *Non præquiritur titulus ad ordines minores.* Sed antequam ad examen singulorum procedamus, animaduertendum hic est, hos titulos, vel alterum eorum non præquiri, vt quis promoueatur ad ordines minores, sed dumtaxat ad ordinem Subdiaconatus; cum etenim receptis minoribus non obstringatur ad statum Ecclesiasticum seruandum, sed possit ad sæcularia migrare, non est necessaria prouisio, ne teneatur contra decorem status Ecclesiastici mendicare, quod est principalis ratio, ob quam talis prouisio requiritur.

Incipiendo igitur à titulo beneficij plura hic veniunt disquirenda. Primò, quid veniat nomine beneficij ad rem præsentem requisiti. Secundò quale, & quantum debeat esse hoc beneficium. Tertiò, an sufficiat titulus beneficij certi de futuro, an verò requiratur beneficium certum, & possessum de præsenti, antequam ad ordinem Subdiaconatus promoueatur. Quartò, an impetrato beneficio, sed prohibita possessione à Iudice sæculari possit quis ex titulo eiusdem promoueri ad ordines sacros. De reliquis ad hunc titulum beneficij pertinentibus agemus subsequentibus titulis. 3 *Tituli examinandi circa titulum beneficij*

4 *Quid sit beneficium.* Quoad primum dubium certum est apud omnes, beneficium Ecclesiasticum propriè sumptum esse ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis Clerico propter Diuinum Officium competens; sed difficultas multiplex circa ipsum excitatur in inuestigando, quænam veniant nomine talis iuris quoad effectum, vt ex illis quis promoueri valeat ad ordines sacros; prima est, an sub hoc iure comprehendatur Vicaria; coadiutoria, distributio quotidiana, perpetua Capellania, præstimonium, Pensio, additio alicui Ecclesiæ, vel mensæ Episcopali. Secunda, an seruitus præstita seminario cum certis prouentibus tribuat sufficiens ius, vt ex illo titulo possit quis ad sacros ordines promoueri. Tertia, an laurea in Theologia, & graduatio in sacris Canonibus sit sufficiens titulus, quo quis possit promoueri.

5 *Vicaria temporalis, nō est sufficiens titulus.* Dicendum primò, titulo Vicariæ temporalis non posse quem sacris ordinibus initiari; benè tamen Vicariæ perpetuæ, si conferatur in titulum. Consentiunt communitèr Doctores, & signantèr *Glosa in cap. constitutus in verb. perpetuus Vicarius, & ibi Panormitanus num. 5. de filijs Presbit., Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 15. num. 3., Henriquez in summa lib. 10. cap. 17. §. 3. litt. Q., Sairus de censur. lib. 4. cap. 14. nu. 19., Barbosa de offic., & potest. Episcop. allegat. 19. num. 25., Nicolaus Garzias de benefic. part. 1. cap. 2. num. 83.* Ratio primæ partis ex eo desumitur, quod finis legis requirentis huiusmodi titulum beneficij eo tendit, ne quis, postquam promotus est ad ordines sacros, ob defectum congruæ sustentationis teneatur emendicare contra decentiam status Ecclesiastici, vel sordidas, & indecentes artes exercere, sed huic fini non intelligitur sufficientèr prouisum per Vicariam temporalem, quandoquidem, cum hæc sit auferibilis, posset illa promotus priuari, sicque compelli ad emendicandum, vel ad acquirendam sustentationem ad sordi-

das

6 *Benè tamen, si sit perpetua.* das artes exercendum. Ratio secundæ partis ex eo euincitur, quod Vicaria, si sit perpetua, & cum congruis prouentibus habet, & rationem propriam beneficij perpetui, & per eam sufficientèr intelligitur prouisum fini legis exigentis beneficium, cum promotus titulo eiusdem haberet, quo posset propriæ vitæ consulere, absque eo, quod teneretur mendicare, vel sordidas artes exercere; & pro hoc facit textus *in cap. Michael, & ibi Abbas, & in cap. constitutus de filijs Presbit.*

7 *Capellania temporalis, non est sufficiēs, benè tamen perpetua.* Ex hac eadem ratione euincitur, quod, si Capellania fuerit temporanea, & amouibilis, non veniat quoad hunc effectum sub titulo veri beneficij, nec tribuat sufficientem titulum, vt quis promoueri valeat ad sacros ordines, benè tamen, si sit perpetua, seu saltem duratura ad vitam ordinandi, & erecta sit in titulum saltem vitalitium. *Rodriquez in summa part. 2. cap. 15. num. 14.*, vbi testatur de stilo Rotæ *Marchinus tract. 2. de ord. in part. part. 6. de Subdiaconatu cap. 8. difficul. 5. num. 20., & seqq.*

8 *Coadiutoria cum futura successione, non est sufficiēs.* Dicendum secundò, coadiutoriam perpetuam cum futura successione non venire nomine beneficij quoad hunc effectum, nec tribuere sufficientem titulum, vt eadem potius promoueri possit ad sacros ordines. *Vgolinus de potest. Episcopi cap. 26. §. 8. num. 3., Rodriquez in summa part. 2. cap. 15. num. 20., Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 130., Barbosa de offic. Epis. allegat. 19. num. 28.*, quidquid ex aduerso dixerint *Sairus de censur. lib. 4. cap. 14. num. 19., Campanilis in diuers. iur. can. rub. 8. cap. 4. num. 10.*, volentes, vt quis promoueri possit ad sacros ordines ad titulum beneficij, sufficiat, quod spe certa habiturus sit beneficium, pro quo allegant *Glosam magnam circa med. in cap. Osius dist. 61.* Dictum nostrum expressè euincitur *ex Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 2.*, vbi requirit in promouendo ad sacros ordines, vt beneficium, quod sibi honestè sufficiat, pacificè possideat; simplex autem coadiutor non pacificè possidet beneficium sui Principalis coadiuti; & congrua quidem ratione hæc decernuntur, quandoquidem durante vita coadiuti non haberet coadiutor promotus, quo congruè posset viuere, sicque non haberetur finis intentus à lege, & à Concilio.

9 *Nisi ratione eiusdem habeat congruā sustentationē.* Limitandum tamen est primo hoc dictum in casu, quo ratione præsentis coadiutoriæ haberet congruam sustentationem, prout tradunt *Nauarrus de Orat. cap. 20. num. 18., Moneta tract. de operan. can. cap. 4. quæst. 8. num. 169., Marchinus tract. 2. de ord. in part. part. 6. de Subdiac. cap. 6. difficult. 3. num. 11., Gonzalez de reg. cancel. glos. 5. §. 9. num. 8., Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 132.*; nam in hac hypothesi ipsa coadiutoria transiret in rationem beneficij, cum tribueret ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, & haberetur finis à iuribus intentus.

10 *Habens coadiutoriam sine fructibus habens tamen bona allodialia, non potest titulo coadiutoriæ ordinari.* Sed quid esset dicendum, si coadiutoriam haberet sine prouentibus ex eadem; haberet tamen ex proprijs bonis allodialibus, seu patrimonialibus, quo commodè posset vitam traducere? Tunc diceremus, non posse ad titulum eiusdem coadiutoriæ ordinari; posse tamen ordinari ad titulum patrimonij, si hoc legitimè constitueretur annuente, & approbante Episcopo iuxta ea, quæ infrà dicentur, dum de ordinandis ad titulum patrimonij.

Limitandum secundò in casu, quo beneficium possideret pacificè de facto, non posset tamen fructus percipere, nisi post receptum Presbiteratum. Hoc contingeret, quando beneficium haberet annexa onera Missarum, & erogandum esset stipendium Missas celebranti, & ipse non posset per se hoc onus adimplere, nisi adepto Presbiteratu. In hoc consentiunt *Barbosa de offic., & potest. Episcop. allegat. 19. num. 29., Garzias de benefic. part. 2. cap. 5. num. 120.*, vbi testatur ita fuisse resolutum à Sacra Congregatione, & hoc obtinet communis praxis, secundum quam quis obtenta Capellania perpetua, ratione cuius tenetur vel per se, vel per alium Missam quotidianam celebrare ad illius titulum ordinaretur Subdiaconus, qui certè donec fiat Sacerdos prouentus eiusdem Capellaniæ tenetur alteri celebranti erogare, & tamen nullus damnat, quod ad eiusdem titulum sit ordinatus; Neque in hoc vim aliquam faciunt ea, quæ considerantur *à Marchino loc. cit. nu.*

11 *Possidens beneficiū pacificè de facto nec valens fructus percipere, nisi post Presbiteratum potest ordinari.* 10., scilicet sic ordinatum, si aliundè non haberet, vndè viueret, antequam promoueretur ad Sacerdotium, posse interim cogi ad mendicandum, vel turpem quæstum peragendum, quod est id, quod intendunt iura vitare, dum statuunt neminem ordinandum sine beneficio, vel patrimonio. Non inquam, vim faciunt, quia, cum agatur de beneficio pacificè iam possesso, & de modicitate temporis interiacentis inter Subdiaconatum, & Sacerdotium iura potius respiciunt id, quod iam fixum est, & pacificè possessum, quam modicam illam carentiam fructuum pro modico illo tempore, cum etiam possit contingere, quod post adeptum Sacerdotium pro aliquo tempore vel ex inclementia Cæli, vel ex ingruentia bellorum fructibus destituatur, quod certè iura non considerant.

Dicen-

12 *Titulus perpetuus quotidianarũ distributionũ est sufficiens.*

Dicendum tertiò, titulum quotidianarum distributionum, ad quas quis habet ius perpetuum, esse sufficientem, vt quis ex eo promoueatur ad sacros ordines. Consentiunt *Campanilis in diuers. iur. can. rub. 8. cap. 5. num. 29., Barbosa in Trident. sess. 21. de reform. cap. 2. num. 13., & de offic., & potest. Episcop. d. alleg. 19. num. 24., Marchinus loc. cit. difficult. 5. nu. 19.* Ratio ex eo deducitur, quod, quamuis huiusmodi distributiones quotidianæ non sint propriè, & in rigore beneficia, sunt tamen tales quoad finem à iuribus intentum quoad hunc effectum, vt ad titulum illorum quis possit promoueri; sunt enim perpetuæ, & sufficiunt, ne quis illis gaudens teneatur emendicare; Neque obstare potest, quod huiusmodi distributiones non debeantur, nisi ratione assistentiæ Diuinis Officijs, quæ assistentia potest deesse, vel ex incuria, vel ex impedimento, vel ex morbo, in quibus casibus non assistentiæ posset carere prouentibus ad sustentationem necessarijs, & per consequens cogi ad emendicandum &c. Non, inquam, obstare potest, quia hæc omnia non prouenirent per se, sed tantum per accidens, quæ æquè prouenire possunt in Capellanijs perpetuis habentibus annexa onera quotidianarum Missarum; posset etenim Capellanus deficere, vel ex incuria, vel ex morbo ab implemento onerum annexorum, in quo casu ipsi non deberentur stipendia, & tamen nullus asserit, quod ad titulum talium Capellaniarum non possit quis promoueri; nam iura respexerunt ad id, quod per se prouenit, non ad id, quod quandoque euenit per accidens.

13 *Titulus præstimonij est sufficiẽs.*

Dicendum quartò, titulum præstimonij venire titulo beneficij, quantum ad effectum, vt quis ex illo possit ad sacros ordines promoueri *Salzedo in sua pract. cap. 8., Rodriquez in summa part. 2. cap. 15. nu. 12., Marchinus loc. cit. difficult. 5. n. 22., & seqq.* Pro cuius dicti intelligentia recolenda sunt, quæ diximus de huiusmodi præstimonijs *tom. 3. sub tit. Contractus 8. de Simon. prænot. 9. num. 7.*, scilicet hæc esse quasi in duplici genere, quædam quasi laicalia, quæ non sunt propriè talia, sed ad summum denominatiuè, & quandoque laicis assignantur, quæ propterea potius sunt dicendæ pensiones laicales, quam præstimonia Ecclesiastica; quædam sunt propriè talia, quæ debent esse coniuncta cum aliquo titulo spirituali, non quatenus præcisè conferantur, seu sint conferenda habentibus saltem primam tonsuram, sed quatenus inducunt obligationem in eos, quibus conferuntur, recitandi canonicum officium, vt notat *Suarez lib. 4. de Simonia cap. 25. num. 3.* Summuntur iam præstimonia iuxta hunc secundum sensum. Quamobrem dictum

14 *Præstimonia sunt in duplici differentia.*

15 *Ecclesiastica habent rationẽ beneficij*

Sic euincitur. Præstimonia iuxta sensum expositum sunt simpliciter beneficia: *Hostiensis in cap. postulasti de rescript. num. 9., & 10., Oltradus cons. 81., Suarez lib. 4. de simonia cap. 25. num. 2., & seqq.*, ergo ad titulum ipsorum potest quis sacris ordinibus initiari, quandoquidem inuoluunt ius perpetuum percipiendi fructus dependenter ab Ecclesiastico officio, & vbi quis vellet contendere, quod huiusmodi præstimonia non haberent rationem beneficij propriè sumpti, adhuc nos haberemus intentum, quod haberent, quantum ad finem à iuribus præmeditatum, titulum sufficientem, vt quis ratione ipsorum possit ad ordines promoueri; conferrent enim ius ad prouentus, quibus stantibus non posset ad illorum titulum ordinatus cogi ad mendicandum.

16 *Pensiones perpetuæ, & sufficientes ad congruam vitam sunt sufficientes.*

Dicendum quintò. Pensiones perpetuas, & sufficientes ad honestum victum conferre sufficientem titulum, vt quis illis gaudens, possit ad sacros ordines promoueri. Consentiunt *Garzias de beneficijs part. 1. cap. 2. num. 93., & seqq., Barbosa de offic., & potest. Episc. allegat. 19 n. 74., Marchinus loc. cit. num. 25., & seqq.* Expressè euincitur ex *Concil. Trident. d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* Ibi *Patrimonium, vel pensionem obtinentes*. Non moueor ad hanc assertionem ex eo, quod putem, huiusmodi pensiones habere rationem beneficij, cum contrarium docuerim *tom. 3. sub tit. Contractus 8. de simonia prænot. 9. n. 2.*, sed ex eo, quod conferant ius ad percipienda alimenta sufficientia. Verum tamen est, quod cum *Concil. Trident. loc. cit.* parificet titulum pensionum ad titulum patrimonij, eadem difficultate debeat Episcopus admittere pensiones, qua admittit patrimonium, adeovt, sicuti ex eiusdem Concil. dispositione non debet admittere ad titulum patrimonij, nisi ex necessitate, & vtilitate Ecclesiæ, ita nisi ex eodem motiuo debeat admittere ex titulo pensionum.

17 *Item addictio perpetua Ecclesiæ cũ congruis prouentibus.*

Dicendum sextò. Addictio perpetua Ecclesiæ cum certis, & determinatis prouentibus sufficientibus ad congruam vitæ sustentationem est sufficiens titulus, vt quis possit ad sacros ordines promoueri. Consentiunt *Quaranta verb. ordo, Ianuensis in praxi Neapol. cap. 81, num. 2., Vgolin. de offic. Episcop. cap. 26. §. 8., Zerola in prax. Episcop. part. 1. verb. dimmissoria §. 5. dub. 1., Marchinus loc. cit. num. 29.* In huius dicti confirmationem adducit *Quaranta loc. cit.* quoddam breue Sixti V. ad Patriarcham Venetum, quo concessit, vt titulo perpetui

Y

tui obsequij alicui Ecclesiæ cum sufficientibus prouentibus ad sustentationem posset ordines sacros conferre. Neque hic audiendus est *Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episcopi allegat. 19. num. 26.*, dum asserit, allegatum Breue continere specialem gratiam eidem Patriarchæ concessum, non dispositionem iuris communis extensiuam ad omnes gaudentes tali titulo. Non, inquam, audiendus est, quia, licet Pontifex in illo diplomate videatur specialem gratiam conferre pro Clericis Ciuitatis Venetiarum, ex quo tamen pro omnibus, & singulis eam facultatem contulit, videtur simul, & semel explicare illum esse titulum sufficientem pro ordinatione ad sacros; non enim præsumendum est, quod Pontifex voluerit indotatos omnes posse ordinari, nam eos vel exponeret periculo mendicandi, vel constitueret ordinantem obnoxium oneri ordinatos alendi, quod non est sentiendum de pia Pontificis mente.

Ratio dicti, & dispositionis Sistianæ in eo consistit, quod finis legum vetantium, quem ordinari sine titulo, ille est, ne ordinatus, teneatur contra decentiam status victum sibi curare, vel mendicando, vel sordidam artem exercendo; sed in præsenti hypothesi perpetuæ addictionis ad obsequia Ecclesiæ cum certis prouentibus non potest adesse periculum, quod ordinatus teneatur mendicare, vel sordidam artem exercere ergo &c.

18 Dicendum septimò. Gradum, quem quis assecutus fuerit in sacris canonibus, vel lauream in Theologia non esse sufficientem, vt quis ad eiusdem titulum, possit ad sacros ordines promoueri. Consentiunt *Ianuensis in praxi Neapol. c. 81. num. 2., Petrus de Ledesma in summa tit. de Sacram. Ord. cap. 7. ante vltimam Concl., Rodriquez in summa part. 2. cap. 15. nu. 15., Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 127., Barbosa de offic. Episc. allegat. 19. num. 72.* Clarè deducitur *ex Concil. Trident. d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* Ibi *Ne quis deinceps sæcularis Clericus, quamuis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros ordines promoueatur, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*; vbi nota illas particulas, *quamuis scientia idoneus*, per quas excluduntur huiusmodi graduati, hoc est scientia idonei. Nota vlterius illas particulas *pacificè possidere*, quod non verificatur respectu graduatorum.

Gradus, & lauream Theologia, & sacris canonibus, non est sufficiens.

Quoad secundum dubium, quale, & quantum debeat esse beneficium multa etiam insurgunt examinanda, & primò circa ly *quale*, an beneficium debeat esse pacificè possessum, an sufficiat, quod sit simpliciter impetratum, quamuis litibus obnoxium. Secundò, an debeat esse vnum, an verò sufficiat, quod sit ex pluribus conflatum in ordine ad congruam sustentationem ordinandi. Tertiò ex suppositione, quod sit ex pluribus conflatum, an vnum possit esse in vna Diœcesi, alterum in altera, an verò requiratur, quod omnia sint in eadem Diœcesi. Circa ly *quantum* difficultas versatur solum in assignanda quantitate redditaum, quos reddere debeat beneficium, vt ad titulum illius possit quis ordinari.

Incipiendo à primo ex dispositione *Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 2.* certum est beneficium, vt quis ad titulum illius possit ordinari debere esse ab illo pacificè possessum. Ibi *pacificè possidere*; nec incongrua ratione hoc decernitur. quandoquidem sine possessione nequit fructus percipere, & facere suos, adeoque non habet, quo congruè possit sustentari. Neque dicas, quod ex eo, quod impetrauerit beneficium ab habente legitimam potestatem conferendi habeat titulum, quod deindè ratione litis, vel alicuius vexationis, siue iusta fuerit, siue iniusta impediatur à consecutione fructuum, hoc non impediat, quominus possessor illius tituli possit ex illo ordinari, vt videtur innuere *Rodriquez in summa part. 2. cap. 15. num. 11.*; Contra enim impugnaberis, quia in primis non potest quis dicere, se possidere titulum pacificè, quo illud habet litibus obnoxium, & vexatur in illius possessione. Deindè, cum nequeat fructus percipere, non videtur habere id, quod iura intendunt, ne teneatur emendicare, seu artem sordidam exercere; sed de hoc fusiùs infra agetur. 19

Beneficium debet esse pacificè possessũ.

Rursus prosequendo dubia exposita circa secundum asserendum est ad hoc, vt quis possit ordinari ad titulum beneficij, non esse necesse, vt beneficium, ad cuius titulum ordinandus est, sit vnum sufficiens ad congruos redditus pro sustentatione reddendos, sed posse esse plura tenuia, quæ simul collecta reddant tot redditus, quot sufficiant ad eandem sustentationem. In hoc arbitror omnes consentire, & signantèr *Marchinus tract. 2. de ordin. in part. part. 6. de Subdiac. c. 6., Sanchez in opusc. tom. 2. lib 2. cap. 1. dub. 22. num. 7., Garzias de benef. part. 2. cap. 4. num. 8.*, nam per hoc habetur, quidquid requiritur ex dispositione Concilij Tridentini requirentis, vt ordinandus habeat, quo possit congruè viuere; &, sicuti ex infrà dicendis, potest quis sacris ordinibus initiari, si habeat beneficium tenuè simul cum patrimonio integrante simul cum illo congruam sustentationem, & tra- 20

Potest esse conflatum ex pluribus.

& tradunt *Sanchez in opuscul. loc. cit.*, *Barbosa de iur. Pontif. lib. 1. cap. 33. num. 38.*, *Diana part. 4. mor. resol. tract. 4. resol. 51.*, *Garzias loc. cit.* ita non est, cur non possit taliter initiari, qui gaudet pluribus beneficijs tenuibus integrantibus tamen tot redditus, quot sufficiant ad congruam sustentationem.

21 *Etiam si illa sint in pluribus locis disposita* Rursus in suppositione, quod sint plura beneficia dispersa in pluribus Diœcesibus, potest etiam ad illorum titulum quis ordinari. *Marchinus loc. quo supra*, nec in hoc hæsitandum est, cum habeat quidquid requiritur ex dispositione iurium ex fine ab eisdem intentum, & parum referre potest, quod redditus beneficiorum percipiantur vel in vna, vel in altera Diœcesi. Difficultas solummodò versari potest in explicando, ad quemnam ex Episcopis illarum diuersarum Diœcesum pertinebit illum ordinare? In hoc

22 *In hoc casu à quonam Episcopo esset ordinandus.* sentio posse, quemlibet illorum Episcoporum illum ordinare de consensu alterius; congruentius tamen fore, si ordinetur ab illo Episcopo, in cuius Diœcesi habet simul domicilium, & beneficium tenue. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia iuxta superius dicta Episcopus proprius, quantum ad facultatem ordinandi non solum est Episcopus originis, domicilij sed etiam Episcopus beneficij, ergo, cum vterque sit proprius ratione beneficij, vterque poterit ordinare; cum tamen alter etiam Episcopus ratione beneficij in proprio territorio existẽtis habeat ius aliquod ratione eiusdem, requiritur, & ipsius consensus. Ratio secundæ partis ex eo habetur, quod Episcopus domicilij habet duplicem titulum alterum ratione eiusdem domicilij, alterum ratione beneficij, ergo ad ipsum potius pertinet ordinare, quam ad alterum habentem solummodò potestatem ratione beneficij. Accedit, quod cum ordinandus viuat in territorio Episcopi domicilij; cui propterea possunt innotescere mores, natalia, aliaque necessaria, respectu eiusdem non indigeat literis testimonialibus quibus fortè indigeret, si ab altero esset promouendus, ergo &c.

23 *Quantitas fructuum taxanda est ab Episcopo.* Circa iij, *quantum*, arbitror hoc remittendum esse arbitrio proprij Episcopi, qui considerata conditione personæ, loci, & temporis taxet congruentem summam ad sustentationem vitæ ordinandi iuxta decentiam status, ad quam summam, si peruenerint redditus beneficij, poterit ad eiusdem titulum ordinari; non enim possumus certam regulam pro quacunque persona, pro omni tempore, & loco assignare, cum in vno loco, & tempore redditus beneficij possint esse sufficientes, & non pro altero loco, & tempore.

Quoad tertium dubium, an scilicet quis possit promoueri ex titulo certo de futuro, licet non possesso de præsenti, secundum varias acceptiones quas habere potest idem dubium, diuersas potest sortiri resolutiones, vel enim supponitur iuxta terminos, quibus concipitur dubium, quod non habeat actu beneficium, habeat tamen certam spem illud habendi, vel supponitur, quod actu habeat beneficium per collationem, non habeat tamen ius percipiendi fructus, nisi ad certum tempus, vel supponitur, quod actu impetrauerit beneficium cum iure percipiendi fructus, sed à Iudice sæculari impediatur à consecutione eorundem fructuum.

Iuxtà primum sensum sentiendum est, non habentem titulum, nisi in spe quantumuis moralitèr certa, non posse ex vi illius ad sacros ordines promoueri. *Hugolinus de potest. Episcop. cap. 26. §. 8. num. 3.*, *Rodriquez in summa part. 2. cap. 15. num. 20.*, *Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 130.*, *Barbosa de offic., & potest. Episcop. alleg. 19. num. 28.* Expresè euincitur *ex verb. Concilij Tridentini d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* Ibi *pacificè possidere*, non autem intelligitur possidere, qui nedum habet ius ad fructus, sed etiam non habet actu titulum, ex quo oritur tale ius. Neque hic audiendi sunt *Sairus de censur. lib. 4. cap. 14. num. 19.*, *Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 14. num. 19.*, *Campanilis in diuers. iur. can. rub. 8. cap. 4. num. 10.*, qui supposita spe certa acquisitionis futuri beneficij adstruunt ad illius titulum quem posse ordinari, eo quia illa spes ratione certitudinis, cum sit radicata, æquiualet titulo reali, & actuali. Non, inquam, audiendi sunt, quia, cum Concilium requirat actualem, & pacificam possessionem beneficij, & vtique pro forma, non intelligitur adimpleri per equipollentes. Deindè iura, & Concilium exigunt pacificam possessionem in ordine ad fructus percipiendos, vt illis sustentari valeat; quomodo autem fructus percipi possunt, si nec possessio, nec titulus possidendi habetur? 24 *Habens titulum in spe quamuis moralitèr certa nõ potest ad illum ordinari*

Iuxtà secundum sensum, qui talitè intelligitur, vt de facto habeat quis titulum per legitimam collationem, non possit tamen ex eodem percipere fructus, nisi acquisito Presbiteratu, patet ex dictis quid sentiendum, scilicet posse ad eiusdem titulum ordinari, & ita fuisse a Sac. Congregatione declaratum testantur *Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num 120.*, *Barbosa de officio, & potest. Episcop. alleg. 19. num. 29.* Rationes huius resolutionis, & 25 *Habens titulum pacificè possessũ, licet nõ possit percipere fructus, nisi præcepto Presbiteratu potest licitè ordinari*

solutiones obiectorum recole ex supradictis *in hoc eodem art. vers. limitandum secundò*.

26 Iuxtà tertium sensum, (& hic continet quartum principale dubium in principio articuli propositum) arbitror ex tali titulo, non posse ad sacros ordines promoueri. Hoc contingeret in casu, quo quis à Romano Pontifice impetrasset beneficiũ situm in territorio alicuius Principis, nec posset ab eodem Principe placitum obtinere ad acquirendam possessionem eiusdem beneficij, ac proindè, nec redditus. In hoc consentit *Marchinus tract. 2. de ord. in part. part. 6. de Subdiacon. cap. 6. difficult. 4. num. 13., & seqq.* Ratio ex eo deducitur, quod Concil. Trident. supra allegatum ad susceptionem ordinum sacrorum, præscribit, tanquam formam pacificam possessionem beneficij, & ad hoc ad eum finem, vt promotus fructibus eiusdem congruè sustentari valeat, & ne teneatur contra decentiam status mendicare; in hac autem hypothesi, nec possessionem haberet, & multo minus pacificam, nec posset fructus ex illo beneficio percipere, ergo &c.

Habens beneficium legitimè collatũ, cuius possessionem non habeat, nõ potest ad illud ordinari

ARTICVLVS XX.

An quis possit sacris ordinibus initiari ad titulum beneficij habentis redditus incertos, seu beneficij ex se insufficientis ad victum, quod postea sufficiens reddatur ob eleemosynas Missarum, & Anniuersariorum.

SVMMARIVM.

Duplex sensus tituli exponitur. 1.

Sententia Marchini asserentis, quod, quando nullos habet certos redditus, sed tantum incertos, possit quis ex illo titulo ordinari, secus, si habet aliquos certos, alios incertos. 2.

Quomodo saluari possit contrarietas in sensu Marchini. 3.

Possessor beneficij, cuius omnes redditus sunt incerti, suppositis certis conditionibus, potest ad illius titulum ordinari. 4.

Enumerantur conditiones ad hoc requisitæ. 5.

Possessor beneficij, cuius aliqui redditus sunt certi, sed tenues, alij incerti non potest ad illius titulum ordinari. 6.

Intellige, quando fructus illi incerti non sunt alligati beneficio. 7.

DVo continet titulus. Primum supponit, quod beneficium non habeat aliquos redditus certos, sed conferat solummodò ius ad redditus incertos, & casuales prouenientes ex defunctorum exequijs, ex anniuersariorum celebratione, ex stipendijs Missarum incertis tamen, & dietim obuenientibus. Secundum supponit quidem beneficium habere redditus certos, sed tenues, nec secundum se sufficientes ad victum beneficiarij; tale tamen est, vt occasione illius obueniant, vt plurimum eleemosinæ Missarum, & anniuersariorum stipendia, ex quibus simul cum redditibus certi illius beneficij integretur summa sufficiens ad honestum victum. Circa vtrumque hunc casum contingit modo dubitari, an quis ex titulo illius beneficij possit ad sacros ordines promoueri. 1

Duplex sensus tituli exponitur.

Marchinus tract. 2. de ordin. in part. part. 6. de Subdiaconatu cap. 6. num. 27., & seqq. in vno affirmat idest in primo supposito, quod redditus illi incerti consideratis omnibus habeantur pro sufficientibus; negat verò in altero nempè in secundo. Sed qua consequentia hoc asserat, non percipio. Fundamentum negandi in secundo casu hoc adducit, quia scilicet illa stipendia eleemosinarum, Missarum, vel anniuersariorum sunt incerta, & non firma, nec perpetua; atque ob hanc causam incertitudinis asserit fuisse à Sacra Congregatione definitum, non esse attendenda hæc stipendia incerta ad constituendum vnum sufficiens beneficium, vt ex illo quis promoueatur ad ordines sacros; atque pro hoc suo asserto allegat *Quarantam verb. ordo vers. secundo extende, Zerolam verb. dimmissoria, §. 5. dub. 2., Garziam de benef. part. 1. cap. 5. num. 125.*, sed etiam in primo casu redditus, qui ex illo beneficio perciperentur, essent incerti, non firmi, nec perpetui, ergo neque in hoc casu reputandi erunt, vt apti, vt quis promoueri possit, vel si isti ad hunc effectum sunt idonei, erunt & illi idonei. 2

Exponitur sententia Marchini iuxta vtrũque sensum.

Vidissem vtique libenter apud eundem Marchinum aliquam disparitatis notam inter vtrumque casum, sed nullum vestigium potui adinuenire. Arbitror, fortè motum fuisse illa ratione, qua in primo casu supponat illa stipendia incerta esse alligata illi beneficio, quatenus opera, à quibus possunt prouenire, nequeant exerceri, nisi ab illo beneficiario, vt v. gr., si sit Parochus, ad quem solum pertinet exequias celebrare, anniuersaria adimplere, Sacramenta ministrare, aliaque munera Parochialia exercere, ex quibus vigente pia, & laudabili consuetudine eleemosinæ percipiuntur; si etenim istæ consideratis omnibus regularitèr ascendere possint ad summam sufficientem ad congruam sustentationem, ad titulum earum, seu potius eiusdem beneficij 3

Quomodo saluari possit contrarietas Marchini.

ficij poterit beneficiarius ordinari; in casu verò secundo illa extraordinaria emolumenta non sint allegata illi beneficio, sed possint alijs conferri, qui exerceant illa munera, cum hæc sint exercibilia ab alio, quam ab ipso beneficiario, adeoque in primo casu sit sufficiens titulus, non sic in secundo. Hæc disparitas videtur aliquam vim conferre ad saluandam contrarietatem, quæ prima fronte videtur militare contra Marchinum, eiusq; assertum, sed tanta non videtur, vt in primo casu conferre possit sufficientem titulum, non sic in secundo, quandoquidem, quamuis illa emolumenta proueniant à beneficio ex muneribus eidem alligatis, sunt tamen incerta, quæ obuenire possunt, vel non obuenire, plura, vel pauciora, vel fortè nulla; iura autem exigunt ius ad certa, nec contenta sunt incertis, cum obuenire possit casus, quo modica percipiantur, & beneficiarius ad congruum victum cogi possit emendicare. Quid iam in hoc concludendum?

Possessor beneficij reddituum incertorũ suppositis certis cõditionibus, potest ordinari.

4 Quoad primum casum, de habente beneficium, cuius non sunt redditus, nisi incerti, qui tamen computatis omnibus regularitèr percipiantur in ea quantitate, quæ reputatur sufficiens ad congruam sustentationem beneficiarij, sentio cum eodem Marchino adiectis tamen nonnullis conditionibus posse possessorem ad eiusdem titulum ordinari. Prima conditio est, quod illud beneficium auctoritate Ecclesiæ sit institutum propter eius necessitatem, vel vtilitatem. Secunda est, quod eidem beneficio sint alligata onera, quæ solum ab ipso beneficiario exerceri possint, ex quibus, vel de iure, vel ex pia,

Enumerantur huiusmodi cõditiones.

5 & laudabili consuetudine percipiantur fructus, vel stipendia. Tertia, vt illa stipendia, quæ percipiuntur, seu regularitèr computatis omnibus percipi solent, perueniant ad quantitatem, quæ communitèr reputetur pro sufficienti ad honestam sustentationem. His suppositis probatur assertum. Supposita institutione talis beneficij cum oneribus eidem adiectis ad animarum salutem, & vtilitatem denegari non potest, quin illud sit propriè beneficium Ecclesiasticum, & cum habeat annexa onera, ex quibus fructus percipiuntur, non potest denegari, quin conferat ius ad fructus, qui licèt

Rationes pro hoc dicto.

sint incerti, cum proueniant ex causa incerta ex muneribus scilicet, quæ nonnisi occasionalitèr exerceri possunt, quia tamen ex communitèr accidentibus comperiatur tot esse, quot sufficiunt ad honestum victum, ex illis habetur, quidquid requiritur, vt quis possit ordinari iuxta dispositionem Concil. Trident., aliorumque iurium, & quidem illi fructus proueniunt ex beneficio, cum munera, ex quibus percipiuntur, sint alligata eidem beneficio; vndè dici potest, quod sint quidem incerti quoad quantitatem, non autem quoad sufficientiam, cum regularitèr sufficientes percipiantur, & iuxta hunc sensum existimo, procedere *Ianuensem in praxi Neapolit. cap. 83. num. 9., & Madium de sac. ord. cap. 5. num. 20.*

Possessor beneficij cuius aliqui fructus sũt certi alij incerti, nõ potest ad illius titulum ordinari.

Quoad secundum casum de tenui beneficio, non sufficienti ad victum sentio, ad illius titulum non posse possessorem illius ordinari, quamuis possit reddi sufficiens ex eleemosinis Missarum, & anniuersariorum. Intelligo, quando onera Missarum, & anniuersariorum non sunt annexa eidem beneficio, sed stipendia eorum possint pro arbitrio alijs conferri, & in hoc procedit discrimen inter hunc, & primum casum, nam in hoc non solum est incertitudo quoad quantitatem, & sufficientiam, sed etiam quoad substantiam. Ratio ex eo deducitur, quia non possidet beneficium, quod sibi ad victum honestè sufficeret, prout requirit Concil. Trid., nec illa stipendia Missarum, & anniuersariorum possunt integrare illud, cum eidem non sint ex aliquo titulo debita, sed possint alijs conferri, &, si valeret hic titulus posset quis sine beneficio ad titulum Missarum, & anniuersariorum, quæ ei dietim obuenire possent, ordinari, quod nemo dicit. Hæc sequela sic euincitur. 7

Intellige, si fructus incerti, non sint alligati beneficio.

Iura, & Concilium non solum, vt quis possit ordinari ad titulum beneficij, requirunt beneficium, sed beneficium sufficiens ad honestum victum, nec considerant ea, quæ liberè possunt obuenire, ergo si ea, quæ liberè possunt obuenire, possent integrare beneficium sufficiens, possent etiam constituere integrum titulum beneficij, si tot essent, quot sufficerent ad illud congruè constituendum, quia, sicuti se habet pars ad partem, ita totum ad totum argum. textus *in l. qua de tota, ff. de pact.*

Hinc intelliguntur conciliata, quæ videbantur directè sibi aduersantia, & in hoc sensu intelligendus est locutus *Marchinus loc. cit.*, & non alitèr.

AR.

ARTICVLVS XXI.

An, quando beneficium est tenue possit integrari per patrimonium quoad effectum, vt ex vtroque possit quis ordinari.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Potest quis ordinari partim ad titulum beneficij, partim ad titulum patrimonij. 2.
In hoc saluatur finis iurium requirentium titulum. 3.
Nec in hac hypothesi requiritur, vt quis ordinetur, tanta necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, quanta requiritur, vt quis ex solo titulo patrimonij ordinetur. 4.
Et in hoc casu poterit gaudens illo duplici titulo partiali ordinari vel ab Episcopo, vbi est patrimonium, vel ab illo, vbi est beneficium de alterius tamen licentia. 5.
Congrueret tamen, vt litteræ dimmissoriæ expedirentur ab Episcopo patriæ ratione patrimonij. 6.

1 *Rationes examinãdæ circa titulum.* EX hoc titulo plures insurgunt rationes dubitandi. Prima est, an verè ex vtroque partialitèr possit constitui titulus sufficiens. Secunda, an, cum *Concilium Tridentinum dict. sess. 21. de reformat. cap. 2.* statuat, quod ad titulum patrimonij non debeat quis ordinari, nisi Episcopus eum iudicauerit admittendum pro necessitate, & vtilitate suarum Ecclesiarum, eadem necessitas, seu vtilitas Ecclesiarum requiratur, quando quis ordinandus est ad titulum beneficij, & patrimonij simul, ac quando ordinandus est ex simplici titulo patrimonij. Tertia ex suppositione, quod ad titulum vtriusque possit ordinari, an pertineret ad Episcopum, in cuius territorio est patrimonium, illum ordinare, an verò ad Episcopum in cuius Diœcesi est beneficium.

2 *Potest quis ordinari partim ex beneficio, partim ex patrimonio.* Assertio I. Nulla est repugnantia, quando beneficium est tenue, quin possit ordinari, partim ex beneficio, partim ex patrimonio legitimè constituto. *Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 2. cap. 1. dub. 22. num. 7., Barbosa de iur. Pontif. lib. 1. cap. 33. n. 38., Diana mor. resol. part. 4. tract. 4. resol. 51., Garzias de benef. part. 2. cap. 4. num. 8., &* *alij*, qui, cum controuertant ad quemnam Episcopum spectat ordinare, an ad Episcopum patrimonij, an verò ad Episcopum beneficij, vtique supponunt ex vtroque titulo simul posse quem ordinari.

Probatur iam assertio. Finis à iuribus, & à Concilio Tridentino intentus in lege requirente ad ordinationem beneficium, vel patrimonium, est, ne sine altero illorum, si quis ordinetur, compellatur contra decentiam proprij status vel mendicare, vel sordidam artem exercere ad acquirendam propriam sustentationem, sed hic finis sufficienter habetur ex eo, quod quis habeat, partim ex beneficio, partim ex patrimonio congruam sui sustentationem, ergo per conflatum ex vtroque poterit quis sacris ordinibus initiari. 3 *In hoc saluatur finis iurium.* Confirmatur ex infrà dicendis, quia quis potest ordinari ad simplicem titulum patrimonij, ergo etiam poterit ordinari, partim ex beneficio, partim ex patrimonio, dummodò ex vtroque confletur sufficiens summa reddituum ad congruam ordinandi satisfactionem. Consequentia probatur, quia omnibus iuribus suffragantibus magis congruit fini iurium, vt quis promoueatur ex titulo beneficij, quam ex titulo patrimonij, ergo si potest ordinari ex simplici titulo patrimonij, quando hoc congruum, & sufficiens est, à fortiori poterit ordinari ex titulo simul beneficij, & patrimonij, quando ex vtroque conflatur congrua summa pro congrua sustentatione.

Assertio II. Quando partim ex beneficio, partim ex patrimonio conflatur sufficiens summa ad congruam sustentationem, non videtur tanta necessitas, & vtilitas Ecclesiæ requiri, vt ex illius titulo quis promoueatur ad sacros Ordines, quanta requiritur, quando ex præciso titulo patrimonij est promouendus. In hoc arbitror communitèr Doctores consentire, 4 *In hoc casu minor requiritur necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ* dummodò tamen redditus beneficij sint in maiori, vel saltem æquali quantitate, si etenim esset in modica, & exigua quantitate præualente in magno quantitate patrimonij, equidem non auderem asserere, non requiri necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, vt quis ordinetur.

Probatur, quia concurrente duplici titulo altero magis idoneo, & magis iuribus proportionato, altero minus idoneo minusque iuribus congruo, quod magis idoneum, & aptius est, trahit ad se minus idoneum, minusque aptum, ergo, cum titulus beneficij sit aptior, magis ipse attendendus est, & ad normam eiusdem titulus patrimonij minus aptus est regulandus, ergo cum in promouendo titulo beneficij non requiratur illa necessitas, & vtilitas Ecclesiarum, nec requiretur, quando concurrit simul cum beneficio titulus partialis patrimonij, dummodò tamen titulus beneficij sit in considerabili quantitate.

Assertio III. Quando titulus conflatur partim ex beneficio, partim ex patrimonio poterit, gaudentem tali titulo, vel

Episco-

5 Episcopus patrimonij, vel Episcopus beneficij de alterius licentia ordinare. In hoc consentiunt *Iulius Cæsar Madius de sacris ordin. cap. 5. num. 28., & seqq., Quaranta verb. ordo vers. secundo intellige, & secundo extende, Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 6. difficult. 2. num. 5., & 6.*

A quonā Episcopo, tunc esset ordinādus.

Ratio ex eo deducitur, quod subiectio in ordinando non solum desumitur ratione originis, & domicilij, sed etiam ratione beneficij per ea, quæ in præcedentibus commendauimus, ergo, cum ordinandus sit vni Episcopo subiectus ratione patrimonij, & alteri ratione beneficij poterit ab vtroque ordinari. Dixi *de alterius licentia*, cum etenim vterque Episcopus habeat ius aliquod in personam ordinandam neuter debet suo iure priuari per independentem ordinationem ab altero, nam, sicuti vnus Episcopus ex vi patrimonij in propria Diœcesi, cum hoc sit tenue, & insufficiens non potest ordinare, nec alter ratione beneficij propter eandem rationem tenuitatis, & insufficientię, ita nec vnus sine licentia alterius potest hoc præstare, cum titulus sufficiens ex vtroque iure confletur.

6 Congruum tamen foret, quod literæ dimmissoriæ expedirentur ab Episcopo patriæ ratione patrimonij, tum quia, cum ordinandus domicilium, & stationem habeat in eius iurisdictione, eidem facilius possunt innotescere qualitates, & conditiones ordinandi; tum quia posset esse præsumptio, quod ad Episcopum beneficij confugerit ad declinandam iurisdictionem Episcopi patriæ, quæ præsumptio maximè vigeret, si beneficium illud tenue esset de proximo ante ordinationem collatum, vel si post ordinationem ordinatus reuerteretur ad habitandum in propria patria.

Literæ dimmissoriæ cōgruētius essent expeditæ ab Episcopo patrimonij

ARTICVLVS XXII.

De pœnis ordinantis sine titulo beneficij, vel patrimonij.

SVMMARIVM.

Episcopus ordinans Subdiaconum sine titulo, tenetur alere suis sumptibus sic ordinatum. 1.

Varij tituli examinandi circa hanc pœnam. 2.

Hanc pœnam incurrit etiamsi ordinet existimans habere titulum, non adhibita debita diligentia. 3.

Si adhibuerit debitam diligentiam, & deceptus ordinauerit, non tenetur ad hanc pœnam. 4.

Tenetur tamen alere ex motiuo charitatis, si ordinatus sit pauper. 5.

Ex negligentia Vicarij, cui comisit examen super titulo, Episcopus non tenetur nisi subsidiariè. 6.

Excipe, nisi Vicarius sit suspectus. 7.

Ratio, cur Episcopus teneatur subsidiariè. 8.

Et quidem ex titulo indebitæ ordinationis, si Vicarius fuerit suspectus, & titulo verò generalis charitatis, si Vicarius fuerit omni exceptione maior. 9.

Sententia asserens, teneri ad huiusmodi alimenta, quantumuis ordinatus habeat aliundè, quo congruè viuere possit. 10.

Contraria sententia præfertur. 11.

Peccat tamen grauitèr Episcopus sic ordinando. 12.

Cessat etiam onus in Episcopo alendi ordinatum, si hic habeat Patrem diuitem. 13.

Non tenetur Episcopus alere ordinatum cum iusto titulo, si redditus possea deficiant. 14.

Onus alendi ordinatum sine titulo transit cum Episcopo translato ad aliam Ecclesiam. 15.

Mortuo Episcopo, qui ordinauit sine titulo, tenetur eius successor. 16.

Si quis fuerit ab vno Episcopo ordinatus Subdiaconus sine titulo, & ab alio etiam sine titulo Diaconus, vterque Episcopus tenetur ad ratam ad alimenta. 17.

Si Subdiaconus ordinatus sine titulo à proprio Episcopo ordinetur ab alio Diaconus ex speciali, & indiuiduo mandato proprij Episcopi Episcopus ordinans illum Diaconum, non tenetur ad alimenta. 18.

Si ordinet illum Diaconum ex generali mandato ordinandi suos subditos, tenetur. Ibid.

Si vnus Episcopus ordinauerit Subdiaconum, & alter eundem Diaconum sine titulo altero Episcopo mortuo tenetur superstes alimenta in solidum conferre. 19.

Translato Episcopo, qui ordinauit sine titulo ad alium Episcopatum, ipse, non successor, tenetur alere sic ordinatum. 20.

In concussu successoris, & hæredum defuncti, qui ordinauit sine titulo congruentius onus alendi sic ordinatum, pertinet ad hæredes. 21.

Potissima pæna contra Episcopum initiantem sacris ordinibus sine titulo beneficij, vel patrimonij, est onus alendi suis sumptibus sic initiatum, prout expressè colligitur *ex cap. cum secundum de Prabend., & cap. cum accepimus de ætate, & qual.* 1

Episcopus ordinans sine titulo tenetur alere ordinatum.

Circa hanc pænam plures insurgunt rationes dubitandi, quarum prima est, an afficiat hæc pæna Episcopum ordinantem sine titulo, siue hoc præstiterit bona fide, siue mala. Secunda, an Episcopus tali pæna obstringatur, quantumuis ordinatus sine titulo habeat aliundè, quo commodè viuere possit. Tertia, an teneatur

neatur etiam alere ordinatum cum sufficienti titulo, si redditus beneficij, vel patrimonij post ordinationem perirent. Quarta, an ad hoc onus teneatur, quantumuis facta ordinatione sine titulo Episcopus ad aliam sedem Episcopalem commigraret. Quinta, an hoc onus mortuo Episcopo ordinante sine titulo transeat ad eiusdem successorem. Sexta, an Episcopo, qui ordinauit sine titulo translato ad alium Episcopatum, onus alendi ordinatum ad ipsum pertineat, an ad eius successorem in primo Episcopatu.

2 *Varij articuli examinandi circa hanc pænam.*

3 *Nec excusat bona fides, si nō adhibuerit diligentiam.*

Ad primam asserendum est, duplicitèr posse Episcopum bona fide aliquem sine titulo ordinare; primò quatenus præcisè arbitretur ordinandum habere sufficientes redditus ad congruam sui sustentationem siue ex beneficio, siue ex patrimonio nulla adhibita diligentia super veritate suæ credulitatis. Secundò, quatenus adhibita congrua, & diligenti inuestigatione super existentia beneficij sufficientis, vel patrimonij bona fide arbitratus fuerit sufficientem titulum adesse, qui tamen re vera non existebat. Iuxta primum sensum arbitror non eximi ab onere erogandi congruam sustentationem sic ordinato. Ratio ex eo deducitur, quia *Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 2.*, præscribit modum, quo debeat constare de tali titulo. Ibi. *Nisi prius legitimè constet, cum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*; non constat autem legitimè per solum arbitramentum ordinantis, sed per diligentem, & iuridicam inquisitionem super veritate expositorum.

4 *Adhibita debita diligentia non tenetur.*

Deindè non dicitur legitimè scire, qui negligit media, quibus legitimè scitur, & negligere media, quibus haberi potest legitima scientia æquiualet huic, quod est nescire. Iuxta secundum sensum sentio, non teneri alere quantum est ex vi iuris specialitèr obligantis Episcopos ad subministranda alimenta ordinatis sine titulo, benè tamen ex vi generalis legis siue sit iustitiæ, siue charitatis, qua Episcopus tenetur omnibus pauperibus, & præcipuè constitutis in ordine Clericali prouidere. Ita in vniuersum *Glosa in cap. cum secundum verb. donec de prabend.*, *Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 32. nu. 8.*, *Vgolinus de offic. Episc. c. 26. §. 15. vers. septimo excipitur*. Ratio primæ partis est, quia Episcopus in tali ordinum collatione processit iuxta ordinem iuris, nullamque, nec minimam labem contraxit, cum adhibuerit omnia media à iure requisita, ergo ex vi illius ordinationis nullam pænam debebit subire, cum nequeat esse pæna sine culpa. Ratio secundæ partis est, quia Episcopus debet esse Pater pauperum, & bona Episcopatus, quæ superfluunt proprio statui, eisdem erogare; fortius autem, & strictius tenetur erga eos, pro quibus specialior, & vrgentior militat ratio, qualis militat pro initiatis sacris ordinibus, qui secus contra decentiam proprij status, & cum vilipendio Ecclesiasticæ Hierarchiæ tenerentur mendicare, vel sordidam artem exercere. Ad Episcopum autem ex vi proprij muneris specialitèr spectat incumbere, ne Ecclesiastica dignitas vilipendatur.

5 *Tenetur tamen alere ex motiuo charitatis.*

Sed quid erit dicendum, si Episcopus commiserit proprio Vicario, vel examinatoribus examen de idoneitate, & sufficientia tituli, & ipsi neglecta diligenti inuestigatione retulerint de idoneitate, & sufficientia, quæ tamen non aderat; an tunc Episcopus tenebitur alere sic ordinatum? Asserendum est in hac hypothesi, 6

Ex negligētia Vicarij, non tenetur.

non ipsum Episcopum teneri alere sic ordinatum, nisi ad summum subsidialitèr, sed examinatores, quibus commissum fuit examen. Consentiunt *Glosa in d. cap. cum secundum in verb. successores de Præbend.* *Quaranta verb. ordo vers. obligationem Episcopi*, *Marchinus tract. 2. de ordin. in partic. part. 6. de Subdiacon. cap. 6. difficult. 4. n. 7. vers. secundo deducitur*. Rationem ex eo desumo, quod non ipse Episcopus peccauit, sed Archidiaconus, vel examinatores præsentando sine legitimo titulo, prout notat *Glosa in cap. ad hæc in verb. examinentur de offic. Archidiaconi*, ergo examinatoribus potius, quam Episcopis onus incumbit alendi ordinatum sine iusto titulo arg. textus *in cap. si seruus distinct. 54.* Neque obstare potest, quod Episcopus teneatur de facto examinatorum, cum de mandato ipsius examinent, ea proportionali ratione, qua exercitor nauis de facto Magistri tenetur per textum *in l. 1. §. Magistrum, ff. de exercit.* Non, inquam, obstare potest, quia, vt habetur *in cap. significante de pignor.*, negligentia examinatorum non obesse potest Episcopo, sicuti malitia nuntij non obest Domino, quando ab initio nuntius creditur fidelis, & examinatores tales, vt non verisimile sit, eos mentiri *Glosa in d. cap. ad hæc in verb. examinentur*. Quod, si supponas exami- 7

Excipe, nisi Vicarius sit suspectus.

natores ab Episcopo ad hoc deputatos, non esse omni exceptione maiores, sed suspectos, tunc certè Episcopus eos deputans tenebitur, cum reus sit culpæ in electione eorundem, & debet sibi imputare, quod ipsos elegerit, & in hoc verificabitur, quod teneatur de facto eorundem examinatorum.

Dixi, *nisi ad summum subsidialitèr*, quatenus, si examinatores non sint soluendo sic

sic ordinatus sine titulo habeat regressum,
8 *Ratio, cur Episcopus teneatur subsidiariè.* aduersus eundem Episcopum, non solum quia adhuc reseruatum ius Episcopo iterum examinandi illum per textum *in cap. accepimus de ætate, & qualit.*, sed etiam, quia ad ipsum spectat curare, ne ille ordinatus in obbrobrium Clericorum compellatur mendicare *argum. textus in cap. ad supplicationem de renunt.*, *& cap. Diaconi dist. 93.* Sed, an onus in Episcopo in hac hyppothesi proueniat ex speciali iure ordinationis factæ sine titulo, an verò solum ex generali regula, qua tenetur Episcopus consulere omnibus indigentibus, & præcipuè sacris ordinibus initiatis? Crederem, quod, si examinatores essent omni exceptione maiores, adeovt in eisdem cadere non posset suspicio infidelitatis, teneretur solum Episcopus ex illa generali regula; si verò examinatores non fuerint tales, teneretur ex speciali illo iure ordinationis factæ sine titulo.

9 *Quo titulo in hoc casu teneatur.* Ratio primæ partis est, quia in primo casu, cum nulla adsit culpa, non potest esse pœna, quę iniungitur per illud specialeius, quod est pænale, & punitiuum, sed solum subintrare potest titulus charitatis, quamuis quoquo modo specialis propter decentiam status. Ratio secundæ partis argumento à contrario sensu deducitur, quod scilicet, cum fuerit quodamodo in culpa in tali electione minus apta, vtique debeat pænæ subesse.

10 *Sētentia asserens, teneri ad hæc alimēta quāuis ordinatus sit diues.* Ad secundam videtur prima fronte dicendum, quod Episcopus teneatur congruum victum erogare non obstante, quod ordinatus sine titulo habeat aliundè, quo commodè viuere possit, vrgente ea ratione, quod huiusmodi pæna sit imposita propter delictum in illa ordinatione contra iuris dispositionem, & vbi delictum est consummatum, non potest non sequi pæna contra ipsum imposita non refragante, quod aliundè habeat ordinatus, quo congruè viuere possit, nam pæna per hoc non demitur.

11 *Contraria sententia præfertur.* His tamen non obstantibus asserendum est Episcopum, quamuis grauitèr deliquerit ordinando sine titulo, non teneri in hac hypothesi alimenta aliundè habenti subministrare. In hoc consentit *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. de Subdiac. cap. 6. difficult. 4. num. 7. vers. tertio deducitur*. Rationem ex eo deduco, quod huiusmodi pæna non est simplicitèr imposita, sed propter finem, ne scilicet ordinatus in obbrobrium status Clericalis teneatur emendicare, vel sordidam artem exercere; hic autem finis cessat in eo, qui aliundè habet, quo commodè viuere possit, ergo hæc pæna in Episcopo ordinante cessare debet. Neque obstare potest, quod pæna respiciat delictum in sua origine consummatum; hic autem delictum intelligitur consummatum, cum fuerit posita culpabilitèr ordinatio sine titulo. Non, inquam, obstare potest, quia hæc pæna, quamuis 12 *Peccat tamen grauitèr Episcopus.* supponat delictum, sine quo esse non potest, respicit tamen primariò subsequentia ad delictum, & finem, propter quem ex delicto imposita est, ne scilicet ex illo sequatur obbrobrium status Clericalis, quod sequi non potest existentibus in ordinato facultatibus, quibus congruè alì possit; & sicuti, si fuerit ordinatus sine titulo, & postea fuerit de beneficio prouisus cessat in Episcopo onus ipsum alendi, quia ex beneficio habet, quo congruè viuere possit non obstante, quod delictum fuerit consummatum in ipsa ordinatione sine titulo, ita si fuerit talitèr ordinatus, & habeat aliundè, quo commodè viuere possit, cessabit in Episcopo onus alendi &c., non obstante &c., quæ omnia confirmantur ex textu *in cap. Episcopus de præbendis*. Ibi. *Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere*.

Sed quid erit dicendum, si ordinatus 13 *Cessat etiam in Episcopo onus ordinatū alendi, si hic habeat Patrem diuitem* sine titulo non habeat quidem ex se, quo congruè viuere possit, habeat tamen Patrem diuitem, qui renuat filio sic ordinato erogare alimenta congrua ex motiuo, quod teneatur Episcopus ipsum alere. Etiam in hac hypothesi sentiendum existimo cessare in Episcopo onus ipsum alendi, *Barbosa de offic., & potestate Episcopi alleg. 20. à num. 4. vsque ad 10., Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 7. de Subdiac. cap. 6. difficult. 4. num. 7. vers. 4. deducitur*. Ratio ex eo deducitur, quia in concursu obligationis naturalis cum obligatione iuris positiui, fortius obligat naturalis; paterna autem obligatio alendi filium non habentem aliundè naturalis est; obligatio verò Episcopi est positiua ergo &c. Accedit, quod, si præualere deberet obligatio Episcopi obligationi paternæ facilis aperiretur aditus parentibus præsentandi filios sine titulo, & fraudandi Episcopos.

Ad tertiam asserendum est, Episcopum 14 *Si redditus post ordinationem deficiant, non tenetur Episcopus.* ordinantem cum iusto titulo, non teneri alere sic ordinatum, si post ordinationem redditus beneficij, vel patrimonij pereant, quantum est, ex vi iuris obligantis Episcopos ordinantes sine titulo. In hoc consentiunt *Glosa in cap. cum secundum in verb. donec de Præbendis*, *Sanchez de matrimon. lib. 6. disp. 32. num. 8.*, *Vgolinus de offic. Episcopi cap. 25. §. 15. vers. septimo excipitur*. Ratio ex eo deducitur, quia nulla in hoc casu est culpa imputabilis Episcopo ordinanti, adeoque, nec pæna infligibilis.

neat ad successorem in Episcopatu, an verò ad hæredes defuncti? *Bonacina de Sacrament. Ord. disp. 8. quæst. unica punct. 5. num. 47.*, sentit onus pertinere ad successorem in Episcopatu, non ad hæredes Episcopi defuncti motus *ex cap. cum secundum Apostolum de præbend.*, vbi decernitur vel per Episcopos ordinatores, vel ad successores pertinere hoc onus nulla ibidem facta mentione de hæredibus defuncti. Sed congruentius asserendum existimo *cum Abbate, & Hostiensi in eod. cap. cum secundum Apostolum*, potius hoc onus pertinere ad hæredes defuncti, quam ad successorem in dignitate. Ratio est, quia

21 *In concursu successoris, & hæredũ defuncti isti tenentur.* hæres non solum succedit in iuribus, sed etiam in oneribus defuncti; nec obstat allegatus textus *in cap. cum secundum Apostolum*, quandoquidem ille procedit in suppositione, quod delinquens non existat nec in se, nec in hærede, qui quodammodo induit eiusdem personam; vndè, ne ordinatus teneatur emendicare, statuitur, quod successor in dignitate subintret onus sui prædecessoris; in hac autem hypothesi adesset hæres, adeoque &c.

ARTICVLVS XXIII.

De Pœnis eorum, qui ordinati sunt sine titulo.

SVMMARIVM.

Assignantur varij modi, quibus quis potest ordinari sine titulo. 1.
Ordinatus sine titulo, qui sincerè exposuit Episcopo ordinanti, se illum non habere, probabilius non remanet suspensus. 2.
Ordinatus sine titulo culpabilitèr, licet non fraudulentèr, contrahit suspensionem. 3.
Textus in cap. cum secundum Apostolum de Præbendis, *est correctorius iurium antiquorum.* 4.
Per Tridentinum innouantur antiqui canones. 5.
Ordinatus fraudulentèr sine titulo à fortiori contrahit suspensionem. 6.

1 *Modi, quibus quis potest ordinari sine titulo.* MVltiplicitèr potest contingere, quemquam sine titulo ordinari; primò quodamodo sine culpa, quatenus carês titulo proprio Episcopo exponit sincerè, se nullum habere titulum, & Episcopus, non obstante scientia de carentia tituli, ipsum ordinat. Secundò culpabilitèr, non tamen cum fraude, quatenus sciens se non habere titulum, nec exponens falsum ordinatur. Tertiò culpabilitèr, & fraudulentèr simul, quatenus non habens titulum fraudulentèr ostendit se ipsum habere, cum non habeat, & sic decipit Episcopum ordinantem. In his omnibus casibus inquirimus, an ordinatus incurrat in aliquam pœnam præcipuè suspensionis.

Assertio I. Ordinatus sine titulo iuxta primum sensum, quo exposuit Episcopo carentiam eiusdem, non remanet probabilius suspensus, sed solum Episcopus ordinans obstringitur ad ipsum congruè alendum. Consentiunt in hoc *Quarant a tificaverb. ordo vers. quia hæc constitutio, & alij*, & à fortiori consentire tenentur, quotquot sustinent eandem non contrahere, qui recipiunt sacros ordines sine titulo ignorante Episcopo carentiam eiusdem, de quibus infrà latè agam. 2 *Promotus sine titulo cum sincera notificatione carentiæ eiusdem non est suspensus.*

Ratio ex eo deducitur, quia iura, si quæ censuram suspensionis contra ordinatos sine titulo induxerunt, duo potissimum respexerunt, & punitionem scilicet delicti in illa inordinata ordinum sacrorum receptione, & decorem status Clericalis, ne scilicet sic ordinatus compellatur mendicare, vel sordidam artem exercere; sed hoc vtrumque cessat in præsenti hypothesi, ergo in eadem sic ordinatus non contrahit aliquam suspensionem. *Rationes pro asserto.* Minor probatur, quia sic ordinatus in illa passiua ordinatione nullam culpam contraxit, cum fidelitèr, & sincerè se gesserit exponendo Episcopo impedimentum ad ordines recipiendos, nempè carentiam tituli patrimonij, vel beneficij, vndè tota culpa refunditur in Episcopum ordinantem cum tali scientia. Ex alio capite, cum teneatur Episcopus ordinans cum tali scientia congrua alimenta sic ordinato erogare non solum ex dispositione iuris *in d. cap. cum secundum Apostolum de Prabend.*, sed etiam ex suo implicito consensu resultante ex eo, quod ei expositum fuerit, quod titulus non aderat, & nihilominus voluit ordinare sciens adesse pœnam erogationis alimentorum contra sic ordinantes; intelligitur spontè, & liberè voluisse illam pœnam persoluere, ergo cessante in hac hypothesi vtroq; motiuo, ob quod inducta est, vel supponitur talis pœna, vtique hæc cessabit.

Assertio II. Ordinatus sine titulo culpabilitèr iuxta secundum sensum expositum, probabilius stante iure moderno, seu nouo *Trident. sess. 21. de reformat. c. 1.*, contrahit pœnam suspensionis *Nauarrus de temp. ordin. conf. 14., & in manual. cap. 27. num. 158, Maiolus lib. 4. de irregular. c. 15., Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. num. 35., Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 32. in fin., Vasquez tom. 3. in tertia part. disp. 246. nu. 61., Campanilis in direct. iur. can. rub. 8. c. 1. num. 5., Rodriquez part. prima summæ c. 15. num. 1., & alij magis communitèr.* 3 *Ordinatus culpabilitèr sine titulo est suspensus.*

Pro

Pro cuius assertionis intelligentia hæc prænotanda sunt, primò, quod in iure veteri *in cap. neminem, & cap. sanctorum distinct 70.*, fuerit contra ordinatos sine titulo vel patrimonij, vel beneficij imposita pæna suspensionis ipso facto, vt legenti huiusmodi textus sit manifestum; secundò, quod *in cap. cum secundum Apostolum de præbend.* per Innocentium III. videantur quoquo modo pænæ contra sic ordinatos correctæ, vt ex verbis eiusdem textus videtur colligi -Ibi- *Licet autem Prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes. Nos tamen benignius agere cupientes tandiu per ordinatores, vel eorum successores prouideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur.* Tertiò, quod per *Concil. Trident. d. sess. 21. de reformat. cap. 1.*, fuerint antiquorum canonum pænæ super his innouatæ. Quibus suppositis.

Duo potissimum hic controuertuntur, ex quorum resolutione veritas enuntiatæ assertionis apparebit. Primum est, an per *d. cap. cum secundum Apostolum de præbend.* fuerit sublata pæna suspensionis *in d. cap. neminem, & cap. sanctorum 70.* comminata, seu imposita contra sic ordinatos. Secundum per *Concilium Tridentinum loc. cit.*, quantumuis pæna eadem suspensionis fuerit correcta per *d. cap. neminem, & cap. sanctorum*, intelligatur innouata.

4 *Textus in cap. cum secundum Apostolum est correctorius antiquorum canonum.* Quoad primum, quamuis plerique videantur contendere talem pænam non esse correctam per *d. cap. cum secundum Apostolum*, cum solum ibi fuerit iniuncta pæna alimentorum erogandorum contra ordinantem, & ad summum sublata suspensio quoad eundem, si quæ aderat; cæterum quoad ordinatum nihil statuit idē textus; nihilominus probabilius videtur eandem pænam suspensionis quoad sic ordinatum per illum textum *in cap. cum secundum Apostolum* esse sublatam; cum ibidem referatur suspensio illata per prædecessores per illa verba *irritas esse voluerint, & inanes*, quod intellige quoad executionem, quæ ex genere suo importat suspensionem ab exercitio illius ordinis; & deindè immediatè subijciatur correctio -Ibi- *Nos tamen benignius agere cupientes*, & alia pæna contra ordinantes imponitur *tandiu per ordinatores prouideri volumus &c.* per quam prima intelligitur sublata.

5 *Per Tridentinū innouātur antiqui canones.* Quoad secūdum probabilius arbitror, per *Tridentinum loc. cit.* eandem pænam suspensionis fuisse innouatam, quidquid ex aduerso dixerint *Gutierez pract. qq. lib. 2. quæst. 65. num. 11. vers. nec opinio Medina Gonzalez ad reg. 8., Cancellariæ glos. 5. §. 10. nu. 22., Homobonus de exam. Eccles. part. 2. tract. 11. cap. 10. quæst. 22., & alij plures*, quos citat, & sequitur *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. de Subdiac. cap. 6. difficult. 6. num. 9. vers. neque obstat*, atque ad hoc asserendum mouentur potissimum quadam Sacræ Congregationis declaratione de anno 1583., per quam eximitur ordinatus sine titulo à suspensione, cuius declarationis meminerunt *Viualdus in candelabro aureo part. 2. tit. de suspensione num. 28.*, & alij plures relati *à Marchino loco cit.*, item ex sacræ pœnitentariæ vsu, quæ sic ordinatos non habet pro suspensis, de quo vsu testantur *Garzias de benef. part. 2. cap. 5 num. 28., & seqq., Gonzalez loc. cit., & alij* apud *Marchinum loc. cit.*

Quidquid, inquam dixerint huiusmodi Doctores. Probatur iam nostrum assertum per expressa verba *Concil. Trid. d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* -Ibi *Antiquorum canonum pænas super his innouando*, vbi nota primo, quod *in d. cap. 2.* fit mentio specialitèr delicti, prout committitur à recipiente -Ibi- *qui varijs artibus, & fallacijs confingunt se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere*. Rursus ergo pænæ ibi innouatæ debent intelligi quoquo modo saltem partialitèr contra delinquentes in illa receptione sine titulo; hæ autem non possunt esse, nisi quæ continentur *in d. cap. neminem, & cap. sanctorum dist. 70.*, non præcisè illæ, quæ habentur *in d. cap. cum secundum Apostolum de Præben.* cum istæ afficiant solummodò ordinantes. Nota secundò, quod ibi non fit præcisè innouatio alicuius canonis, sed antiquorum canonum, *in d. autem cap. cum secundum Apostolum*, vnus dumtaxat canon continetur obligans Episcopum ad eroganda alimenta, ergo ipse solus non innouatur, sed etiam alij, qui non possunt esse, nisi contenti *in d. cap. neminem, & cap. Sanctorum*. Nota tertiò, quod præsumendum est Concil. Trident. in illo Capitulo voluisse fortioribus habenis cohibere ab illa inordinata ordinum susceptione, quod non præstitisset, si dumtaxat innouasset obligationem Episcopi ordinantis ad alimenta sic ordinato eroganda, quandoquidem ante talem Concilij innouationem illa obligatio erat in viridi obseruantia, & in pleno vigore, & robore. *Considerationes circa Conciliū*

Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur de illa Sacræ Congregationis declaratione, & de vsu Sacræ Pænitentiariæ, quandoquidem de illis authenticè non constat, nec refert, quod illa declaratio à pluribus referatur, quandoquidem vnus ab altero, alter ab altero recepit. *De vsu Pænitentiaria, non constat.*

Ex ijs clarè deducitur probatio nostræ asser-

tui obsequij alicui Ecclesiæ cum sufficientibus prouentibus ad sustentationem posset ordines sacros conferre. Neque hic audiendus est *Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episcopi allegat. 19. num. 26.*, dum asserit, allegatum Breue continere specialem gratiam eidem Patriarchæ concessum, non dispositionem iuris communis extensiuam ad omnes gaudentes tali titulo. Non, inquam, audiendus est, quia, licet Pontifex in illo diplomate videatur specialem gratiam conferre pro Clericis Ciuitatis Venetiarum, ex quo tamen pro omnibus, & singulis eam facultatem contulit, videtur simul, & semel explicare illum esse titulum sufficientem pro ordinatione ad sacros; non enim præsumendum est, quod Pontifex voluerit indotatos omnes posse ordinari, nam eos vel exponeret periculo mendicandi, vel constitueret ordinantem obnoxium oneri ordinatos alendi, quod non est sentiendum de pia Pontificis mente.

Ratio dicti, & dispositionis Sistianæ in eo consistit, quod finis legum vetantium, quem ordinari sine titulo, ille est, ne ordinatus, teneatur contra decentiam status victum sibi curare, vel mendicando, vel sordidam artem exercendo; sed in præsenti hypothesi perpetuæ addictionis ad obsequia Ecclesiæ cum certis prouentibus non potest adesse periculum, quod ordinatus teneatur mendicare, vel sordidam artem exercere ergo &c.

18 *Gradus, & lauream Theologia, & sacris canonibus, non est sufficiens.*

Dicendum septimò. Gradum, quem quis assecutus fuerit in sacris canonibus, vel lauream in Theologia non esse sufficientem, vt quis ad eiusdem titulum, possit ad sacros ordines promoueri. Consentiunt *Ianuensis in praxi Neapol. c. 81. num. 2., Petrus de Ledesma in summa tit. de Sacram. Ord. cap. 7. ante vltimam Concl., Rodriquez in summa part. 2. cap. 15. nu. 15., Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 127., Barbosa de offic. Episc. allegat. 19. num. 72.* Clarè deducitur ex *Concil. Trident. d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* Ibi *Ne quis deinceps sæcularis Clericus, quamuis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros ordines promoueatur, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*; vbi nota illas particulas, *quamuis scientia idoneus*, per quas excluduntur huiusmodi graduati, hoc est scientia idonei. Nota vlterius illas particulas *pacificè possidere*, quod non verificatur respectu graduatorum.

Quoad secundum dubium, quale, & quantum debeat esse beneficium multa etiam insurgunt examinanda, & primò circa ly *quale*, an beneficium debeat esse pacificè possessum, an sufficiat, quod sit simplicitèr impetratum, quamuis litibus obnoxium. Secundò, an debeat esse vnum, an verò sufficiat, quod sit ex pluribus conflatum in ordine ad congruam sustentationem ordinandi. Tertiò ex suppositione, quod sit ex pluribus conflatum, an vnum possit esse in vna Diœcesi, alterum in altera, an verò requiratur, quod omnia sint in eadem Diœcesi. Circa ly *quantum* difficultas versatur solum in assignanda quantitate redditiuum, quos reddere debeat beneficium, vt ad titulum illius possit quis ordinari.

Incipiendo à primo ex dispositione *Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 2.* 19 *Beneficium debet esse pacificè possessũ.*
certum est beneficium, vt quis ad titulum illius possit ordinari debere esse ab illo pacificè possessum. Ibi *pacificè possidere*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem sine possessione nequit fructus percipere, & facere suos, adeoque non habet, quo congruè possit sustentari. Neque dicas, quod ex eo, quod impetrauerit beneficium ab habente legitimam potestatem conferendi habeat titulum, quod deindè ratione litis, vel alicuius vexationis, siue iusta fuerit, siue iniusta impediatur à consecutione fructuum, hoc non impediat, quominus possessor illius tituli possit ex illo ordinari, vt videtur innuere *Rodriquez in summa part. 2. cap. 15. num. 11.*; Contra enim impugnaberis, quia in primis non potest quis dicere, se possidere titulum pacificè, quo illud habet litibus obnoxium, & vexatur in illius possessione. Deindè, cum nequeat fructus percipere, non videtur habere id, quod iura intendunt, ne teneatur emendicare, seu artem sordidam exercere; sed de hoc fusiùs infra agetur.

Rursus prosequendo dubia exposita circa secundum asserendum est ad hoc, vt 20 *Potest esse conflatum ex pluribus.*
quis possit ordinari ad titulum beneficij, non esse necesse, vt beneficium, ad cuius titulum ordinandus est, sit vnum sufficiens ad congruos redditus pro sustentatione reddendos, sed posse esse plura tenuia, quæ simul collecta reddant tot redditus, quot sufficiant ad eandem sustentationem. In hoc arbitror omnes consentire, & signantèr *Marchinus tract. 2. de ordin. in part. part. 6. de Subdiac. c. 6., Sanchez in opusc. tom. 2. lib 2. cap. 1. dub. 22. num. 7., Garzias de benef. part. 2. cap. 4. num. 8.*, nam per hoc habetur, quidquid requiritur ex dispositione Concilij Tridentini requirentis, vt ordinandus habeat, quo possit congruè viuere; &, sicuti ex infra dicendis, potest quis sacris ordinibus initiari, si habeat beneficium tenuè simul cum patrimonio integrante simul cum illo congruam sustentationem,

&tra-

& tradunt *Sanchez in opuſcul. loc. cit.*, *Barboſa de iur. Pontif. lib. 1. cap. 33. num. 38.*, *Diana part. 4. mor. reſol. tract. 4. reſol. 51.*, *Garzias loc. cit.* ita non eſt, cur non poſſit taliter initiari, qui gaudet pluribus beneficij tenuibus integrantibus tamen tot redditus, quot ſufficiant ad congruam ſuſtentationem.

Rurſus in ſuppoſitione, quod ſint plu-
21 ra beneficia diſperſa in pluribus Diœceſibus, poteſt etiam ad illorum titulum quis ordinari. *Marchinus loc. quo ſupra*, nec in hoc hæſitandum eſt, cum habeat quidquid requiritur ex diſpoſitione iurium ex fine ab eiſdem intentum, & parum referre poteſt, quod redditus beneficiorum percipiantur vel in vna, vel in altera Diœceſi. Difficultas ſolummodò verſari poteſt in explicando, ad quemnam ex Epiſcopis illarum diuerſarum Diœceſum pertinebit illum ordinare? In hoc

Etiamſi illa ſint in pluribus locis diſpoſita

22 ſentio poſſe, quemlibet illorum Epiſcoporum illum ordinare de conſenſu alterius; congruentius tamen fore, ſi ordinetur ab illo Epiſcopo, in cuius Diœceſi habet ſimul domicilium, & beneficium tenet. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia iuxta ſuperius dicta Epiſcopus proprius, quantum ad facultatem ordinandi non ſolum eſt Epiſcopus originis, domicilij ſed etiam Epiſcopus beneficij, ergo, cum vterque ſit proprius ratione beneficij, vterque poterit ordinare; cum tamen alter etiam Epiſcopus ratione beneficij in proprio territorio exiſtẽtis habeat ius aliquod ratione eiuſdem, requiritur, & ipſius conſenſus. Ratio ſecundæ partis ex eo habetur, quod Epiſcopus domicilij habet duplicem titulum alterum ratione eiuſdem domicilij, alterum ratione beneficij, ergo ad ipſum potius pertinet ordinare, quam ad alterum habentem ſolummodò poteſtatem ratione beneficij. Accedit, quod cum ordinandus viuat in territorio Epiſcopi domicilij; cui propterea poſſunt innoteſcere mores, natalia, aliaque neceſſaria, reſpectu eiuſdem non indigeat literis teſtimonialibus quibus fortè indigeret, ſi ab altero eſſet promouendus, ergo &c.

In hoc caſu à quonam Epiſcopo eſſet ordinandus.

Circa Iij, *quantum*, arbitror hoc remit-
23 tendum eſſe arbitrio proprij Epiſcopi, qui conſiderata conditione perſonæ, loci, & temporis taxet congruentem ſummam ad ſuſtentationem vitæ ordinandi iuxta decentiam ſtatus, ad quam ſummam, ſi peruenerint redditus beneficij, poterit ad eiuſdem titulum ordinari; non enim poſſumus certam regulam pro quacunque perſona, pro omni tempore, & loco aſſignare, cum in vno loco, & tempore redditus beneficij poſſint eſſe ſufficientes, & non pro altero loco, & tempore.

Quantitas fructuum taxanda eſt ab Epiſcopo.

Quoad tertium dubium, an ſcilicet quis poſſit promoueri ex titulo certo de futuro, licet non poſſeſſo de præſenti, ſecundum varias acceptiones quas habere poteſt idem dubium, diuerſas poteſt ſortiri reſolutiones, vel enim ſupponitur iuxta terminos, quibus concipitur dubium, quod non habeat actu beneficium, habeat tamen certam ſpem illud habendi, vel ſupponitur, quod actu habeat beneficium per collationem, non habeat tamen ius percipiendi fructus, niſi ad certum tempus, vel ſupponitur, quod actu impetrauerit beneficium cum iure percipiendi fructus, ſed à Iudice ſæculari impediatur à conſecutione eorundem fructuum.

Iuxtà primum ſenſum ſentiendum eſt, non habentem titulum, niſi in ſpe quan- 24
tumuis moralitèr certa, non poſſe ex vi illius ad ſacros ordines promoueri. *Hugolinus de poteſt. Epiſcop. cap. 26. § 8. num. 3.*, *Rodriquez in ſumma part. 2. cap. 15. num. 20.*, *Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 130.*, *Barboſa de offic., & poteſt. Epiſcop. alleg. 19. num. 28.* Expreſsè euincitur *ex verb Concilij Tridentini d. ſeſs. 21. de reformat. cap. 2.* Ibi *pacificè poſſidere*, non autem intelligitur poſſidere, qui nedum habet ius ad fructus, ſed etiam non habet actu titulum, ex quo oritur tale ius. Neque hic audiendi ſunt *Sairus de cenſur. lib. 4. cap. 14. num. 19.*, *Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 14. num. 19.*, *Campanilis in diuerſ. iur. can. rub. 8. cap. 4. num. 10.*, qui ſuppoſita ſpe certa acquiſitionis futuri beneficij adſtruunt ad illius titulum quem poſſe ordinari, eo quia illa ſpes ratione certitudinis, cum ſit radicata, æquiualet titulo reali, & actuali. Non, inquam, audiendi ſunt, quia, cum Concilium requirat actualem, & pacificam poſſeſſionem beneficij, & vtique pro forma, non intelligitur adimpleri per equipollentes. Deindè iura, & Concilium exigunt pacificam poſſeſſionem in ordine ad fructus percipiendos, vt illis ſuſtentari valeat; quomodo autem fructus percipi poſſunt, ſi 25
nec poſſeſſio, nec titulus poſſidendi habetur?

Habens titulum in ſpe quamuis moralitèr certa nõ poteſt ad illum ordinari

Iuxtà ſecundum ſenſum, qui talitè intelligitur, vt de facto habeat quis titulum per legitimam collationem, non poſſit tamen ex eodem percipere fructus, niſi acquiſito Presbiteratu, patet ex dictis quid ſentiendum, ſcilicet poſſe ad eiuſdem titulum ordinari, & ita fuiſſe a Sacra Congregatione declaratum teſtantur *Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num 120.*, *Barboſa de officio, & poteſt. Epiſcop. alleg. 19. num. 29.* Rationes huius reſolutionis, & ſolu-

Habens titulum pacificè poſſeſſũ, licet nõ poſſit percipere fructus, niſi præcepto Presbiteratu poteſt licitè ordinari

solutiones obiectorum recole ex supradictis *in hoc eodem art. vers. limitandum secundò*.

26 *Habens beneficium legitimè collatũ, cuius possessionem, non habeat, nõ potest ad illud ordinari.* Iuxtà tertium sensum, (& hic continet quartum principale dubium in principio articuli propositum) arbitror ex tali titulo, non posse ad sacros ordines promoueri. Hoc contingeret in casu, quo quis à Romano Pontifice impetrasset beneficiũ situm in territorio alicuius Principis, nec posset ab eodem Principe placitum obtinere ad acquirendam possessionem eiusdem beneficij, ac proindè, nec redditus. In hoc consentit *Marchinus tract. 2. de ord. in part. part. 6. de Subdiacon. cap. 6. difficult. 4. num. 13., & seqq.* Ratio ex eo deducitur, quod Concil. Trident. supra allegatum ad susceptionem ordinum sacrorum præscribit, tanquam formam pacificam possessionem beneficij, & ad hoc ad eum finem, vt promotus fructibus eiusdem congruè sustentari valeat, & ne teneatur contra decentiam status mendicare; in hac autem hypothesi, nec possessionem haberet, & multo minus pacificam, nec posset fructus ex illo beneficio percipere, ergo &c.

ARTICVLVS XX.

An quis possit sacris ordinibus initiari ad titulum beneficij habentis redditus incertos, seu beneficij ex se insufficientis ad victum, quod postea sufficiens reddatur ob eleemosynas Missarum, & Anniuersariorum.

SVMMARIVM.

Duplex sensus tituli exponitur. 1.
Sententia Marchini asserentis, quod, quando nullos habet certos redditus, sed tantum incertos, possit quis ex illo titulo ordinari, secus, si habet aliquos certos, alios incertos. 2.
Quomodo saluari possit contrarietas in sensu Marchini. 3.
Possessor beneficij, cuius omnes redditus sunt incerti, suppositis certis conditionibus, potest ad illius titulum ordinari. 4.
Enumerantur conditiones ad hoc requisitæ. 5.
Possessor beneficij, cuius aliqui redditus sunt certi, sed tenues, alij incerti non potest ad illius titulum ordinari. 6.
Intellige, quando fructus illi incerti non sunt alligati beneficio. 7.

DVo continet titulus. Primum supponit, quod beneficium non habeat aliquos redditus certos, sed conferat solummodò ius ad redditus incertos, & casuales prouenientes ex defunctorum exequijs, ex anniuersariorum celebratione, ex stipendijs Missarum incertis tamen, & dietim obuenientibus. Secundum supponit quidem beneficium habere redditus certos, sed tenues, nec secundum se sufficientes ad victum beneficiarij; tale tamen est, vt occasione illius obueniant, vt plurimum eleemosinæ Missarum, & anniuersariorum stipendia, ex quibus simul cum redditibus certi illius beneficij integretur summa sufficiens ad honestum victum. Circa vtrumque hunc casum contingit modo dubitari, an quis ex titulo illius beneficij possit ad sacros ordines promoueri. 1 *Duplex sensus tituli exponitur.*

Marchinus tract. 2. de ordin. in part. part. 6. de Subdiaconatu cap. 6. num. 27., & seqq. in vno affirmat idest in primo supposito, quod redditus illi incerti consideratis omnibus habeantur pro sufficientibus; negat verò in altero nempè in secundo. Sed qua consequentia hoc asserat, non percipio. Fundamentum negandi in secundo casu hoc adducit, quia scilicet illa stipendia eleemosinarum, Missarum, vel anniuersariorum sunt incerta, & non firma, nec perpetua; atque ob hanc caussam incertitudinis asserit fuisse à Sacra Congregatione definitum, non esse attendenda hæc stipendia incerta ad constituendum vnum sufficiens beneficium, vt ex illo quis promoueatur ad ordines sacros; atque pro hoc suo asserto allegat *Quarantam verb. ordo vers. secundo extende, Zerolam verb. dimmissoria, §. 5. dub. 2., Garziam de benef. part. 1. cap. 5. num. 125.*, sed etiam in primo casu redditus, qui ex illo beneficio perciperentur, essent incerti, non firmi, nec perpetui, ergo neque in hoc casu reputandi erunt, vt apti, vt quis promoueri possit, vel si isti ad hunc effectum sunt idonei, erunt & illi idonei. 2 *Exponitur sententia Marchini iuxta vtrũque sensum.*

Vidissem vtique libentèr apud eundem Marchinum aliquam disparitatis notam inter vtrumque casum, sed nullum vestigium potui adinuenire. Arbitror, fortè motum fuisse illa ratione, qua in primo casu supponat illa stipendia incerta esse alligata illi beneficio, quatenus opera, à quibus possunt prouenire, nequeant exerceri, nisi ab illo beneficiario, vt v. gr., si sit Parochus, ad quem solum pertinet exequias celebrare, anniuersaria adimplere, Sacramenta ministrare, aliaque munera Parochialia exercere, ex quibus vigente pia, & laudabili consuetudine eleemosinæ percipiuntur; si etenim istæ consideratis omnibus regularitèr ascendere possint ad summam sufficientem ad congruam sustentationem, ad titulum earum, seu potius eiusdem beneficij 3 *Quomodo saluari possit contrarietas Marchini.*

ficij poterit beneficiarius ordinari; in casu verò secundo illa extraordinaria emolumenta non sint allegata illi beneficio, sed possint alijs conferri, qui exerceant illa munera, cum hæc sint exercibilia ab alio, quam ab ipso beneficiario, adeoque in primo casu sit sufficiens titulus, non sic in secundo. Hæc disparitas videtur aliquam vim conferre ad saluandam contrarietatem, quæ prima fronte videtur militare contra Marchinum, eiusq; assertum, sed tanta non videtur, vt in primo casu conferre possit sufficientem titulum, non sic in secundo, quandoquidem, quamuis illa emolumenta proueniant à beneficio ex muneribus eidem alligatis, sunt tamen incerta, quæ obuenire possunt, vel non obuenire, plura, vel pauciora, vel fortè nulla; iura autem exigunt ius ad certa, nec contenta sunt incertis, cum obuenire possit casus, quo modica percipiantur, & beneficiarius ad congruum victum cogi possit emendicare. Quid iam in hoc concludendum?

4 *Possessor beneficij redditutuum incertorũ suppositis certis cõditionibus, potest ordinari*

Quoad primum casum, de habente beneficium, cuius non sunt redditus, nisi incerti, qui tamen computatis omnibus regularitèr percipiantur in ea quantitate, quæ reputatur sufficiens ad congruam sustentationem beneficiarij, sentio cum eodem Marchino adiectis tamen nonnullis conditionibus posse possessorem ad eiusdem titulum ordinari. Prima conditio est, quod illud beneficium auctoritate Ecclesiæ sit institutum propter eius necessitatem, vel vtilitatem. Secunda est, quod eidem beneficio sint alligata onera, quæ solum ab ipso beneficiario exerceri possint, ex quibus, vel de iure, vel ex pia,

5 *Enumerantur huiusmodi cõditiones*

& laudabili consuetudine percipiantur fructus, vel stipendia. Tertia, vt illa stipendia, quæ percipiuntur, seu regularitèr computatis omnibus percipi solent, perueniant ad quantitatem, quæ communitèr reputetur pro sufficienti ad honestam sustentationem. His suppositis probatur assertum. Supposita institutione talis beneficij cum oneribus eidem adiectis ad animarum salutem, & vtilitatem denegari non potest, quin illud sit propriè beneficium Ecclesiasticum, & cum habeat annexa onera, ex quibus fructus percipiuntur, non potest denegari, quin conferat ius ad fructus, qui licèt

Rationes pro hoc dicto.

sine incerti, cum proueniant ex causa incerta ex muneribus scilicet, quæ nonnisi occasionalitèr exerceri possunt, quia tamen ex communitèr accidentibus comperiatur tot esse, quot sufficiunt ad honestum victum, ex illis habetur, quidquid requiritur, vt quis possit ordinari iuxta dispositionem Concil. Trident., aliorumque iurium, & quidem illi fructus proueniunt ex beneficio, cum munera, ex quibus percipiuntur, sint alligata eidem beneficio; vndè dici potest, quod sint quidem incerti quoad quantitatem, non autem quoad sufficientiam, cum regularitèr sufficientes percipiantur, & iuxta hunc sensum existimo, procedere *Ianuensem in praxi Neapolit. cap. 83. num. 9.*, & *Madium de sac. ord. cap. 5. num. 20.*

6 *Possessor beneficij cuius aliqui fructus sũt certi alij incerti, nõ potest ad illius titulum ordinari*

Quoad secundum casum de tenui beneficio, non sufficienti ad victum sentio, ad illius titulum non posse possessorem illius ordinari, quamuis possit reddi sufficiens ex eleemosinis Missarum, & anniuersariorum. Intelligo, quando onera Missarum, & anniuersariorum non sunt annexa eidem beneficio, sed stipendia eorum possint pro arbitrio alijs conferri, & in hoc procedit discrimen inter hinc, & primum casum, nam in hoc non solum est incertitudo quoad quantitatem, & sufficientiam, sed etiam quoad substantiam. Ratio ex eo deducitur, quia non possidet beneficium, quod sibi ad victum honestè sufficeret, prout requirit Concil. Trid., nec illa stipendia Missarum, & anniuersariorum possunt integrare illud, cum eidem non sint ex aliquo titulo debita, sed possint alijs conferri, &, si valeret hic titulus posset quis sine beneficio ad titulum Missarum, & anniuersariorum, quæ ei dietim obuenire possent, ordinari, quod nemo dicit. Hæc sequela sic euincitur.

7 *Intellige, si fructus incerti, non sint alligati beneficio.*

Iura, & Concilium non solum, vt quis possit ordinari ad titulum beneficij, requirunt beneficium, sed beneficium sufficiens ad honestum victum, nec considerant ea, quæ liberè possunt obuenire, ergo si ea, quæ liberè possunt obuenire, possent integrare beneficium sufficiens, possent etiam constituere integrum titulum beneficij, si tot essent, quot sufficerent ad illud congruè constituendum, quia, sicuti se habet pars ad partem, ita totum ad totum argum. textus *in l. quæ de tota, ff. de pact.*

Hinc intelliguntur conciliata, quæ videbantur directè sibi aduersantia, & in hoc sensu intelligendus est locutus *Marchinus loc. cit.*, & non alitèr.

AR.

ARTICVLVS XXI.

An, quando beneficium est tenue possit integrari per patrimonium quoad effectum, vt ex vtroque possit quis ordinari.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Potest quis ordinari partim ad titulum beneficij, partim ad titulum patrimonij. 2.
In hoc saluatur finis iurium requirentium titulum. 3.
Nec in hac hypothesi requiritur, vt quis ordinetur, tanta necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, quanta requiritur, vt quis ex solo titulo patrimonij ordinetur. 4.
Et in hoc casu poterit gaudens illo duplici titulo partiali ordinari vel ab Episcopo, vbi est patrimonium, vel ab illo, vbi est beneficium de alterius tamen licentia. 5.
Congrueret tamen, vt litteræ dimmissoriæ expedirentur ab Episcopo patriæ ratione patrimonij. 6.

1 *Rationes examinādæ circa titulum.* EX hoc titulo plures insurgunt rationes dubitandi. Prima est, an verè ex vtroque partialitèr possit constitui titulus sufficiens. Secunda, an, cum *Concilium Tridentinum dict. sess. 21. de reformat. cap. 2.* statuat, quod ad titulum patrimonij non debeat quis ordinari, nisi Episcopus eum iudicauerit admittendum pro necessitate, & vtilitate suarum Ecclesiarum, eadem necessitas, seu vtilitas Ecclesiarum requiratur, quando quis ordinandus est ad titulum beneficij, & patrimonij simul, ac quando ordinandus est ex simplici titulo patrimonij. Tertia ex suppositione, quod ad titulum vtriusque possit ordinari, an pertineret ad Episcopum, in cuius territorio est patrimonium, illum ordinare, an verò ad Episcopum in cuius Diœcesi est beneficium.

2 *Potest quis ordinari partim ex beneficio, partim ex patrimonio.* Assertio I. Nulla est repugnantia, quando beneficium est tenue, quin possit ordinari, partim ex beneficio, partim ex patrimonio legitimè constituto. *Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 2. cap. 1. dub. 22. num. 7., Barbosa de iur. Pontif. lib. 1. cap. 33. n. 38., Diana mor. resol. part. 4. tract. 4. resol. 51., Garzias de benef. part. 2. cap. 4. num. 8., & alij*, qui, cum controuertant ad quemnam Episcopum spectat ordinare, an ad Episcopum patrimonij, an verò ad Episcopum beneficij, vtique supponunt ex vtroque titulo simul posse quem ordinari.

Probatur iam assertio. Finis à iuribus, & à Concilio Tridentino intentus in lege requirente ad ordinationem beneficium, vel patrimonium, est, ne sine altero illorum, si quis ordinetur, compellatur contra decentiam proprij status vel mendicare, vel sordidam artem exercere ad acquirendam propriam sustentationem, sed hic finis sufficienter habetur ex eo, quod quis habeat, partim ex beneficio, partim ex patrimonio congruam sui sustentationem, ergo per conflatum ex vtroque poterit quis sacris ordinibus initiari. Confirmatur ex infrà dicendis, quia quis potest ordinari ad simplicem titulum patrimonij, ergo etiam poterit ordinari, partim ex beneficio, partim ex patrimonio, dummodò ex vtroque conficetur sufficiens summa redditutum ad congruam ordinandi satisfactionem. Consequentia probatur, quia omnibus iuribus suffragantibus magis congruit fini iurium, vt quis promoueatur ex titulo beneficij, quam ex titulo patrimonij, ergo si potest ordinari ex simplici titulo patrimonij, quando hoc congruum, & sufficiens est, à fortiori poterit ordinari ex titulo simul beneficij, & patrimonij, quando ex vtroque conflatur congrua summa pro congrua sustentatione. 3 *In hoc saluatur finis iurium.*

Assertio II. Quando partim ex beneficio, partim ex patrimonio conflatur sufficiens summa ad congruam sustentationem, non videtur tanta necessitas, & vtilitas Ecclesię requiri, vt ex illius titulo quis promoueatur ad sacros Ordines, quanta requiritur, quando ex præciso titulo patrimonij est promouendus. In hoc arbitror communitèr Doctores consentire, dummodò tamen redditus beneficij sint in maiori, vel saltem æquali quantitate, si etenim esset in modica, & exigua quantitate præualente in magno quantitate patrimonij, equidem non auderem asserere, non requiri necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, vt quis ordinetur. 4 *In hoc casu minor requiritur necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ.*

Probatur, quia concurrente duplici titulo altero magis idoneo, & magis iuribus proportionato, altero minus idoneo minusque iuribus congruo, quod magis idoneum, & aptius est, trahit ad se minus idoneum, minusque aptum, ergo, cum titulus beneficij sit aptior, magis ipse attendendus est, & ad normam eiusdem titulus patrimonij minus aptus est regulandus, ergo cum in promouendo titulo beneficij non requiratur illa necessitas, & vtilitas Ecclesiarum, nec requiretur, quando concurrit simul cum beneficio titulus partialis patrimonij, dummodò tamen titulus beneficij sit in considerabili quantitate.

Assertio III. Quando titulus conflatur partim ex beneficio, partim ex patrimonio poterit, gaudentem tali titulo, vel Episco-

Episcopus patrimonij, vel Episcopus beneficij de alterius licentia ordinare. In hoc consentiunt *Iulius Cæsar Madius de sacris ordin. cap. 5. num. 28., & seqq., Quaranta verb. ordo vers. secundo intellige, & secundo extende, Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 6. difficult. 2. num. 5., & 6.*

5 *A quonā Episcopo, tunc esset ordinādus.*

Ratio ex eo deducitur, quod subiectio in ordinando non solum desumitur ratione originis, & domicilij, sed etiam ratione beneficij per ea, quæ in præcedentibus commendauimus, ergo, cum ordinandus sit vni Episcopo subiectus ratione patrimonij, & alteri ratione beneficij poterit ab vtroque ordinari. Dixi *de alterius licentia*, cum etenim vterque Episcopus habeat ius aliquod in personam ordinandam neuter debet suo iure priuari per independentem ordinationem ab altero, nam, sicuti vnus Episcopus ex vi patrimonij in propria Diœcesi, cum hoc sit tenue, & insufficiens non potest ordinare, nec alter ratione beneficij propter eandem rationem tenuitatis, & insufficientię, ita nec vnus sine licentia alterius potest hoc præstare, cum titulus sufficiens ex vtroque iure confletur.

6 *Literæ dimmissoriæ cōgruentius essent expediēdæ ab Episcopo patrimonij*

Congruum tamen foret, quod literæ dimmissoriæ expedirentur ab Episcopo patriæ ratione patrimonij, tum quia, cum ordinandus domicilium, & stationem habeat in eius iurisdictione, eidem facilius possunt innotescere qualitates, & conditiones ordinandi; tum quia posset esse præsumptio, quod ad Episcopum beneficij confugerit ad declinandam iurisdictionem Episcopi patriæ, quæ præsumptio maximè vigeret, si beneficium illud tenue esset de proximo ante ordinationem collatum, vel si post ordinationem ordinatus reuerteretur ad habitandum in propria patria.

ARTICVLVS XXII.

De pœnis ordinantis sine titulo beneficij, vel patrimonij.

SVMMARIVM.

Episcopus ordinans Subdiaconum sine titulo, tenetur alere suis sumptibus sic ordinatum. 1.

Varij tituli examinandi circa hanc pænam. 2.

Hanc pænam incurrit etiam si ordinet existimans habere titulum, non adhibita debita diligentia. 3.

Si adhibuerit debitam diligentiam, & deceptus ordinauerit, non tenetur ad hanc pænam. 4.

Tenetur tamen alere ex motiuo charitatis, si ordinatus sit pauper. 5.

Ex negligentia Vicarij, cui comisit examen super titulo, Episcopus non tenetur nisi subsidiariè. 6.

Excipe, nisi Vicarius sit suspectus. 7.

Ratio, cur Episcopus teneatur subsidiariè. 8.

Et quidem ex titulo indebitæ ordinationis, si Vicarius fuerit suspectus, & titulo verò generalis charitatis, si Vicarius fuerit omni exceptione maior. 9.

Sententia asserens, teneri ad huiusmodi alimenta, quantumuis ordinatus habeat aliundè, quo congruè viuere possit. 10.

Contraria sententia præfertur. 11.

Peccat tamen grauitèr Episcopus sic ordinando. 12.

Cessat etiam onus in Episcopo alendi ordinatum, si hic habeat Patrem diuitem. 13.

Non tenetur Episcopus alere ordinatum cum iusto titulo, si redditus postea deficiant. 14.

Onus alendi ordinatum sine titulo transit cum Episcopo translato ad aliam Ecclesiam. 15.

Mortuo Episcopo, qui ordinauit sine titulo, tenetur eius successor. 16.

Si quis fuerit ab vno Episcopo ordinatus Subdiaconus sine titulo, & ab alio etiam sine titulo Diaconus, vterque Episcopus tenetur ad ratam ad alimenta. 17.

Si Subdiaconus ordinatus sine titulo à proprio Episcopo ordinetur ab alio Diaconus ex speciali, & indiuiduo mandato proprij Episcopi Episcopus ordinans illum Diaconum, non tenetur ad alimenta. 18.

Si ordinet illum Diaconum ex generali mandato ordinandi suos subditos, tenetur. Ibid.

Si vnus Episcopus ordinauerit Subdiaconum, & alter eundem Diaconum sine titulo altero Episcopo mortuo tenetur superstes alimenta in solidum conferre. 19.

Translato Episcopo, qui ordinauit sine titulo ad alium Episcopatum, ipse, non successor, tenetur alere sic ordinatum. 20.

In concussu successoris, & hæredum defuncti, qui ordinauit sine titulo congruentius onus alendi sic ordinatum, pertinet ad hæredes. 21.

1 *Episcopus ordinans sine titulo tenetur alere ordinatum.*

Potissima pæna contra Episcopum initiantem sacris ordinibus sine titulo beneficij, vel patrimonij, est onus alendi suis sumptibus sic initiatum, prout expressè colligitur *ex cap. cum secundum de Prebend., & cap. cum accepimus de ætate, & qual.*

Circa hanc pænam plures insurgunt rationes dubitandi, quarum prima est, an afficiat hæc pæna Episcopum ordinantem sine titulo, siue hoc præstiterit bona fide, siue mala. Secunda, an Episcopus tali pæna obstringatur, quantumuis ordinatus sine titulo habeat aliundè, quo commodè viuere possit. Tertia, an teneatur

neatur etiam alere ordinatum cum sufficienti titulo, si redditus beneficij, vel patrimonij post ordinationem perirent. Quarta, an ad hoc onus teneatur, quantumuis facta ordinatione sine titulo Episcopus ad aliam sedem Episcopalem commigraret. Quinta, an hoc onus mortuo Episcopo ordinante sine titulo transeat ad eiusdem successorem. Sexta, an Episcopo, qui ordinauit sine titulo translato ad alium Episcopatum, onus alendi ordinatum ad ipsum pertineat, an ad eius successorem in primo Episcopatu.

2 *Varij articuli examinandi circa hanc pœnam.*

3 *Nec excusat bona fides, si nō adhibuerit diligentiam.*

Ad primam asserendum est, duplicitèr posse Episcopum bona fide aliquem sine titulo ordinare; primò quatenus præcisè arbitretur ordinandum habere sufficientes redditus ad congruam sui sustentationem siue ex beneficio, siue ex patrimonio nulla adhibita diligentia super veritate suæ credulitatis. Secundò, quatenus adhibita congrua, & diligenti inuestigatione super existentia beneficij sufficientis, vel patrimonij bona fide arbitratus fuerit sufficientem titulum adesse, qui tamen re vera non existebat. Iuxta primum sensum arbitror non eximi ab onere erogandi congruam sustentationem sic ordinato. Ratio ex eo deducitur, quia *Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 2.*, præscribit modum, quo debeat constare de tali titulo. Ibi: *Nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*; non constat autem legitimè per solum arbitramentum ordinantis, sed per diligentem, & iuridicam inquisitionem super veritate expositorum. Deindè non dici-

4 *Adhibita debita diligentia non tenetur.*

tur legitimè scire, qui negligit media, quibus legitimè scitur, & negligere media, quibus haberi potest legitima scientia æquiualet huic, quod est nescire. Iuxta secundum sensum sentio, non teneri alere quantum est ex vi iuris specialitèr obligantis Episcopos ad subministranda alimenta ordinatis sine titulo, benè tamen ex vi generalis legis siue sit iustitiæ, siue charitatis, qua Episcopus tenetur omnibus pauperibus, & præcipuè constitutis in ordine Clericali prouidere. Ita in vniuersum *Glosa in cap. cum secundum verb. donec de prabend.*, *Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 32. nu. 8.*, *Vgolinus de offic. Episc. c. 26. §. 15. vers. septimo excipitur*. Ratio primæ partis est, quia Episcopus in tali ordinum collatione processit iuxta ordinem iuris, nullamque, nec minimam labem contraxit, cum adhibuerit omnia media à iure requisita, ergo ex vi illius ordinationis nullam pænam debebit subire, cum nequeat esse pæna sine culpa. Ratio secundæ partis est, quia Episcopus debet esse Pater pauperum, & bona Episcopatus, quæ superfluunt proprio statui, eisdem erogare; fortius autem, & strictius tenetur erga eos, pro quibus specialior, & vrgentior militat ratio, qualis militat pro initiatis sacris ordinibus, qui secus contra decentiam proprij status, & cum vilipendio Ecclesiasticæ Hierarchiæ tenerentur mendicare, vel sordidam artem exercere. Ad Episcopum autem ex vi proprij muneris specialitèr spectat incumbere, ne Ecclesiastica dignitas vilipendatur.

5 *Tenetur tamen alere ex motiuo charitatis.*

Sed quid erit dicendum, si Episcopus commiserit proprio Vicario, vel examinatoribus examen de idoneitate, & sufficientia tituli, & ipsi neglecta diligenti inuestigatione retulerint de idoneitate, & sufficientia, quæ tamen non aderat; an tunc Episcopus tenebitur alere sic ordinatum? Asserendum est in hac hypothesi, 6

Ex negligētia Vicarij, non tenetur.

non ipsum Episcopum teneri alere sic ordinatum, nisi ad summum subsidialitèr, sed examinatores, quibus commissum fuit examen. Consentiunt *Glosa in d. cap. cum secundum in verb. successores de Prabend. Quaranta verb. ordo vers. obligationem Episcopi, Marchinus tract. 2. de ordin. in partic. part. 6. de Subdiacon. cap. 6. difficult. 4. n. 7. vers. secundo deducitur*. Rationem ex eo desumo, quod non ipse Episcopus peccauit, sed Archidiaconus, vel examinatores præsentando sine legitimo titulo, prout notat *Glosa in cap. ad hæc in verb. examinentur de offic. Archidiaconi*, ergo examinatoribus potius, quam Episcopis onus incumbit alendi ordinatum sine iusto titulo arg. textus *in cap. si seruus distinct. 54.* Neque obstare potest, quod Episcopus teneatur de facto examinatorum, cum de mandato ipsius examinent, ea proportionali ratione, qua exercitor nauis de facto Magistri tenetur per textum *in l. 1. §. Magistrum, ff. de exercit.* Non, inquam, obstare potest, quia, vt habetur *in cap. significante de pignor.*, negligentia examinatorum non obesse potest Episcopo, sicuti malitia nuntij non obest Domino, quando ab initio nuntius creditur fidelis, & examinatores tales, vt non verisimile sit, eos mentiri *Glosa in d. cap. ad hæc in verb. examinentur*. Quod, si supponas examinatores ab Episcopo ad hoc deputatos, 7

Excipe, nisi Vicarius sit suspectus.

non esse omni exceptione maiores, sed suspectos, tunc certè Episcopus eos deputans tenebitur, cum reus sit culpæ in electione eorundem, & debet sibi imputare, quod ipsos elegerit, & in hoc verificabitur, quod teneatur de facto eorundem examinatorum.

Dixi, *nisi ad summum subsidialitèr*, quatenus, si examinatores non sint soluendo

sic

sic ordinatus sine titulo habeat regressum, aduersus eundem Episcopum, non solum quia adhuc reseruatum ius Episcopo iterum examinandi illum per textum *in cap. accepimus de ætate, & qualit.*, sed etiam, quia ad ipsum spectat curare, ne ille ordinatus in obbrobrium Clericorum compellatur mendicare *argum. textus in cap. ad supplicationem de renunt.*, *& cap. Diaconi dist. 93.* Sed, an onus in Episcopo in hac hyppothesi proueniat ex speciali iure ordinationis factæ sine titulo, an verò solum ex generali regula, qua tenetur Episcopus consulere omnibus indigentibus, & præcipuè sacris ordinibus initiatis? Crederem, quod, si examinatores essent omni exceptione maiores, adeovt in eisdem cadere non posset suspicio infidelitatis, teneretur solum Episcopus ex illa generali regula; si verò examinatores non fuerint tales, teneretur ex speciali illo iure ordinationis factæ sine titulo.

8 *Ratio, cur Episcopus teneatur subsidiariè.*

9 *Quo titulo in hoc casu teneatur.*

Ratio primæ partis est, quia in primo casu, cum nulla adsit culpa, non potest esse pęna, quę iniungitur per illud speciale ius, quod est pænale, & punitiuum, sed solum subintrare potest titulus charitatis, quamuis quoquo modo specialis propter decentiam status. Ratio secundæ partis argumento à contrario sensu deducitur, quod scilicet, cum fuerit quodamodo in culpa in tali electione minus apta, vtique debeat pænæ subesse.

10 *Sententia asserens, teneri ad hæc alimēta quāuis ordinatus sit diues.*

Ad secundam videtur prima fronte dicendum, quod Episcopus teneatur congruum victum erogare non obstante, quod ordinatus sine titulo habeat aliundè, quo commodè viuere possit, vrgente ea ratione, quod huiusmodi pæna sit imposita propter delictum in illa ordinatione contra iuris dispositionem, & vbi delictum est consummatum, non potest non sequi pæna contra ipsum imposita non refragante, quod aliundè habeat ordinatus, quo congruè viuere possit, nam pæna per hoc non demitur. His tamen non obstantibus asserendum est Episcopum, quamuis grauitèr deliquerit ordinando sine titulo, non teneri in hac hypothesi alimenta aliundè habenti subministrare. In hoc consentit *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. de Subdiac. cap. 6. difficult. 4. num. 7. vers. tertio deducitur*. Rationem ex eo deduco, quod huiusmodi pæna non est simplicitèr imposita, sed propter finem, ne scilicet ordinatus in obbrobrium status Clericalis teneatur emendicare, vel sordidam artem exercere; hic autem finis cessat in eo, qui aliundè habet, quo commodè viuere possit, ergo hæc pæna in Episcopo ordinante cessare debet. Neque obstare potest, quod pæna respiciat delictum in sua origine consummatum; hic autem delictum intelligitur consummatum, cum fuerit posita culpabilitèr ordinatio sine titulo. Non, inquam, obstare potest, quia hæc pæna, quamuis supponat delictum, sine quo esse non potest, respicit tamen primariò subsequentia ad delictum, & finem, propter quem ex delicto imposita est, ne scilicet ex illo sequatur obbrobrium status Clericalis, quod sequi non potest existentibus in ordinato facultatibus, quibus congruè ali possit; & sicuti, si fuerit ordinatus sine titulo, & postea fuerit de beneficio prouisus cessat in Episcopo onus ipsum alendi, quia ex beneficio habet, quo congruè viuere possit non obstante, quod delictum fuerit consummatum in ipsa ordinatione sine titulo, ita si fuerit talitèr ordinatus, & habeat aliundè, quo commodè viuere possit, cessabit in Episcopo onus alendi &c., non obstante &c., quæ omnia confirmantur ex textu *in cap. Episcopus de præbendis*. Ibi. *Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere*.

11 *Contraria sententia præfertur.*

12 *Peccat tamen grauitèr Episcopus.*

Sed quid erit dicendum, si ordinatus sine titulo non habeat quidem ex se, quo congruè viuere possit, habeat tamen Patrem diuitem, qui renuat filio sic ordinato erogare alimenta congrua ex motiuo, quod teneatur Episcopus ipsum alere. Etiam in hac hypothesi sentiendum existimo cessare in Episcopo onus ipsum alendi, *Barbosa de offic., & potestate Episcopi alleg. 20. à num. 4. vsque ad 10.*, *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 7. de Subdiac. cap. 6. difficult. 4. num. 7. vers. 4. deducitur*. Ratio ex eo deducitur, quia in concursu obligationis naturalis cum obligatione iuris positiui, fortius obligat naturalis; paterna autem obligatio alendi filium non habentem aliundè naturalis est; obligatio verò Episcopi est positiua ergo &c. Accedit, quod, si præualere deberet obligatio Episcopi obligationi paternæ facilis aperiretur aditus parentibus præsentandi filios sine titulo, & fraudandi Episcopos. 13 *Cessat etiam in Episcopo onus ordinatū alendi, si hic habeat Patrem diuitem*

Ad tertiam asserendum est, Episcopum ordinantem cum iusto titulo, non teneri alere sic ordinatum, si post ordinationem redditus beneficij, vel patrimonij pereant, quantum est, ex vi iuris obligantis Episcopos ordinantes sine titulo. In hoc consentiunt *Glosa in cap. cum secundum in verb. donec de Præbendis*, *Sanchez de matrimon. lib. 6. disp. 32. num. 8.*, *Vgolinus de offic. Episcopi cap. 25. §. 15. vers. septimo excipitur*. Ratio ex eo deducitur, quia nulla in hoc casu est culpa imputabilis Episcopo ordinanti, adeoque, nec pæna infligibi- 14 *Si redditus post ordinationem deficiant, non tenetur Episcopus.*

lis. Verum tamen est, quod in hoc casu ex alio titulo legis generalis videtur Episcopus præcipuè obligatus ad alendum sic promotum, ex speciali onere, quod habet seruandi decus ordinis Clericalis, & Ecclesiastici, prout considerauit *Glosa in d. cap. cum secundum in verbo donec de præbend.*

15 *Onus alendi ordinatum sine titulo sequitur Episcopum ordinantē.*

Ad quartam dicendum est onus alendi ordinatum sine titulo transire cum Episcopo translato ad aliam Ecclesiam. *Quaranta verb. ordo vers. extende ad capitulum, & vers. obligationem Episcopi*, *Vgolinus de offic. Episcopi cap. 26. num. 15.*, *Henriquez in summa lib. 10. cap. 17. §. 4.*, *Campanilis in direct. iur. can. rub. 8. c. 5.* Ratio est, quia ipse deliquit sic ordinando, & onus, quod consurgit, inhæret eius ossibus, quousq; viuit, vel donec sic promotū de beneficio congruo prouiderit; nec congruum videtur, quod eius successor, qui non delequit, viuente delinquente pœna afficiatur, qua ad summum potest affici in subsidium, quando Episcopus delinquens mortuus est, vel factus impotens.

16 *Mortuo Episcopo, qui ordinauit sine titulo, tenetur eius successor.*

Ad quintam dicendum est, mortuo Episcopo, qui ordinauit sine titulo teneri eius successorem in Episcopatu alere congruè sic promotum. Ita expresè *Marchinus tract. 2. de ordin. in particul. part. 6. de Subdiaconatu difficul. 4. num. 7. vers. at in casibus*, vbi alios plurimos allegat. Expresè colligitur *ex textu in cap. cum secundum Apostolum de præbend.* -Ibi- *Nos tamen benignius agere cupientes tandem per ordinatores, vel successores eorum prouideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur.* Quod, si dicas, congruum non esse, vt successor portet pœnam delicti, quod non commisit, potissimum cum regularitèr crimina morte extinguantur per textum *in cap. quorundam dist. 23.*, & *l. 2. C. si reus, vel accus. mort. fuer.*, nec successor conuenitur ex delicto defuncti *l. vnica, C. ne ex delict. defunct.*; statim impugnaberis, quia licet generalitèr hæc, quæ dicuntur, vera sint, in speciali hoc tamen casu propter fauorem ordinis Clericalis ex speciali iuris dispositione locum non habent, ne sic promoti in Cleri obbrobrium emendicare cogantur; vndè licet hoc onus respectu Episcopi delinquentis habeat rationem pœnæ, respectu tamen successoris habet potius rationem cuiusdem pensionis passiuæ, seu emolumenti ex dispositione iuris debiti.

Sed quid erit dicendum, si quis sine titulo ab vno Episcopo fuerit ordinatus Subdiaconus, ab altero Diaconus, & ab altero Sacerdos, & alter horum Episcoporum mortuus fuerit, an in hac hypothesi tenebitur eius defuncti successor saltem ad ratam sui prædecessoris erogare alimenta sic promoto, an verò eximetur à quocunque onere, & totum onus transferatur in Episcopos superstites, qui aliquo ordine sacro promouerunt sine titulo. Sub hoc dubio plura veniunt discutienda, & primo, an si quis fuerit ab vno Episcopo factus Subdiaconus sine titulo, & ab altero Diaconus vterque Episcopus teneatur ad ratam ad alimenta sic promoti. Videtur prima fronte asserendum, solum Episcopum promouentem ad Subdiaconatum teneri ad congrua alimenta promoto eroganda, reliquos eximi à tali onere, siquidem ipse per talem ordinationem contraxit adæquatam obligationem alendi, & regularitèr solum ante ordinem Subdiaconatus fit inquisitio super titulo, vel beneficij, vel patrimonij, nec culpa alterius postea delinquentis videtur ipsum eximere ab onere totali, & adæquato, & vbi ordinatus iam prouisus est de congruo victu, non habet ius ad vlteriorem. Nihilominus probabilius est vtrumque ad ratam teneri *Decius in cap. Episcopus de Præbendis num. 1.*, *Quaranta verb. ordo vers. obligationem Episcopi*, *Fornarius de Sacrament. Ord. cap. 8. num. 10.*, *Bonacina de Sacrament. disp. 8. quæst. vnica punct. 5. num. 30.* Expresè deducitur *ex d. cap. Episcopus de Præbendis*, vbi loquitur textus de Episcopo, qui ordinauit sine titulo Diaconum, vel Præsbiterum, ipsumque subdit oneri erogandi sic promoto alimenta. Certè textus supponit recepisse Subdiaconatum sine titulo, & tamen subdit eidem oneri conferentem Diaconatum, vel Præsbiteratum sine eodem titulo. Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur; nam licet Episcopus ordinans Subdiaconum sine titulo contrahat obligationem totalem ipsum congruè alendi, si ad alium ordinem superiorem non promoueatur, si tamen eidem iungatur socius in simili delicto promotionis eiusdem ad Diaconatum sine titulo, non est, cur hic non debeat etiam constitui consors pœnæ, sicque pœna quodamodo diuidi; nec verum est id, quod subditur, quod fiat solum perquisitio tituli in susceptione Subdiaconatus, quandoquidem vbi non constat, vel ex dimmissorijs alieni Episcopi, si ordinandus non sit subditus, vel ex certa scientia respectu proprij subditi ex inquisitione facta in Subdiaconatu inquirendum est, in cuiuscunque ordinis sacri collatione; nec mirum est, quod ex delicto alterius minuatur pœna, in primo delinquente, quandoquidem hæc pœna est, in ordine ad alterius indigentiam præcisè, quæ vbi fuerit suppleta alio non indiget; cum ergo vterque Episcopus deli-

17 *Ordinatus ab vno Episcopo Subdiaconus, & ab altero Diaconus sine titulo est ab vtroque alēdus ad ratam.*

Rationes pro asserto, & responsiones ad obiecta.

deliquerit vterque debet pænam adimplere, & solum quousque indigentia fuerit ablata; aufertur autem per erogationem alimentorum ad ratam, ergo &c.

Secundò venit discutiendum, an, si
18 proprius Episcopus proprium subditum Subdiaconatu initiauerit sine titulo, & alter Episcopus de mandato eiusdem proprij Episcopi eundem Diaconum ordinauerit, vterque contrahat onus ad ratam alendi sic ordinatum. In hoc cum distinctione procedendum est; vel etenim Episcopus, qui de mandato ordinauit in Diaconum, accepit literas dimmissorias Episcopi proprij mandantis, seu saltem speciale mandatum ordinandi talem in Diaconum in indiuiduo, vel accepit dumtaxat mandatum generale ordinandi suos subditos. Iuxta primum sensum Episcopus ordinans talem de mandato proprij Episcopi, non tenebitur, nec ad ratam erogare alimenta sic ordinato, sed totum onus transfertur in proprium Episcopum mandantem. Iuxta secundum sensum Episcopus ordinans, ex illo generali mandato non eximetur ab onere alendi saltem pro rata. In hoc consentiunt *Vgolinus de offic. Episc. cap. 26. §. 15. vers. tertium locum, Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. cap. 6. difficult. 4. n. 7. vers. at in casibus in fin.* Ratio primæ partis est, quia Episcopus ordinans acceptis dimmissorijs, vel speciali mandato ordinandi talem in indiuiduo debet rationabilitèr præsumere, Episcopum mandantem præcauisse de iusto titulo, cum hoc steterit oneri eiusdem, & propterea ordinando non deliquit, ergo nec debet subire illam pænam. Ratio secundæ partis est, quia per illud generale mandatum non habet certam notitiam de iusto titulo, cum de hoc proprius Episcopus nec explicitè, nec implicitè testimonium præstiterit, vndè ipse præcauere debebat, ne quis sine titulo ordinaretur per textum *in cap. si Episcopus de preben. in 6.*

Episcopus ordinans ex speciali mãdato proprij alienum non tenetur alere.

Secus, si ex generali mãdato.

Tertiò discutiendum venit id, quod principalitèr propositum fuit sub dubio
19 excitato, an scilicet, si quis ab vno Episcopo fuerit ordinatus Subdiaconus sine titulo, & ab altero Diaconus, & deindè Episcopus, qui ordinauit illum Subdiaconum, mortuus fuerit, onus alendi sic ordinatum ad ratam transeat ad successorem Episcopi defuncti, an verò totum onus consolidetur in Episcopo, qui illum ordinauit Diaconum, & adhuc superstes est. Ratio dubitandi in eo consistit, quod successor Episcopi defuncti non tenetur ex persona propria, cum ipse non deliquerit, sed dumtaxat in subsidium, quatenus non est alius, qui alimenta erogare teneatur, sed in hac hypothesi adest alius, qui ex propria persona alere tenetur nempè Episcopus, qui ipsum ordinauit Diaconum non adhibita diligenti inquisitione de titulo. Ex altera parte, cum successor in Episcopatu ex dispositione iuris, in hoc teneatur ad onera sui prædecessoris, non videtur eximi ab his oneribus, ex eo, quod alter deliquerit. Quid ergo in hoc concludendum? Probabilius arbitror, Episcopum successorem Episcopi, qui ordinauit Subdiaconum sine titulo, eximi etiam ab onere erogandi ad ratam alimenta sic ordinato, & totum onus transfundi in Episcopum, qui ordinauit illum in Diaconum sine titulo. Ratio adducta pro prima parte videtur hoc concludentèr euincere; cui adde, quod Episcopus ordinans Diaconum sine titulo ex se tenetur ad congrua alimenta ordinato eroganda, & solum per accidens eximitur ex delicto alterius ab obligatione totali; concurrente autem obligatione totali per se, & cessante causa formali, ex qua per accidens eximitur ab eadem obligatione totali, nempè delinquête in ordinatione ad Subdiaconatum, reuiuiscit secundum totam suam vim illa obligatio in eo, qui ad Diaconatum promouit; nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur, nam obligatio successoris in Episcopatu eius, qui ordinauit in Subdiaconum sine titulo, est tantum subsidiaria non solum in defectum Episcopi prædefuncti, sed etiam in defectum alimentorum, si eisdem careat ordinatus, nec aliundè possit habere; cum igitur possit ab Episcopo delinquente, qui ordinauit ipsum Diaconum, vtpotè ex se obligatum in totum, eadem alimenta integralitèr habere, non est, cur sit obligandus successor, qui tantum tenetur subsidiariè.

Obligatis duobus Episcopis ad ratã altero defuncto tenetur superstes ad totũ.

Rationes pro asserto, & confutationes obiectorum.

Ad sextam dicendum est, translato Episcopo, qui ordinauit sine titulo ad 20
alium Episcopatum, onus alendi sic ordinatum transire cum ipso, non pertinere ad eius successorem. Consentit in hoc *Marchinus tract. 2. de ordin. in particul. part. 6. de Subdiaconatu cap. 6. difficult. 4. num. 7. vers. at in casibus.* Ratio est, quia ipse deliquit, adeoque ipse principalitèr tenetur ad pænam, nec ex eo, quod transferatur ad alium Episcopatum, in ipso cessat delictum, adeoque, nec pæna; & successor eiusdem in primo Episcopatu solum tenetur subsidialitèr in defectum ipsius.

Onus alendi sequitur Episcopum ordinantẽ.

Hic pro complemento eorum, quæ dicta sunt in præsenti titulo, remanet inquirendum, an si Episcopus aliquem sine titulo ordinauerit, & postea mortuus fuerit, onus alendi sic ordinatum perti-

neat ad successorem in Episcopatu, an verò ad hæredes defuncti? *Bonacina de Sacrament. Ord. disp. 8. quæst. unica punct. 5. num. 47.*, sentit onus pertinere ad successorem in Episcopatu, non ad hæredes Episcopi defuncti motus *ex cap. cum secundum Apostolum de prabend.*, vbi decernitur vel per Episcopos ordinatores, vel ad successores pertinere hoc onus nulla ibidem facta mentione de hæredibus defuncti. Sed congruentius asserendum existimo *cum Abbate, & Hostiensi in eod. cap. cum secundum Apostolum*, potius hoc onus pertinere ad hæredes defuncti, quam ad successorem in dignitate. Ratio est, quia

21 *In concursu successoris, & hæredũ defuncti isti tenentur.* hæres non solum succedit in iuribus, sed etiam in oneribus defuncti; nec obstat allegatus textus *in cap. cum secundum Apostolum*, quandoquidem ille procedit in suppositione, quod delinquens non existat nec in se, nec in hærede, qui quodammodo induit eiusdem personam; vndè, ne ordinatus teneatur emendicare, statuitur, quod successor in dignitate subintret onus sui prædecessoris; in hac autem hypothesi adesset hæres, adeoque &c.

ARTICVLVS XXIII.

De Pœnis eorum, qui ordinati sunt sine titulo.

SVMMARIVM.

Assignantur varij modi, quibus quis potest ordinari sine titulo. 1.

Ordinatus sine titulo, qui sincerè exposuit Episcopo ordinanti, se illum non habere, probabilius non remanet suspensus. 2.

Ordinatus sine titulo culpabilitèr, licet non fraudulentèr, contrahit suspensionem. 3.

Textus in cap. cum secundum Apostolum de Præbendis, *est correctorius iurium antiquorum.* 4.

Per Tridentinum innouantur antiqui canones. 5.

Ordinatus fraudulentèr sine titulo à fortiori contrahit suspensionem. 6.

1 *Modi, quibus quis potest ordinari sine titulo.* MVltiplicitèr potest contingere, quemquam sine titulo ordinari; primò quodamodo sine culpa, quatenus carēs titulo proprio Episcopo exponit sincerè, se nullum habere titulum, & Episcopus, non obstante scientia de carentia tituli, ipsum ordinat. Secundò culpabilitèr, non tamen cum fraude, quatenus sciens se non habere titulum, nec exponens falsum ordinatur. Tertiò culpabilitèr, & fraudulentèr simul, quatenus non habens titulum fraudulenter ostendit se ipsum habere, cum non habeat, & sic decipit Episcopum ordinantem. In his omnibus casibus inquirimus, an ordinatus incurrat in aliquam pænam præcipuè suspensionis.

2 *Promotus sine titulo cum sincera notificatione carentiæ eiusdem non est suspensus.* Assertio I. Ordinatus sine titulo iuxta primum sensum, quo exposuit Episcopo carentiam eiusdem, non remanet probabilius suspensus, sed solum Episcopus ordinans obstringitur ad ipsum congruè alendum. Consentiunt in hoc *Quarant. a verb. ordo vers. quia hac constitutio, & alij*, & à fortiori consentire tenentur, quotquot sustinent eandem non contrahere, qui recipiunt sacros ordines sine titulo ignorante Episcopo carentiam eiusdem, de quibus infrà latè agam.

Rationes pro asserto. Ratio ex eo deducitur, quia iura, si quæ censuram suspensionis contra ordinatos sine titulo induxerunt, duo potissimum respexerunt, & punitionem scilicet delicti in illa inordinata ordinum sacrorum receptione, & decorem status Clericalis, ne scilicet sic ordinatus compellatur mendicare, vel sordidam artem exercere; sed hoc vtrumque cessat in præsenti hypothesi, ergo in eadem sic ordinatus non contrahit aliquam suspensionem. Minor probatur, quia sic ordinatus in illa passiua ordinatione nullam culpam contraxit, cum fidelitèr, & sincerè se gesserit exponendo Episcopo impedimentum ad ordines recipiendos, nempè carentiam tituli patrimonij, vel beneficij, vndè tota culpa refunditur in Episcopum ordinantem cum tali scientia. Ex alio capite, cum teneatur Episcopus ordinans cum tali scientia congrua alimenta sic ordinato erogare non solum ex dispositione iuris *in d. cap. cum secundum Apostolum de Prabend.*, sed etiam ex suo implicito consensu resultante ex eo, quod ei expositum fuerit, quod titulus non aderat, & nihilominus voluit ordinare sciens adesse pænam erogationis alimentorum contra sic ordinantes; intelligitur spontè, & liberè voluisse illam pænam persoluere, ergo cessante in hac hypothesi vtroq; motiuo, ob quod inducta est, vel supponitur talis pæna, vtique hæc cessabit.

3 *Ordinatus culpabilitèr sine titulo est suspensus.* Assertio II. Ordinatus sine titulo culpabilitèr iuxta secundum sensum expositum, probabilius stante iure moderno, seu nouo *Trident. sess. 21. de reformat. c. 1.*, contrahit pænam suspensionis *Nauarrus de temp. ordin. cons. 14., & in manual. cap. 27. num. 158, Maiolus lib. 4. de irregular. c. 15., Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. num. 35., Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 32. in fin., Vasquez tom. 3. in tertia part. disp. 246. nu. 61., Campanilis in direct. iur. can. rub. 8. c. 1. num. 5., Rodriquez part. prima summæ c. 15. num. 1., & alij magis communitèr.*

Pro

Pro cuius assertionis intelligentia hæc prænotanda sunt, primò, quod in iure veteri *in cap. neminem, & cap. sanctorum distinct. 70.*, fuerit contra ordinatos sine titulo vel patrimonij, vel beneficij imposita pæna suspensionis ipso facto, vt legenti huiusmodi textus sit manifestum; secundò, quod *in cap. cum secundum Apostolum de præbend.* per Innocentium III. videantur quoquo modo pænæ contra sic ordinatos correctæ, vt ex verbis eiusdem textus videtur colligi ·Ibi· *Licet autem Prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes. Nos tamen benignius agere cupientes tandiu per ordinatores, vel eorum successores prouideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur.* Tertiò, quod per *Concil. Trident. d. sess. 21. de reformat. cap. 1.*, fuerint antiquorum canonum pænæ super his innouatæ. Quibus suppositis.

Duo potissimum hic controuertuntur, ex quorum resolutione veritas enuntiatæ assertionis apparebit. Primum est, an per *d. cap. cum secundum Apostolum de præbend.* fuerit sublata pæna suspensionis *in d. cap. neminem, & cap. sanctorum 70.* comminata, seu imposita contra sic ordinatos. Secundum per *Concilium Tridentinum loc. cit.*, quantumuis pæna eadem suspensionis fuerit correcta per *d. cap. neminem, & cap. sanctorum*, intelligatur innouata.

4 *Textus in cap. cum secundum Apostolum est correctorius antiquorum canonum.* Quoad primum, quamuis plerique videantur contendere talem pænam non esse correctam per *d. cap. cum secundum Apostolum*, cum solum ibi fuerit iniuncta pæna alimentorum erogandorum contra ordinantem, & ad summum sublata suspensio quoad eundem, si quæ aderat; cæterum quoad ordinatum nihil statuit idē textus; nihilominus probabilius videtur eandem pænam suspensionis quoad sic ordinatum per illum textum *in cap. cum secundum Apostolum* esse sublatam; cum ibidem referatur suspensio illata per prædecessores per illa verba *irritas esse voluerint, & inanes*, quod intellige quoad executionem, quæ ex genere suo importat suspensionem ab exercitio illius ordinis; & deindè immediatè subijciatur correctio ·Ibi· *Nos tamen benignius agere cupientes*, & alia pæna contra ordinantes imponitur *tandiu per ordinatores prouideri volumus &c.* per quam prima intelligitur sublata.

5 *Per Tridentinū innouātur antiqui canones.* Quoad secūdum probabilius arbitror, per *Tridentinum loc. cit.* eandem pænam suspensionis fuisse innouatam, quidquid ex aduerso dixerint *Gutierez pract. qq. lib. 2. quæst. 65. num. 11. vers. nec opinio Medina Gonzalez ad reg. 8., Cancellariæ glos. 5. §. 10. nu. 22., Homobonus de exam. Eccles. part. 2. tract. 11. cap. 10. quæst. 22., & alij plures*, quos citat, & sequitur *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. de Subdiac. cap. 6. difficult. 6. num. 9. vers. neque obstat*, atque ad hoc asserendum mouentur potissimum quadam Sacræ Congregationis declaratione de anno 1583., per quam eximitur ordinatus sine titulo à suspensione, cuius declarationis meminerunt *Viualdus in candelabro aureo part. 2. tit. de suspensione num. 28.*, & alij plures relati *à Marchino loco cit.*, item ex sacræ pœnitentariæ vsu, quæ sic ordinatos non habet pro suspensis, de quo vsu testantur *Garzias de benef. part. 2. cap. 5 num. 28., & seqq., Gonzalez loc. cit., & alij* apud *Marchinum loc. cit.*

Quidquid, inquam dixerint huiusmodi Doctores. Probatur iam nostrum assertum per expressa verba *Concil. Trid. d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* ·Ibi *Antiquorum canonum pænas super his innouando*, vbi nota primo, quod *in d. cap. 2.* fit mentio specialitèr delicti, prout committitur à recipiente ·Ibi· *qui varijs artibus, & fallacijs confingunt se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere*. Rursus ergo pænæ ibi innouatæ debent intelligi quoquo modo saltem partialitèr contra delinquentes in illa receptione sine titulo; hæ autem non possunt esse, nisi quæ continentur *in d. cap. neminem, & cap. sanctorum dist. 70.*, non præcisè illæ, quæ habentur *in d. cap. cum secundum Apostolum de Præben.* cum istæ afficiant solummodò ordinantes. Nota secundò, quod ibi non fit præcisè innouatio alicuius canonis, sed antiquorum canonum, *in d. autem cap. cum secundum Apostolum*, vnus dumtaxat canon continetur obligans Episcopum ad eroganda alimenta, ergo ipse solus non innouatur, sed etiam alij, qui non possunt esse, nisi contenti *in d. cap. neminem, & cap. Sanctorum*. Nota tertiò, quod præsumendum est Concil. Trident. in illo Capitulo voluisse fortioribus habenis cohibere ab illa inordinata ordinum susceptione, quod non præstitisset, si dumtaxat innouasset obligationem Episcopi ordinantis ad alimenta sic ordinato eroganda, quandoquidem ante talem Concilij innouationem illa obligatio erat in viridi obseruantia, & in pleno vigore, & robore. *Considerationes circa Conciliū*

Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur de illa Sacræ Congregationis declaratione, & de vsu Sacræ Pænitentiariæ, quandoquidem de illis authenticè non constat, nec refert, quod illa declaratio à pluribus referatur, quandoquidem vnus ab altero, alter ab altero recepit. *De vsu Pænitentiariæ, non constat.*

Ex ijs clarè deducitur probatio nostræ asser-

assertionis, quod scilicet stante iure nouo Tridentini culpabilitèr ordinatus sine titulo, contrahat suspensionem, quibus pro maiori confirmatione adde Constitutionem Pij V. extendentis decretum *Concil. Trident. d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* editam die 12. Nouembris 1568. ad Regulares non professos; cum etenim *in d. Concil. Trident.* dispositione nulla Clericorum Religiosorum facta fuerit mentio, ipse Pontifex prædictum decretum de Clericis sæcularibus loquens ad omnes, & singulos etiam cuiuscumque ordinis Clericos extendit, & ampliat; quomodo autem posset dici fieri extensio, & ampliatio; si illi, ad quos fit extensio noia afficerentur, qua non afficerentur primi, à quibus fit extensio?

Rationes suadentes contrahi suspensionem.

Etiam congruæ rationi innititur assertio, quod Concil. Trid. innouauerit veteres canones etiam quoad suspensionem ordinati sine titulo culpabilitèr; nam denegari non potest, quod sic ordinatus se culpabilitèr exponens ordinationi culpam grauem contraxerit, quinimmò dederit causam delinquendi Episcopo ordinanti, ergo æquum fuit, vt non solum Episcopus ordinans subderetur pænæ, sed etiam sic ordinatus, cæteroqui hic ex sua culpa commodum reportaret, nam acquireret ius aduersus Episcopum ordinatorem, vt ab ipso congruè aleretur, & ipse ex suo delicto nullam pęnam subiret, ergo præsumendum est, quod Concilium Tridentinum contra Episcopum ordinantem innouauerit canonem *in d. cap. cum secundum Apostolum*, & contra culpabilitèr ordinatum canones *in d. cap. neminem, & cap. Sanctorum*.

6 *Ordinatus fraudulentèr sine titulo, cōtrahit suspensionem.*

Assertio III. Ordinatus fraudulentèr sine titulo à fortiori contrahit suspensionem. In hoc consentiunt omnes allegati pro præcedenti nostra assertione, & vlterius *Nauarrus de temp. ordin. conf. 14., & conf. 74. in antiquis, & conf. 46. in nouis, Maiolus lib. 4. de irregular. c. 15., Franciscus Leo in thesauro for. Eccl. part. 3. c. 39. n. 33.*, nec in probatione huius assertionis diu immorandum est, cum rationes euincentes præcedentem hanc in fortioribus terminis euincant.

Constitutiones Prouinciales declarāt incursū talis suspēsionis

Hinc in pluribus Episcopatibus, & Prouincijs per sinodales, & Prouinciales Constitutiones expressè habentur huiusmodi suspensiones contra ordinatos sine titulo, vt præcipuè Neapolim, vt testatur *Genuensis in praxi Neapol. cap. 81.* hic Mediolani *in Concil. Prouinc. 6. in tit., quæ ad ordines*, Bononiæ ex memoriali sciendorum à Clericis *in tit. de suspensione c. 3. n. 8.* Neque hinc inferas, ergo hæc suspensio non est de iure communi; quandoquidem frustrà cautum esset per has speciales Constitutiones de tali suspensione, si hæc esset inducta de iure communi; contra enim impugnaberis, quia, cum esset controuersia inter Doctores in interpretatione Concil. Trident. in illo decreto *sess. 21. de reformat. cap. 2.*, an refertur solum *ad d. cap. cum secundum Apostolum*, an verò etiam *ad d. cap. neminem, & cap. Sanctorum* ad tollendam quamcumque ambiguitatem iura sinodalia, vel Prouincialia in allegatis locis statuerunt, seu potius declararunt, hanc suspensionem contra sic ordinatos vigere, quod potius confirmat, quam destruat nostrum assertum.

ARTICVLVS XXIV.

An ordinatus ad titulum beneficij, possit illud ad fauorem alterius resignare.

SVMMARIVM.

Refertur dispositio Concil. Trid. 1.
Articuli examinandi circa ipsam. 2.
Vtraque qualitas à Concilio disposita, requiritur copulatiuè. 3.
Resignatio facta sine mentione tituli ad quam quis fuit ordinatus, non tenet. 4.
Etiam si beneficium, quod resignatur commutaretur in æquale. 5.
Etiam si beneficiarius ante ordinationem iurasset se beneficium resignaturum. 6.
Pæna contra resignantes non seruata forma Concilij. 7.

CONcilium Tridentinum *d. sess. 21. de reformatione cap. 2.* hæc expressè habet. *Id verò beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constet, quod aliundè commodè viuere possit, & alitèr facta resignatio nulla sit.* Circa hanc dispositionem Concilij pleraque contingunt in præsenti dubitari, & primò, an valida foret resignatio, si non esset facta mentio, quod ad illius beneficij titulum sit ordinatus, quando illud beneficium in aliud æquè pingue, vel sufficiens ad congruam sustentationem commutaretur. Secundò, an esset valida sine tali mentione, si resignans haberet aliud beneficium, vel patrimonium ad victum sufficiens. Tertiò, an validè resignaret sine tali mentione, si ex illo beneficio reseruaret sibi pensionem ad congruam sui sustentationem sufficientem. Quartò, an valida foret talis resignatio sine illa mentione, si ipse resignans ingrederetur Religionem. Quintò, an valida foret, si ante ordinationem iurauerit, se illud

I Disposita per Concil. Trid.

2 Articuli examinandi circa illā dispositionem.

illud resignaturum post ordinationem, vel cõstituerit Procuratorem ad resignandum, nec illum reuocauerit. Sextò, quam pæna incurrat alitèr resignans.

Pro resolutione omnium horum dubiorum aduerte, Concilium duo ibidem distincta disponere. Primum, quod nequeat fieri resignatio, nisi facta illa mentione; secundum, quod etiam facta illa mentione non admittatur, nisi constet, quod aliundè resignans commodè viuere possit. Difficultas solum modo procedit in eo, an ad inualidandam eandem resignationem requiratur vtrumque copulatiuè, nempè, quod non præcesserit illa mentio, & quod non constet resignantem habere aliundè, quo commodè viuere possit, an verò sufficiat alterum, quod scilicet resignauerit sine illa mentione, vel quod facta etiam mentione non constet habere aliundè, quo &c. Qua in difficultate sentiendum existimo, requiri vtrumque, adeoque, si resignet sine tali mentione, quantumuis aliundè habeat, quo commodè viuere possit, inualidè resignet. Ratio est, quia à Concilio vtraque qualitas præscribitur, tanquam forma, sine qua resignatio nulla declaratur ergo altera earum deficiente resignatio ipsa erit irrita, quia forma legis omissa corruit actus *l. cum hi*, *§. si prætor 17. ff. de transact. l. traditionibus*, *C. de pact.*, quod etiam verificatur, si eadem forma omittatur in minimo *Surdus decis. 268. num. 8.*, *Cardin. Pereira de potest. alleg. cap. 7. nu. 13.*, *Ioannes Franciscus Leo in thesaur. for. Eccl. part. 2. cap. 4. num. 104.* Accedit, quod, vt quis initietur ordinibus sacris ex eodem *Concil. Trident. loco citato*, debet legitimè constare Episcopo ordinanti de titulo beneficij, ad quod ordinatur. Ibi· *Nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*, ergo neque recepta ordinatione poterit illud dimmittere, nisi constet Ecclesiæ aliud æquipollens loco eiusdem substitui, ergo debet constare de dimissione illius, ad cuius titulum ordinatus est, & de substitutione æquipollentis, vt constet substitutum esse loco prioris tituli; hoc autem haberi non potest, nisi facta in resignatione mentione tituli, ad quem ordinatus est.

3 *Vtraque qualitas requiritur copulatiuè.*

4 *Resignatio facta sine mẽtione tituli ad quem resignãs fuit ordinatus, non tenet.*

Hinc deduco, quod ferè in omnibus allegatis dubijs resignatio facta sine mentione tituli, quem ordinatus resignet, sit inualida, nam, quantumuis respectu sic resignantis verificetur secunda qualitas requisita à Tridentino. *Neque ea resignatio admittatur, nisi constet, quod aliundè commodè viuere possit*, cum haberet quo posset viuere; non tamen verificaretur prima, quod scilicet resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum sit promotus, ergo defectu eiusdem erit inualida resignatio. Id ergo, quod voluit Concilium in illa dispositione, est quidem, vt non admittatur resignatio, nisi constet resignantem habere aliundè, quo viuat, sed simul, vt admittatur, requirit mentionem tituli beneficij resignandi, virtute cuius fuit ordinatus, & hoc ad eum effectum, ne propria auctoritate dimittatur titulus propriæ subsistentiæ ab Ecclesia approbatus in eiusdem ordinatione, vndè ab eadem debet approbari etiam dimissio, quæ approbatio non potest esse, nisi facta mentione eiusdem.

Dixi *ferè in omnibus* propter nonnullos, qui asserunt, resignationem sine illa mentione subsistere, quando beneficium, ad cuius titulum quis ordinatus est, permutaretur cum alio æquipollenti, propter eam rationem, quod æquipollentium eadem sit ratio; atque ita declarasse Sacram Congregationem affirmant *Garzias de beneficijs part. 2. cap. 5. num. 217.*, *Barbosa de offic.*, *& potest. Episc. allegat. 19. num. 44.* Sed non libentèr adhærerem, quia æquipollens non sufficit, vbi certa forma à iure præscripta est *Boerius decis. 1. num. 45.*, *Glosa in Clem. 1. de vit.*, *& honest. Cler.*, *& alij communitèr*, maximè in hoc accedente ratione, quod Ecclesiæ non constaret de beneficio, ad cuius titulum resignans esset ordinatus.

5 *Etiamsi beneficium, quod resignatur mutaretur in æquale.*

Quoad quintum dubium indubitatum est, quod, si quis ante ordinationem iurauerit se beneficium resignaturum post ordinationem, vel non reuocaturum Procuratorem iam ad illud resignandum constitutum, resignatio indè secuta sit inualida non obstante iuramento præstito cum hoc vtpotè contra dispositionem Tridentini sit vinculum iniquitatis, adeoque non attendendum, prout statuunt *Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 230.*, *& seqq.*, *Vgolinus de potest. Episcop. cap. 26. §. 8. num. 4.*, *& alij*.

6 *Etiamsi interuenisset iuramẽtum de resignãdo.*

Quoad vltimum de pænis resignantium beneficia, ad quorum titulum fuerunt ordinati non seruata forma Concilij, dicendum est, ex Bulla Pij V. edita sexto Idus Augusti 1567. contra malè promotos impositam esse respectu resignantis priuationem illius beneficij, nec posse amplius ad illud redire, nisi auctoritate Summi Pontificis, respectu verò Episcopi admittentis huiusmodi resignationem, si mala fide processerit, onus alendi eundem resignantem. De hac re latè agunt *Parisius de resignat. benef. lib. 2. quæst. 6. nu. 41.*, *Garzias de benef. part. 2. cap. 5. n. 227.*

7 *Pæna, contra resignãtes, non seruata forma Concilij.*

AR-

dicatur in numero plurali *donec dispensationem super hoc per sedem Apostolicam obtinere meruerint, nouerint se suspensos*, quæ verba, vtpotè pluralitatem indicantia, nequeunt referri ad solum ordinatum vtpotè conceptum in numero singulari, vtique comprehendunt etiam ordinatorem. Nihilominus sentiendum est, ordinatorem nonnisi per triennium à collatione ordinum intelligi suspensum; nec obstat ratio in cõtrarium adducta, quandoquidem, vbi est continuatio sermonis quoad ordinatorem, & præsentatorem, & limitatio in fine sermonis continuati extenditur ad extrema continuata *Signorolus conf. 37. factum sic proponitur num. 7. circa fin. vers. præterea*, præcipuè quando sunt in eadem dispositione *Romanus conf. 328. præsens consultatio num. 5. vers. tertio*; hocque eo magis euincitur in præsenti casu, in quo post dispositionem pænalem aduersus ordinatorem, & præsentatorem, habetur specialis dispositio contra ordinatum cum tali pacto nempè suspensio indefinita, donec per sedem Apostolicam &c.

Satisfit rationibus oppositis. Nec verba illa concepta in numero plurali in fine dispositionis *donec dispensationem super hoc per sedem Apostolicam obtinere meruerint, nouerint se suspensos* aliquid euincunt; nam huiusmodi verba referuntur quidem ad omnia præcedentia nempè etiam ad ordinatorem, & præsentatorem, sed cum suis limitationibus, adeovt præsentator, & ordinator intelligantur suspensi, ille ab executione ordinũ, iste à collatione per triennium, & ordinatus indefinitè, nisi illi ante triennium dispensentur a Pontifice, iste donec &c. Hinc colliges, hanc suspensionem triennalem tam respectu ordinatoris, quam præsentatoris non esse dispensabilem ante adimplementum triennij, nisi per Romanum Pontificem.

6 *Quid sentiendum de promoto cum titulo cũ pacto illum dimittendi.* Circa secundam difficultatem in principio articuli propositam, si loquamur de pacto dimittendi post ordinationem beneficium, quod quis possidet, iam supra dictum est in præcedenti articulo pactum illud non subsistere, nec dimissionem indè secutam tenere, si verò loquamur de dimissione, seu de pacto dimittendi patrimonium, seu aliquod donatum, tunc adhuc considerandum est, an illud pactum ponatur, seu fuerit positum in ipsa constitutione patrimonij, seu donati, an verò post ipsum patrimonium constitutum, seu donatum; si tale pactum ponatur, seu fuerit appositum in ipsa constitutione patrimonij, seu donationis, tunc plerique sustinent sic paciscentem ad finẽ, vt ordinetur, contrahere suspensionem, quæ habetur *in cap. per tuas 3., & cap. si quis ordinauerit de simonia* à paritate rationis de paciscente cum ordinatore, vel præsentatore resignandi beneficium post ordinationem. Atque ita sentiunt *Nauarrus in man. cap. 27. n. 157., Lopez ad Diaz in pract. crim. can. cap. 18. num. 12., Sairus in thesaur. cas. conscientiæ lib. 4. c. 15. n. 23., Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. subs. 7. sub num. 35.* addita etiam ratione, quia in tali hypothesi constitutor patrimonij, seu donator habet vicem præsentatoris ad ordines. Contrarium tamen sentiunt plures, & etiam *Nauarrus* sibi contrarius *in cons. 42. num. 3. de tempor. ordinand. in antiquis, & cons. 17. in nouis, Henriquez in summa lib. 10. de Ord. Sacrament. cap. 17. §. 3. in glos. litt. O.*, qui testatur ita respondisse plures Theologos, & I. V. peritos super hoc consultos *Toletus in summa lib. 1. cap. 48. vers. quinta habetur in fine*, qui etiam testatur ita decreuisse, & declarasse signaturam pænitentiariæ; qui omnes statuunt suspensionem non incurri à paciscente cum alijs ab ordinatore, & præsentatore, nec donatorem posse dici præsentatorem, quantum ad effectum, vt pactum cum ipso inducat talem suspensionem, ac proindè non rectè fieri extensionem à casu prædictorum iurium *in d. cap. per tuas, & cap. si quis ordinauerit* ad casum præsentem. Ego in hoc arbitror potiora esse iura primæ opinionis asserentis sic ordinatum cum illa pactione contrahere suspensionem, cum re vera constituens patrimonium, seu donator habeat vim præsentatoris; ad quod etiam moueor, quod simonia, quæ in prædictis casibus committitur, afficiat non solum ipsos contrahentes, sed etiam mediatores, inter quos potest computari ipse donator. 7 *Inito pacto in constitutione patrimonij post ordinationem sic ordinatus suspẽditur.*

In hoc casu pactionis initæ in ipsa constitutione patrimonij, seu donationis, an teneat ipsum patrimonium, seu donatio sic constituta, adeovt ordinatus ad illius titulum euitet pænam suspensionis relatæ *in cap. neminem, & in cap. sanctorum dist. 70.*, & innouatæ per *Concilium Tridentinum d. sess. 21. de reformat. cap. 2.*, vtsupra probauimus, an verò nulla habita ratione pacti, vtpotè insubsistentis titulus perseueret, & solum ineat suspensionem relatam *in cap. per tuas 3., & cap. si quis ordinauerit de simon.*, tunc difficultas in eo consistere videtur, quod donans, seu constituens in ea hypothesi similis pactionis non videtur liberè donare, & constituere, adeoque, nec transferre dominium realitèr, sed ad summum apparentèr, & sic ordinandus nullum ius acquirit, & propterea videtur ordinari sine titulo, & subiacere dispositioni *d. cap. neminem, & cap.* 8 *Non obstante, quod cõstituens non videtur liberè donare.*

sanctorum dist. 70., & innouationi Concil. Trident. Nihilominus ex quo constitutor, seu donator constituit, & donauit ad eum finem, vt ordinandus promoueretur, in pœnam sic constituentis contra dispositionem Concil. Trident. aliorumque iurium Ecclesia irritato illo pacto sumit illam constitutionem pro vera, & confert veram, & realem actionem ad reditus ex illo patrimonio, seu re donata percipiendos; vndè ipse ordinatus subditur dispositioni *d. cap. per tuas 3., & cap. si quis ordinauerit de simon.*

9 *Inito illo pacto post patrimonium constitutũ irritatur.* Si tale pactum fuerit appositum post patrimonium, seu donationem constitutam habetur pro non apposito, vtpotè aduersanti iurium dispositioni, ac proindè ad illius patrimonij titulum ordinatus non subit pœnas *in d. cap. neminem, & cap. sanctorum* comprehensas, cum verè habeat titulum, sed retento adhuc titulo subditur pœnis *d. cap. per tuas 3., & cap. si quis ordinauerit.*

Sed quid erit dicendum, si Pater, vel Fratres constituerint alicuius proprietatis, seu fundi donationem filio Clerico, vel respectiuè Fratri fictè, & in publicam fraudem ad effectum vitandæ solutionis gabellarum, seu collectarum, & ipse Clericus habita illa ficta, & apparenti donatione absque donatoris consensu ad illius donationis titulum se fecerit in Subdiaconum ordinare, an in hac hypothesi subeat pœnas. In hac hypothesi asserit *Stephanus Quaranta verb. ordo vers. quod intellige circa medium* citato *Suarez de censuris disp. 31. sect. 1. subs. 7. num. 37., & seqq.*, quod Clericus sic ordinatus contrahat pœnas statutas contra ordinatos sine titulo *in d. cap. neminem, & cap. sanctorum dist.* 70., cum paria sint ordinari sine titulo, ac ordinari cum titulo ficto, & fraudulento, vndè idem *Quaranta eod. verb. vers. tertius casus*, asserit, quod sic ordinatus sub illo ficto titulo non solum incurrat suspensionem in iure impositam *in d. cap. neminem, & in cap. sanctorum*, sed etiam, quod ordinator, si non fuerit conscius illius fraudis, non subeat pœnam illum alendi, & ad hoc adducit *Nauarrum cons. 14., & cons. 74. de temp. ord. in antiquis, & cons. 46. in nouis., Parisium lib. 2. de resig. benef. quæst. 6.* addito etiam *Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 2.*, vbi comparat ordinatum sine titulo cum eis, *qui varijs artibus, & fallacijs confingunt se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere.* Sed ijs obsistere videntur ea, quæ supra diximus de illo, qui in ipsa constitutione patrimonij, vel donationis pactus est de dimittendo patrimonio immediatè post ordinationem, de quo diximus non subiacere dispositioni *dd. cc. neminem, & sanctorum*, sed solum dispositioni *dd. cc. per tuas 3., & si quis ordinauerit*, & tamen videtur ille titulus fictitius, & fraudulentus. Verum in hoc differentiam agnosco, quod in illo casu de pacto apposito in ipsa constitutione patrimonij, cum constituens constituerit ad eum finem, vt constitutarius ordinetur ad eum titulum censetur propriè constituere, & propterea obligatur ad seruandum constitutum non obstante pacto apposito, cum illud repugnet iuri, adeoque habeatur pro non apposito, in casu verò patrimonij ficti, de quo loquimur, cum non constituerit ad finem, vt donatarius ordinaretur ad illum titulum, nec ad eum consenserit, non videtur obligari ad illum seruandum. 10 *Cui pæna subiaceat filius, qui facta sibi donatione ad finem vitandæ gabellæ ad eius titulum se ordinare fecit.*

Vlteriùs quid erit dicendum de illo, qui habito legitimè patrimonio ad eius titulum ordinatus est Subdiaconus, & postea recepto Subdiaconatu illum constituenti retrocessit, seu retrodonauit; an si iste post talem retrocessionem, seu retrodonationem se ordinare fecerit ad eiusdem titulum ad ordines superiores, contrahat aliquam suspensionem, seu irregularitatem. Negatiuè respondendum est *cum Stephano Quaranta in summa Bullarij verb. ordo vers. quotidianus casus*. Ratio est, quia in hac hypothesi locum non habent textus *in d. cap. neminem, & cap. sanctorum dist.* 70., quia hic non potest dici initiari superioribus ordinibus sine titulo, quia illa retrocessio, seu retrodonatio est omninò inualida obstante validitati *Concil. Trident. d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* cum non præstet impedimentum, quod in iure non sortitur effectum; Nec item habent locum textus *in d. cap. per tuas 3., & cap. si quis ordinauerit de simonia*, cum nullum intercesserit pactum de remittendo aliquo iure competente ipsi sic ordinato, nec illa dimissio facta fuerit ad effectum, vt ordinaretur. 11 *Ordinatus Subdiaconus ad titulum veri patrimonij si illud retrocesserit, & postea ordinatus fuit Diaconus non subit suspensionem.*

Ex dictis infertur, quod, si quis ordinatus fuerit sine titulo inito pacto cum ordinante vel præsentante de non petendo prouisionem, vel ordinatus cum titulo cum pacto illum dimittendi in ijs omnibus casibus, in quibus contrahit pœnam suspensionis, si postea eadem contracta, nec dimissa per dispensationem promoueatur ad ordines superiores, contrahat irregularitatem ex regulis superius adductis. 12 *Quomodo contrahat irregularitatē.*

AR-

ARTICVLVS XXVI.

De titulo Patrimonij quale, & quantum debeat esse.

SVMMARIVM.

Ad titulum patrimonij non est quis ordinandus sine necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ. 1.
Quantitas patrimonij est taxanda per Episcopum. 2.
Conditio personarum in hoc non est attendenda. 3.
Patrimonium debet esse certum non solum quoad substantiam, sed etiam quoad quantitatem. 4.
Non repugnat, quod confletur ex pluribus rebus. 5.
Nec quod sit indiuisum cum alijs. 6.
Debet consistere in re immobili. 7.
Potest probabilitèr consistere in grege pecudum, & in armentis animalium. 8.
Item in censu. 9.
Debet consistere in re fructifera, vel naturalitèr, vel ciuilitèr. 10.
Habens dominium directum sine vtili non potest ad illius titulum ordinari. 11.
Fundus, in quo consistit patrimonium, debet esse actu, & pacificè possessus. 12.
Legatarius viuente legante non potest ad titulum legati ordinari. 13.
Filius non potest ordinari ad solum titulum hæreditatis pinguis paternæ, quam sperat. 14.
Non potest quis ordinari ad titulum patrimonij litigiosi. 15.
Res patrimonio subiugata non debet esse alteri deuicta, seu hypothecata. 16.
Sistendo in iure communi potest Pater filio patrimonium constituere, quamuis alijs præiudicaret in legitima. 17.

1 *Non facilè ordinādus quis ad titulum patrimonij.*

QVamuis ex dispositione *Concil. Trid. sess. 21. de reformat. cap. 2.*, non sit quis admittendus ad Ordines sacros ex titulo patrimonij, nisi Episcopus ex necessitate, vel vtilitate Ecclesiarum admitti posse iudicauerit, quia tamen eadem necessitate, vel vtilitate vrgente sic Episcopis iudicantibus quandoque ad illius titulum aliqui promouentur ideo hic panditur via ad inquirendum, cuius quantitatis, & qualitatis debeat esse hoc patrimonium, vt sufficiens iudicetur ad huiusmodi promotiones.

2 *Quantitas patrimonij est taxanda per Episcopum.*

Quoad quantitatem non videtur certa regula posse præscribi, cum ex diuersitate locorum, & temporum possit esse diuersa. Quamobrem iudicio Episcopi congruentius taxanda videtur, qui inspecta vbertate, vel sterilitate regionum, rerum copia, vel inopia, & similibus statuant, quantum sufficere possit ad congruam ordinandi sustentationem; nec in hoc hæsitandum arbitror. Difficultas solummodò aliqua videtur posse esse in eo, an in taxanda huiusmodi quantitate attendenda sit per Episcopum dignitas personę ordinandæ, an scilicet sit nobilis, vel ignobilis &c. Circa quam *Marchinus tract. 2. de ordin. in partic. part. 6. cap. 7. difficult. 2. num. 5. in princip.*, asserit huiusmodi qualitatem esse attendendam, adeo vt maior quantitas sit taxanda pro persona nobili, quam pro ignobili, vt saluetur decentia status. Verius tamen existimo, hanc qualitatem non esse attendendam, prout statuunt *Petrus de Ledesma in summa part. 1. de Sacram. Ordin. cap. 7. concl. 7.*, *Garzias part. 2. de benef. cap. 5. num. 114.* Ratio est, quia iura in hac dispositione respiciunt decentiam status Clericalis, non dignitatem personarum, *ne ordinatus emendicare cogatur, vel sordidam artem exercere*, non autem, vt equestris ordinis splendor seruetur, ergo habita sufficienti quantitate, qua Clerici honestè possunt viuere, non est quid amplius inquirendum. Hinc vbi certa summa taxata est per Episcopos, hæc pro quocunque statu personarum sufficiens reputatur, sic quia teste *Ianuensi in praxi Neapol. cap. 81.*, *Molfesio in summa tract. 2. cap. 15. num. 6.*, in vrbe Neapolitana taxata est summa triginta sex scutorum, hæc indefinitè intelligenda est, siue respectu nobilium, siue respectu ignobilium, sic quia hic Mediolani taxatum est patrimonium scutorum quinquaginta hoc respectu omnium sufficiens iudicatur, nec maior taxa habetur pro nobili.

3 *Conditio personarum in hoc non est attēdenda.*

4 *Debet esse certum.*

Quoad qualitatem hoc firmitèr tenendum est primo, quod hoc debeat esse certum non solum quoad substantiam, sed etiam quoad quantitatem, vt dignosci possit, an sit, nec ne sufficiens ad cōgruam sustentationem. Huic qualitati non repugnat, quod illud patrimonium integretur ex pluribus rebus, dummodò habeat alias conditiones ad hoc requisitas, quandoquidem illę res possunt esse certæ, & totum, quod ex illis resultat, certum. Sed, an huic conditioni repugnet, quod ordinandus illud habeat commune, & indiuisum cum suis fratribus, vel socijs. *Azorius instit. mor. part. 2. lib. 3. cap. 4. q. 9.*, *& Marchinus tract. 2. de Ord. in partic. part. 6. de Subdiac. cap. 7. difficult. 2. num. 5. vers. quod spectat ad qualitatem*, sentiunt non repugnare, quoties quota, quæ ex illis bonis indiuisis spectat ad ordinandum, est sufficiens ad illius sustentationem, nec obesse potest, quod ratione indiuisionis,

5 *Non repugnat quod cōfletur ex pluribus rebus.*

6 *Nec, quod sit indiuisū cū alijs.*

eum alijs non possit illud patrimonium dici certum, cum assignata quaecunque parte non ita sint propria ordinandi, quin etiam sint propria aliorum, seu saltem communia cum illis; Non, inquam, obesse potest, quia certitudo ad effectum præsentem sufficientèr habetur ex iure certo, quod ordinandus habet ad redditus sufficientes ad congruam sui sustentationem ex illis bonis indiuisis percipiendos. Deindè illud habetur pro certo, quod potest de facili certificari; quantum autẽ pertineat ad ordinandum ex illis bonis, potest facilè per designationem, vel diuisionem haberi.

7 *Debet cõsistere in re immobili.* Secundò, quod debeat consistere in re immobili; mobilia etenim de facili consumuntur, & sic ordinatus eisdem consumptis posset in statu constitui, vt indigeret mendicare, vel sordidam artem exercere. Circa hanc qualitatem plures insurgunt rationes dubitandi, & primo, an grex pecudum, seu armenta animalium computari possint inter immobilia quibus constitui possit patrimonium ordinando. Negat *Marchinus tract. 2. de ordin. in partic. part. 6. de Subdiaconatu cap. 7. num. 5. vers. tertio hoc patrimonium*, eo quia hæc animalia possunt mori, & sic ordinatus destitui patrimonio. Quia tamen *Redoanus quæst. 11. num. 32., Augustinus Barbosa de potest. Episcop. allegat. 95. num. 39., Molina de iust. tom. 2. disp. 465. num. 4., Sopranus tract. 44. cap. 4. nu. 24., Bonacina de alien. rerum Eccles. quæst. vnica punct. 2. num. 2. vers. aduertendum est secundo, & alij*, computant inter immobilia huiusmodi greges ouium, armenta bouum, & præsepia equorum, ex quibus percipiuntur fructus, quæque seruari solent, nam alijs deficientibus alia eiusdem generis substituuntur, non videtur procul esse à veritate, vel saltem à magna probabilitate, qui assereret ex illis posse constitui sufficiens patrimonium, ad cuius titulum possit quis ordinari.

8 *Potest cõsistere in grege pecudũ, & in armentis animalium.*

Secunda ratio dubitandi est, an census possint in titulum patrimonij constitui, qui licet adhæreant rei immobili, & pro immobilibus computantur, quia tamen possunt à re immobili secerni, & separari per redemptionem, seu extinctionem, videntur non habere illam immobilitatem, quæ requiritur adhoc, vt possit fundare patrimonium permanens. Propter hanc rationem mobilitatis, quam habet census *Hugolinus de offic. Episcop. cap. 26. §. 10. num. 2.* citato *Molina de Hispanorum primogenijs lib. 2. cap. 10. num. 6., Antonio Gomez de censibus cap. 3. num. 4.*, sustinent non posse ex illo constitui patrimonium pro ordinando. Contrarium tamen sustinent *Nicolaus Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 45., Cencius de censib. part. 1. cap. 3. qu. 2. art. 2. à nu. 4. ad 34.* cum census computetur pro re immobili per textum *in clem. exiui de Paradiso, §. cumque annui redditus de verb. signif.*, & sit certus frugifer &c. Nec obstare asserunt, quod sit perpetuo redimibilis, quia in ipsa erectione tituli potest ea cautio adhiberi, vt in casu redemptionis, & extinctionis ex Episcopi decreto iterum pecunia indè extracta rinuestiatur in fundo immobili. 9 *Item in censu.*

10 *Debet cõsistere in re fructifera.* Tertiò, quod debeat res, in qua constituitur patrimonium, esse fructifera, vel naturalitèr, vel ciuilitèr saltem, cum etenim ordinandus debeat ex illa congruam percipere sustentationem, vtique illa debet fructus, seu redditus parere, ex quibus illa sustentatio hauriatur; vndè, si quis haberet res pretiosas, quæ tamen nullos parerent fructus, non posset ad illarum titulum ordinari. Hinc, si quis haberet directum dominium alicuius fundi immobilis, quod non afferat emolumentum sufficiens ad sustentationem, & alter haberet illius fundi dominium vtile, vtique non posset dominus directi ad illius titulum ordinari, prout notant *Decius in cap. Episcopus de præbend. num. 12., Marchinus tract. 2. de ordinib. in partic. part. 6. de Subdiaconatu cap. 7. difficult. 2. num. 5. vers. quarto deducitur*.

11 *Habens dominiũ directũ sine vtili non potest ad illius titulum ordinari.*

12 *Fundus debet esse pacificè possessus.* Quartò, quod debeat ille fundus, seu res esse actu, & pacificè possessus, seu possessa; Defectu actualis possessionis nequit primo ordinari quis ad titulum legati consequendi, quia quousque legans viuit potest voluntatem mutare, & reuocare legatum; tum quia etiam mortuo legante non est adhuc possessionem consecutus, quæ possessio ex dispositione *Concil. Trident. d. sess. 21. de reformat. c. 2.*, requiritur. Secundò, nequit ordinari filius, qui alia bona non habet, nisi quæ expectat ex hæreditate pingui patris, vel matris viuentium, prout statuunt *Hugolinus de potest. Episcop. cap. 26. §. 9. num. 3., Campanilis in diuers. iur. canon. rub. 8. cap. 5. num. 3., Flaminius de resignat. beneficiorum lib. 2. quæst. 6. num. 28., Molfesius in summa tract. 2. cap. 15. num. 5., Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 19. nu. 21., Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 21., & seqq.* Intellige, nisi à patre, vel matre fuerit in certis eorum bonis filio constitutum certum, & sufficiens patrimonium. Ratio ex eo deducitur, quia filius viuente patre, & matre, non habet possessionem in eorum bonis, nec ius in re, sed ad summum ad rem; ad titulum autem, ad quem potest quis ordinari debet iste habere ius in re, & possessionem, prout definitum est *in Concil.*

13 *Legatarius ad titulum legati nondum possessi, nõ potest ordinari.*

14 *Filius non potest ordinari ad titulum hæreditatis pinguis paternæ, quam sperat.*

Concil. Trid. loc. cit., nec valet dicere, quod diuitiæ patris sint diuitiæ filij, quia sunt solum filij in spe, non in re. Propter hanc eandem rationem nequit quis ordinari ad titulum cedulæ factæ eidem à persona diuite, qua hæc promittit se illi subsidia vitæ necessaria ministraturum, cum ratione eiusdem promissionis non habeat ordinandus ius in re in bonis promissoris, sed tantum ad rem, & sicuti non esset admittendus ad ordines sacros filius, cui pater promitteret congruam sustentationem ministrare, nisi determinatè assignet determinata, & sufficientia bona in patrimonium, ita &c.

Defectu pacificæ possessionis nequit
15 quis ordinari ad titulum patrimonij litigiosi, seu litibus obnoxij; nam posset contingere, quod in lite succumberet, & sic constitueretur in statu, quo non haberet, vndè viueret, & teneretur contra decentiam status mendicare, vel sordidam artem exercere. Hinc monet *Marchinus loc. cit. num. 5. vers. hinc deducitur primo* debere Episcopos, antequam bona in titulum patrimonij admittant, publica edicta proponere, vt qui ius aliquod in dicta bona habet, intra certum tempus teneatur comparere, & docere de iure suo, quo tempore elapso non sit amplius audiendus *Nauarrus cons. 14., & 46. de temp. ord.*, *Molfesius in summa tract. 2. cap. 15. num. 5.*, *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 32. num. 7.*

Non potest quis ordinari ad titulum patrimonij litigiosi.

16 Quintò, quod res subiugata patrimonio non debeat esse alteri deuicta, seu hypothecata, & hoc, ne res illa euincatur ab habentibus in ipsa ius, seu hypothecam, & sic ipse remaneat destitutus congrua sustentatione. Hinc refert *Stephanus Quaranta verb. ordo vers. quod intellige circa fin.*, quod Neapoli in seruatur, quod in assignatione talis patrimonij producatur publicum instrumentum ab vtraque parte iuramento firmatum prædictam assignationem esse realem, & omni dolo, & fraude carentem, & quod neque in præteritum confectus fuerit, neque in futurum conficietur actus, & contractus in præiudicium eiusdem, & ibi etiam præcipitur sub excommunicatione constitutori patrimonij, ne audeat assignare fundum alteri deuictum, seu hypothecatum. Consulerem etiam in hoc promulganda esse edicta per Episcopos, vt qui ius aliquod in bona patrimonio subiuganda habere prætendat, compareat intra certum tempus, & doceat de iure suo, quo elapso non amplius audiatur.

Res patrimonio subiugata debet esse libera.

Hic cadit difficultas, an sub hac dispositione, quod bona prius alteri deuicta nequeant pro patrimonio ordinandi subiugari, veniat etiam patrimonium a patre assignatum filio, per quod lædaretur legitima a lijs filijs debita. Cum legitima filiorum non sit eisdem debita, nisi post mortem patris, & ex bonis, quæ in sui obitu pater reliquerit, non videntur viuente patre ius aliquod, nisi in spe habere, nec hoc ius filiorum demit potestatem patris, quin hic possit viuens de suis bonis pro libertate disponere in quamcunque causam voluerit donando, eleemosinas elargiendo &c. Ex quibus sequitur, seu sequi videtur, quod, si alijs potest, seu in aliorum fauorem bona sua disperdere sine læsione iuris filiorum, possit etiam eadem assignare alteri ex filijs in patrimonium, nec alij filij possint iustè conqueri, cum viuente patre nullum ius in illis habeat. His tamen non obstantibus *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. cap. 7. difficult. 3. num. 6.*, sentit talem patrimonij constitutionem in præiudicium aliorum filiorum non subsistere, cum expoliari nequeat legitima sua, nisi in casibus à iure expressis. Ego autem existimo sistendo præcisè in iure communi constitutionem talis patrimonij subsistere, nec cadere sub dispositione iurium vetantium bona iam alteri obligata subiugari patrimonio. Ratio ex mox dictis pro prima opinione deducitur, quandoquidem, si pater viuens potest de suis bonis disponere in fauorem aliorum sine læsione filiorum, cur non poterit viuens disponere in fauorem alterius ex filijs, cum ex dispositione iuris communis non teneatur erga filios, nisi quoad legitimam ex bonis, quæ post mortem reliquerit. Dixi *sistendo præcisè in iure communi*, nam si alicubi extarent iura municipalia vetantia patribus siue inter viuos, siue causa mortis meliorare conditionem alicuius ex filijs, tunc certè non posset pater constituere illud patrimonium, vtpotè læsiuum conditionis aliorum filiorum. 17

Sistendo in iure comuni, potest pater filio patrimoniū constituere, quāuis læderetur legitima aliorum

ARTICVLVS XXVII.

De onere Patris constituendi filio volenti sacros ordines suscipere patrimonium congruum ad eius vitæ sustentationem.

SVMMARIVM.

Rationes suadentes non posse compelli Patrem ad constituendum patrimonium filio volenti sacros ordines recipere. 1.

Sententia Marchini volentis posse compelli. 2.

Impugnatio rationum Marchini. 3.

Probabilius potest compelli. 4.

An

1 *Rationes suadentes patrem non posse compelli*

QVamuis Pater ex titulo naturalis pietatis teneatur filijs non habentibus aliundè, quo viuere possint, erogare congrua alimenta, vt est inconfesso apud omnes, non tenetur tamen, dum ipse viuit, dismembrare quodamodo bona sua, vt ex se viuere valeant, ideoque ex hoc capite non videtur compelli posse ad constituendum eisdem filijs in suis bonis immobilibus, seu iuribus congruum patrimonium; quinimmò, sicuti non tenetur, dum viuit, eisdem legitimam conferre, ita nec videtur teneri ipsis talem portionem assignare, qua possint congruè sustentari, & ad illius titulum ordinari.

2 *Opinio Marchini volentis posse compelli*

Marchinus tamen *tract. 2. de ordinibus in particulari part. 2. de Subdiac. cap. 7. difficult. 1. num. 4.* sustinet, posse compelli officio Iudicis Ecclesiastici, & rationem adducit deductam ex paritate filiæ volenti nubere digno, quinimmò, quæ nupsit digno patre etiam inuito, cui pater ipse tenetur congruam dotem assignare, & ad hoc quamuis inuitus compelli potest *argum. textus in l. qui liberos, ff. de ritu nupt., & l. 1. ff. solut. matrim.*, ergo à fortiori, inquit ipse, poterit compelli ad constituendum patrimonium filio volenti medijs sacris ordinibus nubere Christo. Dixi *à fortiori*, quia ex vna parte filius videtur maius ius habere in bonis patris, ac habeat filia; tum quia fauorabilius videtur matrimonium spirituale, quod initur per susceptionem sacrorum ordinum, quam corporale; atque pro hac opinione allegat *Crauettam cons. 136. ad fin., Auendanum resp. 17. num. 3., Gutierez. pract. qq. lib. 2. quæst. 65. num. 8., & seqq., Augustinum Barbosam de offic. Episcopi alleg. 19. num. 63., Sanchez lib. 4. de matrimon. disp. 26. num. 7.*

Sed non videtur currere paritas, de onere parentum dotandi filios nubere volentes, seu quæ nupserunt digno, ac de onere eorundem constituendi filijs sacros ordines suscipere volentibus congruum patrimonium ex multiplici capite. 3 *Impugnatio rationũ Marchini.* Primo ex eo, quod pater viuens potest iuribus sic disponentibus compelli ad dotandam filiam, non autem potest viuens compelli ad præstandam legitimam filijs masculis, adeoque, nec patrimonium. Secundò ex eo, quod iura compellunt patrem ad dotandam filiam nuptam sine dote, non autem compellunt eundem patrem ad constituendum patrimonium filio initiato sacris ordinibus sine illo, quin potius hoc onus transfundunt in Episcopum ordinantem ex supra allegatis iuribus. Tertiò, quia fragilitas sexus in fæminis exigit promptiora subsidia, ne labantur, quibus propterea iura consuluerunt de doteà patre etiam viuente illis præstanda, quod non militat quoad masculos. Quid iam in hac controuersia sentiendum?

Assertio I. Probabilius est, patrem posse compelli ad cõstituendum patrimonium filio volenti sacris ordinibus initiari. 4 *Probabilius, potest compelli* Ita præter præcitatos Doctores in principio *Marcus Antonius Genuensis in pract. Eccl. quæst. 622., Campanilis in diuers. iur. can. rub. 8. cap. 5. num. 14., Giurba ad consuet. Messana part. 1. cap. 4. glos. 5. num. 28. fol. 398.* Fateor me certum textum hoc conuincentem non habere; moueri tamen ob fauorem ordinis Clericalis.

Rationem potissimum deduco ex paritate rationis, secundum quam pater potest officio Iudicis compelli ad subministrandas expensas studij filio per textum *in l. de bonis, §. non solum, ff. de Carbon. edict.*, vt concludit *Vitalis de Neuas in tract. de collat. quæst. 5. in fin., Riminaldus in l. donatione col. penult. de donat., Rota Roman. in vna Romana alimentorum 5. Iunij 1595. coram Cardin. Mantica, Surdus de alim. tit. 6. quæst. 8. num. 102.*, ergo etiam officio Iudicis poterit compelli ad constituendum patrimonium filio, vt efficiatur Sacerdos, quia non minus videtur fauorabilis causa ordinis Sacerdotalis, ac sit causa studiorum. *Pater, potest compelli ad ministrandas filio expensas pro studio.*

Adde, quod pater potest compelli filium dotare eligentem statum Monacalem, vt consentiunt communitèr scribentes, ergo etiam poterit compelli patrimonium congruum assignare filio eligenti statum Clericalem, seu Sacerdotalem. Neque obstant, quæ ex aduerso afferebantur, quod scilicet pater viuens non possit compelli assignare filijs legitimam, & quod sit diuersa ratio de filia nubere volente siue corporalitèr, siue spiritualitèr, ac de filio volenti sacris ordinibus *Aliæ rationes pro asserto.*

initiari

initiari ex multiplici discrimine assignato. Non obstant, inquam, quia, quamuis regularitèr non possit pater viuens compelli ad dandam filijs legitimam, fallit tamen hæc regula concurrente causa in pluribus casibus, & signanter fauore Religionis, nam, sicuti pater non potest impedire electionem status Clericalis, qui ad Religionem pertinet, ita non potest se subtrahere sic naturali pietate impellente ab onere eorum, quæ tali statui sunt necessaria. Deindè aliud est, loqui de legitima filijs debita, aliud de patrimonio ob causam assignando, nam illa re vera non est debita, nisi post mortem patris, istud verò, cum succedat loco alimentorum in vita, concurrente causa debetur etiam, si pater viuat.

Ad illud, quod subditur de differentijs intercedentibus inter dotem debitam filiabus, & de patrimonio in ordine ad filios volentes sacros ordines recipere, dicendum est iura quidem subuenire filiabus decernendo ipsarum dotationem etiam in vita patris, nec simplicitèr decernere in vita eiusdem legitimam erogādam filijs, decernere tamen ob causam subsidium in causam alimentorum, sicuti decernit in causa studiorum, & matrimonij spiritualis. Ad illud, quod subditur primo loco de obligatione parentum dotandi filiam, quæ nupsit digno sine dote, non autem de obligatione eorundem constituendi patrimonium filio initiato sacris ordinibus sine eodem patrimonio, cum onus alendi ipsum transfundatur in Episcopum ordinantem, dicendum est, obligationem Episcopi ordinantis esse solummodò subsidiariam, quando scilicet ordinatus non habet aliundè, quo viuere possit, cum autem habeat patrem diuitem onus Episcopi ordinantis cessat per ea, quæ tradidi *in præcedenti art. 22. in resolutione secundi dubij vers. sed quid erit dicendum*. Ad illud, quod subditur secundo loco, dicendum est iura non solum ex motiuo fragilitatis sexus consulere filiabus, sed etiam ex titulo Religionis masculis, vt supra.

Soluuntur rationes cōtrariæ

Supposito iam, quod pater possit ad hoc compelli suboritur hic alia difficultas, an, si à patre fuerit constitutum illo patrimonium pro sacris ordinibus suscipiendis, hoc sit computandum in legitimam eiusdem filij, & in diuisione bonorum cum cæteris fratribus conferendum? Secundum, quod alij dicunt hanc constitutionem patrimonij connumerari inter donationes simplices; alij inter donationes ob causam siue necessariam, siue impellentem solummodò ex quadam naturali pietate afferunt etiam, quod quando est ex donatione simplici non computetur; quando verò est ob causam, computetur.

5 *An sit computandum in legitimam.*

Assertio II. (Quidquid sit, quod hoc patrimonium sit constitutum ex donatione simplici, vel ob causam,) quod computandum sit, vel non computandum pendet à præsumpta voluntate cōstituentis, adeo vt, si verisimilitèr constet voluisse simplicitèr donare, & transferre absolutè dominium in filium donatarium, non sit computandum in legitimam, nec conferendum in diuisione bonorum cum cæteris fratribus; si verò constet datum, seu cōstitutum solum ad effectum, vt ex illius fructibus habere possit, quo congruè viuat, & hoc mediante possit ordinari, sit computandum, & conferendum; vbi verò non constat de voluntate potius pro vna, quam pro altera parte, sit computandum, & conferendum.

6 *Pendet ex voluntate præsūpta constituentis*

Ratio pro prima, & secunda parte ex eo deducitur, quia dato, vt in præcedenti assertione probabamus, quod pater compelli possit ad constituendum filio volenti Clericari patrimonium, non tamen compelli potest ad simplicitèr, & absolutè cum omni iure donandum; siquidem finis legis volentis, ne quis ordinetur sine patrimonio, quando non habet beneficium, est solummodò, vt tantum habeat quanto indiget ad congruam sui sustentationem, ne emendicare cogatur, vel sordidam artem exercere; hoc autem habere potest, siue habeat absolutum, & cum omni iure dominium patrimonij, siue habeat solummodò vsumfructum, seu ius quoddam ad percipiendos ex illo fructus, ergo constituto illo patrimonio, quod ordinatus filius gaudeat in illo pleno iure, & perfecto dominio adeoque non sit computandum in legitimam, vel gaudeat solummodò vsufructu, & sit computandum non pendet ex dispositione eiusdem legis, ergo solummodò ex præsumpta voluntate constituentis, ergo, si ista fuerit, quod gaudeat pleno iure, non erit computandum, si verò fuerit, vt solum vsufructu gaudeat, erit computandum.

Rationes pro asserto.

Si iam quæratur, ex quo possit coniectari talis voluntas vel pro vna, vel pro altera parte, ex norma eiusdem constitutionis præsumptio est deducenda, & vbi pater compulsus fuerit ad cōstituendum, præsumendum erit, quod non transtulerit dominium cum pleno iure, cum in ijs, in quibus quis compellitur, præsumendus sit minus voluisse grauari.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia, vbi non constat, vel expressè, vel tacitè de voluntate constituentis, præ-

sumptio

sumptio stare debet pro æqualitate inter
7 filios, vt notat *Crassus in l. Gallus*, §., *&
quod si tantum num.* 55. *de lib. & posth.*, *Silvanus cons.* 71. *num.* 9. *vol.* 2., *Menochius de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 26. *num.* 22., non saluaretur autem talis æqualitas inter filios, si patrimonium vni constitutum non esset computandum in legitimam, nec conferendum cum cæteris filijs. Hæc omnia maiorem vim habent in nostris principijs, secundum quæ diximus in præcedenti assertione talem constitutionem esse ob causam necessariam, vel saltem impellentem. Adde pro confirmatione textum *in auth. ex testamento, C. de collat.* Ibi: *Ex testamento vel ab intestato cessat dotis, vel aliorum datorum collatio, ita demum, si parentes hoc designauerint*, ergo à contrario sensu, si parentes id non designauerint, conferenda erunt in legitimam tum dos, tum alia similia doti. In hoc consentiunt *Covarruvias in cap. Rainaldus*, §. 2. *num.* 7. *de testamentis*, *Bernardus Diaz in praxi crim. can. cap.* 18. *num.* 16., *Ioannes Gutierez pract. qq. lib.* 2. *quæst.* 65. *num.* 12., *Molina de iust. tract.* 2. *disp.* 238., *Vgolinus de offic. Episc. cap.* 26 §. 9. *in fin.*, *Nicolaus Garzias de beneficijs part.* 2. *cap.* 5. *num.* 159.

Præsumptio stat pro æqualitate inter filios

8 Iam respondendum est argumentis, ex quibus videtur inferri huiusmodi patrimonium absolutè non esse computandum in legitimam, nec conferendum cum cæteris filijs. Primum est, quod huiusmodi patrimonium computetur inter bona castrensia, seu quasi castrensia filij, in cuius fauorem constitutum est; peculium autem castrense, vel quasi castrense secundum omnes Doctores in legitimam non computatur. Secundum, quia donatio facta filio pro matrimonio contrahendo non computatur ex communiori opinione de qua *Oldradus cons.* 5., *Soccinus cons.* 53. *nu.* 1. *in fine vers. optimè prædicta confirmantur lib.* 1., *Suarez in l. quoniam in prioribus quæst.* 5. *in fine ad leges Regni, C. de inoffic. testament.*, *Corasius in l. filium quem habentem num.* 237. *C. famil. ercisc.*, ergo etiam eidem facta pro consequendis sacris ordinibus, non erit computanda. Tertium, quia expensæ factæ à patre pro filio pro emendo officio in Curia Romana, aut pro consequendo beneficio Ecclesiastico, aut pro ingredienda militia non imputantur, ergo nec patrimonium pro sacris ordinibus suscipiendis, medijs quibus filius militiæ cælesti adscribitur, milesque verus Christi euadit. Quartum, quia huiusmodi patrimonij constitutio est donatio simplex, & inter viuos, quæ statim de se est valida *Iason in l. filiæ num.* 7. *C. de collat.*, *Ripa in l. in quartam num.* 170. *ff. ad leg. falcid.*, ergo non est computanda ex regula, quod quæ capiuntur inter viuos non imputentur &c.

Rationes suadentes esse conferendũ.

Retenta distinctione voluntatis instituentis hæc omnia argumenta videntur facilè dissolui; nam, si in his omnibus intelligatur referri ad plenam dominij translationem, certè non erunt computanda, secus &c. Nihilominus, vt plenius eisdem satisfaciamus placet per singula discurrere.

Ad primum dicendum est, quod, si fuerit absolutè, & simpliciter donatum intuitu sacræ militiæ suscipiendæ re vera connumeratur inter bona castrensia, & quasi castrensia, non sic, si fuerit solum constitutum non cum translatione dominij, sed solummodò cum iure percipiendi fructus, donec fuerit prouisum de beneficio, vel de alijs bonis, quibus filius valeat congruè sustentari, & sic magis firmatur nostra assertio quoad primam, & secundam partem. 9

Quando non est constitutum cũ translatione dominij nõ computatur inter bona castrensia.

Ad secundum idem ferè potest responderi. Deindè non ità verum est, vt supponitur, quod donata à patre filio causa matrimonij contrahendi non sint computanda, cum potissimum ea, quæ fuerunt insumpta circa vxorê eiusdem filij quoad pretiosa, & non necessaria ad quotidianum vsum, conferantur iuxta communiorem opinionem de qua *in tom. de restitutione* 1. *pranot.* 6. *num.* 6., *& tom.* 3. *sub tit. Contractus* 7. *de Societ. pranot.* 27. *nu.* 12. Reliqua præsumuntur simpliciter donata. 10

Donata à patre filio causa matrimonij, an sint computanda.

Ad tertium retenta eadem distinctione, & resolutione dico vlteriùs non currere paritatem de insumptis pro officio, beneficio emendo, & de patrimonio constituto pro sacris ordinibus recipiendis; nam illis acquisitis nil amplius remanet, quod sit conferibile; nam pecunia insumpta supponitur, & officia illa secundum se non sunt transmissibilia, vt per se patet, patrimonium autem adhuc remanet, quod est transmissibile, adeoque etiam conferibile. 11

Quid de insumptis pro officio emendi.

Ad vltimum constat ex dictis non esse simplicem donationem, sed ob causam saltem impellentem, quæ sufficit, vt debeat conferri, vt notat *Bernardus Diaz in pract. crim. can. cap.* 18. *num.* 16., & euincitur ex textu *in l. omni modo*, §. *imputari*, *C. de inoffic. testam.*, vbi non est causa necessaria, qua pater possit compelli ad emendam militiam filio, & tamen donata ad hunc effectum conferuntur. 12

Non est donatio simplex, sed ob causam.

✠✠✠

AR-

ARTICVLVS XXVIII.

Ad quemnam transeat patrimonium à Patre constitutum filio pro sacris ordinibus suscipiendis mortuo eodem filio.

SVMMARIVM.

Sententia asserens transire ad constituentem cum suis rationibus. 1.
Sententia asserens transire ad hæredes eius, pro quo constitutum est. 2.
Si ex præsumpta voluntate constituentis intelligitur facta plena donatio transit ad hæredes defuncti. 3.
Si ex eiusdem præsumpta voluntate intelligitur facta solum ad effectum ordinationis reuertitur ad constituentem. 4.
In dubio ex quanam voluntate facta fuerit præsumendum est pro voluntate non donandi, & sic reuertitur ad constituentem. 5.
Donatum ex causa simplicitèr, & adimpleta fit irreuocabile. 6.
Secus donatum ex causa limitata, & ad tempus. 7.

MAgnam in hoc video controuersiam inter Doctores, dum aliqui volunt absolutè redire ad constituentem, vel ad eius hæredes, si ille prædecesserit; alij verò transire ad hæredes eiusdem constitutarij defuncti.

Mouentur primi ex eo, quod donatio
1 facta intuitu personæ ea defuncta extinguitur per textum *in l. à marito, C. de donat. inter vir., & vxorem, & l. si inter virum, ff. de reb. dub.*, ergo non transit ad hæredes illius, cuius intuitu facta est, sed permanet illius, à quo facta est. Secundò ex eo, quod mortuo donatario, seu constitutario illius patrimonij cessat effectus ad quem facta est, cum ad id fuerit directa, vt non compelleretur idem donatarius emendicare, vel sordidam artem exercere, ergo cessare debet ipsa donatio argum. textus *in l. adigere, §. quamuis, ff. de iur. patron. cap. cum cessante de appell.* Tertiò ex eo, quod de iure communi dos filiæ donata propter nuptias eadem mortua, & filijs non extantibus reuertitur ad dotantem, vel ad eius hæredes *l. 1. ff. solut. matrim., & l. vlt. eod. tit. l. pro omnibus, C. de iur. dotis*, ergo etiam patrimonium constitutum filio ob nuptias spirituales per receptionem sacrorum ordinum eodem defuncto redire debet ad donantem, seu constituentem, vel ad eius hæredes.

Sētētia asserens redire ad constituentem cū suis rationibus.

Mouentur secundi primò, quia donatio ob causam, ista adimpleta fit irreuocabilis, vt constat *ex tot. tit. ff. & C. de donat. caus. data*, sed constitutio patrimonij est ob causam, vt scilicet promoueri possit ad sacros ordines, ergo susceptis sacris ordinibus fit absoluta, & irreuocabilis, adeoque non reuertitur ad constituentem, nec ad eius hæredes. Secundò, quia donatio facta ob causam finalem tunc valida est, & irreuocabilis, quando effectum sortita est pro aliquo temporis instanti per textum *in l. cum quidam, §. diuus, ff. de vsur.*, sic satis communitèr tradunt, quod, si quis ratione amicitiæ cum aliquo non conuenerit cum illo de vsuris, nec pro aliquo tempore petierit, non possit amplius eas petere, quamuis amicitia fuerit soluta, ergo etiam, si pater constituerit filio, vel alius alteri patrimonium, vt posset sacros ordines percipere eisdem perceptis non poterit amplius illud reuocare, quantumuis donatarius occubuerit.

2 Sētētia asserens transire ad hæredes defuncti.

Resolutio huius difficultatis pendet à resolutione eorum, quæ dicta sunt in præcedenti articulo habita consideratione præsumptæ voluntatis constituentis. Quamobrem sit

Assertio. Si ex præsumpta voluntate constituentis constet, voluisse simplicitèr, & absolutè donare cum translatione pleni dominij mortuo constitutario patrimonium non redit ad constituentem, sed fit hæredum constitutarij; & iuxta hunc sensum sentio procedere auctores secundæ sententiæ; si verò ex eadem constet, voluisse dumtaxat concedere ad effectum, vt constitutarius posset ad illius titulum ordinari translato solum iure percipiendi fructus, donec &c. tunc mortuo constitutario redit ad constituentem, vel ad eius hæredes; si verò non constet de tali voluntate vel pro vna, vel pro altera parte tunc regularitèr redit ad constituentem, vel eius hæredes.

3 Si ex præsūpta voluntate constituentis intelligitur facta plena donatio transit ad hæredes defuncti.

Prima pars elucet ex rationibus pro secunda sententia relatis, quod enim pleno iure factum est constitutarij cum acquisitione perfecti dominij computatur inter illius bona allodialia, & libera, de quibus potest pro libertate disponere, ergo ad eum transeunt, ad quem transire debent eius bona allodialia siue ex testamento, siue ab intestato. Confirmatur, quia constante de plena, & libera voluntate donantis sine vlla limitatione, seu temporis restrictione donatio non soluitur per mortem donatarij, ergo eius subsistentia donationis transfertur in hæredem eiusdem donatarij.

Secunda pars, præter quam quod euincitur ex rationibus pro prima sententia adductis, roboratur etiam ex eo, quod concessio facta ad determinatum effec-

tum, & ad tempus elapso tempore non amplius perseuerat, cum in ea hypothesi, non intelligatur absolutè translatum dominium, ergo constituto patrimonio ad effectum, vt quis ad titulum illius possit ordinari, & ex illo congruè viuere, & non alitèr, nec alio modo mortuo ipso constitutario redire debebit ad constituentem, vel ad ipsius hæredes, si ipse fuerit mortuus.

4 *Secus, si ex præsumpta voluntate facta fuerit ad finem ordinationis.*

Tertia pars, in qua potissimum consistit difficultas in hoc articulo proposita, ex eo euincitur, quia, quando non constat de voluntate constituentis præsumptio stat potius pro voluntate constituendi modo sufficienti ad effectum; ad quem constituitur, grauandi tamen minus, quam par sit, ipsum constituentem; minus autem grauatur constituens per concessionem tantum limitatam cum solo scilicet iure cõsequendi fructus pro tempore, quo donatarius viuit, quam per absolutam, & simplicem donationem translatiuam absoluti dominij, ergo &c. Maior ex se patet, quia datum potius præsumitur ex ea causa, quæ minorem iactationem continet, quam ex alia *Cravetta cons. 106. num. 11., Butr. cons. 65.*, quod adeo verum est, vt omnis coniectura sumatur, vt donatio euitetur *l. elegantèr, §. qui reprobos, ff. de pignor. act. l. si cum aurum, ff. de solut.*

5 *In dubio præsumitur pro voluntate, non donandi.*

Secundò eadem tertia pars euincitur ex dictis in præcedenti articulo, vbi quod non constante de voluntate patris constituentis pro filio patrimonium, ad cuius titulum possit ordinari, illud non habeatur pro libera, & simplici donatione, sed conferendum est in legitimam cum cæteris fratribus, ergo à fortiori constitutum ab alio, qui non sit pater, ad effectum, vt quis ad titulum illius possit ordinari, non est præsumendum liberè donatum, sed concessum ad illum effectum vita donatarij durante, qua cessante erit restituendum constituenti, vel eius hæredibus. Consequentia probatur, quia ex affectione paterna, & naturali maior est præsumptio liberalitatis, & donationis patris erga filium, quam extranei erga alterum, ergo si non obstante illa affectione in patre constituente pro filio patrimonium non præsumitur illa donatio, nec erit præsumenda in alio à patre erga alterum.

Aliæ rationes pro negatione donationis.

6 *Donatũ ex causa simplicitèr causa adimpleta fit irreuocabile.*

Iam respõdendum est ad ea, quæ dicta sunt pro secunda sententia supra relata. Ad primũ dicendum est donationem factã ob causam si sit simplicitèr facta, & cum animo absolutè donandi, ea adimpleta fieri irreuocabilem, & iuxta hunc sensum procedunt textus *in tot. tit. ff. & C. de donat. causa data*, non sic autem danationem factam ob causam limitatè hoc est durante causa, qualis præsumitur ista, qua constituitur patrimonium. Deindè aliud est loqui de constitutione patrimonij, aliud de donatione; hæc ex genere suo importat translationem dominij in donatarium, & proindè rectè procedunt allegati textus *ff. & C. de donat. caus. data* hoc autem est indiferens, vt fit cum absoluta translatione dominij, vel cum sola concessione iuris ad fructus remanente dominio penes constituentem, vel iure ad illud recuperandum mortuo constitutario, & in hypothesi, qua non constet, an cum translatione primi, vel secundi facta fuerit, præsumendum est pro secunda. 7 *Secus donatũ ex causa limitata, & ad tempus.*

Ad illud, quod subditur idem fermè respondendum est addito, quod exemplum allatum de eo, qui ob amicitiam cum altero non conuenit cum illo de vsuris, nec illas petijt pro aliquo tempore quatenus propterea, nec possit petere extincta amicitia, non faciat ad rem, nam in primis vsuræ non debentur, & ad summum eatenus deberentur, quatenus essent conuentæ; vndè cum non sint debitæ ex conuentione in origine, nec possunt esse debitæ durante illa conuentione processu temporis.

ARTICVLVS XXIX.

De Alienabilitate rei patrimonio subiugatæ.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa titulum relatè ad diuersa. 1.

Quantum est ex parte constituentis patrimonium potest alienari independentèr ab illo, si fuerit simplicitèr donatum. 2.

Secus, si fuerit præcisè constitutum ad finem ordinationis. 3. [redacted]

Adepto beneficio, an [redacted] *possit alienari irrequisito Episcopo.* 4.

Refertur dispositio Concil. Trident. 5.

Sententia asserens non requiri assensum Episcopi. 6.

Refertur contraria sententia talem consensum requirens. 7.

Debet constare Episcopo de sufficientia. 8.

Alienans patrimonium sine licentia Episcopi secundum aliquos contrahit suspensionem. 9.

Verius tamen non contrahit, licet grauitèr peccet. 10.

SVb hoc titulo plures cadunt difficultates, quarum aliæ referri possunt ad alienabilitatem considerato præcisè iure constituentis, adeo vt sensus sit, an patri- 1 *Rationes dubitandi circa titulum*

patrimonium constitutum alienari valeat, vbi alia requisita concurrunt independentèr à voluntate eiusdem constituentis, an non; aliæ referri possunt ad eandem supposita acquisitione beneficij, vel alterius, quo promotus congruè viuere possit spectata auctoritate Episcopi, adeo vt sensus sit, an promotus ad titulum patrimonij acquisito beneficio, vel habens quo congruè viuere possit, possit independentèr ab Episcopo patrimonium alienare, an adhuc indigeat Episcopi concessione, vt illud valeat alienare; aliæ referri possunt ad alienabilitatem quoad pœnas, an scilicet, si promotus ad illius patrimonij titulum, ipsum postea alienet, vel non acquisito alio beneficio, vel sine Episcopi facultate contrahat aliquam pœnam, & quamnam.

2 *Si fuerit simpliciter donatū, potest alienari sine consensu donātis.*

In ordine ad difficultates iuxta primum sensum acceptas resolutio earundem desumenda est ex ijs, quæ in duobus præcedentibus articulis statuimus, vel enim constituens patrimonium in illius constitutione præsumitur absolutè, & simplicitèr transtulisse dominium rei subiugatę in ipsum promouendum ad illius titulum, vel solum præsumitur in ipsum transtulisse ius ad fructus, donec &c. retento apud se dominio proprietatis. Iuxta primum sensum, quantum est ex parte eiusdem constituentis non apparet, quominus possit res patrimonio subiugata alienari, cum etenim absolutè transtulerit dominium illius rei, nullum ius in eadem retinet, adeoque in alienatione nullum ius eiusdem læditur. Dixi *quantum est ex parte ipsius*, nam ex plerisque alijs capitibus res illa remanet inalienabilis, de quibus infrà. Iuxta secundum sensum, certè ipso inuito alienari nequit, cum constitutarius non habeat plenum ius in illa re, & dominium adhuc remaneat penes constituentem.

3 *Secus, si fuerit concessū ad tēpus vitæ ordinati.*

4 *Adepto beneficio, an possit alienari irrequisito Episcopo.*

In ordine ad difficultates iuxta secundum sensum acceptas (cum *Concil. Trid. d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* statuat, quod *pensio, vel patrimonium sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possit, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliundè habeant, vndè viuere possint*) oritur magna controuersia inter Doctores, an acquisito beneficio, vel alio habito quo promotus congruè viuere possit, possit hic ex se nulla habita Episcopi facultate patrimonium illud alienare, vel extinguere, an verò adhuc indigeat tali facultate, vt valida sit alienatio. Cardo totius difficultatis consistit in intellectu illius particulæ, *donec*, an scilicet referatur simplicitèr ad restrictionem temporis, & sit præcisè suspensiua alienationis, & extinctionis, donec beneficium, vel aliud, quo viuere possit, fuerit adeptum quo habito suspensio auferatur, an verò referatur ad acquisitionem beneficij, & simul ad Episcopi facultatem, adeo vt sit suspensiua, donec vtrumque habeatur.

5 *Refertur dispositio Concil. Trid.*

6 *Sētētia asserens, non requiri assensū Episcopi.*

Esse solummodò restrictiuam temporis, & suspensiuam, donec beneficium, vel aliud, quo congruè viuere possit, sit acquisitum, adeo vt non requiratur postea ex necessitate facultas Episcopi statuunt *Parisius lib. 2. de resignat. benef. quæst. 6. n. 16.*, *Azorius instit. mor. part. 2. lib. 3. cap. 4. q. 3.*, *Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 186. & seqq.*, *Stephanus Gratianus discept. for. cap. 159. num. 14* Rationes plurimæ pro hac opinione possunt afferri. Prima est, quia post promotionem ad sacros ordines acquisito beneficio, vel alio, quo ordinatus viuere possit, cessat ratio Concilij Tridentini prohibentis quem ordinari sine titulo beneficij, vel patrimonij, & vetantis, ne post ordinationem dimittatur idem patrimonium, quandoquidem ratio eiusdem Concilij est, ne promotus compellatur mendicare, vel sordidam artem exercere; cum autem beneficium iam acquisierit non subiacet illi periculo mendicandi, vel sordidam artem exercendi, ergo sine alio poterit patrimonium dimittere, vel alienare, quia cessante fine prohibitionis cessat quoque prohibitio, atque iuxta hunc sensum procedit *Rota Romana in vna Lucana beneficij 5. Decembris 1586. coram Orano*. Secunda est, quia Concilium prohibet alienationem sine licentia Episcopi, donec beneficium sufficiens fuerit acquisitum, ergo argumento a contrario sensu deducto poterit alienari sine licentia, si iam beneficium fuerit acquisitum.

Rationes pro tali sententia.

7 *Refertur contraria sententia talē cōsensū requirens.*

Ex aduerso illam particulam non esse præcisè restrictiuam temporis, sed suspensiuam relatiuè non solum ad acquisitionem beneficij, sed etiam ad facultatem Episcopi, adeo vt hac non habita non possit fieri alienatio, statuunt *Barbosa de offic. Episc. allegat. 19. num. 90., & in Trid. sess. 21. de reformat. cap. 2. num. 21.*, *Hugolinus de offic. Episcop. cap. 26. §. 13. num. 4.*, *Bursatus conf. 178. num. 55. lib. 2.*, *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. cap. 7. difficult. 9. num. 12. vers. at dicendum est*. Hi omnes volunt Concilium duo prærequirere ad validam alienationem huius patrimonij, vnum, quod in locum patrimonij sufficiens beneficium, vel aliud pro decenti victu subrogetur; alterum, vt Episcopus post diligens examen de tali sufficientia iudicet, & suum simul præstet consensum. Ad hoc asserendum pluribus

rationibus mouentur. Primò, quia arbitrantur, quod, ex quo illud patrimonium constitutum est in titulum sacri ordinis intelligatur factum bonum Ecclesiasticum, & gaudeat omnibus priuilegijs, quibus gaudent cætera bona Ecclesiastica, vt tradunt *Menochius de recup. possess. remed. 15. num. 21., Baldus de pace Constant. in verb. Imperialis clementiæ col. 6. ad med. vers. ex his apparet, quod collecta nu. 17., Decius in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ col. 9 in princip. vers. in glosa secunda in fine num. 18. de constit., Martha de iurisd. part. 4. cas. 49. num. 3., & alij plures* quos allegat, & sequitur *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. cap. 7. difficult. 12 num. 15. vers. at dicendum est*, bona autem Ecclesiastica saltem sine Episcopi facultate alienari nequeunt. Secundò, quia, si acquisito beneficio, vel alio, quo ordinatus congruè viuere possit, posset pro libertate de patrimonio disponere, ineptè, & incongruè Concilium Tridentinum apposuisset illa verba *absque Episcopi facultate*, quandoquidem certum est, quod non acquisito beneficio, vel alio &c., non possit Episcopus facultatem licitè concedere alienandi patrimonium, ergo, vt aliquid operetur, & illa particula non sit superflua, debet referri ad casum, quo beneficium fuerit acquisitum. Tertiò, etiam acquisito beneficio, vel alio &c., ideo requiritur ad alienationem patrimonij facultas Episcopi, ne, si fortè beneficium ob aliquam causam amitteretur, daretur regressus Episcopo auctorante ad patrimonium alienatum, ergo, si non esset facultas Episcopi concessa adhuc illud patrimonium remaneret vinculatum, adeoque etiam acquisito beneficio non potest alienari inconsulto Episcopo. Quid iam in hac controuersia sentiendum?

Rationes pro hac secunda sententia

Probabilius sentio, non posse huiusmodi patrimonium alienari, nisi constito Episcopo de sufficientia beneficij acquisiti, & de æqualitate rei subrogatæ pro patrimonio, & habita facultate eiusdem Episcopi. Consentiunt omnes pro secunda sententia allegati, vndè illa particula *donec* refertur, & ad acquisitionem beneficij, & ad facultatem Episcopi, & reddit hunc sensum. Donec constet legitimè Episcopo promotum aliundè habere, vnde viuat, alienatio patrimonij ad quod fuit promotus, non admittatur, & alitèr facta sit nulla, & irrita. Præter rationes pro hac sententia allatas hanc aliam subijcio. Non est, quis admittendus ad sacros ordines, nisi Episcopo constiterit, *eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*, sunt verba *Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 2.*, quod idem repetitur de patrimonio, quando hoc admittendum est ad vtilitatem, seu necessitatem Ecclesiarum, ergo, vbi aliud beneficium, vel aliud quid est subrogandum pro patrimonio iam constituto, in casu alienationis istius eidem Episcopo constare debet de sufficientia, & idoneitate beneficij, vel alterius subrogandi, vt iudicet de alienatione &c. Consequentia probatur, ideò ante ordinationem constare debet Episcopo de pacifica possessione beneficij, vel patrimonij sufficientis ad victum, ne promotus mendicare cogatur, & ne Episcopus ordinans subjciatur oneri ipsum alendi, ergo post ordinationem, vt commutetur patrimonium cum beneficio, vel alio, debet eidem Episcopo constare de sufficientia subrogati, ne si minus sufficiens sit, teneatur ordinans ex suo &c. Confirmatur, quia ex quo patrimonium constitutum est ad titulum ordinis sacri suscipiendi iam quodammodo vinculatum est Episcopo ordinanti, ergo sine ipsius facultate nequit alienari.

Præfertur hac secunda sentētia

Aliæ rationes pro hac sentētia

8 Ad rationes, quæ pro contraria sententia afferebantur, dicendum est, Concilium Tridentinum non solum requirere beneficium, vel patrimonium, vt quis ordinari valeat, sed vlterius, vt constet Episcopo de sufficientia, & idoneitate talis beneficij, vel patrimonij, & per hoc præscribit formam, sine qua non est ordinandus; vndè acquisito beneficio, vel alio non cessat adequatè ratio prohibitionis eiusdem Concilij, ea proportionali ratione, qua iura prohibentia alienationem bonorum Ecclesiasticorum respiciunt vtilitatem, & necessitatem tanquam causam, quia tamen præscribunt tanquam formam, seu solemnitatem assensum Apostolicum non est valida alienatio existente vtilitate, nisi adsit etiam talis assensus, sine quo esset irrita.

Debet constare Episcopo de sufficientia.

Ad illud, quod subditur, iam patet ex dictis, quid respondendum, illa etenim particula *donec* refertur non solum ad acquisitionem beneficij, vel alterius &c., sed etiam ad licentiam Episcopi, vndè limitat potestatem Episcopi ad tempus nouæ consecutionis, qua posita alienationem permittere potest.

9 In ordine ad difficultates tertio loco propositas controuersia potissimum in eo versatur, quod *Concilium Tridentinum d. sess. 21. de reformat. cap. 2.* præscripto prius, ne quis ad sacros ordines admittatur, nisi constiterit Episcopo de sufficientia beneficij, vel patrimonij subdit loquens signantèr de patrimonio *atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint donec beneficium &c.* & po-

Aliēnās patrimonium sine licentia Episcopi secundum aliquos, cōtrahit suspensionem.

& postea vltimo loco *innouat super his antiquorum canonum pœnas*, quæ verba vltimo loco prolata maximè cum particula *super his* referuntur ad omnia præcedentia. Cum igitur nos in præcedentibus docuerimus per hoc decretum Conciliare fuisse innouatam pænam suspensionis *cap. neminem, & cap. sanctorum dist. 70.*, & Concilium ipsum modo innouet easdem pænas, tam quoad promotos sine beneficio, & patrimonio, quam contra alienantes beneficium iam constitutum, vtique hæc pæna suspensionis videtur afficere sic alienantes.

10 *Verius tamen, non contrahat licet grauitèr peccet.* Nihilominus probabilius videtur, quod alienantes non seruata hac forma Concilij non contrahant hanc pænam suspensionis, quamuis grauitèr peccent. *Salzedo in sua pract. cap. 18.*, *Gutierez pract. qq. lib. 1. quæst. 65. num. 11.*, *Nauarrus in man. cap. 27. num. 158.*, *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. de Subdiac. cap. 7. difficult. 8. num. 11.*, *Gratianus discept. for. cap. 159. num. 17.* Ratio ex eo deducitur, quia hæc pæna contra alienantes patrimonium iam legitimè constitutum non reperitur in iure disposita, nam textus *in d. cap. neminem, & in cap. sanctorum dist. 70.*, loquuntur præcisè de promotis sine titulo, vndè non sunt trahendi ad alienantes. Neque dicas, eandem omninò militare rationem de promotis sine titulo, ac de alienantibus titulum, siquidem finis legum prohibentium est, ne ordinatus contra decentiam status emendicare compellatur, vel sordidam artem exercere, qui finis æquè militat contra vtrosque; contra enim impugnaberis, quia diuersa omninò est ratio de promotis sine titulo, ac de alienantibus post promotionem titulum. Ratio diuersitatis in eo consistit, quod promotus sine titulo non habet, quo viuere possit seruato modo ab Ecclesia requisito beneficij scilicet, vel patrimonij; alienans verò titulum habet, quo viuere possit iuxta præscriptum Ecclesiæ, nempè patrimonium ipsum cum irrita intelligatur ex dispositione Concilij eius alienatio, vndè subdit *Gratianus loc. cit. Verior est opinio, quod sufficiat alienationem esse nullam, cum per Concilium alia pæna non imponatur.*

Soluuntur rationes oppositæ. Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur ex dispositione Concilij, quandoquidem Concilium per illa vltima verba, *antiquorum canonum pænas super his innouando*, non inducit aliquam pænam de nouo, quæ non fuerit per antiquos canones inducta, sed illas dumtaxat quodamodo abolitas renouat, in antiquis autem canonibus non erat inducta pæna suspensionis contra alienantes patrimonium, sed dumtaxat contra promotos sine titulo; quamobrem hæc non est ad illos extendenda. Nec refragantur illa verba *super his*, quasi, quod referantur ad omnia relata *in d. cap. 2. sess. 21. de reformatione*, inter quæ est alienans patrimonium sine licentia Episcopi. Non refragantur, inquam, quia, cum Concilium se referat ad pænas antiquorum canonum, & quoad alienantes inducat nullitatem alienationis, non videtur quoad ipsos aliam pænam induxisse; vndè illa verba *super his* referuntur ad promotos sine beneficio, vel patrimonio.

ARTICVLVS XXX.

An subsistat patrimonium constitutum cum promissione eius, in cuius fauorem factum est, de eodem reddendo, vel de fructibus nunquam petendis.

SVMMARIVM.

Refertur praxis talis promissionis, & constitutionis. 1.
Tam constituens, quam constitutarius in illa constitutione grauitèr peccant. 2.
Sententia asserens illam constitutionem patrimonij tenere. 3.
Contraria sententia refertur, & Doctores illam sequentes. 4.
Probabilius non tenet, obligatur tamen constituens ad non impediendam perceptionem fructuum. 5.
Illa, in cuius fauorem constitutum est illud patrimonium ex vi contractus non potest fructus percipere. 6.
Quomodo possint fructus eidem competere, cum & ipse fuerit in dolo. 7.

VSus apud aliquos inualuit, qui vt promoueri possint ad sacros ordines, personas diuites inducunt, vt in proprijs bonis sibi patrimonium ad hunc effectum constituant, & ne in tali constitutione ipsi constituentes priuentur iuribus suis data antepocha, vel fide iuramento firmata promittunt, se post ordinationem patrimonium reddituros, vel fructus eiusdem nunquam petituros. Circa hunc vsum plures hic insurgunt rationes dubitandi; prima est, an tam constituens, quam constitutarius in tali forma contrahendi peccent, & quomodo. Secunda, an talis constitutio teneat, & obliget constituentem ad seruandum patrimonium cum pleno iure in fauorem eius, pro quo constituit. Tertia, an constitutarius ratione illius antepochæ, seu promissionis iuratæ obligetur post pro- 1 *Quomodo intelligendus sit titulus.*

mo-

motionem ad reddendum idem patrimonium, vel ad non petendos fructus.

2 *Vterque grauitèr peccat.* Grauitèr vtrumque peccare videtur esse extrà controuersiam, cum vterque aduersetur fini legis, & iurium dispositioni, quæ eo referuntur, vt promouendus habeat ex patrimonio, quo honestè viuere possit, cum quo fine, seu dispositione compati nequit illa constitutio sic concepta, & illa promissio iurata, & sic apertè constat contrauenire legibus, & in earundem fraudem sic conuenire.

3 *Sētētia asserens illam constitutionem patrimonij tenere.* Vtrum verò talis constitutio patrimonij teneat, & obliget constituentem perindè ac si conuentio non fuerit inita de eodem patrimonio restituendo post ordinationem, vel de non petendis fructibus, ex ijs, quæ dicta sunt in præcedentibus nempè, quod constituto eodem patrimonio non possit facultas competere illud dimittendi, &, si dimittatur, inanis sit dimissio, videtur etiam in hac hypothesi dicendum, quod illa constitutio patrimonij teneat; & solum irritetur illa antepocha, seu promissio iurata. Nihilominus in hoc considerari potest diuersa ratio consistens in eo, quod in casu, de quo supra loquebamur, patrimonium illud iam erat legitimè constitutum, & iam in suo esse vrgebat, quod propterea per subsequentes conuentiones non poterat irritari obsistentibus iuribus; in casu autem,

4 *Contraria sententia refertur & DD. illam sequentes.* de quo hic loquimur, in sua origine non videtur patrimonium illud subsistere cum illa pactione, cum non fuerit animus in constituente illud donandi, neque transferendi aliquod ius in ordinandum, vndè non potest dici natum; ex hac ratione moti plurimi docuerunt in foro conscientiæ non obligari constituentem ad seruandum illud patrimonium in fauorem eius, pro quo constituit, nec ad retribuendum eidem fructus; inter quos numerantur *Ludouicus Lopez part. 1. instruct. confessorum cap. 45., & de contract. lib. 2. cap. 45., Corduba in summa quæst. 32., Ledesma in summa tit. de Sacram. Ord. concl. 5. difficult. 6., Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 32. num. 8., Ioannes della Crux in suo directorio conscientiæ part. 2. tit. de Sacram. Ord. dub. 6. conclus. 2., Auila de censuris part. 3. disp. 5. dub. 5. conclus. 5.*

5 *Probabilius, nō tenet tenetur tamen constituens illi stare.* Asserendum est talem patrimonij constitutionem in se re vera non subsistere, obligari tamen constituentem ad standum eidem, & ad non impediendam perceptionem fructuum ex illo patrimonio. Consentiat omnes quos allegaui pro vltima sententia, & vlterius *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 6. de Subdiacon. cap. 7. difficult. 5. num. 8. vers. cæterum quamuis, Garzias de benef. part. 1. cap. 5. num. 152. ad 156., & 174.*, qui tamen contrarium ibi docuit *num. 164.*, vndè sibi contrarius est.

Ratio primæ partis est, quia constitutio non potest consistere sine animo, & voluntate constituentis, cum talis voluntas sit forma substantialis contractus, sine qua contractus non valet, sed in hac hypothesi non adest animus, nec voluntas constituentis, siquidem illud inuolucrum apparentèr in constituendo patrimonio adijciendi in ipsa constitutione pactum de eodem restituendo, vel de nunquam petendis fructibus eiusdem resoluitur in hoc, quod constituens non intendit dare, & constituere, nisi apparentèr ad fallendum, seu decipiendum ordinantem. *Sine voluntate, non subsistit cōtractus.* Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod qui dolo aliquid facit, ei non succurritur *l. cum post mortem, §. 1. ff. de administ. tut., & l. 2. C. si minor se maior.*, vndè, vt occurratur fraudibus, ius admittit latam interpretationem, & facit dispositionem fauorabilem respectu eius, aduersus quem fraus commissa est *Crauetta cons. 164. n. 2., Geminianus cons. 42. num. 11. vers. est ergo istud*, & sic propriam fraudem alleganti prodesse id non oportet per textum *in l. transactione, C. de transact. cap. intelleximus de iud.* *Obligatur in pænam fraudis.*

6 *Ille in cuius fauorem constitutū est illud patrimonium ex vi contractus, non potest fructus exigere.* Vtrum tandem ille, in cuius fauorem constitutum est illud patrimonium cum illa fictione, teneatur ex vi illius antepochæ, vel promissionis iuratæ illud dimittere, & fructus illius nunquam petere, videtur ex mox dictis quantum est ex vi contractus certè teneri illud dimittere, nec vnquam fructus posse petere, quandoquidem, cum constituens non habuerit animum, nec voluntatem in origine ius aliquod in ipsum transferendi, nec ipse ius aliquod acquisiuit, cum sine voluntate donantis donatarius ius nullum acquirat; vndè ex hoc capite tenetur dimittere, & in hoc consentiunt Marchinus, & alij supra allegati pro sententia asserente illam constitutionem cum hac fictione non subsistere. Vtrum verò ratione fraudis, cuius particeps fuit, & cui cooperatus est, priuetur iure ad fructus, videtur hoc simplicitèr certum non solum, quia nullum ius in illo patrimonio acquisiuit, sed etiam, quia proprius dolus nequit doloso suffragari. Ex alio capite, cum ex mox dictis in pænam fraudis constituens priuetur iure ad fructus ipsos, quomodo erit res componenda? In hoc dicendum est, quod cum illa fraus ex vtroque latere fuerit commissa contra Episcopum ordinantem, qui in hoc deceptus est, & quodamodo in præiudicium eiusdem, & Ecclesiæ, Episcopus ipse, & Ecclesia acquirat ius, & actionem aduersus illa bona in patri-

patrimonium fictum instituta, & ne Episcopus teneatur sic promoto alimenta ex
7 suo ministrare, valeat fructus eiusdem ipsi conferre, & in hoc potius est considerandа culpa constituentis, qui non debuit pactionem illam exigere, quam constitutarij, qui sibi voluit consulere, vt promoueretur; &, sicuti patrimonio legitimè constituto, si hoc dimitteretur, non acquisito beneficio, & sine facultate Episcopi, quamuis vterque tam scilicet dimittens, quam ille, in cuius fauorem dimitteretur, grauitèr peccarent, iura priuant constituentem iure illo, quod acquireret ex dimissione, consulunt tamen dimittenti irritando illam dimissionem, ita in casu præsenti, quamuis tam constituens, quam ille, in cuius fauorem facta est constitutio peccant per illam fraudulentam pactionem, iura, ne promotus teneatur mendicare, vel compellere Episcopum deceptum ad erroganda illi alimenta, eidem consulunt obligando constituentem, & quodamodo illam pactionem infringendo.

Quomodo illi fructus ipsi competant cū etiā ipse fuerit in dolo.

ARTICVLVS XXXI.

An, qui non ministrarunt in ordinibus susceptis, sint repellendi à superioribus ordinibus suscipiendis.

SVMMARIVM.

Refertur in hoc dispositio Concil. Trid. 1.
Rationes suadentes illam omissionem exercitij ordinum susceptorum esse grauitèr peccaminosam. 2.
Probabilius non est grauitèr peccaminosa. 3.
Nec ordinans, nec ordinatus, contrahit aliquam censuram. 4.
Episcopus potest dispensare super illo non vsu. 5.

1 Concilium *Trid. sess. 23. de reformatione cap. 11. 13. 14. 16., & 17.* inculcat exercitium ordinum susceptorum, vt ad altiores promoueatur, vt legenti fit manifestum. Circa hoc onus munera suscepta exercendi plures in præsenti insurgunt difficultates, quarum prima est, an, si quis sine exercitio præcedentium ordinum promoueatur ad superiores, tam ipse, quam promouens contrahat aliquam culpam, & quamnam. Secunda, an contrahant aliquam censuram, & quamnam. Tertia, an in hoc possit Episcopus dispensare.

Dispositio Concil. Trid.

In ordine ad primam, cum ordo sit propter vsum eiusdem, & Concilium talem vsum inculcet, antequam quis ad superiorem ordinem promoueatur, videtur omissio eiusdem vsus peccaminosa, & quidem grauitèr, & non solum respectu ordinati, sed etiam ordinantis potissimum cum ex tali non vsu possint oriri inordinationes in functionibus susceptorum ordinum superiorum. Nihilominus *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 10. de imped. ex defectu cap. 7. num. 3.* sentit talem omissionem non esse peccaminosam saltem grauitèr existimans verba Concilij non esse præceptiua, sed solum consultiua, cuius opinioni libentius subscribo potissimum cum talis omissio non sit in re graui, vndè passim Ecclesia concedit, quod omnes ordines minores eadem die suscipiantur, & etiam tres ordines maiores tribus diebus festis successiuis, in quibus casibus nequit esse exercitium ordinis vnius ante susceptionem alterius; neque arbitrandum est, hoc esse ex dispensatione Pontificis concedentis illam ordinationem tribus diebus festiuis, quia dispensatio non cadit supra omissionem exercitij præcedentium ordinum, sed super tempora à iure præscripta; Nec ex tali omissione sequi potest inordinatio talis, vt inferat culpam saltem grauem. 2 3

2 Ostenditur illā non vsū esse grauitèr peccaminosū.

3 Probabilius non est grauitèr peccaminosus.

In ordine ad secundam certum est, nec ordinatum, nec ordinantem ex hoc contrahere aliquam censuram, quia de hac nullibi reperitur dispositum in toto corpore iuris canonici, nec in Pontificijs Constitutionibus, nec in Conciliorum decretis; tum quia, vbi non est grauis culpa, nec potest esse grauis pæna, qualis est illa censurarum. 4

4 Nec ordinans, nec ordinatus, cōtrahit aliquā censurā.

In ordine ad tertium non videtur Episcopo deneganda hæc facultas dispensandi super illa omissione exercitij præcedentium ordinum, quia, sicuti potest dispensare super interstitijs interueniente aliqua causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiarum, & fortè etiam ex alia causa ipsi arbitraria, ita etiam potest dispensare super illa omissione, potissimum cum tempora interstitiorum fuerint præscripta ad effectum, vt intra illud tempus haberi possit exercitium ordinum antecedentèr perceptorum. 5

5 Episcopus potest in hoc dispensare.

QVÆSTIO IV.

De caussis formali, & finali Sacramenti Ordinis.

HAs duas causas coniungimus, quia re vera inter se coniunguntur, quamuis formalis dicatur intrinseca, finalis extrinseca; per ipsam etenim formam exprimitur finis, ad quam ordines diriguntur. Non diutiùs in vtraque immorandum, cum plura ad easdem pertinentia deduci possunt ex ijs, quę dicta sunt, dum de causa formali, & finali Sacramentorum in genere; plura dicentur infrà, dum de singulis ordinibus in particulari.

ARTICVLVS I.

Expediuntur omnia, quæ pertinent ad formam huius Sacramenti in genere.

SVMMARIVM.

Forma ordinum in communi sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur modo imperatiuo, cum expressione potestatis, quæ confertur. 1.

Cur forma debeat proferri modo imperatiuo. 2.

Inuocatio Sanctissimæ Trinitatis non est de essentia formæ. 3.

Non est necessaria simultas Physica in aliquo instanti inter materiam, & formam, sed sufficit moralis. 4.

Forma respectu plurium ordinandorum, potest proferri in numero plurali. 5.

An, & quomodo forma possit mutari remissiuè. 6.

1 *Definitio ordinum in cõmuni.* IN præcedentibus *quæst.* 1. *art.* 6. diximus formam huius Sacramenti esse verba, quæ proferuntur ab ordinante, dum per ipsum exhibetur materia tangenda. Hæc autem verba, licet in singulis ordinibus sint ab Ecclesia determinata, sunt tamen ex institutione Christi Domini, quatenus hic hoc Sacramentum instituit in signo sensibili apto significare potestatem, quæ confertur relinquens potestatem Ecclesiæ determinandi tum res, tum verba, quæ essent idonea tali significationi; vndè hæc forma ordinum in genere potest sic describi; sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur imperatiuo modo cum expressione potestatis, quæ confertur. Formæ verò singulorum ordinum in particulari exponentur, dum de eisdem.

Veritas huius descriptionis patet ex ijs, quæ dicta sunt de Sacramentis in genere, 2 vbi, quod omnia Sacramenta constent ex rebus tanquam materia, verbis tanquam forma. Dicitur, *imperatiuo modo,* ad differentiam aliorum Sacramentorum, in quibus forma non imperatiuo modo, sed solum enuntiatiuo, & consecratorio profertur. *Cur forma debeat proferri modo imperatiuo.* Ratio autem, propter quam in Sacramento Ordinis proferantur modo imperatiuo, duplex est. Prima, quia, cum ordo sit propter vsum, talis vsus imperari debet, ne potestas per ipsam collata otiosa, & frustranea videatur, prout notarunt *Homobonus tract.* 3. *de art. circa examen ad primam tonsuram, & minores ordines c.* 8. *quæst.* 71., *Henriquez lib.* 10. *cap.* 5. Secunda, quia, cum hæc potestas, quæ confertur per ordines sit ordinata ad populum, & Christianam Rempublicam, in qua Sacerdos constituitur minister, & persona publica, debet conferri imperatiuo modo cum traditione materiæ, sicuti cum confertur in creatione eiusdem Regi, aut Principi potestas in ordine ad regimen, & administrationem Reipublicæ, confertur tali modo cum traditione sceptri, vel claui, prout notarunt *D. Thomas in tertia part. quæst.* 34. *art.* 4., *Henriquez in summa lib.* 10. *cap.* 5. *litt. B. in comment.*

Circa hanc formam plures hic insurgunt rationes dubitandi, quarum prima 3 est, an, cum in Concilio Florentino, & in Pontificali Romano formæ singulorum ordinum apponatur inuocatio Sanctissimę Trinitatis, hæc intelligatur esse de essentia formæ eiusdem, an saltem de præcepto, adeovt, si omittatur, inualidus sit ordo, vel saltem omittens contrahat culpam læthalem. *Inuocatio Sanctissimæ Trinitatis non est de essentia formæ.* Non esse de essentia statuunt communitèr Doctores signantèr *Homobonus loc. cit.*, *Henriquez lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 4, *Martinus Fornarius cap.* 2. *num.* 3., *Filliutius tract.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 3. *num.* 49., *Bonacina de Sacram. Ord. disp.* 8. *quæst. vnica punct.* 3. *prop.* 2. *num.* 14. ad differentiam Sacramenti Baptismatis, & Confirmationis in quibus est essentialis talis inuocatio, quia, cum Sanctissima Trinitas sit principium, & fundamentum nostræ Fidei, in Sacramento, quo initiamur ad eandem fidem, idem fundamentum debet exprimi, quod non est necesse in alijs Sacramentis, in quibus iam supponimur initiati, & habere expressum signum Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis.

Secunda est, an, & qualis requiratur simultas inter hanc formam, & materiam appli-

applicatam in collatione ordinis. Caietanus, & alij nonnulli ad validam collationem eiusdem requirunt simultatem Physicam saltem in aliqua parte inter materiam, & formam, adeovt, si ponatur prolatio verborum ante, vel post contactum nullo modo subsistat Sacramentum. Veriùs tamen est, requiri quidem simultatem, non tamen Matematicam, sed moralem. In hoc consentiunt *Valentia tom. 4. disp. 9. quæst. 1. punct. 5.*, *Emanuel Sà verb. ordo num. 5.*, *Didacus Nugnus quæst. 34. art. 5. difficult. 2.*, *Homobonus d. tract. 3. de art. circa examen ad primam tonsuram, & minor. ord. cap. 8. quæst. 71.*, *Bonacina de Sacram. ord. disp. 8. quæst. vnica punct. 3. prop. prima num. 12.* Ratio ex eo deducitur, quia nec ex vi Sacramenti, nec ex proprietate formæ requiritur simultas Matematica, nec Physica; non ex vi Sacramenti, quia, cum hoc sit complexum morale, contentum est morali partium coexistentia; non ex vi formæ, cum respectu eiusdem æquè verificetur siue contactus fiat immediatè ante, siue immediatè post prolationem verborum, cum regularitèr prius quis dicat. Accipe hanc rem, antequam alter accipiat in effectu, & licet non videatur verificari propositio, quando iam immediatè ante attacta re quis dicit. Accipe hanc rem, nihilominus sumpta latitudine, & significatione morali aptè verificatur. Sed de veritate huius nostri asserti clariùs constabit ex sequenti difficultate.

4 *Sufficit simultas moralis inter materiã & formam.*

Tertia est, an plures possint simul ordinari concepta ab Episcopo forma in numero plurali. *Accipite potestatem &c.* Conueniunt omnes, quod possint, cum nil deficiat, ex quo oriri possit inualida, vel inordinata ordinatio; est etenim debita forma, & materia, intentio ordinantis, & ordinati, & congrua, & sufficiens applicatio, nec est aliquod ius, quod limitet, & restringat potestatem ordinandi vnum post alium. Sed, an in hac hypothesi requiratur, quod omnes ordinandi tangant simul materiam Episcopo proferente formam? Sentiendum est sufficere, quod alij tangant immediatè, postquam primi tetigerint *Marchinus de ordine tract. 1. part. 1. cap. 16. num. 13.*, *Martinus Fornarius in addit. ad Toletum de Sacramento Ord. cap. 2.*, qui etiam testatur ita fuisse Romæ decisum in quadam Congregatione. Ratio ex eo desumitur, quia non videtur talis interruptio, quæ dirimat simultatem moralem ad hoc requisitam.

5 *Forma respectu plurium ordinandorum potest concipi in numero plurali.*

Quarta est, an forma Sacramenti Ordinis admittere possit aliquam mutationem, & quamnam. Ex eo, quod determinatio talis formæ ex superiùs dictis relicta fuerit Ecclesiæ, certum videtur, quod ab eadem Ecclesia possit mutari seruata tamen aptitudine ad indicandam potestatem, quæ confertur. Sed, an possit per priuatos Episcopos induci talis mutatio videnda sunt, quæ diximus de *Sacramentis in genere quæst. 2. art. 5. per totum*, non enim vacat ea repetere.

6 *An, & quomodo forma possit mutari remissiuè.*

ARTICVLVS II.

De causa finali Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

Finis præcipuus ordinum est deputatio dignorum ministrorum cum potestate debita. 1.
Eliditur error Lutheri volentis per Baptismum omnes deputari ministros Sacramenti. 2.
Eliditur error aliorum hæreticorum. 3.

IN vnaquaque benè directa, & ordinata Republica publici deputantur ministri, & auctoritate publica, qui regimen, & administrationem eiusdem habeant, publicaque ministeria exerceant. Hac ministrorum deputatione destitui non debuit Ecclesiastica Respublica, quæ sicuti cæteris præcellit dignitate, ita omnibus debet præferri in electione ad spirituale, & publicum ministerium.

Est igitur finis primarius Sacramenti Ordinis constituere dignos Dei ministros cum potestate debita ad sacrificium Missæ celebrandum, vel illi ritè ministrandum. Hic finis potissimum elucet ex ipsa ordinis definitione, qua dicitur signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas ordinato confertur; per hanc enim potestatem fit deputatio eorum in ministros Ecclesiæ ad ea munera, quæ cæteris non competunt. 1 *Assignatur præcipuus finis.*

Hinc eliditur error Martini Lutheri, quo asseruit, quemcunque Christianum, ac etiam mulierem esse ministrum Sacramenti pœnitentiæ, ac æquè ac Papam posse à peccatis absoluere; cum etenim requiratur specialis Ecclesiæ deputatio, quæ fit per ordinis collationem, sine eadem non potest esse legitimus minister, vndè *Concil. Trident. sess. 4. can. 10.* hanc Lutheri assertionem meritò damnauit. 2 *Eliditur error Martini Lutheri.*

Eliditur secundò hæresis eiusdem Lutheri, & aliorum, qui docuerunt omnes homines Christianos esse Sacerdotes nulla posita differẽtia etiam inter sexum; frustranea etenim esset deputatio per collationem ordinis, si per solam Baptismi susceptionem quicunque constituerentur ministri Ecclesiæ ad conficiendam Eucharistiam, & Sacerdotes. Ex multis capitibus conuincitur hic error; primò ex eo, quod 3 *Eliditur error aliorum hæreticorum.*

quod nemine disceptante Sacerdotium Euangelicum dignius est legali; legale autem non ita commune erat, vt omnibus conueniret, vt legitur *Exod. 28., & num. 4.*, vbi Tribus Leuitica specialitèr electa erat ad ministerium, & adeo adamussim hic ordo seruatus erat, vt, si quis tale ministerium sibi vsurparet, grauibus pœnis afficeretur, vndè *num. 16.* Chore, & Abiron absorti sunt viui à terra, quia functi sunt Officio Sacerdotis, *& 2. Regum 6.* Ozias Rex a lepra percussus est, quia sibi vsurpauit munus Sacerdotis offerens incensum supra Altare, ergo multominus, vtpotè dignius debet Sacerdotium Euangelicum esse cōmune omnibus baptizatis, vt impiè latrat Lutherus, sed debet esse speciale ijs, qui per Ecclesiam ministerio sacrorum ordinum ad hoc munus deputantur. Secundò conuincitur ex prima Epistola Apostoli *ad Timotheum 4.*, vbi hic ordinatus fuit à Paulo per manuū impositionem, *& ad Titum 1.*, vbi idem Titus relictus est ab Apostolo Cretæ, vt ibi Presbiteros constitueret; inanitèr autem ad hoc munus ibi eum reliquisset, si omnes baptizati essent Presbiteri, & Sacerdotes. Tertiò idem error damnatus fuit *in Concilio Laodiceo anno salutis 364.*, quod deindè receptum fuit *in sexta Sinodo vniuersali in Trullo.* Item *in Concil. Cartaginensi 4. cap. 3. 4., & 5.*, vbi ordinauit Presbiteros, Diaconos, & Subdiaconos ordinari debere per benedictionem, & manuum impositionem Episcopi. Item *in Concil. Lateranensi sub Innocentio III., & Ottone IV. Roman. Imper. anno salutis* 1215. celebrato, in quo definitum fuit illos solum esse Sacerdotes, qui ritè ab Episcopis iuxta sanctiones Ecclesiasticas ordinati sunt. Tandem *in Concil. Trid. sess. 7. can. 10.*, vbi sic legitur. *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

QVÆSTIO V.

De effectibus Sacramenti Ordinis.

COmplementum Sacramento Ordinis in communi apponimus per indaginem effectuum eiusdem, ordo etenim in doctrina seruandus est, quem seruant res ipsæ inter se. Sicuti autem causæ quæcunque illæ sint præcedunt suos effectus, ita cognitio earundem debet ordinatè procedendo præcedere cognitionem eorundem effectuum. Consideratis igitur omnibus causis tum intrinsecis, tum extrinsecis Sacramenti Ordinis, eiusdem effectus veniunt considerandi, qui duo communitèr assignantur, tanquam principaliores, nempè gratia, & caracther, ad quos subsequuntur alij tanquam minus principales, de quibus infrà.

ARTICVLVS I.

De primo effectu Sacramenti Ordinis nempè gratia.

SVMMARIVM.

Fide nostra sanctum est omnia Sacramenta gratiam conferre, vbi non est obex. 1.
Plura quoad causalitatem gratiæ remissiuè. 2.
Per quid differat gratia Sacramentalis, quæ confertur in collatione ordinum à non Sacramentali. 3.
Explicatur modus, quo differunt. 4.
Non importat habitum distinctum. 5.
Ordines ad inuicem comparati, probabilius est, quod causent gratiam intensiuè inæqualem. 6.
Vnusquisque ordo comparatiuè ad subiecta, quantum est ex se, æqualem gratiam causat. 7.
Vbi nulla est dispositio in subiectis, ibi æqualis, & modica gratia producitur. 8.
Vbi æqualis dispositio, æqualis gratia. 9.
Ordines secundum se habent vim producendi gratiam illimitatam, de facto tamen producunt limitatè. 10.
Gratia, quam causant ordines, non est quoad quantitatem certò determinabilis. 11.
Est maior, vel minor, prout subiectum est magis, vel minus dispositum. 12.

Excessus

Excessus gratiæ in subiecto magis disposito non est ex opere operantis, & quare. 13.
Explicatur Concil. Trid. sess. 6. cap. 7., *vt conferens ad rem nostram.* 14.
Nulla existente dispositione in subiecto, dummodò non sit indispositio culpabilis ordo causat gratiam, sed minimam. 15.

INdubitatum est apud Catholicos, omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam, nisi in suscipiente inueniant obicem eidem gratiæ obsistentem. Hoc definitũ est *in Conc. Trid. sess. 7. can. 7.* Ibi- *Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit*, quod idem repetitur *ibidem can. 8. Si quis dixerit per ipsa nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem*

1 *Sacramenta omnia conferũt gratiam* *Diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere anathema sit*. Hoc effectu communi omnibus Sacramentis priuari Sacramentum Ordinis nulla ratio suadet, nullum ius euincit. Supposita igitur virtuté huius Sacramenti ad causandam infallibiliter gratiam, secernentes quodammodo ea, quæ communia sunt omnibus Sacramentis, & de quibus latissimè egimus, dum de *Sacramentis in genere quæst. 6. ferè per totum*, inquirimus primò, qualis sit ista gratia, quæ confertur per Sacramentum Ordinis, & ad quem effectum detur. Secundò, an hæc sit æqualis in omnibus. Tertiò, an producatur in determinata quantitate, & quanam.

2 *Plura de causalitate gratiæ remissiuè.* Non agemus hic, an hoc Sacramentum causet gratiam tantum moralitèr, an verò etiam Physicè, cum hoc deduci possit ex ijs, quæ tradidimus, dum *de Sacramentis in genere quæst. 6. art. 4.*, nec item de tempore, quo eandem causant, & an se totis cum *ibidem art. 5.* de hoc egerimus, nec item, an habeat vim causandi primam gratiam, si non per se, saltem per accidens, cum hoc examinauerimus *ibidem art. 6.* Restringimur igitur ad tria enunciata capita. Pro quibus sit

3 *Quomodo gratia Sacramentalis differat à non Sacramentali.* Assertio I. Gratia Sacramentalis, quæ confertur in susceptione ordinum non differt à non Sacramentali nisi in eo, quod illa importat quoddam complexum ex gratia iustificante, & iure ad actualia auxilia ordinata ad speciales effectus, & ad munera iusta obeunda, quorum potestas confertur per ipsum ordinem, qui suscipitur. Consentiunt in hoc *Madernus tract. 2. de Sacram. in genere quæst. 3. art. 7. num. 4., Catheranus tract. 8. de Sacramentis in genere cap. 4. §. 5. num. 87. & alij Neoterici communitèr.*

Facilè hoc assertum euincitur ex fine institutionis huius Sacramenti, qui ordinatur ad munera Sacerdotalia obeunda ritè, & iuxta sanctiones in hoc genere præscriptas, ergo Deus Optimus Maximus debuit eidem vim quandam singularem conferre, per quam illud Sacramentum suscipiens posset illa munera sanctè, honestè, & cum effectu exercere, qui etenim intendit finẽ debet media congruentia ad eundẽ finem consequendum conferre; sine specialibus autem auxilijs non videntur munera Sacerdotio annexa posse ritu, fructuosè, & cum effectu peragi, ergo Deus gratiæ, quæ in ordinis susceptione infunditur, debuit ius ad eadem specialia auxilia talibus muneribus proportionata infundere. Hinc *D. Thomas tertia part. q. 62. art. 2. in corpore* tradidit, *quod sicuti virtutes, & dona addunt super gratiam communitèr dictam quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia Sacramentalis addit super gratiam communitèr dictam, & super virtutes, & dona quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.* 4 *Explicatur modus, quo differunt.*

Neque hic arbitrandum est, D. Thomam voluisse per illam comparationem virtutum ad gratiam communitèr dictam cum gratia non Sacramentali ad Sacramentalem, quod, sicuti virtutes important habitum distinctum a gratia simplicitèr sumpta, ita gratia Sacramentalis importat habitum distinctum a non Sacramentali; Non, inquam, hoc arbitrandum est, quia D. Thomas ibidem, vt notant Thomistæ acerrimi ipsius sectatores per illam comparationem voluit solum inferre, quod, sicuti dona, & virtutes addunt aliquod supra gratiam communitèr dictam, ita Sacramentalis gratia aliquid addat supra non Sacramentalem. Quid autem sit hoc, quod additur supra non Sacramentalem, eius mentem explicantes Thomistæ asserunt esse quandam modificationem gratiæ habitualis consistentem in impressione quadam, & permanenti confortatione ex passione Christi deriuata. 5 *Non importat tamen habitum distinctum.*

Secundum caput ad duo referri potest; alterum comparando ordines inter se, an scilicet omnes ordines æqualem gratiam conferant tantam v. g. ordo Ostiariatus, quantam ordo Acolitatus, tantam ordo Acolitatus, quantam Subdiaconatus, an verò inæqualem, adeo vt, quo ordo fuerit maior, eo maiorem gratiam conferat; alterum comparando vnumquemque ordinem ad subiectum, adeo vt quilibet ordo in vno quoque subiecto æqualem, vel inæqualem gratiam conferat v. g. ordo Sacerdotalis in quocunq; subiecto recipiatur, semper æqualem causet, vel inæqualẽ.

6 *Inter se ordines cõparati causant gratiam inæqualem.*

Assertio II. Ordines adinuicem comparati iuxta primum sensum mox expositum, probabilius est, quod causent gratiam intensiuè inæqualem, adeo vt quo ordo est perfectior, eo maiorem gratiam conferat. Dixi *intensiuè*, nam quoad perfectionem substantialem, & entitatiuam certum est ex supradictis, quod conferant gratiam inæqualem; cum etenim instituti sunt in ordine ad diuersa munera, conferunt etiam gratiam cum iure ad diuersa auxilia. Consentit in hoc *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere cap. 4. §. 7. nu. 118.*, qui, quamuis loquatur de Sacramentis comparando eadem inter se, ex paritate tamen rationis trahi potest ad ordines per illorum comparationem inter se.

Ratio ex eo deducitur, quod denegari non possit, quin vnus ordo sit alio perfectior, Sacerdotalis scilicet Diaconali, Diaconalis Subdiaconali, & sic de cæteris, ergo neque rationabilitèr denegari potest, quin vnus sit efficacior altero quoad intensiorem effectum sic exigente rerum natura, & ordine, vt perfectioribus causis correspondeat perfectior effectus. Argumenta, quæ contra hanc assertionem afferri possunt, eorumque solutionem vide *in tract. de Sacramentis in genere quæst. 6. art. 8. assert. 1. vsque ad assertionem secundam*; non enim vacat eadem hic repetere.

7 *Vnusquisque ordo, quantũ est ex se in subiecto gratiam æqualẽ causat.*

Assertio III. Vnusquisque ordo comparatiuè ad subiecta, quantum est ex se æqualem gratiam ex opere operato causat. Dixi *quantum est de se*; non etenim negauerim, quod, si subiecta fuerint inæqualitèr disposita, inæqualis gratia eisdem conferatur iuxta maiorem, vel minorem ipsorum dispositionem. Stat igitur assertio in hoc, quod, si in subiectis, in quibus recipitur ordo, nulla adsit dispositio, æqualis gratia eisdem sine differentia conferatur, vel si sit in eisdem æqualis dispositio, etiam æqualis in ipsis gratia producatur. Consentiunt *D. Thomas tertia parte quæst. 69. art. 8., Suarez disp. 7. quæst. 5., Lugus disp. 9. sect. 2., Amicus disp. 4. sect. 6., Modernus tract. 2. de Sacrament. in genere quæst. 3. art. 9., Cacheranus tract. 8. de Sacrament. in genere cap. 4. §. 7. num. 122., & seqq.*

Ratio ex eo deducitur, quod æqualibus causis in virtute, & efficacia debet correspondere æqualis effectus, nisi aliquid resistat earundem efficaciæ, vel quid eandem adaugeat, ergo ordinibus æqualibus tum in perfectione substantiali, tum in virtute intensiua debet correspondere æqualis gratia, nisi aliquid sit, quod ex parte subiecti assistat, vel resistat, ergo considerando eosdem ordines secundum se, & quantum est ex virtute ipsorum semper æqualem gratiam producent.

Hinc infertur primò, quod, si nulla fuerit dispositio in subiectis, in quibus ordo recipitur, cum tunc non considerari possit, nisi virtus, & efficacia causæ, nihilque, quod resistat, vel assistat, nonnisi gratia, quæ ex sola ordinis efficacia dependet, producatur, & cum efficacia in ordine secundum se sit æqualis, nonnisi æqualis producatur. Aduerte hic tamen, quod nomine nullius dispositionis in subiectis intelligimus solam carentiam dispositionum positiuarum, non indispositionem, quæ consistat in aliquo obice positiuo resistente gratiæ, nam existente tali indispositione nulla penitùs gratia conferretur. 8 *Vbi nulla est dispositio in subiecto in eisdem gratia æqualis, & modica causatur.*

Infertur secundò, quod, si subiecta fuerint æqualitèr disposita, tunc etiam in eisdem æqualis gratia producatur; nam non esset aliqua ratio, ob quam inæqualitas posset prouenire; non ex ipso ordine collato, cum æqualis efficacia secundum se eidem ex vi propriæ institutionis in ipso insit, non ex dispositione subiecti, cum eadem tum in gradibus, tum in intensione supponatur. 9 *Vbi æqualis dispositio æqualis gratia.*

Tertium caput ad plura referri potest; & primo ad ipsos ordines secundum se, an scilicet habeant producere gratiam determinatam etiam in intensione, an verò illimitatam, & infinitam. Secundò ad ipsa subiecta, an scilicet ratione ipsorum gratia limitetur, & determinetur. Tertiò ad dispositiones, an scilicet ex eisdem limitetur, vel extendatur.

Assertio IV. Ordines secundum se habent vim producendi gratiam illimitate, de facto tamen non producunt, nisi limitatè. In hoc arbitror omnes consentire.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod Sacramentum Ordinis, sicuti cætera Sacramenta habent efficaciam, & virtutem ex meritis, & passione Christi Domini; sed merita, & passio Christi Domini sunt infinitæ efficaciæ, & valoris, ergo & Sacramenta, quantum est ex se sunt infiniti valoris, & efficaciæ. Confirmatur, quia ex infra dicendis Sacramentum hoc sicuti cætera in se ipsis non habent aliquam virtutis limitationem, & semper causant maiorem, & maiorem gratiam, prout inueniunt subiectum magis, & magis dispositum ad illam recipiendam, ergo, si subiectum esset infinitè dispositum, gratiam infinitam producerent, ergo quantum est ex se possunt illimitate illam causare. 10 *Habent vim illimitatã, producunt tamen limitatè.*

Ratio secundæ partis est, quia de facto Sacramenta non causant gratiam, nisi in

su-

subiecto disposito, & ad normam dispositionis eiusdem, ergo, cum subiectum,& dispositio sit limitatum, seu limitata non producunt de facto, nisi effectum, seu gratiam limitatam.

11 Assertio V. Gratia, quam causat Sacramentum Ordinis, non potest certò determinari, est tamen maior, vel minor iuxta quod subiectum est magis, vel minus dispositum. In hoc consentit *Cachetamus tract. 8. de Sacramentis in genere cap. 4. §. 7. num. 116. assert. 1., & num. 128. assert. 4.*

Quantitas gratiæ non est certo determinabilis.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod assignare determinatè, quanta sit gratia habitualis, quam ordo producit, est assignare, quantus sit gradus eiusdem, quem quis consequitur ex susceptione eiusdem; hoc autem haberi non potest, cum pendeat ex libera determinatione Dei, & Christi institutoris; Hæc autem libera Dei, & Christi determinatio, qualis, & quanta sit, nobis, nec ex ratione, nec ex reuelatione, nec ex aliqua traditione, nec ex sufficienti auctoritate constat, ergo &c.

12 Ratio secundæ partis ex eo desumitur, quod non sit reprehensibile, immò rationi valdè accomodum, quod seruetur saltem quædam analogica proportio inter ordinem naturalem, & supernaturalem, sed in ordine naturali subiectum, quo magis est dispositum magis recipit de effectu agentis naturalis, vt exemplificat *D. Thomas tertia parte quæst. 69. art. 8. in corpore*, de subiecto igne applicato, quod magis recipit de calore, quo plus igni sit proximum, ergo in ordine supernaturali, quo magis subiectum erit dispositum plus de gratia recipiet Sacramenti; Neque dicas primo, non currere quoad præsentem effectum paritatem, seu proportionem de ordine naturali, & supernaturali signantèr in allato exemplo de igne, quandoquidem approximatio est mera conditio, non ratio agendi, quæ in solo igne consideratur; dispositio autem recipientis Sacramentum Ordinis est cooperatio, vndè ille maior effectus non videtur esse ex efficacia Sacramenti, sed ex cooperatione eiusdem subiecti; Secundò, quod ille excessus gratiæ ex maiori dispositione subiecti non esset ex opere operato, sed ex opere operantis, quod sic euincitur. Demus, quo duo accedant ad ordinem Subdiaconatus, alter cum dispositione, vt sex, alter tantum cum dispositione, vt quatuor, & quod primus consequatur gratiam, vt sex, secundus tantum, vt quatuor, & tunc peto, an illi duo gradus gratiæ, quos acquirit primus supra quatuor, quos acquirit secundus, acquirantur virtute, & efficacia dispositionis, vel virtute, & efficacia ordinis suscepti; si primum affirmes, iam fateberis dispositionem subiecti esse actiuam, & in hoc differre à mera applicatione subiecti ad ignem, quæ est mera dispositio, & conditio, & vlteriùs conaberis dicere illos duos gradus esse præcisè ex opere operantis, cum opus operantis sit ipsa dispositio; si secundum asseras; iam teneberis fateri, quod efficacia, & virtus Sacramenti sit maior in vno, quam in alio; Contra enim impugnaberis, quia illa cooperatio, quam præstat subiectum suscipiens ordines est circa præparationem eiusdem subiecti, non circa efficientiam gratiæ, quod satis est, vt eadem dispositio dicatur cooperatio.

Maior, vel minor producitur iuxta, quod subiectum est magis, vel minus dispositū

13 *Euincitur quod excessus gratiæ in subiecto magis disposito non sit ex opere operantis.*

Ad illud, quod subditur, dico, illam maiorem gratiam, quæ causatur in subiecto magis disposito, esse ex opere operato, & ex virtute Sacramenti supposita maiori dispositione subiecti, quæ dispositio non se tenet ex parte principij operantis gratiam, sed ex parte principij præparantis subiectum. Res sic componitur. Ipsum Sacramentum, quantum est ex se, habet in actu primo virtutem, & efficaciam ad causandos non tot, quin plures gradus gratiæ, quod deindè in actu secundò in vno causet maiorem, in alio minorem effectum eiusdem gratiæ non est ex inæqualitate virtutis eiusdem Sacramentis, sed ex inæqualitate dispositionis in subiecto, vndè dici non potest, quod ille excessus in vno sit ex virtute maioris dispositionis tanquam causæ efficientis, sed ex virtute Sacramentis supposita illa maiori dispositione tanquam conditione ex Diuina institutione ad hoc requisita.

Satisfit rationi cōtrariæ

Instabis illa maior dispositio extra Sacramentum potest per modum efficientis causare iustificationem, vel augmentum eiusdem, in quo casu certè esset ex opere operantis, ergo etiam eadem potest causare in genere causæ efficientis augmentum gratiæ in Sacramento; non enim ex eo, quòd coniungatur cum Sacramento illa dispositio, amittit suam virtutem, & efficaciam. Sed contra; in primis videndum est, an illa dispositio sit talis, & in eo genere, in quo per se habeat producere gratiam, & iustificationem, cuiusmodi est perfecta contritio, & dilectio Dei super omnia, an verò non sit talis; si non sit talis, instantia nullam vim habet, cum talis dispositio extra Sacramentum non possit gratiam causare; si verò sit talis, tunc dico, quod adhuc possit duplicitèr considerari, vel in ratione meriti abstrahendo à Sacramento, vel præcisè in ratione dispositionis relatæ ad Sacramentum;

tum; iuxtà primum sensum, vtique habet rationem quodamodo efficientis respectu gratiæ, quæ prout illi sub hac ratione correspondet, est ex opere operantis; iuxta secundum sensum, cum sit in mera linea dispositionis præparantis subiectum, non habet rationem efficientis, adeoque gratia, quæ indè resultat, non est effectiuè ab eadem, sed à Sacramento, quæ propterea erit totalitèr ex opere operato.

Eadem secunda pars etiam euincitur ex dispositione *Concilij Trident. sess. 6. c. 7.*, vbi habet *Nos iustificari iustitiam recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cuiuscunque dispositionem, & cooperationem*; Neque dicas ex hac Concilij definitione nihil euinci quin potius contrarium statui; quandoquidem Concilium ibidem loquitur de duplici iustificatione; altera quæ fit extra Sacramentum per proprios actus iustificati, nempè per contritionem, & dilectionem Dei super omnia; altera, quæ fit per Sacramentum Baptismatis, & virtute eiusdem; ad primam refert illa verba, *secundum propriam cuiuscunque dispositionem, & cooperationem*; ad secundam illa alia, *secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis pro vt vult*, ex quo deducitur in Sacramento non dari maiorem, vel minorem gratiam iuxtà maiorem, vel minorem dispositionem, sed secundum voluntatem Spiritus Sancti, contra enim impugnaberis, quia licet ibidem Concilium loquatur de vtraque iustificatione, complectens tamen vtramque vno sermone dicit dari, & secundum mensuram, quam partitur Spiritus Sanctus, & secundum dispositionem vniuscuiusque, adeoque etiam, vt detur per Sacramentum, datur iuxtà normam eiusdem dispositionis, quæ determinat virtutem procedentem ex Sacramento in ordine ad effectum producendum, qui non potest esse, nisi ex opere operato; vndè *D. Damascenus lib. 4. c. 20.* ad rem nostram dicit. *Quamuis peccatorum remissio omnibus æque per Baptismum detur, Spiritus tamen gratiam pro Fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur.*

14 *Explicatur* Concil. Trid. sess. 6. cap. 7.

Hic pro complemento eorum, quæ actitata sunt in hoc articulo, remanet inquirendum, qualis, & quanta gratia producatur per Sacramentum Ordinis, quando in subiecto nulla adest dispositio, dummodò non adsit indispositio culpabilis; cum etenim tunc nullum sit determinatiuum non apparet, an debeat causare secundum totam efficaciam, quam habet in se ipso Sacramentum, an secundum aliquam limitationem, seu restrictionem, & a quo hæc habeatur. Non conferre secundum totam efficaciam, quam habet Sacramentum, est certò certiùs; cæteroqui esset melioris conditionis in consecutione gratiæ, qui non se disponeret ad illam, ac ille, qui intensioribus virtutum actibus se disponeret, quod certè absurdum maximum est, & rationi dissonum. Quamobrem dicendum est conferre quidem gratiam, sed valdè limitatam, & quidem minimam. Ratio ex eo deducitur, quod ex vna parte Sacramenta, vbi nullum inueniunt obicem, vtpote efficacia aliquam causalitatem debent exercere, cum sint causæ quodamodo necessariæ; ex alia parte, cum in hac hypothesi non habeant mensuram ex dispositione subiecti, debent eandem habere ex voluntate, & promissione Dei; cum autem voluntas Dei sit, vt Sacramenta gratiam ex opere operato conferant ad mensuram dispositionum, quæ sunt in subiecto, sicuti, vbi maior est dispositio, ibi maior, vbi minor dispositio, minor gratia conferatur, ex regulato ordine sequitur, quod vbi nulla est dispositio minima sit gratia conferenda, & non quidem nulla, ne Sacramentum suo frustretur effectu. Si autem quæratur quanta sit hæc minima gratia, quæ confertur subiecto nullam habenti dispositionem, non potest certò innotescere, cum de hoc fundamentum non habeamus, nec in sacris paginis, nec in ratione naturali, nec ex traditionibus &c.

15 *Nulla existēte dispositione causatur gratia, sed minima.*

ARTICVLVS II.

Explicatur, in quo consistat hæc causalitas Sacramenti ad gratiam.

SVMMARIVM.

Omnia Sacramenta nouæ legis causare gratiam ex opere operato est de fide. 1.

Sententia asserens causare gratiam, non ex virtute, quæ illis insit, sed quia Deus ex promissione ad illorum positionem gratiam producit. 2.

Alia sententia asserens non producere immediatè ipsam gratiam, sed qualitatem quandam, qua posita Deus eandem gratiam producit. 3.

Alia sententia asserens Deum qualitatem spiritualem fluentem in Sacramentis producere, qua posita ipsa Sacramenta gratiam causant. 4.

Omnes hæ sententiæ improbantur remissiuè. 5.

Probatur tam moralitèr, quam Physicè gratiam ex se producere remissiuè. 6.

Ad-

1 *Omnia Sacramenta nouæ legis causare gratiam ex opere operato est de fide.*

ADuersus Hæreticos asserentes, Sacramenta nouæ legis per se non causare gratiam, sed solum excitare fidem, per quam homines solummodò iustificantur, & gratiam recipiunt, prout signantèr peruersè senserunt *Lutherus lib. de captiuit. Babilon. in editione facta anno 21. art. 1., Phylippus Malecthon. in Apolog. edita anno 30. art. 13., Caluinus in antidot. Trident. sess. 7. can. 5., & Theodorus Beza lib. de summa rei Sacram. quæst. 2.* consentiunt communitèr Theologi Catholici Sacramenta nouæ legis ex opere operato conferre gratiam, prout manifestè euincitur tum ex sacris literis *prima ad Thimotheum* 4. signantèr de Sacramento Ordinis *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum*, & secunda ad eundem *Thimot.* 2. Ibi *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum* quos textus explicans *D. Augustinus quæst. 93. noui, & veteris testamenti* subdit *Inspiratio hæc gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis per quam commendatiores habeantur, vndè ait Apostolus. Noli negligere gratiam &c.*, tum ex *Concil. Trident. sess. 7. de Sacram. in genere can. 8.*, vbi signantèr damnatur error præcitatorum hæreticorum Ibi *Si quis dixerit nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, sed solum fidem Diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere anathema sit.*

2 *Refertur sententia Gulielmi Parisiensis.*

Quamuis autem, vt asserebam, Catholici conueniant in hoc; quod Sacramenta ex opere operato conferant gratiam, discrepant tamen in modo, quo eandem gratiam producant; nam *Gulielmus Parisiensis, D. Bonauentura, Gabriel, Riccardus, Durandus, & alij* apud *Marchinum tract. 1. de Sacrament. Ordinis in communi part. 3. de effectu Sacramento Ordinis cap. 1. num. 9.* asserunt Sacramenta gratiam producere, non quia in illis insit vis aliqua productiua, sed quatenus Deus ex sua promissione in ipsa Sacramentorum institutione ad ipsorum positionem gratiam ipsam in dignè sumentibus producat.

3 *Refertur sententia Alexādri de Ales.*

Alij, inter quos *Alexander de Ales. part. 4. summæ quæst. 5. memb. 3. art. 15., Paludanus in 4. dist. 1. quæst. 1.*, asserunt Sacramenta non immediatè ipsam gratiam producere, cum sit qualitas adeo eminens, vt à solo Deo immediatè possit produci, sed solum quandam qualitatem spiritualem subiectum disponentem ad gratiam recipiendam, qua qualitate posita Deus gratiam producit, & infundit, nec per hoc dici nequeant eadem Sacramenta gratiam ipsam non producere, ea proportionali ratione, qua homo dicitur hominem generare, quamuis animam non generet, quæ à solo Deo creatur per hoc præcisè, quod quasdam dispositiones ad animam rationalem producendam effectiuè producat.

4 *Sētētia nonnullorum Thomistarum.*

Alij, inter quos Thomistæ plurimi statuunt Deum quandam spiritualem qualitatem fluentem in Sacramentis producere, qua mediante ipsa Sacramenta physicè gratiam producunt.

5 *Confutantur omnes hæ sententiæ remissiuè.*

In his dicendi modis confutandis in præsenti non immoramur, cum de ijs latè egerimus *in quæst. de Sacramentis in genere*; & quidem primus modus dicendi confutatus fuit ibi *quæst. 6. art. 1. ferè per totum*; secundus dicendi modus etiam ibidem fuit reiectus, & latè *art. 2.*, vbi etiam confutauimus opinionem asserentem solum causare qualitatem illam spiritualem tanquam dispositionem ad recipiendam gratiam, quæ à solo Deo producitur, & etiam opinionem asserentem causare solum vnionem eiusdem gratiæ cum anima. Hæc omnia *locis cit.* recolite; non enim vacat hic repetere.

6 *Nostra sentētia refertur.*

His igitur dicendi modis reiectis nos statuimus in eisdem Sacramentis, & per consequens etiam in Sacramento Ordinis veram causalitatem moralem, & immediatam in ipsam gratiam *ibidem art. 3.*, vbi etiam in quo eadem consistat latè explicuimus, quinimmò etiam causalitatem physicam agnouimus, vt *ibidem art. 4. per totum*. Recolite, quæ ibi dicta sunt, vbi præter rationes euincentes huiusmodi causalitates tum moralem, tum physicam inuenire erit etiam resolutiones omnium argumentorum contrariorum.

ARTICVLVS III.

An in ordinibus, in quibus fit manuum impositio gratia infundatur in impositione manuum, an in materiæ traditione.

SVMMARIVM.

Sententia asserens manuum impositionem in Diaconatu, & Sacerdotio esse veram materiam horum ordinum. 1.

Sententia asserens esse dumtaxat partem integrantem. 2.

Materia primaria est res, quæ traditur; dum forma applicatur; manuum verò impositio est solum pars integrans. 3.

Gratia infunditur non in manuum impositione, sed in vltimo instanti prolationis formæ, dum applicatur materiæ. 4.

Confutatur Marchinus asserens caractherem imprimi in traditione materiæ cum forma, gratiam verò in manuum impositione. 5.

Quando

Quando non adest obex gratia, & caracther simul imprimuntur. 6.
Respondetur ad obiectum desumptum ex Apostolo secunda ad Thimoth. 2., & prima ad Thimot. 4. 7.
Explicatur in quo sensu accipienda sint verba, quæ proferuntur in impositione manuum. 8.
Illa verba non proferuntur inutilitèr, & quare. 9.
Soluitur obiectum desumptum ex actione Apostolorum. 10.

1 *Sententia asserens manuū impositionem esse veram materiam.* HÆc difficultas potissimum dependet ab illa quæstione, an materia primaria in huiusmodi ordinibus sit manuum impositio facta per ordinantem, an verò res illa, quæ porrigitur ordinando, dum forma profertur. *Marchinus tract. 1. de Sacrament. Ord. in communi part. 3. de effect. Sacrament. Ord. cap. 3. num. 6.*, sentit manuum impositionem esse veram materiam in Diaconatu, & Presbiteratu, & librum Euangeliorum in Diaconatu, & Calicem cum Patena plenū esse dumtaxat materiam secundariam, non primariam.

2 *Sententia asserens hanc esse dumtaxat partem integrantē.* Alij è contra, & præcipuè Neoterici statuunt materiam primariam esse rem illam, quæ porrigitur per ordinantem, dum forma profertur; impositionem verò manuū non esse partem essentialem, sed substantialem; atque isti quoad tempus, quo infunditur gratia sunt diuisi in duas classes; alij dicunt hanc infundi in vltimo instanti prolationis formæ, quando materia porrigitur, nempè liber Euangeliorum in Diaconatu, & Calix cum Patena, & Hostia in Sacerdotio, & ea ratione mouentur, quia posita causa necessaria in suo esse essentiali, non potest non sequi effectus, & sic posita materia, & forma Sacramenti, non potest non sequi effectus Sacramenti; Alij verò sentiunt non infundi, nisi in impositione manuum, quamuis asserant hanc non esse partem essentialem, sed tantum substantialem, & integrantem, & eo modo procedunt, quo in confectione Eucharistiæ, quam asserunt consistere in sola consecratione, & sumptionem esse tantum partem substantialem, & integrantem, & tamen dicunt grâtiam non produci, nisi in ipsa sumptione.

3 *Est solū pars integrans.* Ego absolutè duo assero. Primum materiam primariam Sacramenti Ordinis esse rem, quæ porrigitur, dum forma applicatur, & tunc essentialitèr ordinem perfici, & impositionem manuum esse solummodò partem substantialem, & integrantem; Alterum, gratiam non infundi immediatè post manuum impositionem, sed in vltimo instanti prolationis formæ, dum applicatur materia.

Primum ex eo euincitur, quod illa dicitur materia primaria Sacramenti, quæ simul applicatur cum forma substantiali eiusdem, sed liber Euangeliorum applicatur, quando proferuntur illa verba. *Accipe potestatem legendi Euangelium &c.*, quæ sunt forma substantialis eiusdem (idem dic de Patena cum Hostia, & de Calice in ordine Sacerdotij,) ergo liber Euangeliorum in ordine Diaconatus, & Patena cum Hostia, & Calice erunt materia primaria, ille eiusdem ordinis Diaconatus, ista ordinis Sacerdotalis; & sic impositio manuum erit ad summum pars substantialis, & integralis. In hanc nostram assertionem propendet *Homobonus de bonis tract. 4. de articulis circa exam. ad Diaconatum cap. 7. quæst. 61.*, qui licet ibidem dicat Diaconos ordinari propriè per traditionem libri Euangeliorum simul cum manus impositione, hoc tamen secundum intelligendum est relatè ad integritatem substantialem, non ad essentiam, cum antecedentèr dixerit in responsione ad quæsitum materiam esse Euangeliorum librum, formam verò verba ab Episcopo prolata. *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei tam pro viuis, quam pro defunctis.* *Forma, & materia debent simul applicari.*

Confirmatur, quia liber Epistolarum est materia essentialis, & primaria ordinis Subdiaconatus nulla interueniente manuum impositione, ergo liber Euangeliorum, & Patena cum Hostia, & Calix cum vino erit materia primaria, & essentialis, ille ordinis Diaconatus, ista Presbiteratus sine alio; quod, si in huiusmodi ordinibus interueniat manus Episcopalis impositio, hoc est non ad essentialitèr constituendos huiusmodi ordines, sed ad significandam plenitudinem gratiæ, quæ per eosdem confertur. Si autem quæratur, cur adhibeatur hæc manuum impositio in Diaconatu, & Sacerdotio, si non sit de essentia eorundem, non autem in ordine Subdiaconatus cum etiam hic sit inter ordines maiores, & sacros; tunc dicam, quod, cum omnes ordines dirigantur ad Missæ Sacrificium, tanquam ad vltimatum finem, & complementum omnium, in ijs debuit exprimi gratiæ plenitudo, cum isti proximiùs, & immediatiùs deseruiant eidem sacrificio, & quia in istis plenior conceditur facultas ad sublimiora munera, quæ exigunt pleniorem gratiam cum iure ad efficaciora auxilia supernaturalia, quæ plenior gratia explicatur per illam manuum Episcopalium impositionem. *Rationes suadentes assertum.*

Secundum ex eo euincitur, quia positis omnibus essentialitèr requisitis ad subsistentiam ordinis non est cur non debeat

esse

esse immediatè effectus eiusdem ordinis, sed posita prolatione formæ cum applicatione materiæ intelligitur essentialitèr ordo subsistere, ergo non est, cur immediatè non debeat consequi effectus. Maior patet, quia causæ necessariæ, cuiusmodi sunt Sacramenta eo ipso, quo existunt cum applicatione subiecti naturalitèr suos effectus producunt. Minor etiam euincitur ex mox dictis addito etiam, quod regularitèr Sacramenta suos effectus producunt in prolatione vltimæ sillabæ formæ substantialis, cum tunc habeant complementum substantialis significationis.

4 *Gratia non infunditur in impositione manuū, sed in vltimo instante prolationis formæ.*

5 *Confutatur opinio Marchini.*

Hic non possum acquiescere *Marchino tract. 1. de Sacramento Ord. in communi part. 3. de effect. Sacramenti Ordinis cap. 2. num. 6.* asserenti materiam primariam Sacramenti Ordinis Diaconatus, & Presbiteratus esse manuum impositionem, & librum Euangeliorum in Diaconatu, & Patenam cum Hostia, & Calicem cum Vino in Presbiteratu esse materiam secundariam, & vbi etiam dici posset librum Euangeliorum, & Patenam &c. esse materiam necessariam, & primariam caractherem imprimi in libri, & Patenæ &c. traditione, gratiam verò in manuum impositione. Non, inquam, possum acquiescere, quia incongruum omninò videtur, quod forma applicetur materiæ secundariæ, & non primariæ, cum etenim forma sit significatiua effectuum primariorum, tunc debet applicari, quando sunt partes primariæ, non consequentes, & secundariæ; cum igitur applicetur, quando exhibetur liber &c., & Patena &c. fateri debet Marchinus librum &c., & Patenam &c. esse materiam primariam.

6 *Quando non adest obex gratia, & caracther simul imprimuntur.*

Ad illud, quod subdit, in libri scilicet exhibitione cum prolatione formæ imprimi solummodò caractherem, & in impositione manuum gratiam sanctificantem, dico, continere maius absurdum; si etenim in illa exhibitione materiæ cum prolatione formæ est sufficientèr completus ordo, vt possit caractherem producere, cur non erit sufficientèr completus, vt possit gratiam conferre? Certè in eodem instanti, quo producitur caracther producitur etiam gratia cum hoc solum discrimine, quod caracther etiam imprimitur existente obice, non tamen gratia. Cæterum, vbi nullus obex existit, vterque effectus simul producitur. Deindè idem Marchinus sibi directè contradicit, dum *ead. part. 3. cap. 8.*, dicit in Diaconatu caractherem imprimi in manuum impositione.

Iam respondendum est ad aduersantium obiecta, quibus intendunt probare gratiam imprimi non prius, ac facta fuerit manuum impositio. Primum est desumptum ex verbis Apostoli supra relatis secunda *ad Thimoth. 2. Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum, & prima ad Thimoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbiteri.* Ad hoc respondeo, verba illa intelligi attenta consuetudine illorum temporum, pro quibus ordinationes non per libri traditionem, sed per manuum traditionem fiebant, vt adnotaui supra *quæst. 1. art. 6. vers. ratio dubitandi.* Pro quo aduerte, Christum Dominum instituisse quidem Sacramentum Ordinis 7 in signo sensibili apto ad significandam potestatem, quæ confertur, non tamen determinasse illud signum hoc est materiam, & formam, sed reliquisse Ecclesiæ determinandum; vndè pro varijs temporibus varia signa fuerunt ab Ecclesia assumpta ad talem significationem; vndè pro priscis illis temporibus vtebatur manuum impositionem; modo verò ex potestate eidem à Christo Domino concessa considerata maiori aptitudine instrumentorum, quibus vtitur, eadem pro materia determinauit, ex quibus non est hæsitandum, quin validè ordines essentialitèr constituantur; quod, si adhuc in ordine Diaconatus, & Presbiteratus retineat illam manuum impositionem, hoc est ad pleniùs, & perfectiùs explicandam plenitudinem gratiæ, non autem ad simplicitèr conferendam, & sic, quod tunc erat essentiale, modo factum est solummodò integrale.

Respondetur ad obiectum desumptū ex Apostolo.

8 *Explicantur verba, quæ proferūtur in impositione manuū.*

Secundum est, quod Episcopus, dum manus super caput Diaconi, vel Presbiteri imponit profert ea verba. *Accipe Spiritum Sanctum*, hoc est Spiritus Sancti gratiam, ergo tunc solum imprimitur gratia Sacramentalis eo modo, quo imprimebatur septem Diaconis, dum super illos Apostoli manus imponebant, & accipiebant Spiritum Sanctum. Ad hoc respondeo Episcopum imponentem manum dexteram super caput Diaconi, & ambas manus super caput Presbiteri, & dicentem super illum verba. *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius in Nomine Domini*, & super istum. *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*, indicare dona Spiritus Sancti, quæ in ordinatione quisque in suo ordine recipit, non quæ tunc præcisè recipiat, vndè respiciunt ea, quæ in tota illa actione fiunt, & facta sunt, cum quodamodo ponantur pro complemento

mento actionis. Dici etiam potest specialitèr quoad illa verba relata ad Sacerdotem significant specialia quædam dona in ordine ad munera obeunda in Corpus misticum Christi Domini in dimittendis, & retinendis peccatis.

9 *Illa verba non proferuntur inutilitèr, & quare.* Tertium est, quod, vel illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, vel efficiunt, quod significant, vel non; si non, ergo incongruè, & inutilitèr apponuntur, & proferuntur; si sic, ergo tunc conferunt gratiam sanctificantem. Ad hoc etiam respondeo, quod licet tunc non conferant gratiam sanctificantem, non tamen inutilitèr, & inanitèr proferuntur; tum quia inducta sunt ad expressè significandam gratiam, quæ in ordinatione confertur, quæ, cum expressè non fuerit indicata in exhibitione materiæ, & prolatione formæ, æquum fuit, vt indicaretur in aliqua ex actionibus, quæ in eadem ordinatione fiunt; tum quia quodamodo tunc conferunt ius ad aliqua auxilia in ordine ad remissionem, & detentionem peccatorum, vt iustè, & congruè fiat; Deindè argumentum retorqueo contra aduersarios. Quando in exhibitione materiæ profertur forma per illa verba, *Accipe potestatem &c.*, vel efficit, quod significat, vel non; si non, ergo est inutilis; si sic, ergo tunc confertur gratia; Quod, si dicas non esse inutilem, quia per ipsam confertur potestas in ordine ad munera illius ordinis; contra impugnaberis, quia gratia vnitim, & concomitantèr confertur cum ipsa potestate, & incongruum omninò videtur, quod ille ordo, vt speciale Sacramentum est conferat potestatem, & qua Sacramentum simul est, non conferat gratiam. Deindè communis sententia est, quod, si Episcopus post collatam potestatem in exhibitione materiæ cum prolatione formæ moriatur ante impositionem manuum, & prolationem illorum verborum. *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.*, qui accepit illam potestatem habeat ius in Corpus reale Christi Domini, licet non in misticum, vndè, vt possit à peccatis absoluere, indiget, vt ab alio Episcopo facultatem obtineat per impositionem manuum &c., incongruum autem videtur, quod acceperit ius in idem Corpus reale, & gratiam simul non acceperit.

10 *Soluitur obiectum desumptum ex actione Apostolorum.* Ad illud, quod subditur de Apostolis manus imponentibus super capita septem Diaconorum, qui tunc accipiebant Spiritum Sanctum, dicendum est tunc Apostolos eosdem non ordinasse in Diaconos, cum iam ordinati supponerentur, sed tunc pijs precibus ad Deum præmissis, *Orantes, & manus imponentes* impetrabant eandem gratiam, quæ conferebatur per illam manuum impositionem, vndè etiam legimus in sacris paginis, quod alijs à Diaconis Apostoli manus imponerent, & Spiritum Sanctum reciperent. Deindè, quando vellemus etiam admittere, quod tunc Apostoli Diaconos ordinarent, nil contra nos esset, quia tunc per solam manuum impositionem ordinationes fiebant, cum illa tunc esset ordinata tanquam signum indicantem potestatem &c. cum autem modo per Ecclesiam fuerit inductum aliud signum sensibile, tanquam aptiùs ad illam significationem, huic est insistendum, cui non est deneganda efficacia ad gratiam producendam.

ARTICVLVS IV.

An Sacramentum Ordinis ex opere operato peccata venialia remittat.

SVMMARIVM.

Videntur Baptismus, & Pænitentia solum ordinari ad remissionem peccatorum. 1.

Ex eo, quod alia Sacramenta conferant gratiam non benè infertur causare remissionem venialium. 2.

Valdè probabile est, quod ordo causet illam remissionem. Ibid.

Illa remissio non est præcisè ratione retractationis. 3.

Opinio Marchini asserentis in collatione ordinis infundi peculiarem habitum, cuius munus est mundare, & ornare animam. 4.

Sententia asserens ad positionem Sacramentorum venialia remitti ex Dei condonatione. 5.

Supposita præuia retractatione per Sacramentum Ordinis ex opere operato remittuntur venialia. 6.

Nec per martyrium, nec per professionem causatur remissio venialium ex opere operato. 7.

Hæc virtus remissiua venialium arguitur ex institutione, & excellentia Sacramentorum. 8.

Requiritur ad hoc atritio. 9.

Hæc virtus remissiua venialium supposita retractatione oritur ex quadam gratiæ modificatione. 10.

In quo consistat hæc gratia modificatio. 11.

Videntur solum ex Diuina dispositione duo Sacramenta esse ordinata ad remissionem peccatorum ex opere operato, nempè Baptismum, & Pænitentiam, reliqua præcisè ad augmentum gratiæ, licet aliqui, & quidem non incon-

congruè, statuant in ordine ad venialia, si non primario, saltem secundario competere etiam Extremæ Vnctioni moti ex illis verbis, quæ in forma eiusdem adhibentur. *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum &c.* Sed, an hæc virtus saltem de secundario competat alijs Sacramentis, & signantèr Sacramento Ordinis, non est ita certum apud Doctores.

1 *Baptismus, & pænitētia videntur solum ordinari ad remissionē*

Ex eo, quod alia Sacramenta à Baptismo, & Pænitentia ex opere operato conferant gratiam, seu augmentum eiusdem non benè infertur, quod etiam ex opere operato conferant remissionem peccatorum venialium, quandoquidem gratia non est incompatibilis cum venialibus. Quamobrem, vt rationabilitèr dicere possimus, quod eandem remissionem causent, debemus in eisdem Sacramentis assignare aliquam rationem, ex qua consurgat vis destructiua eorundem; nec solum possumus assignare retractationem eorundem venialium in suscipiente huiusmodi Sacramenta, seu atritionem, quia tunc talis remissio videretur potius esse ex opere operantis ex vi illius retractationis, quam ex opere operato ex vi Sacramenti, ea proportionali ratione, qua plurimi docent Sacramentalia non conferre remissionem venialium ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, quatenus mouent ad detestanda eadem venialia.

2 *Ex eo, quod alia Sacramenta causent gratiam nō sequitur, quod remittant venialia.*

3 *Non est precisè ratione retractationis.*

Ex alio capite, cum venialia ex vi præsentis prouidentiæ non remittantur per simplicem extrinsecam cōdonationem, sed per gratiam remissiuam, hic remanet inquirendum, qualis hæc debeat esse; non enim, vt asserebam, est gratia merè habitualis, & communis, cum hæc vtpotè non repugnans cum venialibus non sit eorum destructiua, &, an hæc producatur à Sacramentis, si ex opere operato hæc causent talem remissionem, & quomodo? *Marchinus tract. 1. de Sacrament. Ord. incommuni part. 3. de effect. Sacramenti Ordinis cap. 3. num. 17., & seqq.* asserit, produci quandam infusionem peculiaris habitus, qui à gratia habituali sit distinctus, & quam animæ iustæ ornamentum appellat, cuius munus est animam pulchriorem reddere, & ab obliquitate creaturæ ad rectitudinem Creatoris inclinare. Hunc habitum asserit esse oppositum eisdem venialibus, ratione cuius oppositionis hæc remittuntur. Sed quomodo hic habitus producatur à Sacramentis non explicat; nec ex sacris scripturis vllum vestigium apparet productionis eiusdem in Sacramentis.

4 *Quid senserit circa hoc Marchinus.*

Alij dicunt, quod, sicuti læthalia peccata non opponuntur physicè, & realitèr cum gratia habituali, sed dumtaxat demeritoriè, cum per Diuinam Omnipotentiam possint simul compati, & ideò non tollantur per oppositionem cum eadem gratia, sed quoad realem deformitatem sola Diuinæ voluntatis condonatione abstergantur; ita peccata venialia tollantur ad positionem Sacramentorum, & gratiæ habitualis ex eiusdem Diuinæ voluntatis condonatione. Quod, si dicatur, hoc fauere hæreticis nostri temporis, qui asserunt remitti sola non imputatione; respondent, hoc non esse remitti sola non imputatione, sed ex condonatione suppositis Sacramentis cum infusione gratiæ, ad quam consequitur talis condonatio.

5 *Sētētia asserens ad positionem Sacramentorū venialia à Deo condonari.*

Assertio. Per Sacramentum Ordinis supposita præuia retractatione eorundem, seu atritione ex opere operato remitti venialia. In hanc consentit idem *Marchinus loc. quo supra*, & in eandem videtur inclinare *D. Thomas tertia part. qu. 87. art. 3.*, dum dicit per Eucharistiam, Extremum Vnctionem, & vniuersalitèr per omnia Sacramenta, in quibus infunditur gratia, peccata venialia remitti. Idem habet *Dominicus Sotus in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3.*

6 *Supposita retractatione per Sacramentum Ordinis remittuntur venialia.*

Non moueor ea ratione, qua plerique argumento à fortiori procedentes ex paritate Sacramentalium, quæ arbitrantur ex opere operato conferre remissionem venialium concludunt, & hoc Sacramentum eandem producere; nec ex eo, quod martyrium, & solemnis professio eandem producant, & propterea a fortiori eandem conferant Sacramenta, & per consequens etiam ordo; Non, inquam, ex his moueor, quia quoad Sacramentalia, cum hæc sint non à Christo Domino, sed ab Ecclesia Instituta, non habent effectus supernaturales producere ex opere operato, adeoque neque remissionem venialium; vndè, si eandem quoquo modo dicantur producere, hoc non præstant operando gratiam remissiuam eorundem, sed ad summum excitando recipientem ad eliciendos actus retractatiuos, & atritionis, per quos eadem gratia ex opere operantis producitur. Quoad martyrium, & professionem solemnem in Religione nullibi reperitur, quod eisdem sit indita virtus operandi effectum aliquem supernaturalem ex opere operato, adeoque neque talem remissionem. Verum tamen est, quod propter excellentiam, & hæroicitatem huiusmodi actuum ex vi meriti patientis martyrium propter amorem Dei, & profitentis, probabilius sit, quod eadem remissio causetur, sed hoc erit semper ex opere operantis.

7 *Nec per martyrium, nec per professionem remittuntur venialia ex opere operato.*

8 *Euincitur ex institutione, & excellentia Sacramentorū*

Moueor igitur ad hoc asserendum ex duplici capite; primò ex præsumpta Christi voluntate in institutione Sacramentorum, secundò ex excellentia eorundem; Ex primò capite, quia, cum ex labili sui conditione humana natura facilè, & frequentèr in venialia incidat, cum septies in die cadat iustus, maximè conueniens fuit, vt Deus promptiorem aptaret medicinam, adeoque virtutem non solis Sacramentis Baptismatis applicaret, sed alijs omnibus, si dignè, & cum debitis conditionibus sumantur. Hæc autem medicina semel tantum haberi potest per Baptismum, & non semper facilè per Sacramentum Pænitentiæ; Ex excellentia, & dignitate Sacramentorum, quæ, quamuis primario ordinentur ad alios speciales effectus, secundario tamen, cum habeant animam perficere, habent etiam ab his maculis purgare; &, sicuti Sacramenta viuorum, quamuis habeant per se solam secundam gratiam producere; ex multorum sententia tamen etiam per accidens primam producunt, ita etiam alia Sacramenta à Baptismo, & Pænitentia, quamuis primario ordinentur ad aliquos speciales effectus iuxtà naturam eorundem, secundario tamen existentibus debitis conditionibus habent etiam remissionem venialium causare.

9 *Requiritur ad hoc atritio.*

Dixi *existentibus debitis conditionibus*, scilicet retractatione eorundem venialium, seu atritione de eisdem; si etenim nulla præcederet retractatio, certè remissio eorundem non produceretur à Sacramentis, quandoquidem, nec Sacramentum Pænitentiæ illam causat sine retractatione, & atritione de eisdem; vndè plurimi docent, & quidem non incongrua ratione, quod, si quis sibi conscius esset plurimorum venialium siue in eadem, siue in diuersa specie, & de aliquibus tantum atritionem conciperet, & non de alijs, de illis solum remissionem consequeretur, non de istis, vndè *D. Thomas tertia part. quæst. 87. art. 1.* hæc habet. *Sicut peccatum mortale remitti non potest, quandiù voluntas peccato adhæret, ità nec peccatum veniale, quia manente causa manet effectus.*

Si autem quæratur, quomodo alia Sacramenta, & signantèr Sacramentum Ordinis causent hanc remissionem venialium, cum gratia, quæ per eadem producitur, non sit incompatibilis cum existentia venialium, vt supra insinuabamus; tunc omissis rationibus, tum per Marchinum, tum per alios adductis dicam hoc inditum esse omnibus Sacramentis, vt, quamuis ex propria institutione ordinentur primario ad speciales effectus gratiæ singulis iuxtà eorum naturam conuenientes, si coniungantur tamen cum venialium retractatione, seu atritione ex parte sumentium gratiam producāt cum tali modificatione, vt sit destructiua venialium; atque hæc modificatio est communis omnibus alijs Sacramentis à Baptismate, & Pænitentia, si cum tali retractatione sumantur. Quamobrem, si ista Sacramenta sumantur sine tali atritione producunt solum gratiam habitualem correspondentem eisdem Sacramentis, si verò sumantur cum eadem atritione gratiam producunt quidem correspondentem eisdem, sed cum illa modificatione, & secundario. Hæc nostra assertio ex eo euincitur in primis, quia sicuti eadem Sacramenta ex opere operato producunt maiorem, vel minorem effectum iuxtà maiorem, & minorem dispositionem, quam inueniunt in subiecto, ita eadem ex opere operato producent gratiam, vel cum illa modificatione, vel sine illa, prout inueniunt subiectum dispositum per illam retractationem, vel per illam non dispositionem. Deindè, sicuti omnia Sacramenta, quamuis producant gratiam habitualem, singula tamen, vt diuersa producent cum iure diuerso ad actualia auxilia iuxta exigentiam subiecti, in quo recipiuntur, & diuersos fines, ad quos conferuntur, adeo vt in baptismate conferatur gratia regeneratiua cum iure auxiliorum ad conseruandam filiationem adoptiuam in confirmatione gratia corroboratiua cum iure ad auxilia opportuna ad confitendam, & protestandā fidem, in Eucharistia gratia nutritiua cum iure ad auxilia ad exigendas vires spirituales, & sic de cæteris, cur omnia Sacramenta ex generali ratione attenta speciali dispositione in subiecto illius scilicet retractationis venialium non poterunt conferre gratiam habitualem cum iure remittendi venialia iuxta exigentiam subiectorum eadem Sacramenta recipientium.

10 *Hæc virtus remissiua venialium supposita retractatione oritur ex modificatione gratiæ habitualis.*

11 *In quo consistat hæc gratiæ modificatio*

Vim habet ex asserto D. Thomæ.

Dices, fundamentum huius nostræ rationis esse gratis confictum, cum de illo nullum appareat vestigium, nec ex sacris paginis, nec ex Concilijs, nec ex Sanctis PP. Sed contra fundamentum desumitur ex communiori Doctorum consensu, & SS. PP. auctoritatibus, quibus euincitur Sacramenta causare remissionem venialium, & in specie de Eucharistia hoc tradit *D. Thomas tertia part. quæst. 79. art. 4.*, & de alijs omnibus *tertia part. quæst. 87. art. 3.* Supposito igitur hoc principio, quod causent ex opere operato, quærenda erat ratio de modo, quo causant, quæ certo in aliud congruentiùs refundi non potest, quam in modum a nobis assignatum,

tum, per quem non multiplicamus habitus, prout præstabat Marchinus, nec refundimus in meram condonationem extrinsecam, vt volebant alij.

ARTICVLVS V.

De secundo effectu Sacramenti Ordinis, nempè de caracthere.

SVMMARIVM.

Plura de caracthere remissiuè. 1.
In Sacramento Ordinis imprimitur caracther. 2.
Euincitur ex Concil. & SS. PP. 3.
Item rationibus. 4.
Durandus sentit in solo Sacerdotio imprimi. 5.
Sotus in omnibus ordinibus sacris, non in minoribus. 6.
In omnibus siue maioribus, siue minoribus imprimitur. 7.
Confutantur Durandus, & Sotus. 8.
In omnibus ordinibus producuntur diuersi caractheres. 9.

1 *Plura de caracthere remissiuè.* FIde nostra Sanctum est, tria Sacramenta esse irriterabilia, nempè Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, adeoque hæc imprimere caractherem. De hoc esset inquirendum in præsenti, quid sit, in qua specie qualitatis, in quo subiecto siue remoto, siue proximo recipiatur, an sit signum ad placitum, an naturale, an delebile, vel indelebile, an sit æqualis in omnibus, an inæqualis, quomodo caractheres componant cum subiecto, & inter se, & alia similia, sed quia latè de his omnibus egimus *in quæstionibus de Sacramentis in genere quæst. 7. per totum*, non est, cur in his indagandis immoremur.

Restringimus igitur solum quæstiones ad ea, quæ speciatim pertinent ad caractherem, qui in ordinibus imprimitur; & certè Sacramentum Ordinis hunc imprimere certum est, & apud Catholicos indubitatum, nam, quamuis in sacris scripturis nullum expressum de hoc testimonium habeamus, habemus tamen antiquam traditionem, quæ in similibus sacris paginis æquiualet, & Conciliorum definitiones hoc manifestè euincentes, quandoquidem in Concilio Carthaginensi IV. sub Anastasio celebrato anno salutis 398. fuit definitum non licere fieri rebaptizationes, nec reordinationes, quæ verba referuntur *in cap. non licet de consecrat. distinct. 4., & in Concilio Florentino sub Eugenio IV. celebrato anno salutis 1439. in decreto de vnione Armenorum* loquendo de Sacramentis in genere sic fuit stabilitum. *Inter Sacramenta tria sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ caracttherem, idest spirituale quoddam signum imprimunt in anima indelebile*; vndè in eadem persona non reiterantur. Habemus vlteriùs SS. PP. auctoritates D. Cipriani in sermone de ablutione pedum Ibi. *Nemo sacros ordines semel datos iterum renouet* D. Augustini *lib. 2. contra Epistolas Parmeniani tom. 7. cap. 13.*, vbi loquens de Baptismo, & Ordine sic exponit. *Vtrumque Sacramentum est, & consecratione quadam vtrumque datur homini; illud, cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Catholica Ecclesia vtrumque iterari non licet*. Rationes etiam hoc euincentes non deficiunt, primò, quia, vbi adest in Sacramento irriterabilitas, ibi debet esse qualitas impressa in anima perseuerans, ex qua oriatur eadem irriterabilitas, sed omnibus consentientibus, si Anabatistas excipias, Sacramentum Ordinis est irriterabile, ergo imprimit illam qualitatem indelebilem, in qua consistit caracther; neque arbitrandum est, illam irriterabilitatem prouenire ex sola extrinseca Dei ordinatione, quandoquidem, quamuis hoc Deus possit efficere, quia tamen ex suaui, & congruiori sua dispositione consueuit homines disponere per qualitates spirituales infusas, vt videre est in ijs, quos disponit ad ipsum diligendum, ipsi credendum, & in ipsum sperandum, quod præstat infundendo habitus fidei, spei, & charitatis, hoc etiam præsumendum est præstare, dum aliquem in ministrum deputat, vt magis aptus, & idoneus ad ministeria reddatur infundendo scilicet qualitatem, per quam reddatur talis, non per meram extrinsecam suæ voluntatis deputationem. Secundò, quia existens in peccato mortali, dum ordinatur nemine disceptante recipit potestatem ordinis, per quam validè exercere potest ministeria eiusdem; hæc autem potestas infundi debet per aliquem effectum in ipso productum ab ordine, qui effectus non potest consistere in gratia habituali, quia hæc ratione obicis præexistentis non producitur, ergo in aliquo alio, quod possit compati cum peccato læthali, quodque perseueret cum eadem potestate; hoc autem non potest esse, nisi caracther.

2 *In Sacramento Ordinis imprimitur caracther.*

3 *Euincitur ex Cōcilijs, & SS. PP.*

4 *Item rationibus.*

Supposito igitur, quod per Sacramentum Ordinis in ordinato producatur huiusmodi caracther difficultas modo consistit, an in collatione omnium ordinum hic conferatur, an in aliquibus tantum, & in quibus. Durandus *in 4. dist. 24. quæst. 1., & 2.* sentit in solo Sacerdotio cara-

5 *Sententia Durandi.*

characterem imprimi eo quia ad Sacerdotem solum spectat conficere, & conferre Sacramenta; per caractherem autem quis deputatur ad conficienda, & danda Sacramenta. *Sotus in 4. dist. item 24. q. 1. art. 3.* arbitratur in solis sacris ordinibus, non autem in minoribus imprimi, eo quia fortè sentit minores ordines non esse Sacramentum.

6 *Sententia Soti.*

7 *In omnibus imprimitur.*

Sentiendum absolutè est, omnes ordines siue maiores, siue minores conferre caractherem, & in hoc communius consentiunt. Ratio ex eo deducitur primo, quia ex suprà probatis omnes ordines, nedum maiores, sed etiam minores sunt propriè Sacramentum, omnes sunt irriterabiles, ergo omnes imprimunt caractherem; non etenim alia ratione cognoscere possumus Sacramenta, vt imprimentia caractherem, vt distincta ab alijs ipsum non imprimentibus, nisi ex irretibilitate. Secunda, quia munera, quæ competunt caractheri tria sunt, nempè reddere hominem aptum ad cultum Diuinum, vt notat *D. Thomas tertia part. qu. 63. art. 2.*, configurare Christo, & distinguere ordinatos à cæteris, qui non sunt tales; sed hæc tria munera competunt etiam habentibus dumtaxat ordines minores, ergo eisdem competit caracther. Minor ex se patet, quia per ordines minores quis constituitur specialitèr aptus ad exercenda munera illorum ordinum, quæ certè diriguntur ad cultum Diuinum; item per eosdem in eo sensu configuramur Christo, in quo disponimur ad Sacerdotium, cuius ipse Christus est antesignanus, & Sacerdos in æternum; item per eosdem accipimus potestatem, quæ alijs ex officio non competit.

8 *Confutantur Durandus, & Sotus.*

Neque obstant ea, quæ ex Durando, & Soto afferebantur; non ea, quæ ex Durando, quia caracther non imprimitur solum ad dandum, & conficiendum Sacramenta, sed etiam, vt quis reddatur aptus, & disponatur ad confectionem, & administratione Eucharistiæ; per omnes autem ordines quis ordinatur, & disponitur ad eiusdem confectionem, adeoque &c. Non ea, quæ ex Soto, quia ex alibi dictis omnes ordines sunt Sacramentum.

9 *In omnibus ordinibus producuntur diuersi caractheres.*

Quod, si quæratur, vtrum caractheres, qui producuntur ab ordinibus sint plures, & distinctæ qualitates, an verò vna indiuisibilis, & simplex affecta pluribus modificationibus. Iuxtà dicta in quæstionibus de Sacramentis in genere signantèr *qu. 6. art. 6.*, sentio esse plures qualitates distinctas in perfectione entitatiua, cum vnusquisque ordinetur ad diuersa munera, adeoque vnusquisque debet suum specialem effectum distinctum causare. Quomodò deindè huiusmodi qualitates vniantur, & componant inter se; dictum est latè in eisdem *quæstionibus de Sacrament. in genere quæst. 6. art. 6.*

ARTICVLVS VI.

An, & quomodo caracther vnius ordinis supponat caractherem alterius ordinis inferioris.

SVMMARIVM.

Ordines sunt recipiendi ordinatim. 1.
Hæc receptio ordinata non est de necessitate Sacramenti. 2.
Ordo superior sine inferiori validè recipitur. 3.
Non potest tamen validè suscipi Episcopatus vel ante, vel sine Sacerdotio. 4.
Ordinata receptio est de necessitate præcepti. 5.

ORdines Ecclesiasticos recipiendos esse ordinatim, superiorem scilicet post inferiorem, nec superiorem sine inferiore recipiendum, est extra controuersiam, cum omnia iura, de hoc clament, rationes omnes sic suadeant, & praxis in Ecclesia seruata hoc euincat. Sed, an hic ordo in ordinibus suscipiendis sit ex necessitate Sacramenti seruandus, an tantum ex necessitate præcepti, adeo vt eodem non seruato irritentur ordines suscepti, an verò tantum reddatur illicita eorũ susceptio, est id, quod est in præsenti examinandum, ex quo postea elucescet, an caracther ordinis superioris dependeat quoad validum esse ab existentia caractheris ordinis inferioris, an tantum quoad esse licitum. 1 *Ordines sunt recipiendi ordinatim.*

Assertio I. Non est de necessitate Sacramenti, quod prius inferior recipiatur, & subindè superior, adeoque ex eadem necessitate caracther superioris ordinis non dependet à caracthere ordinis inferioris. Est veritas communitèr recepta tum a Theologis, quam à Canonistis. 2 *Hæc receptio ordinata non est de necessitate Sacramẽti*

Ratio ex eo deducitur, quia, si esset ex necessitate Sacramenti, quod prius reciperetur ordo inferior, quam superior, vel hic non reciperetur sine illo, inualida esset susceptio superioris, vel ante, vel sine inferiori, sed hoc omninò falsum est, vt habetur expressè *in cap. sollicitudo dist. 52., & in cap. vnico de Cler. per salt. promot.*, & communitèr tradunt Theologi *in 4. dist. 24.*, & signantèr *D. Thomas in addit. ad tertiam partem quæst. 35. art. 5.*, vbi refert olim in primitiua Ecclesia aliquos ad Presbiteriũ fuisse immediatè assumptos, 3 *Ordo superior sine inferiori validè recipitur*

qui

qui ordines inferiores non receperant, ergo non est de necessitate Sacramenti, quod prius recipiantur inferiores &c.

Accedit, quod solus Baptismus est Sacramentum, sine quo alia nequeunt validè recipi, vndè, si post Baptismum alia nõ seruato ordine, quam seruant inter se, recipiantur validè, licet illicitè recipiantur, ergo, si recipiantur ordines maiores non receptis inferioribus, intelliguntur, validè recipi, licet illicitè.

4 *Episcopatus sine Sacerdotio non potest validè recipi.*

Assertio II. Quamuis non sit de necessitate Sacramenti, quod ordines seruato ordine recipiantur, est tamen de necessitate eiusdem, quod non recipiatur Episcopatus ante receptionem ordinis Sacerdotalis, adeoque essentialitèr ille præsupponit caractherem Sacerdotalem. Consonat cum ijs, quæ latè tradidimus supra *quæst. 1. art. 3.*, & in hoc consentiunt *Abbas in cap. ex literis de excess. Prælat.*, *Alexander Alensis 4. part. quæst. 20. membro 8. art. 1.*, *D. Thomas in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 2.*, *& in addit. ad tertiam part. quæst. 20. art. 5.*, *Sotus lib. 10. de iust.*, *& iur. quæst. 1. art. 2.*, *Bonacina de Sacram. disp. 8. quæst. vnica punct. 1. num. 3.*

Non diu immorandum in probatione huius assertionis, & in confutatione obiectorum, cum latè de ijs egerimus *loc. cit.* quæ ibi sunt recolenda.

5 *Ordinata receptio est de necessitate præcepti.*

Assertio III. Est de necessitate præcepti, quod seruetur ordo in ordinibus suscipiendis, adeo vt maiores non possint suscipi licitè, non susceptis prius minoribus, adeoque de necessitate eiusdem præcepti caracther ordinis superioris præsupponit illum ordinis inferioris. Est communis apud Doctores, nec arbitror aliquem refragari ex Catholicis.

Ratio ex eo deducitur, quia omnia iura canonica clamant ordines Ecclesiasticos gradatim suscipiendos, & non per saltum, adeo vt iuxta multorum placitum contrahat suspensionem, qui per saltum receperit, vt signantèr tradunt *Siluester verb. irregularitas quæst. 11.*, *Sotus in 4. dist. 26. quæst. 1. art. 3.*, *Nauarrus in man. cap. 23. num. 71.*, *& cap. 27. num. 42.*

Rationes pro asserto.

Hoc etiam manifestè euincitur *ex cap. sollicitudo dist. 52.*, *& cap. vnico de Cleric. per salt. ord.* Hoc tandem euincitur *ex Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 14.* Ibi *Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Si ergo sic promotus per saltum indiget Episcopi dispensatione, vtique vinculum aliquod contraxit, quod dissolui debeat, adeoque talis promotio certo liquet esse contra præceptum Ecclesiasticum. Si autem quæratur, an re vera talis promotio per saltum inducat suspensionem, alibi satis latè dictum est. An etiam promotus per saltum indigeat suscipere ordinem, quem non recepit, etiam de hoc supra dictum est.

ARTICVLVS VII.

In quo actu ordinationis caracther in vnoquoque ordine imprimatur.

SVMMARIVM.

Ordines alij conferuntur per vnam actionem, & vnam materiam, alij per plures actiones. 1.

In ijs ordinibus, in quibus vna actio, vnaque materia, & forma interuenit, caracther imprimitur in instanti prolationis vltimæ sillabæ formæ. 2.

In ijs in quibus interuenit actio multiplex in ea actione caracther imprimitur secundum Marchinum, quæ principalius ad Sacramentum Eucharistiæ ordinatur. 3.

Imprimitur in illa actione, quo materia traditur, & forma profertur. 4.

Arguitur Marchinus inconsequentiæ. 5.

Soluuntur rationes opposita. 6.

I *Alij ordines conferũtur per vnam actionẽ, alij per plures.*

ORdines alij sunt, in quibus vnica actio exercetur, & vnica exhibetur materia, & tunc forma profertur, vt videre est in Ostiariatu, in quo fit solum clauium traditio, in Lectoratu, in quo sola traditio libri Prophetarum, & in Exorcistatu, in quo solum traditur liber Exorcismorum; alij, in quibus plures interueniunt actiones, & multiplex materia exhibetur, vt in Acolitatu, in quo non solum candelabra exhibentur, sed etiam vrceoli; in Subdiaconatu, in quo profertur liber Epistolarum, & etiam Calix vacuus; in Diaconatu, in quo interuenit liber Euangeliorum, & simul manuum impositio; in Presbiteratu, in quo interuenit vnctio manuum, traditio Calicis materiam Eucharistiæ continentis, & manuum impositio.

2 *In ijs, in quibus vna interuenit actio, caracther imprimitur in prolatione vltimæ sillabæ formæ.*

In ordinibus in quibus interuenit vnica dumtaxat actio, vnaque materia in dubitatum est, tunc imprimi caractherem quando exhibita materia profertur vltima sillaba formæ ordinatoriæ. In hoc arbitror neminem dissentiri; caracther enim debet imprimi in actione, qua quis ordinatur; sed in huiusmodi ordinibus vna est dumtaxat actio, vnaque materia, ergo in illa caracther imprimitur, & cum requiratur actio completa, & significatiua potestatis, quæ confertur, quæ significatio non habetur, nisi in complemento formæ, ergo in vltimo signo, in quo

quo completur eadem forma caracther imprimitur.

3 *Opinio Marchini exponitur.* Difficultas igitur solum versatur in ijs ordinibus, in quibus plures interueniunt actiones, & multiplex quodamodo materia, in quanam scilicet illarum imprimatur caracther? *Marchinus tract.* 1. *de Sacrament. Ord. in communi part.* 3. *de effect. Sacramenti Ord. cap.* 8. *num.* 9., *& seqq.* citatis *D. Thoma in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad sextum, Durando eadem dist. quæst.* 3. *n.* 6., *Paludano ibid. quæst.* 2. *art.* 2. *num.* 15., *Siluestro in summa verb. ordo* 2. *quæst.* 4., *D. Antonino tit.* 14. *cap.* 16. §. 4., sentit caractherem imprimi in eo actu, qui principalius, & immediatius ad Eucharistiæ Sacramentum ordinatur; sic asserit in Acolitatu imprimi, non in candelabri exhibitione, sed in vrceolorum porrectione imprimi, quia per vrceolos immediatius, quam per candelabra deseruit Eucharistiæ; eadem ratione asserit in Subdiaconatu caractherem imprimi potius in Calicis porrectione, quam in exhibitione libri Epistolarum, quia Subdiaconus immediatius deseruit Eucharistiæ ministrando materiam in vasis sacris, quam in lectione Epistolæ; idem sentit in Diaconatu scilicet in manuum impositione potius, quam in traditione libri Euangeliorum caractherem imprimi, quia impositio manuum confert potestatem in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, non quidem immediatè, sed medijs vasis sacris. In Presbiteratu verò sentit non in manuum impositione, sed potius in Calicis porrectione imprimi addita etiam ratione, quia per impositionem manuum Sacerdos solum accipit potestatem in Corpus misticum Christi Domini, nempè absoluendi à peccatis, qui est effectus secundarius caractheris, non consecrandi Corpus reale, & verum, quòd est effectus primarius.

4 *Imprimitur in illa actione, qua ponitur materia, & forma.* Verùm quidquid dixerit Marchinus, absolutè sentiendum existimo caractherem in illa actione in vnoquoque ordine imprimi, in qua exhibita materia profertur forma significatiua illius potestatis, quæ confertur per illum ordinem. Ratio ex eo deducitur, quia tunc confertur, & imprimitur caracther, quando confertur potestas exercendi illos actus, ad quos ipse ordo ordinatur; sed talis potestas confertur, quando profertur forma significatiua ipsius, ergo tunc imprimitur caracther. Maior ex se patet, quia non potest esse potestas ordinis sine caracthere illius. Minor etiam probatur, quia forma Sacramentorum in signo, quo ponitur, est efficax, nec efficaciam accipit ab actibus subsequentibus, ergo tunc debet operari, & suum sortiri effectum, ergo tunc, quando significat potestatem, eandem confert.

Sic in particulari in collatione ordinis Acolitatus, tunc caracther in ordinato constituitur, quando exhibita materia Episcopus profert vltimam sillabam formæ significatiuæ potestatis, quæ confertur; In Subdiaconatu, & Diaconatu, cum forma solum proferatur in exhibitione quoad primum libri Epistolarum, & quoad secundum libri Euangeliorum, non autem in exhibitione Calicis, nec in manuum impositione, in illorum exhibitione caracther imprimi dicendus est, non in istis; in Sacerdotio verò cum proferatur eadem forma in traditione Patenæ cum Hostia, & Calicis cum Vino, non in impositione manuum, in illa imprimi, non in ista credendum est.

Hic non possum quin demirer de inconsequentia Marchini, qui cum *tract.* 1. *de Sacrament. Ord. in communi part.* 3. *cap.* 2. *num.* 4., docuerit gratiam habitualem in eo instanti in Sacerdotio infundi, in quo Episcopus manus super caput Presbiteri imponit, modo asserit caractherem non imprimi in illa manuum impositione addita etiam ratione, quia per illam manuum impositionē non confertur, nisi potestas in Corpus misticum præsupposita iam potestate collata in traditione Patenæ cum Hostia, & Calicis cum Vino in Corpus reale Christi Domini. Si ergo in illa manuum impositione non confertur, nisi potestas in Corpus misticum, iam supponitur, quod tunc potestas in Corpus reale sit collata, ergo etiam præsumenda est collata gratia correspondens illi potestati in Corpus verum, & reale. Deindè *ipse Marchinus d. cap.* 8. *num.* 11., loquens de ordine Diaconatus, cum asseruerit gratiam sanctificantem in ipso imprimi in impositione manuum, asserit etiam per eandem manuum impositionem imprimi caractherem addita ratione, quia vterque est æqualis effectus; cum igitur etiam in Sacerdotio gratia, & caracther sint æqualis effectus, in eadem actione vterq; est infundēdus, vel in traditione Calicis, vel in manuum impositione. 5 *Arguitur Marchinus inconsequentiæ*

Iam respondendum est ad ea, quæ asserebat idem Marchinus de illa immediatione ad confectionem Eucharistiæ. Dic etenim, potius esse attendendam actionem, quæ vnitur cum tradita potestate, quam illam immediationem, quæ materialitèr se habet, & DD. loquentes de illa immediatione intelligendi sunt de immediatione virtutis, non temporis; virtus autem attenditur penes potestatem, quæ confertur. 6 *Soluuntur rationes oppositæ*

AR-

ARTICVLVS VIII.

Cur tria tantum Sacramenta imprimant caractherem, & non omnia.

SVMMARIVM.

Tres gradus distinguuntur in statu Ecclesiastico, sicut in politico. 1.
Secunda ratio fundata in potestate ordinata ad recipienda, vel ministranda Sacramenta. 2.
Tertia ratio fundata in generatione, roboratione, & multiplicatione fidei. 3.
Omnes hæ rationes sunt probabiles. 4.
Præfertur quarta ratio deducta ex Catechismo Romano. 5.

1 **Prima ratio, quæ cōparat statum Ecclesiasticū ad politicum.**

VArias huius rei rationes varij assignant, quarum quælibet videtur accomoda ad præsentem difficultatem explanandam. Breuitèr singulas expono. Prima est *Scoti in 4. dist. 6. quæst.* 10. *§. sed & restant duo dubia*. Hæc comparat statum Ecclesiasticum ad statum politicum; in hoc autem tres status designantur; primus eorum est, qui ad dominium Principis quomodolibet pertinent. Secundus est eorum, qui paulatim ex electione Principis ascendunt ad Rempublicam tuendam, & defendendam, cuiusmodi sunt milites. Tertius eorum, qui tanquam duces assumuntur ad officia militibus distribuenda, & tanquam rectores subditis præficiuntur. Tres item, vt seruetur proportio, in Republica Ecclesiastica status sunt considerandi; Primus illorum, qui subduntur dominio Ecclesiæ, quod habetur per baptismum; Secundus illorum, qui constituuntur in militia Christi, quod habetur per confirmationem, per quam homo spirituali nota ad Christi fidem liberè confitendam eiusdem militiæ adscribitur; Tertius illorum, qui tanquam duces militiæ alijs præficiuntur ad dispensanda Sacramenta. Sicuti igitur in statu politico illi tres gradus speciali nota insigniuntur, ita æquum est, vt in Ecclesiastico illi etiam tres gradus speciali cingulo decorentur.

Secunda est *D. Thomæ tertia parte q.63. art. 3.*, qui, ex quo caracther consistat in potestate quadam ordinata ad recipienda, vel tradenda Sacramenta, hanc solum cognoscit in Baptismo, in Confirmatione, & Ordine; in Baptismo, quia in illo solummodo confertur potestas ad recipienda alia Sacramenta, cum sit ianua omnium Sacramentorum; in Confirmatione, quia per illam homo accipit potestatem, seu virtutem Christi fidem coram Regibus, & Principibus confitendi; in Ordine, quia per istum accipit potestatem tradendi alijs alia Sacramenta; quæ omnia non habentur in alijs Sacramentis, quæ licet ad Diuinum cultum ordinentur, non tamen per illa accipitur aliqua potestas, vt per se patet.

2 *Secunda ratio D. Thomæ fundata in potestate recipiendi vel conficiendi Sacramenta.*

3 *Tertia ratio Alexādri de Alef.*

Tertia est *Alexandri de Alef. quarta part. summæ quæst. 8. memb. 8. art. 1. §.7.* multiplicantis caractheres ad normam statuum nostræ fidei, quæ generatur, roboratur, & multiplicatur, generatur per Baptismum, roboratur per Confirmationem, multiplicatur per Ordinem; per alia autem quatuor Sacramenta nec fit generatio fidei, nec roboratio, nec multiplicatio.

4 *Omnes prædictæ rationes sunt probabiles.*

Retentis omnibus rationibus, tanquam probabilibus, & ad rem præsentem accomodis, ea tanquam probabilior, & accomodatior est, quæ habetur in Chatechismo Romano de Sacramentis in genere, quæque etiam valdè commendatur *à D. Thoma in quarto dist. 27. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad secundum* desumpta à munere eiusdem caractheris, quod est ornare habentem, illumque à cæteris distinguere, qui illum non habent; hoc autem tribus potissimum modis fieri potest; per Baptismum, quo fideles ab infidelibus secernuntur; per Confirmationem, qua milites Christi à simplicibus fidelibus distinguntur, vel milites fortes ab infirmis, & debilibus; cum confirmatio ex genere suo habeat conferre robur, & fortitudinem ad fidem propugnandam; per ordinem, quo militiæ Ecclesiasticæ duces a communibus militibus quodammodo separantur, & constituuntur in ordine, & gradu superiori ad alios. Per alia autem Sacramenta à tribus assignatis, hæc distinctionum genera non habentur; nam per pænitentiam solum a peccatis purgamur; per Eucharistiam solum nutrimur; per Matrimonium propagamur, & per Extremam Vnctionem a peccatorum reliquijs solum liberamur.

5 *Præfertur quarta ratio deducta ex Cathechismo Romano.*

Explicatis iam ijs, quæ pertinent ad ordines in communi, properamus ad ea explicanda, quæ sunt propria cuiuscunque ordinis.

DE ORDINIBVS IN PARTICVLARI.

PARS SECUNDA.

HActenus, quæ communia sunt omnibus ordinibus, nunc quæ sunt propria cuiuscunque examinanda assumimus. Ordo quidem congruus, & necessarius, cum ex vniuersalibus singularia quæque inferantur. Parum prodesset res in abstracto attingere, nisi in concreto in suis speciebus, & in suis indiuidualibus conditionibus cognoscerentur; ex vniuersalibus singularia deducuntur, sed in singularibus potissimum quoad moralia, vniuersalia elucescunt vberiùs. Ordinem seruabimus in doctrina, quem seruant ipsi ordines secundum propriam institutionem, & naturam. Ab inferioribus incipiemus, vt ex eorum cognitione gradatim procedentes ascendamus ad vltimum gradum, qui est Ordo Sacerdotalis; & quamuis prima Tonsura in rigore in ordinum numero non computetur, quia tamen est dispositio, & aditum ad eosdem sternit, ex eadem tanquam ex vestibulo gradus ad ordines disponemus.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

De prima Tonsura.

MIrum est, quam impiè Hæretici nostri temporis improperent Catholicos primam Tonsuram constituentes. Superstitionem vocant Clericorum, & Monachorum, & purioris Ecclesiæ vsui repugnantem, & sacris literis exosam, alijsque conuitijs, iocis, & blasphemijs insectantur. Aduersus eosdem in hac quæstione, & laudabilem, & honestam, in suo origine antiquam, in significatione aptam, in effectibus proficuam, ab Ecclesia receptam, à Concilijs approbatam à SS. PP. commendatam probabimus.

ARTICVLVS I.

Vindicatur prima Tonsura à versutijs, & conuitijs hæreticorum.

SVMMARIVM.

Iurgia hæreticorum aduersus primam Tonsuram. 1.
Refelluntur huiusmodi iurgia. 2.
Ex praxi Ecclesiæ. 3.
Ex sacris scripturis. 4.
Ex definitionibus Conciliorum, & SS. PP. 5.
Sacra scriptura damnat solum superstitiosum morem Gentilium. 6.
Respondetur auctoritati D. Hieronymi. 7.

1 *Errores hæreticorum.*

MAgderbugenses cent. 4. cap. 6. signantèr insectabantur tanquam superstitiosam hanc capitis Tonsuram, quos postea secutus est Vicleffus, vt refert *Valdensis lib. 5. de Sacramentis*, & postea Hortensius Landus Augustiniani ordinis Apostata in libro, quem inscripsit *de Barbarum persecutione*. Hunc errorem conantur tutari ex nonnullis scripturæ locis, quos vel malè allegant, vel sinistrè interpretantur. Primum desumunt ex illo Ezechellis 44. *Sacerdotes caput suum non radent*. Secundum ex primo Regum primo de Samuelle Sacerdote *omnibus diebus vitæ eius nouacula non ascendet super caput eius*. Tertium ex Baruch *cap. 6.*, vbi improbans Sacerdotes Babilonis caput, barbamque radentes. sic ait. *In domibus idolorum Sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt*. Tandem speciatim damnantes morem, quo fit Tonsura in modum coronæ afferunt illud Leuitici 19. *Non attondetis comam in rotundam, neque barbam radetis.*

Eorum fundamenta emendicata.

Aduersus hunc errorem militant vniuersæ Ecclesiæ praxis, veteris testamenti, & noui testimonia, definitiones Conciliorum SS. PP. auctoritates. De vniuersæ Ecclesiæ praxi non est hæsitandum, cum omnes, antequam ad ordines promoueantur per capillorum tonsionem initiet. De testimonio veteris testamenti constat ex illo *Num. 36.*, vbi Nazarei post aliquot annos ætatis capillos radebant ex legis mandato; De testimonio noui testamenti apparet ex illo *Luca 3. Act. cap. 18.*, vbi Priscilla, & Aquila iuxta morem Nazareorum capillos abraserunt, *& ibidem cap. 21.*, dicitur, quod Paulus Apostolus hortatu D. Iacobi, & alij quatuor Christi Domini Discipuli abraserunt capita sua, quod vtique non præstitissent, si illa abrasio esset superstitiosa. De Conciliorum definitionibus constat *Ex Carthagin. IV. cap. 44. ex Agathensi cap. 20. ex Toletano IV. cap. 40. ex Trident. sess. 23. de reformat. cap. 4.* De SS. PP. auctoritatibus constat *ex D. Hierony mo Epist. 89. ex D. Cirillo in Eutimium apud Lippomanum tom. 5. ex Euagrio Scolastico lib. 2. sua historia cap. 26. in fin.* Ibi *Coma abrasa Presbiter designatus est.*

2 *Huiusmodi errores, & fundamẽta euelluntur.*
3 *Ex praxi Ecclesia.*
4 *Ex locis sacra scriptura.*
5 *Ex definitionibus Conciliorũ, & SS. PP.*

Iam argumenta hæreticorum desumpta ex sacris paginis dissoluimus, sed inprimis aduertendum est, loca ab eisdem hæreticis allegata non referri præcise ad damnandam capillorum tonsionem in ordine ad obeunda munera Ecclesiastica, sed absolutè sine respectu ad eadem. Deindè dicimus non esse præsumendam sacram scripturam in locis citatis voluisse simplicitèr damnare quamcunque capitis abrasionem, quam approbabat in Nazareis, ne videatur sibimet ipsi contraria, sed præcisè damnasse morem illum abrasionis, quæ referebatur ad gentilium superstitiones; sic in particulari locus allegatus *Leuit. 19. Non attondetis comam in rotundum, neque barbam radatis*; refertur ad extirpandam cæremoniam Sacerdotum Bacchi, qui dum sacra eidem celebrabant hedera coronati capita in girum continuò mouebant; vndè notat Caietanus ibidem, quod in hebraico textu nulla fiat mentio Tonsuræ, sed præcisè legatur. *Non faciatis circumgirare angulum capitis vestri*. Ad illud, quod affertur Ezechiellis 44. dicendum est, prout colligitur ex eodem textu, ibi non prohiberi tonsionem capillorum, sed potius permitti, & approbari, cum subdatur,

6 *Sacra scriptura damnant solum superstitiosum morem gentilium.*

sed tondentes attondent capita sua; vndè hæretici mutilè referunt sacræ scripturæ loca, vt suas euincant prauitates. Ibi igitur solum prohibetur quædam ratio, qua conformarentur Sacerdotes cultoribus Idolorum, & ne comas nutriant. Ad illud, quod subditur de Samuelle primo Reg. 1. dicendum est, ibi nullam imponi prohibitionem radendi caput, sed Anna dumtaxat votum vouit Domino, quod, si sibi largiretur filium, eum daret Domino omnibus diebus vitæ suæ, & nouacula non ascenderet super caput eius, quod est opus superogationis, non præcepti. Fortè pro ijs temporibus nouaculis capita inani cultu nutriebantur, & ideò, vt eum semotum a sæculi vanitatibus Deo redderet, promisit, quod nouaculis non vteretur omnibus diebus vitæ suæ. Ad illud, quod subditur de Sacerdotibus Babilonis Baruch. *cap. 6.* dicite ibi improperari Sacerdotes illos, quia sub palliata illa, & simulata dimissione manibus Dijs deseruiebant, & sacrificabant. Dato deindè, nunquam tamen concesso, quod antiquitus abrasio simplicitèr prohiberetur per allegata scripturæ loca, adhuc tamen ex illis hæretici nihil euincerent, quandoquidem illa erant præcepta cæremonialia, quæ fuerunt per Christum Dominum abrogata.

Respondetur omnibus hæreticorum rationibus.

7 Adeo insaniunt hæretici, vt in confirmationem sui erroris adducant *D. Hieronymum in cap. 44. Ezechiellis, & in cap. 3., & 6. Isaiæ, Clementem Alexandrinum lib. 3., Pedagogi cap. 11.* Sed, si benè dicta SS. PP. perpendantur, intelligetur ipsos aliud non intendisse, nisi damnare abrasionem, & tonsionem ad morem gentilium, aut effeminatam radendi, & tondendi molliciem, quæ debebat esse aliena à Dei ministris.

Respondetur auctoritati D. Hieronymi.

ARTICVLVS II.

De institutione, & origine prima Tonsuræ.

SVMMARIVM.

Error Caluini asserentis primam Tonsuram ortum habuisse solum temporibus D. Augustini. 1.

Refertur opinio Bedæ asserentis incæpisse à D. Petro. 2.

Opinio Amalerij asserentis incæpisse ab Apostolis. 3.

Incæpit talis vsus à Nazareis, & ab Apostolis hic mos fuit in Ecclesiasticum vsum traductus. 4.

Fortasse solemnitas, quæ modo adhibetur, fuit posterioribus temporibus inducta, non substantia. 5.

Caluinus acerrimus hostis, & oppugnator huius Clericalis Tonsuræ, vt ostendat hanc esse nouum figmentum Ecclesiæ *lib. 4. institutionum cap. 19. n. 27.* tradidit hunc morem tondendi originem dumtaxat habuisse temporibus D. Augustini. Ex hoc postea inferebat nullo scripturæ testimonio, nulla veterum traditione hanc Tonsuram firmari, adeoque gratis confictam, & excogitatam post plura sæcula à Christo nato. Vt igitur hanc Caluini insaniam euellamus, opus est inquirere à quonam tempore, & à quo hic tonsurandi modus fuerit institutus. Hoc certum est, non à Christo Domino fuisse institutam, vt per ipsam fideles Ecclesiasticis muneribus initiarentur, cum Tonsura nec sit Sacramentum, nec ordo. Fuit igitur ab Ecclesia instituta, sed à quo, & pro quonam tempore? 1

Error Caluini refertur

Beda *lib. 5. Historiæ Anglorum cap. 22.* refert D. Petrum primum omnium hanc Tonsuram detulisse, & fuisse eiusdem institutorem secundum morem substantialem, qui seruatur in Ecclesia. Occasionem huius institutionis refert *S. Germanus in Theorica rer. Eccles.* prout habetur *in to. 4. Bibliotheca antiq. PP.*, quod, cum D. Petrus Antiochiæ Christum Crucifixum maximo cum ardore prædicaret, nonnulli hostes nominis Christiani in ignominiam eiusdem caput illi abraserunt; vndè postea factum est, quod illud, quod fuit factum in obbrobrium verteretur in gloriam. Bedæ, quoad institutionem à D. Petro factam non acquiescit *Amalerius lib. de Ecclesiasticis officijs cap. 5.*, cum asserat Bedam non esse tantæ auctoritatis, vt ex ea valeat firmare suam sententiam, asserit tamen ex Apostolis hunc ritum emanasse, quod etiam firmarunt S. Isidorus, Dionysius Areopagita, qui tempore Apostolorum vixit, & Anicetus Papa. 2

Opinio Bedæ asserētis incæpisse à D. Petro.

3

Opinio Amalarij asserentis incæpisse ab Apostolis.

D. Isidorus *Hispalensis Episcopus lib. 2. de offic. Eccles. c. 4.* altiorem agnouit originem huius vsus tonsuræ à Nazareis scilicet, qui hoc præstabant in signum cuiusdem deuotionis, à quibus sumpserunt postea Apostoli, & in Ecclesiasticum vsum traduxerunt, vt quicunque ordinibus Ecclesiasticis essent initiandi præciso crine præsentarentur. Verba expressa eiusdem D. Isidori refert *Marchinus tract. 2. de ord. in particul. part. 1. de prima Tonsura cap. 2. num. 7.* 4

Incæpit à Nazareis, & ab Apostolis traductus in vsum Ecclesiasticū

Ex his habes, quam turpitèr errarit Caluinus iactitans hunc morem tondendi incæpisse solummodò temporibus D. Augustini, & esse figmentum ab Ecclesiasticis inuentum, & excogitatum; si etenim traditioni inueteratæ fides habenda est, ac sacris paginis, procul dubio asse-

asserendum est, ab Apostolis hunc ritum emanasse. Hoc præter præcitatos Doctores tradunt etiam *Albinus Alcuinus de Diuin. offic. cap. 35.*, *& Cardinalis Baronius tom. 1. sub anno 18. num. 122.*

5 Potest quidem esse, quod subsequentibus temporibus inducta fuerit illa solemnitas, & ritus, qua, seu quo confertur in præsenti prima Tonsura, quæ fortè non seruaretur antiquis temporibus, vt videre etiam est in ordinibus Ecclesiasticis; cæterum quoad substantiam à tempore Apostolorum vsus primæ Tonsuræ vigebat; vndè, vt asserebam in præcedenti articulo *Priscillam, & Aquilam act. Apost. c. 5.* hanc tonsionem adhibuisse legimus. Hoc idem seruauit Paulus Apostolus, & quatuor alij Christi discipuli, vt legitur *ind. Act. cap. 21.*

Solemnitas potuit esse inducta post.

ARTICVLVS III.

Ad quem finem inductus fuerit ritus primæ Tonsuræ.

SVMMARIVM.

Primus finis est, vt sit dispositio subiecti ad ordines, & quomodo. 1.
Secundus ad indicandam libertatem, & exemptionem à seruitute mundi. 2.
Tertius ad indicandum discrimen inter Sacerdotes veteris, & nouæ legis, & quomodo. 3.
Quartus ad significandam regiam, & Sacerdotalem dignitatem. 4.
Significat statum pænitentiæ. 5.

Nil inductum est in Ecclesia Dei, quod suos non habeat fines, suasq; sortiatur significationes; nec inconsultò arbitrandum est primam tonsuram institutam esse, & sine rationis dictamine. Hinc *Marchinus tract. 2. de ord. in particul. part. 1. de prima tonsura cap. 3.* varias significationes enumerat, ad quas hic ritus institutus est, ex quibus etiam euellitur calumnia hæreticorum huic ritui improperantium. Nos aliquas dumtaxat referemus remittentes Lectorem quoad alias ad eundem *Marchinum loc. cit.*, & ad alios, qui in hoc genere scripserunt.

1 Primus igitur finis fuit, vt esset tanquam dispositio ad ordines, nam, sicuti in Physicis, & naturalibus formæ habent suas præuias dispositiones, per quas subiectum disponitur ad illas recipiendas, ita congruum fuit, vt in supernaturalibus formæ haberent dispositiones, quibus subiectum habilitaretur ad illos suscipiendos. Cum igitur per ordines Ecclesiasticos homines Deo dicentur, & totalitèr consecrentur, debent à sæculi vanitatibus prius abdicari, quod indicatur per illam capillorum abrasionem, qui, cum sint partes quædam extrementitiæ, significant inanes sæculi vanitates, quarum exclusio est dispositio saltem negatiua requisita, vt quis Deo totalitèr dicetur, & consecretur, quod præstatur per ordines; atque hunc finem, hancque significationem assignant *Hugo lib. 2. de Sacrament. part. 2. cap. 1.*, *Rabanus lib. 1. de institut. Cleric. cap. 3.*, *Duarenus lib. 1. de sacris Ecclesiæ minist. cap. 14.*

Primus finis est, vt subiectum habilitetur ad ordines.

2 Secundus finis fuit ad significandam libertatem, & exemptionem à seruitute mũdi, & subiectione Principibus sæcularibus, hac significatione deducta ex vsu antiquorum Romanorum, qui, vt referunt *Liuius lib. 34.*, *& Guillelmus Fernarius lib. 1. cap. 4. suarum sol.* cum vellent Libertos a seruitute liberare, consueuerunt eorum capillos tondere, & hoc erat signum libertatis acquisitæ; cum ergo Clericus, dum sacræ militiæ addicitur, eximatur quodamodo à potestate mundi, & sæcularium potestatum, hoc induxit Ecclesia, vt tonderetur ad eandem libertatem significandam.

Significat libertatem, & exéptionem à seruitute mundi.

3 Tertius finis est ad indicandum discrimen, quod intercedit inter Sacerdotes veteris, & noui testamenti; illi etenim comam non radebant, sed capillos extensos deferebant, isti verò capillos tondunt, nec comam debent deferre, nec hoc sine misterio sancitum est, quandoquidem illis nondum aperta, & nuda erant misteria nouæ legis, & Euangelicæ, sed velata simbolis, & figuris, istis verò sunt manifesta, nuda, & quocunque velamine dissoluta; hæcque est potissima ratio, ob quam tonsura in Ecclesiasticis ministris inducta est, vt notant *D. Augustinus de operibus Monachorum prope finem*, *Magister in 4. dist. 44.*, *D. Thomas tertia parte quæst. 40. art. 1. in addit.*

Discrimen inter Sacerdotes nouæ, & veteris legis.

4 Quartus est ad indicandam quodamodo regiam, & Sacerdotalem dignitatem, quæ ministris Ecclesiasticis competit iuxta illud primæ Petri 2. *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium; seruire enim Deo regnare est*, quam vtique significat corona, quam Clerici deferunt; sicuti etenim Sacerdotes antiquitus deferebant tiaram in formam dimidiatæ sphæræ, & Reges autem coronam ad indicandam propriam potestatem, ita & nunc Clerici &c.

Significat Regiam, & Sacerdotalem dignitatem.

5 Quintus est ad designandum statum Clericorum, & Monachorum, qui quodamodo est status pænitentium; abrasio etenim capitis est simbolum lugentis, & pænitentis iuxta illud *Iob. cap. primo*, qui cum

Significat statum pænitentiũ.

cum suarum cladium nuntios accepisset tonso capite Deum adorauit; vndè *in tertia Toletana sinodo cap. 12.* sancitum fuit, vt publicè pœnitentibus in primis Episcopus, vel Presbiter caput tonderent, vt sic in cinere, & cilicio pœnitentiam agerent. Alios plures fines, & significationes eiusdem tonsuræ latè refert, & exponit *Marchinus loc. supra citato*, quem vos ipsi consulere poteritis.

Cum igitur tot, tantisque finibus, & significationibus polleat Ecclesiastica tonsura, clarè apparet, quam turpitèr decipiantur hæretici eandem iocis, conuitijs, & blasphemijs insultantes, & tanquam superstitionem à Catholicis adinuentem venditantes.

ARTICVLVS IV.

Qualis, & quanta debeat esse huiusmodi Tonsura.

SVMMARIVM.

Varia forma tonsionum apud Gentiles. 1.

Recensentur duo diuersi modi tonsuræ in lege veteri. 2.

Varia tonsurarum forma, quæ pro diuersis locis, & temporibus consueuerunt adhiberi in lege noua. 3.

Tonsura, quæ fit in ordinatione est per tonsionem capillorum in varijs capitis partibus ad modum coronæ. 4.

Qualis forma seruanda post ordinationem. 5.

1 *Enumerantur varia forma tonsionū*

Mirum est, quam variè figuras tonsionum antiquitùs deferrent Sacerdotes tum Gentiles, tum veteris testamenti. Alij etenim radebant omnes capillos capitis exceptis illis superciliorum, & palpebrarum, & huiusmodi erant Sacerdotes Egyptij, de quibus scribit *Sardus de moribus Gentilium lib. 3. cap. 18.* Alij totius corporis pilos abradebant, cuiusmodi erant Tragenij, & Assirij, de quibus scribit *Lucianus in Dea Siria*. Alij barbam, & capita radebant; atque huiusmodi erant Sacerdotes Babilonici, de quibus habetur *Baruch. cap. 6. In domibus eorum Sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam.* Alij radebant posteriorem capitis partem, anteriorem crinitam gestabant, cuiusmodi erant Abantij, de quibus scribit Strabion. Alij alitèr, in quibus non vacat immorari.

2 *Duo modi legis veteris.*

In Sacerdotibus antiquæ legis duos diuersos omninò vsus adinuenio; alter, qui habetur *Num. 6.* quoad Nazareos, quibus interdictum erat omni tempore separationis suæ, ne nouacula ascenderent super caput eorum vsque ad completum diem, quo Domino consecrantur; alter quo omnes partes corporis ex mandato Moysis radebant.

3 *Varia tonsurarum forma, quæ pro diuersis locis, & temporibus consueuerunt adhiberi in lege noua.*

Omissis iam ijs, quæ ad præsentem statum non pertinent, iam aliqua attingemus, quæ in noua lege seruata sunt, & in præsenti seruantur. D. Isidorus *de Ecclesiasticis officijs cap. 4.* refert suis temporibus morem fuisse, vt Clerici duas coronas gestarent, alteram in summitate capitis, alteram in inferiori parte circa tempora. Optatus Melenitanus *lib. 2. contra Parmenianum* refert Clericos præcipuè Orientalis Ecclesiæ consueuisse deferre quidem tonsuram per modum sphæræ, sed tamen ita dimisse, vt cutis non appareret, nec nouacula ad hoc adhibebant. Quem morem ea ratione inductum existimo, vt secernerentur à Sacerdotibus Gentilibus, qui capita radebant in Deorum suorum cultum. *Marchinus tract. 2. de ordinibus in particulari part. 1. de prima tonsura cap. 4. num. 9. circa finem* refert se legisse in Hispania Clericos omnes coronam detulisse more Monachorum, qui mos postea habito conuentu Episcoporum illius Prouinciæ abolitus est ad effectum secernendi Catholicos ab hæreticis, qui tali more vtebantur.

4 *Qualis sit tonsio in ordinatione.*

Iam ad formam, & figuram tonsuræ, quæ modo retinenda est ex ritu consueto Ecclesiæ, descendimus. Pro quo aduertendum est, duo in hoc posse considerari; alterum circa modum, quo prima tonsura in ordinatione confertur; alterum, quo habita iam prima tonsura tonsio deferri consueuit, quam vulgaritèr Clericam appellant, & est signum primæ tonsuræ, vel aliorum ordinum receptorum. Si loquamur quoad primum certum est, fieri per tonsionem in varijs capitis partibus, quæ forcipe fit per Episcopum in modum coronæ, & hoc fortè ad indicandam coronam spineam, quæ capiti Redemptoris ab hæbræis imposita est; atque hæc propriè prima tonsura appellatur, atque de hac sunt omnes difficultates, quæ sub hac quæstione discutientur. Si loquamur quoad secundum, cum hoc non sit, nisi signum potestatis collatæ in ordinatione, in diuersis regionibus, diuersimodè defertur, sinè tamen variatione significationis, cum omnes modi apti supponantur ad eandem indicandam, adeoque tales modi non sunt improbandi. Modo vsus inualuit in quacunque fere regione, vt deferatur in summo vertice ad modum parui circuli, retenta tamen quoad Monachos, & Religiosos consuetudine sui cuiusque ordinis; vndè in *Concil. Tolet. 4. cap. 40.* emanauit Canon

non

non sequentis tenoris. *Omnes Clerici, vel Lectores sicut Leuitæ, & Sacerdotes detonso superius capite toto inferius solam circuli coronam relinquant*; non sicut hucusque in Gallatiæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, vt Laici, comis in sui capitis apice modicum circulum tondent &c. Ritus enim iste in Hispanijs hucusque hæreticorum fuit; vndè oportet pro amputando ab Ecclesijs scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & sit vna tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus.

5 *Qualis forma seruāda post ordinationem.* Si autem quæratur, quanta debeat esse tonsuræ mensura, (quod est secunda pars tituli propositi) tunc seruata laudabili consuetudine Monachorum, & Religiosorum iuxta instituta cuiuscunque ordinis quoad Clericos sæculares dicam iuxtà diuersitatem ordinum diuersam præscribi mensuram, minorem pro minoribus, maiorem pro maioribus. In particulari pro minoribus ordinibus mensura assignatur vnius Regalis, seu minoris hostiæ; pro Subdiaconatu paulò maior; maior in paruo pro Diaconatu; pro Sacerdotio mensura hostiæ maioris; pro Episcopatu longè maior totum ferè caput circumcingens, vt definitum est in Concil. Tolet. IV., & in Concilio Placent. sub Vrbano VI.

ARTICVLVS V.

Sub quonam onere teneantur Clerici gestare coronam vulgò Clericam.

SVMMARIVM.

Varij status Clericorum. 1.
Sententia asserens in omni statu Clericos non deferentes per longum tempus tonsuram peccare lathalitèr. 2.
Sententia asserens, nullos per hoc peccare lathalitèr. 3.
Sententia asserens, beneficiarios, & constitutos in sacris peccare lathalitèr, non sic solis minoribus initiatos. 4.
Iura, quibus innititur prima sententia. 5.
Rationes pro secunda. 6.
Iura, & rationes pro tertia. 7.
Si fuerit Clericus sola prima tonsura initiatus, nec addictus alicui Ecclesiæ non deferens tonsuram, non peccat lathalitèr. 8.
Nec talitèr peccat, si fuerit in solis minoribus constitutus. 9.
Constituti in sacris per longum tempus non deferentes tonsuram, probabilius grauitèr peccant. 10.
Beneficiarij, quamuis in solis minoribus constituti grauitèr peccant. 11.
Nisi ex tenuitate beneficij excusentur. 12.

OMni æquitati, & rationi consonum est, vt Clerici, qui ratione status à cæteris secernuntur, & distinguuntur signum deferant, ex quo talis distinctio dignoscatur. Huiusmodi autem signa apud Deum sunt caractheres, apud homines, qui solum externa cognoscunt, corona in capite sensibilis. Hoc autem an onus sit simplicitèr congruentiæ, an verò necessitatis, &, an obliget sub læthali, nec ne, illud est, quod in præsenti inquirimus.

Vt distinctius hac in re procedamus, diuersos status Clericorum debemus distinguere, alij sunt tantum prima tonsura initiati, & in minoribus constituti, alij in maioribus. Alij siue sint minoribus, siue maioribus initiati, gaudent beneficio Ecclesiastico, alij eodem non gaudent; Per singulos hos status debemus discurrere; circa quos *Panormitanus in cap. si quis de vita, & honest. Cler. Sotus in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1. concl. 2., Siluester verb. Clericus 2. §. 2. vers. 4. peccat, Bannes secunda secundæ quæst. 2. art. 1* statuunt indefinitè omnes Clericos, qui per longum tempus negligunt coronam gestare, peccare læthalitèr. Alij verò extremè oppositum sentientes, inter quos *Caietanus in summa verba Clericorum peccata, Henriquez lib. 10. cap. 11. lit. M., Diana mor. institut. part. 2. tract. 4. de Sacramentis resol. 183.* sentiunt, nullos Clericos siue in minoribus, siue in maioribus constitutos, siue beneficiatos, siue non, peccare læthalitèr. Media via procedunt *Nauarrus in man. cap. 25. num. 110., & seqq., Gabriel Vasquez tom. 3. in tertia parte disp. 250. cap. 9., Bonacina de Sacrament. disp. 8. quæst. vnica punct. vlt. num. 3.*, asserentes peccare mortalitèr, si sint in sacris constituti, vel etiam beneficiati, secus verò, si non sint beneficiati, vel solis minoribus initiati.

1 *Varij status Clericorum.*

2 *Qui asserunt peccare lathalitèr.*

3 *Sententia asserens non peccare lathalitèr.*

4 *Media sententia.*

Prima sententia obligans sub læthali ijs fundamentis innititur, primo textui *in cap. probibete dist. 23.*, vbi sic legitur *Probibete Fratres per vniuersas regionum vestrarum Ecclesias, vt Clerici iuxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæra radant*. Secundò *Concil. Trid. sess. 23. cap. 6., & 17.*, vbi præcipitur, vt Clerici sacris ministerijs addicti tonsuram, & habitum Clericalem in Ecclesia gestent, &, quod non gaudeant priuilegio fori, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruiant. Tertiò Bullis Sixti V. Incipient. *cum Sacrosanctum*,

5 *Iura, quibus innititur prima sententia.*

ſtum, *& Paſtoralis*, in quibus præcipitur delatio coronæ Clericalis ſub pæna priuationis, & inhabilitatis beneficiorum, aut penſionum excedentium ſummam ſcutorum auri de Camera ſexaginta.

6 *Rationes pro ſecunda.* Secunda ſententia eximens à culpa læthali ijs innititur rationibus, quod nemo ſub læthali obligandus eſt, niſi conſtet de tali obligatione; ex nullo autem textu iuris canonici apparet quem obligari ſub læthali ad talem delationem, vndè omnibus allegatis textibus pro prima ſententia reſpondent, per eoſdem non induci obligationem ſub læthali, cum nullum in ijs appareat verbum, nec veſtigium, quod eandem importet; ſecundò, quia verſamur in materia leui, quæ ſecum non poteſt culpam grauem inducere.

7 *Iura, & rationes pro tertia.* Tertia ſententia deducitur ex nonnullis iuris canonici diſpoſitionibus, & primo *ex cap. Ioannes de Cler. coniug.*, vbi Innocentius III. decernit, Clericos coniugatos non debere deferre coronam Clericalem, niſi beneficium habeant Eccleſiaſticum, ratione cuius teneantur deferre tonſuram, ergo ibi Pontifex ſupponit habentem beneficium Eccleſiaſticum teneri tonſuram deferre. Secundò ex allegatis Conſtitutionibus Sixti V. in quibus imponit pænam priuationis, & inhabilitatis ad beneficia habentibus beneficium, ſeu penſionem excedentem ſummam ſcutorum ſexaginta. Hæc autem pæna grauis non poteſt eſſe ſine graui culpa. Quid iam in hac controuerſia concludendum?

8 *Sola tonſura initiatus non peccat.* Plura circa hoc ſtatuo. Primum, quod, ſi Clericus fuerit ſolum prima tonſura initiatus, nec alicuius Eccleſiæ miniſterio, ſeu obſequijs addictus non contrahat culpam læthalem, ſi Clericalem non deferat tonſuram. In hanc in fortioribus terminis conſentiunt Doctores pro ſecunda, & tertia ſententia relati. Rationem ex eo deſumo, quod iura, ſi quæ præcipiunt, delationem eiuſdem tonſuræ ſub pæna, ad ſummum reſpiciunt ordines, & præcipuè ſacros, & quoad eos, qui non deferunt Clericalem habitum, & tonſuram, nec ſunt alicui Eccleſiæ addicti ſolum ſtatuitur, quod non gaudeant priuilegio fori, vt videre eſt *in Concil. Trident. ſeſs. 23. cap. 6.* Ibi- *Is verò priuilegio fori non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem tonſuram, & habitum deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſeruiat*. Non gaudere autem priuilegio non eſt culpa, ſed non conſecutio eius, quod cæteroqui quis conſequeretur. Accedit, quod, cum prima tonſura non ſit ordo, ſed quædam dumtaxat præparatio, non videtur exigere eum cultum, quem poſſunt ordines exigere. Secundum, quod probabilius eſt, nec inducere talem culpam, quod non deferatur eadem tonſura ab habente ordines dumtaxat minores. In hoc etiam conſentiunt Doctores pro ſecunda, & tertia ſententia relati, quod ex eo deduco, quod huiuſmodi non ſint irreuocabilitèr alligati ſtatui Eccleſiaſtico, cum poſſint ab eodem recedere, & ad laicalem ſtatum redire; nec ex eo, quod habeant caracterem illorum ordinum impreſſum ſequitur, quod teneatur etiam ſub graui deferre illud ſignum ſenſibile, quandoquidem etiam Clerici coniugati habent caracterem indelebilem, nec tamen tenentur, quinimmò, nec poſſunt obſtante textu *in cap. Ioannes de Cler. coniug.* eandem tonſuram deferre. Accedit, quod *Concilium Trid. ſeſs. 14. cap. 6. de reformat.* pænas, quas inducit contra Clericos non geſtantes habitum, & tonſuram Clericalem reſtringit ad conſtitutos in ſacris, aut habentes dignitates perſonatus, & beneficia Eccleſiaſtica. Ibi- *aut, qui in ſacris fuerint, aut dignitates perſonatus &c. obtinuerint*, ergo, quia non cognoſcit tam grauem culpam in habentibus dumtaxat ordines minores. 9 *Nec ſi fuerit ſolum minoribus initiatus.*

Tertium, quod ſtatuo, eſt, quod in ſacris conſtituti probabilius contrahant noxam læthalem, ſi Clericalem tonſuram non deferant per longum tempus. In hoc conſentiunt Doctores pro ſecunda ſententia allegati, & à fortiori relati pro prima. Hoc deduco ex energia, qua *Concilium Trident. d. ſeſs. 14. cap. 6.* impropeրat hunc neglectum, vocat enim temeritatem, & Religionis contemptum, & deindè ſubdit pænis ibi comminatis non quoſcunque Clericos, ſed eos, qui aut in ſacris fuerint, vel dignitates, beneficia Eccleſiaſtica obtinuerint; vndè videtur ab eiſdem excludere habentes dumtaxat minores ordines. Ex quibus ad rem noſtram non inefficax efformo argumentum ſic. Incongruum eſt, graues imponere pænas, vbi non eſt graue delictum, ergo, cum hic grauis imponatur ſuſpenſionis ab ordinibus, ac officio, & beneficio, graue ſupponendum eſt eſſe delictum. Neque hic audiendus eſt *Marchinus loc. cit. num. 5.* aſſerens *in d. Concil. d. ſeſs. 14. de reformat. cap. 6.* neque *ſeſs. 23. cap. 6.*, *& cap. 17.*, non legi verbum læthalis tranſgreſſionis demonſtratiuum; Non inquam, audiendus; nam, quamuis ibi non fiat formalis, & expreſſa mentio culpæ læthalis, arguitiuè ex verbis illius talis culpa deducitur; tum ex energia, qua damnat, tum ex pænis, quas imponit contra delinquentes. 10 *Conſtituti in ſacris probabilius grauitèr peccant.*

Quartum,

Quartum, quod statuo, est beneficiatos, quantumuis sint solis inferioribus ordinibus initiati, non deferentes tonsuram, peccare læthaliter, nisi ex tenuitate beneficij excusentur. Consonat cum ijs, quæ statuunt Doctores tertiæ sententiæ propugnatores. Deducitur ex eodem *Concil. Trid. loc. mox cit.*, vbi loquitur, aut de ijs, qui in sacris fuerint, aut de ijs, qui dignitates, beneficia quæcunque obtinuerint; vndè de vtrisque sententia illa pœnalis intelligenda est, & quidem non immeritò; valdè enim graue videtur, quod beneficio Ecclesiastico gaudeat, & insignia Ecclesiastica dedignetur afferre. Hoc idem videtur euinci *ex d. cap. Ioannes de Cleric. coniug.*, vbi prohibetur Clericis coniugatis delatio tonsuræ, nisi beneficium habeant, ratione cuius teneantur illam deferre, qui textus supponit obligationem quoad beneficiarios deferendi tonsuram; quinimmò ex hoc textu videtur inferri limitatio posita in asserto. *Nisi ex tenuitate beneficij excusentur*; cum etenim textus dicat, nisi habeat beneficium, ratione cuius teneatur, vtique supponit, non quodcunque beneficiū obligare, cęteroqui frustrà addidisset rationē, ob quam teneatur deferre, sed sufficeisset dicere, si habeat beneficium. Hanc eandem limitationem magis confirmat Sixtus V. in allegatis Constitutionibus. *Cum sacrosanctum*, & *Pastoralis*, vbi legem non apponit, nisi habentibus beneficium, aut pensionem excedentem valorem sexaginta aureorum.

11 *Beneficiarij, quamuis in solis minoribus constituti grauitèr peccant.*

12 *Nisi ex tenuitate beneficij excusentur*

ARTICVLVS VI.

An, qui reciperet ordines sine Tonsura, peccaret læthalitèr.

SVMMARIVM.

Duplex sensus tituli exponitur. 1.
Accepta Tonsura non pro actione, quæ per ritum Ecclesiasticum fit, sed pro ipsa corona deferenda post talem actionem Sotus arbitratur maiorem esse culpam recipere ordines sine illa, ac sit per longum tempus illam non deferre. 2.
Contraria sententia præfertur per se loquendo. 3.
Per accidens tamen quandoque potest esse grauior culpa. 4.
Loquendo de prima tonsura, prout est actio Ecclesiastica, & dispositio ad ordines lathalitèr peccaret, qui sine illa ordines reciperet. 5.
Non est necessaria necessitate Sacramenti. 6.
Est tamen necessaria necessitate præcepti. 7.

Occasionem tribuit propositioni huius tituli *Sotus in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1. conclus. 2.*, dum ibidem dixit, grauius peccare, qui recipit sine Tonsura minores, vel etiam maiores ordines, quam qui longo tempore post illos susceptos eandem Clericalem coronam non gestaret. Marchinus, *qui tract. 2. de ordin. in partic. part. 1. de prima Tonsura cap. 5. num. 3.*, statuit omnes, siue in minoribus, siue in maioribus ordinibus constitutos, qui non deferunt Clericalem coronam, eximi à culpa læthali, vt se eximat ab hac difficultate *nu. 9.*, asserit, quod secluso scandalo recipiens ordines sine Tonsura ratione paruitatis materiæ non contrahat culpam læthalem. Sed, vt conijcitur ex tenore sequentium verborum Marchinus non videtur loqui de prima Tonsura, prout est actio, & functio Ecclesiastica per quam Episcopus ritu Ecclesiastico disponit ad ordines, sed de illo materiali signo, seu figura sphærica, quam post susceptam primam Tonsuram Clerici solent, & debent in capite deferre, & solum innuit, quod, qui hanc non habet, dum recipit ordines, non peccet læthalitèr, licet fortè grauius peccaret, si per longum tempus non gestaret, addita etiam ratione, quod iura, quæ præcipiunt delationem Tonsuræ non considerent, an non delatio fuerit antecedentèr, seu in ipsa ordinatione, an post illam, vndè concludit quidem, quod grauius peccet, qui per longum tempus à susceptione ordinum eandem non defert, ac ille, qui non defert in ipsa ordinum susceptione demensa grauitate à quantitate temporis. 1 *Duplex sensus tituli exponitur.*

Accepto titulo in hoc sensu *Sotus loc. cit.* discrepat ab eodem Marchino, & arbitratur, absolutè grauius esse peccatum recipere ordines siue minores, siue maiores sine Tonsura, ac post illos susceptos diu non deferre Tonsuram, quinimmò addit recipere maiores sine eadem ferè semper esse læthale, quem non alia ratione moueri arbitror, nisi quia illa susceptio ordinum sine Tonsura trahit secum spretum eorundem ordinum, a quo vix videtur posse eximi, & ille neglectus ratione læsionis ordinum præponderare illi temporis dilationi, qua extra ordinationem Tonsura non defertur. Nos in hac re arbitramur, per se grauius peccare, qui post ordines susceptos per longum tempus Tonsuram non deferat, & sic conformamur Marchino; per accidens vero quandoque grauius peccare, qui sine Tonsura ordines reciperet. Ratio primæ partis ex eo desumitur, quod culpa, si quæ est, consistit in non delatione, ergo

2 *Opinio Soti asserentis esse maius peccatum recipere ordines sine tonsura, ac illam diu non deferre.*

3 *Contraria sententia præfertur.*

quo longior, & diuturnior erit non delatio, eo grauior erit culpa, nec per se est considerabile, quod illa non delatio interueniat in ipsa ordinum susceptione, quandoquidem iura præcipientia delationem absolutè procedunt, nec potius vnum, quam aliud tempus respiciunt, sicuti non respiciunt, an deferatur, vel non deferatur pro tempore susceptionis aliorum Sacramentorum. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quia talis non delatio pro tempore susceptionis ordinum potest esse coniuncta, vel cum spretu, vel cum scandalo, qua ratione certè culpa fieret grauior.

4 *Secus per accidens.*

Sed, cum nos titulum proposuerimus ad alium finem, & sub alia consideratione scilicet, an sit peccatum læthale recipere ordines non recepta prius prima Tonsura, prout hæc dicit actionem Ecclesiasticam per quam adscribitur militiæ Ecclesiasticæ, ideò sub his terminis eundem titulum discutimus.

5 *Recipere ordines, sine prima tonsura prout est actio Ecclesiastica est graue peccatũ.*

Dicimus igitur, læthalitèr peccare, qui non recepta prima Tonsura alios ordines siue minores, siue maiores reciperet. In hoc arbitror omnes consentire, cum esset inordinatio contra præscripta Ecclesiæ in re graui; licet enim prima Tonsura non sit ordo, quia tamen requiritur tanquam dispositio ad eosdem ordines recipiendos, eiusdem omissio non solum esset contra præscripta Ecclesiæ, sed etiam contra naturæ dispositionem, quæ exigit, vt dispositiones formam præcedant, ad quam disponunt. Sed, an prærequiratur ex necessitate, an tantum Ecclesiastico iure. Certum est, non esse ex necessitate Sacramenti, cum non fuerit à Christo instituta, sed ab Ecclesia introducta, &, quamuis etiam daremus, esse à Christo institutam, non propterea esset necessaria ante alios ordines necessitate Sacramenti, cum etiam ordines instituti à Christo Domino validè recipiantur, quamuis per saltum recipiantur, quinimmò aliqui tradunt ab initio non fuisse præceptam saltem cum rigore culpæ læthalis.

6 *Non est necessaria necessitate Sacramenti.*

Esse verò necessariam necessitate præcepti Ecclesiastici grauitèr obligantis tradunt *Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 1.*, *Duraudus ead. dist. quæst. 4*, *D. Thomas tertia part. in addit. quæst. 40. art. 1.*, *Victoria in summa de Sacram. quæst. 240.*, *Chamerota de Sacram. tract. 11. de Sacram. Ord. cap. 1. dub. 1. post medium*. Vbi aliud ius scriptum de hoc non appareret, sufficeret non scriptum fundatum in vsu totius Ecclesiæ, & communitèr receptum sub graui onere.

7 *Benè tamen necessitate præcepti.*

ARTICVLVS VII.

Quid propriè sit prima Tonsura.

SVMMARIVM.

Prima Tonsura non est ordo. 1.
Est tantum dispositio ad ordines. 2.
Quomodo Tonsura disponat ad ordines. 3.
Refertur modus à Nauarro assignatus. 4.
Disponit quasi negatiuè remouendo contraria est quomodo. 5.

Non est hic sermo de illa materiali actione, quæ fit in collatione eiusdem Tonsuræ, & prout est substratum significationis, nam certo constat, quod nihil aliud sit, quam tonsio capillorum, quæ fit per Episcopum tonsurantem in formam crucis; sed de formali significato eiusdem, & prout importat aliquam potestatem, seu dispositionem ad illam in tonsurato; in quo sensu acris est contentio inter Theologos, & Canonistas, dum illi volunt non esse ordinem, sed meram dispositionem ad illos; isti verò computant inter ordines. In hoc diu non immorandum cum de ipso egerimus supra in hoc eodem *tractatu quæst. 1. art. 1.*, vbi latè probauimus, ordinem non esse, & ibi Canonistarum argumentis, & textibus per ipsos adductis respondimus. Quamobrem.

1 *Prima tonsura non est ordo.*

Directè respondentes ad quæsitum in titulo propositum dicimus, esse dispositionem, seu præparationem ad ordines, & in hoc communitèr consentiunt, & recta quidem ratione hoc decernitur, vt seruetur quædam analogica proportio inter res naturales, & supernaturales; nam, sicuti in rebus naturalibus dispositiones proportionatæ debent præcedere formam, & subiectum adaptare ad illam recipiendam, ità maximè congruum fuit, vt ad formas supernaturales, quæ per ordines conferuntur, præcederent dispositiones supernaturales, quæ subiectum præpararent ad easdem formas recipiendas; vndè Cathechismus Romanus de Sacramento Ordinis sic differit, *vt enim homines ad Baptismum Exorcismis, ad Matrimonium Sponsalibus præparari debent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur*. Ex eo autem, quod dicatur *præparatio*, *seu dispositio* directè sequitur, quod non sit ordo; nam, sicuti dispositio ad formam non est forma, ita nec dispositio ad ordines est ordo.

2 *Est tantum dispositio ad ordines.*

Si autem quæratur quomodo Tonsura disponat ad ordines? cum etenim non sit

Sa-

Sacramentum, nec à Christo Domino
3 *Quomodo tonsura disponat ad ordines.* instituta, non potest ex opere operato producere aliquem effectum, qui habeat connexionem cum ordinibus, adeoque non videtur, quomodo possit ad illos disponere; dispositio etenim debet habere aliquam proportionem ad formam, ad quam disponit. *Nauarrus de temp. ordin. cons. 29. num. 2.* hæc expressè habet. *Tenendo cum Theologis, quod ordines non sint nisi septem, & quod in prima Tonsura, & in Episcopatu non imprimatur caracther, sit tamen benedictio, & deputatio consecratiua, quæ non debet repeti, nec potest tolli, nisi modis à iure expressis iuxta ea, quæ*
4 *Refertur modus à Nauarro assignatus.* *de benedictione constitutiua rei sacræ diximus* ex quibus verbis conijcitur, quod mens Nauarri sit, quod ratione cęremoniarum, & rituum, quæ, seu, qui in collatione Tonsuræ ab Ecclesia adhibentur, resultet in tonsurato quædam deputatio consecratiua, quæ moralitèr in ipso perseueret; per hanc deputationem secernitur tonsuratus à vanitatibus sæculi, quod indicatur per illam capillorum tonsionem, & constituitur in hæreditate Dei, & Christi, quod indicatur per verba, quæ Episcopus tonsurando profert. Hæc certè abdicatio à vanitatibus sæculi est dispositio saltem negatiua ad ordines recipiendos; cum etenim per ordines totalitèr Deo consecremur, æquum est, vt præcisè à sæculo abdicemur, cum non possimus Deo seruire, & mamonæ. Ex
5 *Disponit quasi negatiuè remouendo cõtraria* hoc resultat, quomodo Tonsura sit dispositio ad ordines. Sed adhuc remanet explicandum, an illa deputatio consecratiua habeatur per aliquam qualitatem productam in ipso Tonsurato, an verò solummodo per externam deputationem, & si per qualitatem inhærentem, à quonam immediatè illa producatur? Sed de hoc infrà agemus, dum inquiremus, an in prima Tonsura imprimatur caracther.

ARTICVLVS VIII.

An prima Tonsura habeat in eiusdem collatione materiam, & formam.

SVMMARIVM.

In collatione primæ Tonsuræ tonsio capillorum facta ab Episcopo in modum crucis se habet, vt materia, verba, quæ tunc proferuntur, vt forma. 1.

Sententia asserens illa verba non esse substantialia. 2.

Illa verba, si omittantur, tam à conferente, quam à recipiente, non tenet Tonsura. 3.

Si illa verba non proferantur à recipiente primam Tonsuram hæc non est inualida. 4.

Si illa verba proferantur à recipiente, & non à conferente non tenet. 5.

CVm ex præactis prima Tonsura non sit Ordo, nec Sacramentum, nec sit à Christo Domino instituta, nec videtur propriè constare materia, & forma: Sed hoc euincit solum non habere easdem ex Christi institutione; non autem non habere ex institutione Ecclesiæ; sicuti enim ordines sunt quædam complexa moralia à Christo instituta, ita, & prima Tonsura, sicuti & cætera Sacramentalia videntur moralia complexa ex partibus componentibus ex Ecclesiæ institutione. Videndum est igitur, an per Ecclesiam aliqua in hac Tonsuræ collatione sint instituta, tanquam materia, & aliqua tanquam forma. In quæstionibus *de Sacramentis in genere quæst. 8. de Sacramentalibus art. 2.* singulis assignauimus materiam, & formam. Nunc etiam videndum est, an huiusmodi materia, & forma fuerit assignata pro prima Tonsura, & quænam hæc sint.

Assertio. Etiam in prima Tonsura aliquid assignatur loco materiæ, & hæc est tonsio capillorum facta ab Episcopo in formam crucis, & aliquod loco formæ, & sunt verba illa. *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* 1 *Assignatur quædam materia & forma.*

Probatur, quia, vbi in institutione sacrorum rituum, seu Ecclesiasticarum cæremoniarum assignata sunt verba cum rebus, seu extrinsecis actionibus, regularitèr verba vtpotè determinatiua habent rationem formæ, & res, & actiones sensibiles vtpotè determinabiles habent rationem materiæ, sed in collatione primæ Tonsuræ interueniunt verba, *Dominus pars hæreditatis meæ &c.*, & actio illa sensibilis tonsionis capillorum, ergo illa habent rationem formæ, ista rationem materiæ; & in hoc seruatur proportio analogica inter Sacramenta, & Sacramentalia cum hoc dumtaxat discrimine, quod materia, & forma in Sacramentis sunt instituta à Christo Domino, in Sacramentalibus verò ab Ecclesia.

Sed hic oritur difficultas, an verba illa. *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* ita sint forma collationis primæ Tonsuræ, vt, si non proferantur, vel ab Episcopo, vel à tonsurando irrita reddatur ipsa collatio. Cum forma sit constitutiua rei, cuius est forma, videtur absolutè, quod, si omittatur, vel ab vno, vel ab altero eorundem prolatio, irrita reddatur ipsa actio, nam deficiente forma constitutiua rei ipsa res definit, & quidem, si omit-

tatur ab ipso tonsurato videtur res clara, cum verba in illius nomine, & persona proferantur, & ipse appellet, quod Dominus sit ipsius hæreditas, & propterea dicat *Dominus pars hæreditatis* cum particula demonstratiua *mea*, si verò omittatur ab Episcopo, videtur etiam res perspicua, cum ipse Episcopus sit minister, a quo debet propterea forma pro-

2 cedere. Nihilominus huiusmodi verba non esse substantialia, sed merè cæremonialia afferunt *Rodriquez in summa part. 2. cap. 17. num. 6., Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 1., Nauarrus conf. 12. de temp. ordin. lib. 1., & conf. 4. de Sacram. non iterand., Henriquez lib. 10 cap. 9. circa fin., Andreas Molfesius in summa tract. 2. cap. 3. num. 10., Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 1. de prima Tonsura cap. 12. num. 4., & 5.,* adeovt, si omittantur, non reddatur inualida Tonsura.

Sententia asserens illa verba non esse essentialia ad tonsurã.

3 Ego autem in hoc plura dico. Primum quod, si ab vtroque omittatur, inualida sit Tonsuræ collatio. Ratio ex eo deducitur primò, quia Ecclesia in institutione huius Tonsuræ, non solum præscripsit tonsionem capillorum, tanquam materiam, sed etiam illa verba tanquam formam, ergo omissis illis verbis, sicuti omissa tonsione capillorum erit irrita ipsa Tonsura. Secundò, quia ita se habent Sacramenta tanquam conflata moralia ex institutione Christi Domini, sicuti se habent Sacramentalia tanquam conflata etiam moralia ex institutione Ecclesiæ, adeo vt sicuti illa dependent à Christo Domino, a quo totam vim habent, ita ista dependeant ab Ecclesia, à qua recipiant esse, sed in illis deficiente forma à Christo instituta nullam vim habent, sed sunt simpliciter irrita, vt est in confesso apud omnes, ergo etiam in istis deficiente forma, seu eo, quod se habet per modum formæ instituta, seu instituto ab Ecclesia nullam vim habebunt, sed erunt simpliciter irrita, cum omnis actio totam vim habeat ex vi propriæ institutionis, seu institutoris. Tertiò, quia in alijs Sacramentalibus non minus materia essentialis est, & necessaria ad eorum validitatem, quam forma, seu id, quod institutum est ad modum formæ, vt videre est in aqua lustrali, adeovt, si omittantur preces ad hoc institutæ, irrita intelligitur eiusdem benedictio, ergo hoc idem intelligendum est de prima Tonsura.

Si omittantur ab vtroque inualida est collatio.

4 Secundum, quod dico, est, quod, si illa verba non proferantur à suscipiente primam Tonsuram, non reddatur irrita eiusdem susceptio. In hoc arbitror consentire Doctores supra allegati pro validitate eiusdem Tonsuræ omissa prolatione illorum verborum. Ratio ex eo deducitur, quia illa verba proferuntur ab Episcopo nomine, seu cum relatione ad personam tonsurandam, & licet actiuè ab eodem procedat, tanquam à ministro, terminatiuè tamen sunt ad tonsurandum tanquam ad subiectum, ergo, quantumuis nõ proferantur ab eodem suscipiente, cum habeant significationem ad ipsum relatam, suum effectum consequentur. Quod, si dicas, quod, cum illa particula *mea* referatur ad proferentem, in cuius persona solum potest verificari, non possit sortiri effectum in eo, qui eadem non profert, cum etenim verba id efficiant, quod significant, & solum significant proferentem, & non alium, in alio non possunt effectum producere; statim impugnaberis, quia Episcopus in illa prolatione, quamuis personam ministri gerat, assumit tamen quodamodo personam recipientis, & illius nomine profert eo modo, quo præstat Sacerdos dum alteri Sacramentum Eucharistiæ ministrat in eius persona dicit Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum &c., & sanabitur anima mea. Ad hoc confirmandum plurimum facit id, quod refert *Rodriquez in summa part. 2. cap. 17. num. 6.*, paucos esse ex tonsuratis, qui meminerint, se in receptione primæ tonsuræ illa verba protulisse.

Si non proferãtur à recipiente tenet.

Tertium, quod dico, est, quod, si illa verba proferantur à recipiente primam Tonsuram, & non ab Episcopo conferente, inualida sit receptio, & collatio. Ratio est, quia minister istius Tonsuræ, non est ipse tonsurandus, sed Episcopus tonsurans, ergo ab isto est proferenda forma, nec sufficit, quod proferatur ab ipso tonsurando, cum forma sit proferanda à ministro, non à suscipiente. Neque aduersus ea, quæ dicta sunt in hoc, & in primo dicto obstare potest id, quod afferit *Marchinus loc. cit.*, scilicet non præscribi in Pontificali talia verba, vt substantialia, sed vt merè cæremonialia, & ideò eorum omissionem non reddere inualidam collationem, cum Tonsura substantialiter consistat in translatione à laicali ad statum Ecclesiasticum capillorum ab scissione tanquam visibili signo expressa. Non, inquam, obstare potest, quia totum conflatum ex illa abscissione capillorum, & prolatione illorum verborum, cum non sit ordo, est mera cæremonia sacra, & Ecclesiastica inducta ex institutione Ecclesiæ, ex illa tanquam re determinabili, & substracto significationis; ex ista tanquam ratione determinante, & significante; quare vtriusque omissio reddit inualidam collationem; vndè illa

5 *Si proferant ur à recipiente, & non à conferẽte non tenet.*

transla-

translatio à laicali ad statum Ecclesiasticum est quidem effectus collationis validæ primæ tonsuræ, sed hæc sufficientèr non habetur per illam capillorum abscissionem quomodocunque acceptam, nam si fieret abscissio ab alio ab Episcopo, non inferret illam translationem à statu laicali ad Ecclesiasticum. Requiritur igitur abscissio non merè materialis, sed formalis, & vestita forma determinante, & significante à legitimo ministro, cuius intentio determinatur per eandem formam.

ARTICVLVS IX.

De requisitis ex parte recipientis ad Tonsuram.

SVMMARIVM.

Ad validam receptionem primæ Tonsuræ prærequiritur Baptismus, & sexus masculinus. 1.

Irregularis, probabilius nec licitè, nec validè recipit primam Tonsuram. 2.

Ecclesia potest reddere subiectum incapax ad ea, quæ ab ipsa pendent. 3.

Non interueniunt omnia requisita. 4.

Ad licitam receptionem prærequiritur in tonsurando confirmatio, ætas septem annorum, quod sciat legere, & scribere, & quod nouerit rudimenta fidei &c. 5.

An & quomodo defectus huiusmodi qualitatum inducat culpam grauem. 6.

Requisita respectu eiusdem, vel possunt esse quoad validam, vel quoad licitam receptionem, & quidem in ordine ad validam receptionem difficultas reducitur potissimum ad non Baptizatos, ad fæminas, & ad irregulares; quoad licitam difficultas reducitur ad non confirmatos, ad illiteratos, ad ignorantes rudimenta fidei, & similia.

1 *Prærequiritur baptismus, & sexus masculinus.*

Assertio I. Ad validam receptionem primæ Tonsuræ requiritur, vt recipiens sit Baptizatus, & masculus. In hoc omnes conueniunt.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia non Baptizatus non minus est incapax aliorum Sacramentorum, quam beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, cum per Baptismum solummodo quis ingrediatur ianuas Ecclesiæ, & licet dicatur Baptismus ianua Sacramentorum, est tamen simul & semel ianua, sine qua non potest in Ecclesiam ingredi, adeoque neque ad Ecclesiastica officia, & munera. Cum igitur prima Tonsura sit Ecclesiastica functio non exercibilis extra Ecclesiam, ita non est consequibilis, nisi ab ijs, qui sunt intra Ecclesiam.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quia fæminæ non sunt capaces Ecclesiasticorum ordinum, vt omnia iura clamant, vsus Ecclesiæ euincit, comprobant SS. PP., ergo neque sunt capaces primæ Tonsuræ; vbi etenim est repugnantia ad formam, est etiam repugnantia ad dispositiones ad ipsam.

2 *Irregularis nec licitè, nec validè recipit primam tonsurā.*

Assertio II. Irregularem probabilius esse incapacem primæ Tonsuræ, adeovt nec licitè, nec validè ipsam possit recipere. Quod licitè non valeat recipere est opinio communis, & signantèr hoc sustinent *Suarez de censur. disp. 40. sect. 1. num. 11., & sect. 2. num. 2., Sairus lib. 6. de censur. cap. 1. num. 19., Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 1. de prima Tonsura cap. 14. num. 2., & seqq.* Quod neque validè, probabile censet idem *Marchinus loc. cit. num. 5.* licet postea contrarium ipse verius existimet.

Iura ex quibus euincitur illicita receptio.

Prima pars ex eo euincitur, quod pluribus in locis iuris canonici præcipitur, irregulares non admitti ad Ecclesiasticum ministerium per textum *in cap. si laici dist. 34.*, deijciendos à Clero per textum *in cap. quoniam dist. 47.*, non admittendos ad ordinationem *dist. 81. in princip.*, quæ omnia indicant impedimentum canonicum ad clericales ordines. Neque dicas, hæc intelligenda esse dumtaxat de impedimento ad ordines; prima autem Tonsura non est ordo, adeoque nec continetur sub illorum iurium dispositione; contra enim impugnaberis, quia posito impedimento ad formam intelligitur etiam positum ad dispositionem ad talem formam; vndè iura, quæ prohibent ordinum susceptionem intelliguntur etiam implicitè prohibere primam Tonsuram, quæ est dispositio ad illos.

3 *Ecclesiā potest reddere incapax subiectū ad recipienda ea, quæ ab ipsa pendent.*

Secunda pars ex eo euincitur, quod prima Tonsura est mera Ecclesiastica functio non à Christo Domino, sed ab Ecclesia instituta, & per consequens dependens à voluntate eiusdem Ecclesiæ, ergo posito ab Ecclesia canonico impedimento ad illam recipiendam validè non recipietur, cum non sit voluntas in Ecclesia, vt recipiatur. Neque dicas, si irregularis recipiat ordines, quamuis illicitè propter prohibitionem Ecclesiæ recipiat, validè tamen recipit, ergo etiam quamuis illicitè recipiat primam Tonsuram, validè tamen recipit. Contra enim impugnaberis, quia diuersa omninò est ratio de susceptione ordinum, ac de susceptione primæ Tonsuræ; institutio etenim ordinum est à Christo Domino, cuius potestas nequit ab Ecclesia impediri; institutio verò primæ Tonsuræ est ab

ab Ecclesia à cuius voluntate dependet; ipsa autem Ecclesia potest efficaciam suorum operum impedire reddendo subiectum incapax per irregularitatem.

4 *Non interueniūt omnia requisita.* Neque vrgeas, quod in illa actione, qua confertur tonsura irregulari, interueniant omnia substantialia, nempe capillorum abscisio, verborum prolatio cum intentione tum conferentis, quam recipientis, adeoque non est, cur non debeat esse valida collatio, & receptio; contra enim adhuc impugnaberis, quia non est facta adæquata numeratio requisitorum, inter quæ debet interuenire etiam capacitas subiecti; nam, si quis Episcopus v. g. conferret primam Tonsuram fæminæ, licet concurrerent omnia supra numerata in instantia, validè non conferret ob incapacitatem subiecti, ita si conferret irregulari concurrentibus omnibus prædictis ob incapacitatem ipsius inualidè conferret; Neque iterum instes incapacitatem fæminæ esse de iure Diuino, & absolutam; illam verò irregularitatis esse dumtaxat de iure Ecclesiastico, & limitatam; contra adhuc impugnaberis, quia ex eo, quod incapacitas fæminæ sit de iure Diuino sequitur, quod non possit recipere ea, quæ instituta sunt à Christo Domino, nec ordinata ad ipsam, vel etiam à iure Ecclesiastico; ex eo autem, quod incapacitas irregularis sit de iure Ecclesiastico tantum, sequitur quidem, quod non sit in ordine ad ea, quæ sunt à Christo Domino instituta, & dependent solum ab eius voluntate, non sequitur autem, quod non sit in ordine ad ea, quæ instituta sunt ab Ecclesia, & ab ipsius tantum voluntate dependent, cuiusmodi est prima Tonsura.

5 *Requisita ad licitā receptionē* Assertio III. Ad licitam susceptionem primæ Tonsuræ prærequiritur in suscipiente, quod sit confirmatus, quod sit septennis, quod sciat legere, & scribere, quod norit rudimenta fidei, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, simbolum Apostolicum, præcepta Decalogi, quinque Ecclesiæ præcepta, septem capitalia peccata &c.

Hæc omnia colliguntur *ex Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 4.* Ibi. *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, vel scribere nesciant.* De ætate septenni habetur *in cap. fin. de temp. ordin. in 6.* addita etiam congruenti ratione, quod, sicuti talis ætas sufficiens est ad sponsalia temporalia, ita etiam sufficiens sit ad spiritualia.

Difficultas solummodo aliqua est, an huiusmodi qualitates ita sint requisitæ, vt earum omissio inducat culpam grauem, & læthalem. De Sacramento Confirmationis dictum est supra. De ætate hoc certum est, quod, si quis prima tonsura initietur ante septennium ipse culpam aliquam non contrahat, cum ante illum annum ex communitèr accidentibus supponatur carere vsu rationis sufficientis ad peccandum, sed ex hoc non arguitur, quod promotio ante illum annum non sit ex se peccaminosa læthalitèr, sed tantum, quod non sit talis respectu talis subiecti defectu iuditij, seu vsus rationis. Vtrum verò ex se præscindendo à minoritate subiecti carentis vsu rationis sit peccaminosa læthalitèr, adeo vt peccato læthali innodetur conferens, si conferat scientèr ante talem ætatem, & etiam recipiens, si talem ætatem attigerit, & sit compos rationis. *Homobonus tract. 1. de causa materiali, & subiecto examinis cap. 10. quæst. 60. vers. quinimmo bis pueris* allegato *Sairo lib. 6. de censuris cap. 12. num. 10.*, sentit ex se esse peccaminosam læthalitèr, cum violet Ecclesiæ ordinationem, quinimmò addit conferentem suspendi à collatione tonsuræ per annum, quod, si verum esset, magis firmaretur opinio de culpa læthali, quæ argueretur à grauitate pænæ. Huic opinioni libentèr quoad culpam læthalem adhæreo, quia non minus ex dispositione iuris hæc ætas requiritur in tonsurando, quam ætas præscripta in susceptione aliorum ordinum; sicuti autem ordinatio in alijs ante præscriptam ætatem inducit culpam læthalem, ità promotio ad primam tonsuram ante præscriptum septennium talem culpam inducet; Quoad suspensionem verò ad annum à collatione primæ tonsuræ, non inuenio quoad hoc aliquam specialem iuris dispositionem, quæ nec videtur ex eo inferenda, quod contra promouentes ad ordines ante legitimam ætatem talis pæna sit imposita, quandoquidem ipsa prima tonsura non est ordo, & in pænalibus non facienda sit extensio etiam à paritate rationis, & à fortiori, quando non est eadem ratio.

6 *An defectus huiusmodi qualitatum inducat grauem culpam.*

De defectu peritiæ legendi, & scribendi, & de ignorantia rudimentorum fidei probabilius arbitror etiam grauem culpam inducere, cum esset tonsuratio contra expressam Ecclesiæ prohibitionem, vt colligitur *ex Concil. Trid. d. sess. 23. de reformat. cap. 4.*, vbi non consulit, sed absolutè præcipit, vt non initientur, nisi fidei rudimenta edocti fuerint, & sciant legere, & scribere.

AR.

ARTICVLVS X.

An in prima Tonsura imprimatur caracther.

SVMMARIVM.

Prima tonsura est irriterabilis. 1.
In collatione eiusdem non imprimitur caracther. 2.
Per primam tonsuram nulla confertur potestas actiua. 3.
Si per illam produceretur caracther, hic non posset referri, nisi ad illum ordinis, qui est actiuus. 4.
Distinctio inter statum clericalem, & laicalem habetur per deputationem, & quomodo. 5.
Ecclesia non habet vim producendi, & imprimendi qualitatem spiritualem. 6.
Ex quo proueniat irriterabilitas primæ tonsuræ. 7.
Fundatur in morali iure consurgente ex functione Ecclesiastica. 8.

1 *Prima tonsura est irriterabilis* EX vno capite ex eo, quod prima tonsura sit irriterabilis, videtur congruè argui, caracterem imprimere; sicuti enim ex irriterabilitate in Sacramento Baptismi, Confirmationis, & Ordinis arguitur caracther, ita etiam in tonsura ex eadem irriterabilitate idem caracther videtur inferri. Ex alio capite, cum ex supra allegatis, & probatis prima tonsura non sit ordo, nec Sacramentum, nec videtur caractherem producere, cum hæc qualitas sit præcisè annexa Sacramentis irriterabilibus. Quid iam in hoc decidendum?

2 *Non imprimit caractherem.* Assertio. In collatione primæ tonsuræ non imprimitur caracther. Consentiunt in hoc communitèr Theologi aduersus Canonistas, qui, ex quo sentiunt primam tonsuram esse ordinem, videntur compelli ad asserendum imprimere caractherem, sicuti imprimunt alij ordines; signantèr sustinent non imprimere *Marchinus tract. 1. de Sacram. Ord. in communi part. 3. de effectibus Sacram. Ord. cap. 5. num. 5., & seqq., Henriquez lib. 10. cap. 9. num. 4., Marius Antoninus lib. 3. variar. resol. resol. 2. num. 6.*, qui duo tamen postremi, quamuis asserant nullum caractherem in prima tonsura imprimi, dicunt tamen in eadem imprimi quandam potestatem actiuam cum clericatu, & illius priuilegio, & vtique irriterabilem, quod tamen, an verum sit? mox videbimus.

Probatur primò, quia caracther ex communi consensu imprimitur dumtaxat in triplici Sacramento, nempè Baptismi, Confirmationis, & Ordinis; si igitur in prima tonsura imprimitur caracther, hic debet referri ad caractherem Ordinis, cum non pertineat nec ad illum Baptismatis, nec ad illum Confirmationis. Quo posito sic ad rem nostram argumentor. Caracther Ordinis est signaculum quoddam, per quod spiritualis potestas confertur, & quidem actiua ad exercenda munera ordinis collati, sed per primam tonsuram nulla confertur potestas actiua, quandoquidem omnis potestas actiua ordinatur ad suum actum proprium; prima autem tonsura nullam habet actum sibi proprium, ergo &c. 3 *Non cōfert potestatem actiuam*

Dices primò, de ratione caractheris, vt sic non esse, vt conferat potestatem actiuam, sed sufficere, quod conferat, vel actiuam, vel passiuam, vt videre est in Baptismo, qui confert solummodo potestatem passiuam ad recipienda alia Sacramenta, cum respectu ipsorum sit ianua. Hoc autem habet prima tonsura, quæ, cum sit dispositio ad ordines, confert potestatem passiuam ad illos saltem licitè recipiendos. Sed contra, quia, vt præmisi in probatione; hic caracther, si verè imprimeretur, non posset, nisi reduci ad caractherem ordinis, qui ex genere suo est actiuus, cum detur in ordine ad actus producendos, qui sunt proprij illius ordinis, quo quis insignitur; hoc autem primæ tonsuræ non potest competere, cum nullos actus proprios habeat, vndè reducendus esset, vel ad caractherem Baptismatis, quod nemo dicet, vel pro illa constituendus est nouus caracther, qui nec ad illum Baptismatis, nec ad illum Confirmationis, & Ordinis esset reducibilis. Deindè nos hanc probationem præcisè apposuimus ad eludendam opinionem *Henriquez, & Marij Antonini supracitatorum* volentium, quod, quamuis in prima tonsura non imprimatur caracther, imprimatur tamen quædam potestas spiritualis; ex hac tamen negatione potestatis inferebamus caractherem non imprimi, qui nequit esse sine potestate, & cum reducatur ad ordinem, illa potestas debet esse actiua, sicuti est illa cæterorum ordinum. Tandem ad illud, quod dicebatur de Baptismo, dicendum est, non currere paritatem, quia Baptismus ita est dispositio ad cætera Sacramenta, vt sit etiam causa, seu fundamentum, sine quo illa nequeunt nec licitè, nec validè recipi; prima autem tonsura est mera dispositio, nec ponit capacitatem ad ordines, cum sine illa validè possint recipi, quinimmo antiquitus recipiebantur sine tonsura. 4 *Non posset esse nisi caracther ordinis.*

Dices secundò, per primam tonsuram

ponitur

ponitur distinctio status clericalis à laicali; hæc autem distinctio nequit constitui nisi per aliquam qualitatem impressam in tonsurato, quæ non potest esse, nisi caracther, quod potissimum verificatur ex mente *D. Thomæ tertia part. quæst. 63. art. 3.*, vbi definiens caractherem ipsum constituit in genere distinctionis. Sed contra, quamuis caracther sit signum distinctiuum; non tamen quælibet distinctio est caracther. Dato igitur, quod per primam tonsuram status Clericalis, seu Ecclesiasticus distinguatur à merè laicali, non propterea hæc distinctio consurgit ex caracthere, qui in tonsurato imprimatur, sed ex mera deputatione Ecclesiæ, quæ non habet virtutem imprimendi in anima qualitatem spiritualem. Hæc autem deputatio fit per illam actionem Ecclesiasticam, qua fit abscissio capillorum cum prolatione verborum. Hinc

5 *Distinctio status Clericalis, & laicalis per quid habeatur.*

6 Probatur secundò assertio. Per nullam actionem merè Ecclesiasticam verè, & propriè infunditur caracther, cum hæc sit qualitas spiritualis à solo Deo producibilis, vel immediatè per se ipsum, vel medio aliquo instrumento ab ipso instituto; sed prima tonsura est functio merè Ecclesiastica, ergo per illam propriè non imprimitur caracther. Maior patet discurrendo per singulas functiones merè Ecclesiasticas, & item ex improportione eiusdem ad producendam qualitatem spiritualem in anima, cum Ecclesia ex se, non possit conferre instrumenta producendi id, quod ipsa ex se non potest producere. Confirmatur solis Sacramentis, & quidem non omnibus, sed tribus dumtaxat assignatis indita est ex institutione Diuina vis productiua caractheris, ergo illa vis non est extendenda ad ea, quæ non sunt Sacramenta, cuiusmodi est prima tonsura, & dependent solum ex institutione Ecclesiæ.

Ecclesia nō habet vim producendi qualitatem spiritualē.

7 Ad argumentum, quod supra afferebatur de irriterabilitate primæ tonsuræ, dicendum est irriterabilitatem non solum prouenire ab intrinseco ex qualitate indelebilitèr impressa in anima, sed etiam ab extrinseco ex deputatione Ecclesiæ dependentèr ab aliqua actione, & cæremonia Ecclesiastica, quam deputationem *Nauarrus cons. 23. de temporibus ord.* appellat consecratiuam, quæ non debet repeti, nec potest tolli, nisi modis à iure expressis iuxta ea, quæ de benedictione constitutiua rei sacræ dicuntur, vndè dicendum est irriterabilitatem, quæ oritur ex Sacramento, esse cum impressione caractheris; non autem, quæ prouenit extra Sacramentum, qualis est illa primæ tonsuræ.

Ex quo proueniat irriterabilitas primæ tonsuræ.

Si autem quæratur, in quo fundetur illa irriterabilitas primæ tonsuræ, si nullam imprimat qualitatem indelebilem. Respondendum est, fundari in quodam morali iure, seu habitudine consurgente ex illa functione Ecclesiastica ritè, & legitimè habita, per quam subiectum ex institutione Ecclesiæ constituitur in statu Ecclesiastico, & distinguitur à laicali cum priuilegio fori &c. hocque est, quod innuebat *Nauarrus loc. cit.* dicens esse quandam deputationem, seu benedictionem consecratoriam, quæ non debet repeti. 8

Fundatur in morali iure.

ARTICVLVS XI.

An existens in excommunicatione, vel peccato lathali recipiens primam Tonsuram contrahat respectiuè irregularitatem, vel nouam noxam lathalem.

SVMMARIVM.

Excommunicatus recipiens primam Tonsuram, non fit irregularis. 1.

Non ex quacunque communicatione in sacris respectu excommunicati, contrahitur irregularitas. 2.

Sententia asserens existentem in peccato lathali peccare lathalitèr, si recipiat primam Tonsuram. 3.

Probabilius non peccat lathalitèr. 4.

Non quælibet contractatio sacrorum minus sancta est peccaminosa lathalitèr. 5.

QVoad primam partem tituli de excommunicato, quem supponimus nominatim denuntiatum, & vitandum non controuertimus hic, an validè, an verò inualidè suscipiat primam tonsuram, nam videtur esse eadem difficultas, quæ de irregulari, de qua dictum est in præcedentibus, sed abstrahendo à validitate, vel inualiditate eiusdem, ex eo præcisè, quod irretitus tali censura se exponat illi Ecclesiasticæ actioni inquirimus, an contrahat irregularitatem.

Assertio I. Excommunicatus recipiens primam tonsuram in excommunicatione, probabilius non contrahit irregularitatem. In hanc in fortioribus terminis debent consentire, quotquot sustinent, excommunicatos recipientes ordines minores ipsam non contrahere, qui sunt *Nauarrus de sentent. excommunicat. cons. 28.*, *Auila part. 7. disp. 7. dub. 6.*, *& alij*. Sed nos, qui in præcedentibus docuimus recipientes minores ordines in excommunicatione irregularitatem contrahere, debemus ex alio fonte rationes pro hac assertione deducere. I

Excommunicatus recipiens primam tonsurā non fit irregularis.

Pro-

Probatur igitur hoc medio. Irregularitas, quæ ex sacris canonibus inducitur *in cap. cum illorum de sententia excomm. in 6., & cap. 1. de eo, qui furt. ord. suscep.* afficit solum excommunicatos recipientes ordines perseuerante excommunicatione, sed prima tonsura ex supra probatis nõ est ordo, ergo illam recipiens in excommunicatione non contrahit irregularitatem; Neque obesse potest, si asseratur primo, in iure canonico primam tonsuram computari inter ordines, adeoque irregularitatem comprehensam in mox allegatis iuribus ad illam extendi. Secundò, quod denegari non possit, quod recipiens primam tonsuram non communicat in sacris, cum consistat in actione sacra, & Ecclesiastica, adeoque, nec possit negari, quod irregularitatem contrahat. Non, inquam,

2 obesse potest; non primum, quia iura canonica computant primam tonsuram inter ordines per quandam appropriationem, non per proprietatem, pœnæ autem, cum sint strictè accipiendæ, intelligendæ sunt de ordinibus secundum proprietatem, non per accommodationem. Non secundum, quia licet communicatio in sacris respectu excommunicati sit grauitèr peccaminosa; non tamen ex quacunque communicatione in eisdem oritur irregularitas, sed tantum ex communicatione in ijs, in quibus est expresè à iure inducta; sic qui communicat in benedictionibus, alijsque sacris functionibus grauitèr quidem peccat, non tamen irregularitatem contrahit, cum hæc contra sic communicantes non sit à iure inducta; cum igitur solum sit inducta irregularitas contra recipientes ordines in excommunicatione, & prima tonsura non sit ordo, contra ipsam recipientes non intelligitur hæc irregularitas inducta.

Non ex quacunque cõmunicatione in sacris contrahitur irregularitas.

3 Quoad secundam tituli partem de existente in peccato læthali, an scilicet recipiendo primam tonsuram peccet læthalitèr, videtur prima fronte affirmandum, cum sancta non sanctè pertractet, & licet prima tonsura nec sit Ordo, nec Sacramentum, est tamen proxima dispositio, & ad Ordines, & ad Sacramentum, & habet quodamodo constituere subiectum sacrum, in quo recipitur, quod propterea debet carere culpa quodamodo repugnanti sanctitati, quæ constituitur. Nihilominus sit

Sententia asserens peccare læthalitèr qui recipit primam tonsurã in læthali.

4 Assertio II. Existens in peccato læthali recipiens primam tonsuram non peccat læthalitèr. In hanc arbitror, Doctores vt plurimum conuenire.

Probabilius nõ peccat læthalitèr.

Ratio ex eo deducitur, quia status gratiæ, quantum ad effectum vitandi noxam læthalem in susceptione eorundem solum requiritur respectu Sacramentorum, non autem respectu Sacramentalium, aliarumque Ecclesiasticarum functionum, 5
vt videre est in benedictionibus, in aqua lustrali, & similibus, sed prima tonsura non est Sacramentum, sed mera actio Ecclesiastica, ergo ad vitandam culpam læthalem in susceptione eiusdem non requiritur status gratiæ, adeoque ipsam suscipiens in læthali non contrahit noxam læthalem.

Non quælibet contrectatio sacrorũ est peccaminosa læthalitèr.

Quamobrem ad ea, quæ ex aduerso afferebantur, dicendum est, quod non quæcunque contrectatio sacrorum minus sanctè inducat culpam læthalem, sed dumtaxat Sacramentorum, quæ cum ex genere suo habeant, vel primam, vel secundam gratiam producere, (vbi non sunt mortuorum, quæ suppositis debitis requisitis habent ex genere suo peccata delere, & constituere subiectum in gratia) exigunt, vt non sit obex ad eandem gratiam, ne suo effectu frustrentur, ac proindè, si cum tali obice suscipiantur, inducitur in susceptione eorundem culpa læthalis; quod non militat in susceptione præcisa Sacramentalium, & eorum, quæ non sunt Sacramenta, quæ, cum ex genere suo non habeant gratiam producere, nec videntur ex necessitate, sed ad summũ ex congruitate talem statum gratiæ exigere. Ad illud, quod subditur de proxima dispositione ad Ordinem, & ad Sacramentum, dicendum est nihil euincere, quia non requiritur illa dispositio ad dispositionem, quæ requiritur ad formam, vt videre est in sponsalibus respectu Matrimonij, in Exorcismis respectu Baptismi; nam licet sponsalia sint dispositiones ad Matrimonium, non tamen requiritur status gratiæ ad eadem sponsalia, quæ requiritur ad Matrimonium, & licet Exorcismi sint dispositiones ad Baptismum, non requiritur tamen attritio ad eosdem Exorcismos respectu adulti, quæ requiritur ad suscipiendum Baptismum.

Nec obstat, quod per primam tonsuram constituatur quodamodo subiectum sacrum, quod non constituitur tale per sponsalia, vel per Exorcismos; Non obstat, inquam, quia per primam tonsuram non constituitur subiectum sacrum per aliquam formam supernaturalem inhærentem, sed solummodo per quandam moralem deputationem, quæ ex necessitate non exigit statum gratiæ.

ARTICVLVS XII.

De Priuilegijs primæ Tonsuræ.

SVMMARIVM.

Numerantur quatuor priuilegia status clericalis. 1.
Refertur dispositio Concil. Trid. 2.
Sententia asserens, incedentem sine tonsura, & habitu clericali priuari priuilegio canonis, si quis suadente. 3.
Sententia asserens non priuari. 4.
Probabilius non amittit tale priuilegium. 5.
Concil. Trid. non imponit hanc pœnam. 6.
Specialis ratio pro priuilegio canonis, quæ non est pro priuilegio fori. 7.
Priuilegium canonis, si est diuinum quoad substantiam, quoad pœnas est Ecclesiasticum. 8.
An vt quis gaudeat priuilegio fori debeat copulatiuè deferre tonsuram, habitum clericalem, & deseruire Ecclesiæ. 9.
Si deferat habitum clericalem, & deseruiat Ecclesiæ, licet non deferat tonsuram gaudet huiusmodi fori priuilegio. 10.
Si deferat tonsuram, non habitum clericalem, quamuis deseruiat Ecclesiæ, priuatur hoc priuilegio. 11.
Intellige, si pro longo tempore non deferat. 12.
Qualis debeat esse habitus clericalis. 13.
Si non deseruiat Ecclesiæ, quamuis habitum, & tonsuram deferat, non gaudet hoc priuilegio. 14.
Concilium Trident. in hoc nouum ius constituit. 15.
Non est necesse, quod continuo Ecclesiæ deseruiat, sed statis temporibus. 16.
Nec requiritur, quod talis seruitus sit continuata cum tempore delicti. 17.
Hæc seruitus debet esse circa spiritualia Ecclesiæ. 18.
Sufficit, quod alicui Ecclesiæ seruiat. 19.
Quæ dicta sunt de clericis simplicitèr quoad hoc priuilegium, intelligenda sunt etiam de clericis coniugatis, si seruent has conditiones. 20.
Debent tamen habere vnam tantum coniugem, & vtique virginem, nec aliam habuisse. 21.
Si clericus ob delictum captus fuerit sine habitu, & tonsura, & deindè effugerit è carcere, reassumpto clericali habitu, & tonsura cum seruitute Ecclesiæ, an gaudeat hoc priuilegio, vt ob idem delictum non possit capi sententia negatiua refertur. 22.
Probabilius gaudet. 23.
Ad hoc, vt clericus non deferens habitum, & tonsuram priuetur hoc priuilegio, modo non requiritur aliqua Episcopi monitio. 24.
Vt clericus euitet pœnam priuationis priuilegij fori, sufficit, quod maneat in aliquo seminario, vniuersitate, & schola, de licentia Episcopi. 25.
Non sufficit tamen licentia tacita, & præsumpta. 26.
Non requiritur in scriptis. 27.
Sufficit, vt sit in vniuersitate indefinitè. 28.
Beneficiarius gaudet priuilegio fori, quantumuis sine habitu, & tonsura incedat. 29.
Non est necesse, vt beneficiarius deseruiat alicui Ecclesiæ. 30.
Sufficit etiamsi beneficium sit tenue. 31.
Sufficit, etiamsi habeat titulum beneficij per veram collationem. 32.
Si quis legitimè fuerit consecutus beneficium, super quo postea lis orta fuerit, gaudet priuilegio, donec lis fuerit finita. 33.
Si verò lis fuerit mota ante consecutionem non gaudet. 34.
Sententia asserens, quod habens præcisè pensionem super beneficio non gaudeat. 35.
Sententia asserens gaudere. 36.
Media sententia refertur. 37.
Pensionarius præcisè, vt talis non gaudet. 38.
Ex eo, quod in impetratione beneficij facienda sit mentio de pensionibus, non propterea hæ sunt beneficium. 39.
Pensionarius, quamuis habeat redditus excedentes summam sexaginta ducatonorum auri de camera non gaudet priuilegio fori, nisi deferat habitum, & tonsuram. 40.
Pensionarius, quamuis tonsuratus non gaudet hoc priuilegio, nisi deferat habitum, & tonsuram. 41.
Si pensio fuerit erecta in titulum beneficij, pensionarius gaudet hoc priuilegio. 42.
Si tonsuratus, vel minoribus ordinibus initiatus tanto tempore non detulerit habitum, & tonsuram, vt habeatur pro non clerico, potest puniri, quamuis postea cognoscatur eisdem ordinibus esse insignitus. 43.
Secus, si ad modicum tempus non detulerit. 44.
Initiatus sacris ordinibus gaudet priuilegio, quamuis non deferat habitum, & tonsuram. 45.
In dubio, an gaudeat, vel non gaudeat, declaratio pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum, & quomodo. 46.

QVamuis prima tonsura propriè non sit ordo, nec Sacramentum, ex dispositione tamen Ecclesiastica nonnulla in tonsurato confert priuilegia, de quibus in præsenti est peragendum. Quatuor communitèr priuilegia à Doctoribus recensentur; quorum primum est, vt tonsuratus gaudeat priuilegio canonis, *si quis suadente Diabolo*; secundum, vt gaudeat priuilegio fori per textum *in cap. 1., & seqq. de for. comp., & cap. clerici, & cap.* 1 *Quatuor priuilegia status Clericalis.*

& cap. cum non ab homine de iudic., adeo vt non possit coram Iudice sæculari conueniri; tertium, quod liberetur à collectis Principum sæcularium per textum *in l. 2. de Episc. & cler. cap. non minus*, *& cap. aduersus de immunit. Eccl.*, *& cap. quamquam de censibus in 6*; quartum, vt reddatur capax beneficiorum Ecclesiasticorum, dummodo ætatem *à Concilio Trident. sess. 23. cap. 6.* requisitam assecutus fuerit.

Circa huiusmodi priuilegia plures hic
2 *Dispositio Concil. Trid.* insurgunt rationes dubitandi, quas currenti calamo dissoluo; sed prius referenda sunt verba formalia *Concilij Trident. d. sess. 23. de reformat. cap. 6.* ex quorum intelligentia aditus recludetur ad earum dissolutionem. Loquitur igitur in his terminis. *Is fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat, vel in seminario clericorum, aut aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi quasi in via ad suscipiendos maiores ordines versetur.*

Prima ratio dubitandi est, an tonsura-
3 *Sententia asserens incedenté sine clerica, & habitu clericali priuari priuilegio Canonis.* tus incedens sine habitu, & tonsura, vel non inseruiens Ecclesiæ de mandato Episcopi priuetur primo priuilegio canonis *si quis suadente*, adeovt, si aliquis ipsum percusserit non subdatur excommunicationi contentæ in dicto canone. Ingerit dubium ex vna parte consideratio, quod eadem videatur ratio de amissione priuilegij canonis, & priuilegij fori, cum ex eadem radice vtrumque proueniat, ideoque eadem existente causa amissionis, vtrumque videtur amitti, & sicuti non delatio habitus clericalis, & tonsuræ tribuit ius Iudici sæculari ipsum conueniendi, detinendi, & puniendi, ità tribuit ius percutienti, ne subijciatur pœnæ excommunicationis, cum respectu vtriusque non habeatur, vt Clericus, vtpotè non deferens insignia Clerici, & sicuti in aliquorum sententia percutiens Clericum, quem existimabat laicum non contrahit pœnam excommunicationis *d. can. si quis suadente*, ita, nec videtur eandem contrahere, qui Clericum incedentem, vt laicum, & sine insignibus clericalibus percuteret, ex quibus videtur dicendum, quod, sicuti procedens sine illis insignibus amittit priuilegium fori, ità, & amittat priuilegium canonis.

Ex alia parte hoc priuilegium canonis
4 *Sententia asserens non priuari.* ob illam non delationem habitus clericalis, & tonsuræ non videtur amitti, quia Concilium Tridentinum in allegatis verbis hanc priuationem alligat ad priuilegium fori, non autem extendit ad priuilegium canonis; vndè videtur remanere in suo robore quoad hoc priuilegia clericalia. Hancque partem sustinent *Nauarrus lib. 5. cons. 24.*, *Comitolus lib. 6. quæst. 20.*, qui etiam in huius confirmationem refert declarationem Sacræ Congregationis, licet contrarium arbitretur *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 11.*, existimans faciliùs amitti priuilegium canonis, quam priuilegium fori, cum illud à iure humano, hoc à iure diuino proficiscatur. Quid ergo in hac dubitatione sentiendum?

Probabilius arbitror, priuilegium ca- 5 *Probabilius nō amittit.*
nonis non amittere *Garzias de benef. part. 2. cap. 2. num. 20.*, *Barbosa de offic.*, *& potest. Episcop. allegat. 12. num. 32.*, *Homo bonus tract. 3. de art. circa examen ad primam tonsuram*, *& minores ordin. cap. 1. quæst. 8. vers. quo tamen ad immunitatem*. Ratio ex eo deducitur, quia huiusmodi priuatio, 6 *Concil. Trident. non imponit hanc pœnam.*
si quæ esset, non esset ex genere suo ob illam delationem, sed in pænam eiusdem non delationis à iure Ecclesiastico imposita; sed hæc pæna licet sit imposita à *Concil. Trident. loc. cit.* quoad priuilegium fori, non est tamen imposita quoad priuilegium canonis, vt legenti textum sit manifestum, ergo neque a nobis est imponenda, cum pænalia non sint extendenda vltra verborum formam, sub qua concipiuntur.

Neque aliquid euincunt rationes, quæ ex aduerso afferebantur; nam in primis, quamuis esset eadem ratio pro vtroque priuilegio, pænalia tamen non sunt extendenda à paritate rationis *Baldus in l. cum proponas col. fin. C. de hæred. instit.* *Ioannes Andræas in reg. odia de reg. iur. in 6.*, *Duenas reg. 287.* potissimum, vbi agitur de pæna priuationis, quæ non est imponenda, vbi iure expresso imposita non est per textum *in cap. illa 2. in verb. cum nunquam inueniatur*. *N. sede vacante l. & si quis 14. §. Diuus de Relig.*, *& sumpt. fun.* 7 *Specialis ratio pro priuilegio Canonis.*
Deindè non est eadem ratio, quia iura per priuilegium canonis intendunt eximere Clericos, & Ecclesiasticos ab iniusta vexatione, & personali læsione priuatorum; per priuilegium autem fori à potestatibus laicalibus, quibus cæteroqui subijcerentur; faciliùs autem subdi debent eisdem potestatibus, vt seuerius puniantur, quam relaxari habenæ priuatis personis, vt in eis desæuiant. Ad illud, quod subditur de percussore Clerici, quem existimat esse laicum quidquid sit de illa opinione eximente ipsum à pena excommunicationis *d. can. si quis suadente*, de qua modo non disputo, ipsa etiam data dico, percussorem eiusdem non eximi à tali pæna excommunicationis ex eo, quod ille priuatus sit tali priuilegio, sed ratione igno-

ignorantiæ percutientis, nam ad contrahendam censuram requiritur notitia delicti qualificati, cui est eadem annexa, vndè asserenti, & iuranti se non clericum illum existimasse, cum in habitu laicali non procederet, fides præstanda est, & eximendus ab illa excommunicationis pæna *Garzias de benef. part. 2. cap. 2., & 3., Gonzalez super reg. 8., Cancel. glos. 5. §. 5. num. 7., Barbosa in remis. ad Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 6., Marcus Antonius Genuensis in praxi Neapol. cap. 7.*

8 *Priuilegium Canonis quoad pænas est Ecclesiasticum.*

Nec maiorem vim facit id, quod additur ex *Suarez d. disp. 22. sect. 1. num. 11.*; nam, quidquid sit, quod priuilegium fori sit tantum de iure canonico, & priuilegium canonis sit de iure Diuino, fortè ex illo, quod dicitur in Psalmo *Nolite tangere Christos meos*, hoc ad summum verificatur quoad exemptionem, non autem quoad pænas, quæ dumtaxat de iure canonico sunt impositæ; vndè licet Ecclesia possit relaxare vinculum tam quoad culpam, quam quoad pænam in priuilegio fori, & non possit quoad culpam in priuilegio canonis, cum sit de iure Diuino, potest tamen relaxare quoad pænam excommunicationis, cum hæc sit de iure canonico.

9 *An vt quis gaudeat priuilegio fori debeat habere copulatiuè tres qualitates.*

Secunda ratio dubitandi est, an, vt Clericus tonsuratus non amittat priuilegium fori, requiratur copulatiuè, vt deferat habitum Clericalem, & tonsuram, & deseruiat Ecclesiæ de mandato Episcopi, adeo vt, si non deferat habitum Clericalem, & deferat tonsuram, & simul inseruiat Ecclesiæ, vel deferat habitum Clericalem, & tonsuram, non tamen deseruiat Ecclesiæ, ipsum priuilegium amittat. Fundamentum dubitandi desumitur ex verbis *Concil. Trident. d. sess. 23. de reformat. cap. 6.*, vbi has omnes qualitates per particulas copulatiuas exigit, vndè altera earum deficiente videtur priuilegium cessare. Quoad hoc plura dico.

10 *Deficiente sola tonsura gaudet priuilegio.*

Primum, quod, si deferat habitum Clericalem, non tamen tonsuram, ita tamen, vt deseruiat Ecclesiæ, probabilius non amittat hoc priuilegium fori *Zabarella in cap. propendemus de sentent. excommunicat., Farinacius in praxi crimin. tit. de inquis. q. 8. num. 65., Marius Antoninus Maceratensis var. resol. lib. 3. resol. 48. num. 9., & seqq., Capiblancus de offic. bapt. pragm. 8. cap. 3. num. 28.* Rationem ex eo desumo, quod delatio tonsuræ Clericalis interueniente delatione habitus cum obsequio præstito Ecclesiæ non est tantæ solemnitatis, vt ob eiusdem defectum præsumendum sit, Ecclesiam voluisse iurisdictionem propriam periculo exponere, suosque subditos subijcere potestati laicali, potissimum cum sufficientèr ostendatur esse de numero Ecclesiasticorum per delationem habitus, & obsequium Ecclesiæ; Nec obstat, quod Concilium requirat hanc qualitatem tonsuræ simul cum habitu Clericali per particulam copulatiuam &; Non obstat, inquam, quia Concilium Tridentinum in hoc non inducit nouum ius, sed innouat antiquum *in cap. si Iudex de sent. excommunicat. in 6.*, vbi licet tonsura, & habitus exprimãtur per illam particulam *coniunctiuam*, nihilominus ex communi interpretum mente disiunctiuè accipitur. 11

Si deferat tonsuram, & deseruiat Ecclesiæ non tamen gestet habitũ clericalem non gaudet hoc priuilegio.

Secundum, quod, si deferat tonsuram, & deseruiat Ecclesiæ, non tamen habitum Clericalem gestet, probabilius amittat huiusmodi priuilegium, quia habitus Clericalis est insigne proprium, quo Ecclesiasticus distinguitur a laico secundum communem hominum conceptum; vndè Doctores in hac materia scribentes valdè solliciti sunt in præscribenda forma talis habitus, & plus homines in Clerico, de non delatione habitus, quam de non delatione tonsuræ admirantur, signum satis manifestum, quod habitus sit principalius insigne Clerici, & propterea præsumendum, quod Concilium illum fortiori iure exegerit. Hoc tamen intelligendum est non cum pleno rigore, adeo vt, si aliquando pro modico tempore non detulerit, priuilegium amittat, sed requiritur, vt tam longo tempore sine habitu incedat, vt pro laico publicè habeatur *Castilioneus cons. 5. num. 9., Quaranta verb. habitus vers. prænarrata constitutio in addit., Farinacius in praxi crim. tit. de inquisitione quæst. 8. num. 68. vers. secundo aduersus, Marius Antoninus var. resol. lib. 3. resol. 48. n. 8., Barbosa de offic., & potest. Episcop. allegat. 12. n. 17., & seqq.*; vndè, si pro tempore capturæ inueniatur sine habitu, vel tempore delicti ipsum non habuerit, quem tamen ante capturam reassumpsit, non censetur tali priuilegio priuatus, præcipuè, si constet ante capturam, & delictum commissum consueuisse ipsum deferre. Si autem quæratur, qualis debeat esse habitus, quam deferre tenentur Clerici *Venerus lib. 7. cap. 5. num. 2.*, ait esse tunicam talarem nigram simul cum pallio talari nigro. *Nauarrus de iur. Pontif. concl. 117. num. 6., Garzias de benef. tom. 2. part. 7. cap. 1. num. 23.* non exigunt vtrumque eodem modo, sed asserunt vnum, vel alterum scilicet, vel tunicam, vel pallium sufficere esse talare. *Bonacina de leg. disp. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 4. num. 17., Diana part. 3. tract. 1. resol. 63., & part. 4. tract. 1. resol. 91.*, asserunt ad euitandam hanc pænam amittendi priuilegium fori, talem debere esse, &

12 *Intellige, si pro longo tempore non deferat.*

suffi-

sufficere, vt per se ipsum à populo quis
13 *Qualis debeat esse habitus clericalis.* dignoscatur, vt Clericus. Ego in hoc adhæreo *Quarantæ in verb. Habitus Clericalis in addit. vers. dubium tamen est*, asserenti illas vestes censeri habiles, & idoneas, quæ vsu, & consuetudine illius regionis, seu Prouinciæ, vbi commorantur, admissæ fuerint, & distinguant Clericos à laicis; atque ita tenent etiam *Glosa in cap. si quis virorum dist. 30.*, *Coaruuias lib. pract. qq. cap. 32. num. 7.*, *Iulius Clarus in pract. crim. quæst. 36. num. 11.*

Tertium, quod dico, est, quod,
14 *Si non deseruiat Ecclesiæ, non gaudet hoc priuilegio.* quamuis tonsuratus Clericalem habitum, & tonsuram deferat, si tamen non deseruiat Ecclesiæ de mandato Episcopi, non gaudeat hoc priuilegio fori. *Bonacina de legibus disp. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 4. num. 10., & 15.*, *Marchinus tract. 2. de ord. in particul. part. 1. de prima tonsura cap. 15. diffic. 6.* Rationem ex eo deduco, quod in hoc *Concilium Trident. loc. cit.* nouum ius constituit, & hanc seruitutem coniungit cum præcedentibus qualitatibus per particulam copulatiuam *&*, vnde, si hæc deficiat, videtur quoque ex eiusdem dispositione priuilegium desinere attenta natura copulatiuorum, quorum conditio est, vt omnium complementum requiratur, nec sufficiat partis impletio *arg. textus l. si quis ita ff. de verb. obligat.*, *& l. si hæredi, ff. de condit. instit.*, cum æqualem, & æque principalem concursum omnium exigat *l. & eamen iuncta glos. ff. de leg. 3.* Nec obstant ea, quæ diceban-
15 *Concil. Trid. in hoc nouũ ius constituit.* tur in primo dicto de particula *&* inter delationem habitus, & delationem tonsuræ, quam disiunctiuè, non copulatiuè sumendam diximus; vnde, vel dicendum est, quod etiam ea particula copulatiua interposita inter delationem habitus, & tonsuræ, & seruitutem Ecclesiæ sit sumenda disiunctiuè, vel quod, si hic sumitur copulatiuè, & ibi copulatiuè sit sumenda. Non obstant, inquam, ex duplici capite; primo, quia ibi non est facta noua dispositio, sed repetita dispositio textus *in cap. si Iudex de sent. excommunicat. in 6.*, vbi ex communi scribentium consensu sumitur disiunctiuè; hic autem fit noua dispositio, & copulatur cum præcedenti, nec præsumendum est, quod Concilium in hac noua dispositione, si voluisset sumi disiunctiuè, apposuisset particulam coniungentem; secundo, quia, cum hic agatur de qualitate seruitutis magis considerabili, & maximè congrua statui Ecclesiastico, præsumendum est, quod voluerit exactius illius complementum, cum vero ibi agatur de qualitate modicæ solemnitatis non est credendum sub tanto onere intendisse illius executionem.

Circa hanc qualitatem plura veniunt hic consideranda; primum est, non esse 16 *Non est necesse, vt continuò deseruiat.*
necesse, quod continuo eidem Clericus deseruiat, sed quod debitis temporibus, & conuenienti spacio, non tamen ita modico, vt restringatur ad vnam, vel alteram vicem, vt notant *Cenedo pract. qq. lib. 1. quæst. 4. num. 25.*, *Carolus de Grassis de effect. Clericatus effectu primo num. 1184.* cum Concilium exigat frequentiam, & perseuerantiam *Riccius part. 4. decis. 154. num. 5.*, vbi refert declarationem Sacræ Congregationis. Non tolleretur autem talis frequentia, si ob aliquod impedimentum interrumperetur; nec requiritur, quod talis frequentia sit continuata cum tempore delicti, ob quod subijci deberet foro laicali, nam, si probaretur ante mensem, quo commisit delictum, talem seruitutem præstitisse Ecclesiæ, non priuaretur priuilegio fori, nec subijceretur iuditio laicali. *Diana part. 4. tract. 1. resol. 88.* Nec obstat, quod Concilium vtatur verbo de præsenti *inseruiat*, *versetur*, per quæ videtur exigere eandem seruitutem de præsenti. Non obstat, inquam, quia
illa verba non sunt sumenda in rigore 17 *Nec requiritur quod hæc seruitus sit continuata cũ tempore delicti.*
metamatico, sed modo ciuili iuxta *textum in l. si cui, ff. de seruit.*, vbi dicitur continuo id fieri, quod sæpe fit; atque iuxta hunc sensum processisse Sacram Congregationem affirmat *Prosper de Augustino addit. ad Quarantam verb. habitus Clericalis in fin. vers. secundo intellige.* Secundum est, quod huiusmodi seruitus debeat esse circa spiritualia Ecclesiæ, non circa mere temporalia. *Carolus de Grassis de effectu Clericatus effectu primo num. 1177.*, *Augustinus Barbosa de offic., & potest. Episc. allegat. 12. num. 14.*, *Diana part. 4. tract. 1. resol. 88. §. notandum*, & congrua quidem 18 *Hæc seruitus debet esse circa spiritualia.*
ratione hoc decernitur, quandoquidem seruitus quoad temporalia non est munus proprium Clericorum, sed commune, quinimmò magis proprium laicorum, & finis Concilij est ordinatus, vt ibi præstet munera Ecclesiastica, quibus disponatur ad ordines. Tertium est, quod non requiratur, quod alicui determinatæ Ecclesiæ deseruiat, cum Concilium solum statuat seruitutem Ecclesiæ, non potius vnius, quam alterius, quinimmò etiam si Episcopus vnam deputarit, & ipse alteri deseruiat, non propterea amittit fori priuilegium, prout declarasse testatur Sa-
cram Congregationem *Marinus quot resol. cap. 56. num. 12.*, quinimmò, nec amit- 19 *Sufficit, quod alicui Ecclesiæ seruiat.*
teret, si deseruiret Oratorio Confraternitatis laicorum erecto auctoritate Episcopi, & eisdem assignato, prout etiam declarasse Sacram Congregationem affirmat *Riccius part. 4. decis. 154. num. 2.*

Quod,

Quod, si dicatur, quod Concilium disponat, quod deseruiat Ecclesiæ de mandato Episcopi, adeoque Ecclesiam ab Episcopo designandam, cui debeat deseruire, & propterea, si alteri ab assignata deseruiat, vtpotè contraueniens formæ Concilij non gaudeat priuilegio; statim dicam, illa verba esse apposita à Concilio non ad designandam Ecclesiam, sed ad inferendum onus talis seruitutis; vndè etiam, si nullum Episcopi mandatum interueniret, & tonsuratus alicui Ecclesiæ deseruiret, adhuc priuilegio fori gauderet *Prosper de Augustino in addit. ad summam Quarantæ verb. Habitus Clericalis*. Addunt hic aliqui non priuari priuilegio fori Clericum, qui descriptus in Catalogo Clericorum præstitit obedientiam ordinario in Sinodo, & in habitu, & tonsura incedens per paucas vices in Choro, & processionibus deseruijt attentis circumstantijs, quamuis alicui Ecclesiæ seruitutem non præstiterit, & ita declarasse Sacram Congregationem Concilij die 28. Martij 1628. testatur *Diana part. 4. tract. 1. resol. 18.*

Tertia ratio dubitandi est, an ea, quæ
20 hactenus dicta sunt de Clericis tonsuratis, intelligenda etiam sint de Clericis coniugatis, adeo vt, si deferant habitum Clericalem, tonsuram, & deseruiant Ecclesiæ gaudeant huiusmodi fori priuilegio, si verò, vel non deferant habitum, vel non deseruiant Ecclesiæ non gaudeant. Asserendum est, intelligenda etiam esse de Clericis coniugatis. Consentiunt *Duardus in Can. 15. Bullæ Cœnæ num. 12., Gauantus in man. Episc. verb. Clericus num. 84., Franciscus in cap. vnico de coniug. in 6., Squillante cap. 7. dub. 2. num. 17., Diana part. 4. tract. 1. resol. 78.*, & hæc procedunt tam in criminalibus, quam in ciuilibus, vt habetur *ex cap. Cleri. de Cler. coniug. in 6.*, non enim coniugium secundum se habet statum Clericalem, nec eius priuilegia dissoluere, si cætera adhoc requisita seruentur.

Intelligenda sunt etiam de clericis coniugatis

21 Ad hoc autem, vt Clericus coniugatus hoc gaudeat priuilegio, necesse est, vt vnicam tantum, eamque virginem vxorem duxerit; nam bigami ex genere suo priuantur hoc priuilegio; si tamen duxerit vxorem vnicam non ab alio, sed à seipso corruptam, cum non fiat, seu factus fuerit propriè bigamus, non amittet huiusmodi priuilegium, cum eius caro non fuerit in plures diuisa, nec obstant Canones *curandum, & præcipimus distinct. 24.*, quia intelligendi sunt de corrupta ab alio, vt notat *Præpositus in tertia part. quæst. 5. dub. 17. num. 134.*

Debet tamen habuisse vnam coniugē, & virginem.

Hinc excitant Doctores dubium, an, si Clericus coniugatus ob delictum captus fuerit à curia laicali sine habitu, & tonsura, & in carcerem coniectus, à quo 22
effugerit, & post fugam reassumpserit Clericalem habitum, & tonsuram, & Ecclesiæ deseruierit, gaudeat priuilegio, vt amplius ex eodem delicto non possit capi à Iudice laicali, an verò intelligatur eodem priuatus. Negant gaudere hoc priuilegio *Farrinacius, Bellatus, & Modernus apud Marchinum tract. 2. de ordin. in partic. part. 1. de prima tonsura cap. 15. difficult. 10.*, ea fortè ducti ratione, quod talis reassumptio intelligatur facta in fraudem curiæ laicalis. Affirmant verò gaudere *Cochus lib. 3. tit. 9. num. 67., Diana part. 1. tract. 2. resol. 80., & part. 4. tract. 1. resol. 78., §. notandum, Barbosa de offic., & potest. Episcop. allegat. 12. num. 29.*, & pro hac opinione, quam probabilem valdè existimo, facit textus *in cap. si Iudex laicus de sentent. excommunicat. in 6.*, & declaratio Sacræ Congregationis apud *Marchinum loco cit.*, quæ cantat in hæc
verba. *Censuit Congregatio Clericum coniugatum, qui post dimissum habitum, & tonsuram Clericalem pro delicto aliquo in curia laicali est citatus, & ob contumaciam condemnatus fuit, si deindè reassumpto habitu, & tonsura (modo non in fraudem) Ecclesiæ deseruiat non posse iuxta hoc decretum à Iudice laico propter id delictum in carcerem conijci; aut personalitèr adstringi.* Sed cum in hoc Sacræ Congregationis decreto apponatur illa particula exceptiua (*modo non in fraudem*) videtur reddi inanis huiusmodi declaratio, cum videatur efficax præsumptio, quod reassumpserit animo fraudandi curiam laicalem, quæ præsumptio deducitur ex eo, quod ante commissum delictum, & ante capturam non detulerit. 23

Clericus captus sine habitu, & tonsura, si è carcere effugerit reassūpto habitu secūdum aliquos nō gaudet priuilegio.

Probabilius gaudet.

Nihilominus ex eo, quod verè sit Clericus tonsuratus, & forte ante delictum, & capturam detulerit, potest iustè præsumi, quod reassumpserit, vt ad meliorem frugem se conuerteret, & Deo exactius deseruiret; vndè de tali fraude non posset conuinci, & onus probandi de fraude incumberet Iudici laicali, quod vix posset obtinere.

Nec præsumitur de fraude.

Difficultas solummodò aliqua circa talem Sacræ Congregationis declarationem videtur posse esse in eo, quod illa loquitur tantum, quando Clericus coniugatus est citatus, & in contumaciam condemnatus, non verò, quando iam personalitèr est captus, & in carcerem detrusus, quia tunc Iudex laicalis habet maius ius in eiusdem personam ratione detentionis, in quo iure, & quasi possessione debet manuteneri, cum in hoc passus fuerit spolium. Ad hoc respondendum est, quod Clericus per fugam se subtraxerit

rit

rit ab eius possessione, quod vtique præstare potuit, cum quilibet habeat ius à natura se conseruandi, vndè meritò statuit *Diana part. 2. tract. 15. resol. 27.*, *& part. 10. tract. 13. resol. 11.*, quod, quamuis Iudex iustè reum carceribus mancipet possit vterque iustè fugere, &, sicuti post fugam potest iustè Ecclesiæ immunitate gaudere, se ad illam retrahendo, cur non poterit iustè fori priuilegio gaudere reassumendo habitum, & tonsuram Clericalem &c?

24 *Modo non requiritur aliqua Episcopi monitio.* Quarta ratio dubitandi est, an adhoc, vt Clericus ob non delationem habitus, & tonsuræ, vel ob obsequium, & seruitutem non præstitum, seu præstitam Ecclesiæ priuetur priuilegio fori, necessaria sit aliqua Episcopi præmonitio. Ex iure antiquo *in cap. de audientia de sentent. excommunicat. in 6.*, *& in cap. vlt. de vita, & honestate Cleric.* requirebatur trina Episcopi monitio antequam Clericus ob non delationem habitus, & tonsuræ &c. priuaretur beneficio fori, post quam monitionem sententia Iudicis debebat interuenire, cum esset sententiæ ferendæ. De iure vero moderno *Trident. d. sess. 23. de reformat. cap. 6.*, non requiritur aliqua monitio, nam idem Concilium in hoc ius antiquum correxit, & ad strictiores terminos reduxit ad Clericos in decentia proprij status continendos; atque ita declarasse Sacram Congregationem testantur *Marius Antoninus var. resol. lib. 3. resol. 48. num. 7.*, *Barbosa de offic., & potest. Episcop. allegat. 12. num. 19.*, *& 22.* Hoc etiam sustinet *Riccius part. 4. decis. 154. num. 4.*, *Diana part. 1. tract. 2. resol. 34. §. an vero*, vbi ponderant, quod Concilium loquatur cum dictione, *nisi*, quæ excipit iuxta textum *in l. actione, C. de act.*

25 *Sufficit, vt maneat in seminario, vel in schola de licentia Episcopi.* Quinta ratio dubitandi est circa illas particulas Concilij Tridentini, *vel in seminario Clericorum, vel aliqua schola, aut vniuersitate de licentia Episcopi &c.*, an ad euitandam pœnam priuationis priuilegij fori requiratur licentia expressa Episcopi permanendi in illa schola, vel vniuersitate, an sufficiat tacita, an hæc debeat esse in scriptis, vel sufficiat, quod oretenus sit concessa, an debeat esse de schola, & vniuersitate determinata ab eodem Episcopo, vel de schola aliqua indefinita ad beneplacitum Clerici. Ad primum dicendum est, debere esse expressam, nec sufficere præsumptam, & tacitam *Menochius de præsumpt. lib. 6. quæst. 76. num. 41.*, *Cenedo pract. qq. quæst. 24. num. 24.*, *& 26.*, *Barbosa de offic., & potest. Episcop. alleg. 12. num. 13.* Ratio est, quia ea, quæ præscribuntur tanquam forma, vbi aliud non dicitur, debent esse expressa; talis autem licentia tanquam forma præscribitur, ergo &c. Ad secundum dico, non esse necesse hanc expressionem esse in scriptis, sed sufficit, quod sit oretenus *Riccius in praxi Neap. resol. 601. in prima editione, & resol. 525. in secunda*, qui etiam *testatur ita fuisse declaratum à Sacra Congregatione*, *Marius Antoninus var. resol. lib. 3. resol. 48. num. 15.*, *& seqq.*, *Barbosa dicta allegat. 12. num. 13.* Ratio est, quia Concilium non exigit talem expressionem secundum hanc qualitatem, vt fiat in scriptis, & secundum se expressum potest esse, vel in scriptis, vel in verbis, & in controuersia probatio concessionis, potest per testes probari. Ad tertium dico, sufficere, vt sit de schola, aut vniuersitate indefinitè, & ad electionem Clerici tonsurati, nec requiri potius vnam, quam alteram. Ratio deducitur tum ex modo, quo præscribitur talis licentia, tum ex fine, quo præscribitur; ex modo, quia ita præscribitur hæc facultas in ordine ad scholam, seu vniuersitatem, sicuti præscribitur mandatum in ordine ad seruiendum Ecclesiæ; si enim ibi dicitur *de mandato Episcopi* hic dicitur *de licentia Episcopi*, &, si ibi dicitur indefinitè *alicui Ecclesiæ*, hic dicitur etiam indefinitè *in aliqua schola, aut vniuersitate*, sed ex suprà probatis seruitus non est potius vni, quam alteri Ecclesiæ præstanda, ergo neque assistentia est potius in vna schola, seu vniuersitate habenda, quam in altera; ex fine, quatenus finis talis decreti est, vt habilitetur per studium ad ordines superiores, sicuti finis decreti, vt inseruiat Ecclesiæ, est, vt per Ecclesiastica munera disponatur ad eosdem maiores ordines suscipiendos; æquè autem potest in vna ac in altera vniuersitate habilitari per studium, sicuti æquè vni, vel alteri Ecclesiæ deseruiens disponi ad eosdem per Ecclesiastica ministeria; vndè Episcopi concedentes hanc facultatem non sunt solliciti, vt potius vni, quam alteri scholæ vacent.

26 *Non sufficit licentia tacita.*

27 *Non requiritur in scriptis.*

28 *Sufficit, si maneat in vniuersitate indefinitè.*

29 *Beneficiarius gaudet, quamuis incedat sine habitu.* Sexta ratio dubitandi est, an Clericus habens beneficium Ecclesiasticum, vt gaudeat beneficio fori, necesse sit, vt incedat in habitu, & tonsura Clericali, an verò etiam gaudeat, quantumuis sine illis incedat. Sentiendum est gaudere, quantumuis sine illis incedat *Rodriquez in summa tom. 1. cap. 155. concl. 2.*, *Iulius Clarus, §. fin. quæst. 36. num. 16.*, *& 19.*, *Zecchius de repet. Eccles. tit. de Cleric. vers. ad hæc Salzedo in addit. ad Bernardum Diaz cap. 61. num. 6. vers. si tamen*, *Marius Antoninus var. resol. lib. 3. resol. 48. num. 14.* Potissima ratio huius resolutionis deducitur ex verbis *Concilij Tridentini d. sess. 23. cap. 6.*

cap. 6., vbi alternatiuè duo ponit per particulam *aut*; in primo membro alternationis hæc constituit. *Is fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat*; in secundo hæc statuit, *aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat*, vbi vides, quod vnum ab altero secernit per particulam, *aut*, quæ ex genere suo est disiunctiua; habes vlterius, quod, vbi Concilium vult simul plura copulatiuè, eadem exprimit per particulam coniunctiuam *&*, vt videre est in secundo membro alternationis, in quo cum velit simul, & delationem habitus Clericalis, & tonsuræ, & seruitutem alicui Ecclesiæ copulat vtrumque per eandem coniunctionem; ex quo inferendum est, quod, dum vnum ad alterum membrum comparat per disiunctionem, vnum ab altero separet. Fundamentum huius resolutionis in eo consistit, quod hæc omnia præcipiantur, vt Clericus distinguatur à laico, & dignosci possit, vt distinctus; eo autem ipso, quo quis gaudet beneficio Ecclesiastico, dignoscitur, vt distinctus, cum beneficium Ecclesiasticum nequeat, nisi Clerico conferri. Quod, si dicas primo Concilium Tridentinum non solum respexisse ad præmemoratum finem, sed etiam ad decentiam status clericalis; secundo, quod licet beneficiarius sit in se verè Clericus, non appareat tamen Iudici laicali, aliisque, vt Clericus, sicuti habens ordines minores verè est Clericus cum habeat caractherem, si tamen procedat sine habitu, & tonsura, & non deseruiat Ecclesiæ, capi potest, nec gaudet hoc priuilegio, cum non appareat, vt Clericus; statim impugnaberis, quia, licet Concilium ad vtrumque finem respexerit, cum tamen procedat per leges pœnales, eius dispositio non est extendenda vltra quam verba sonant, & cum duplicem habeat finem satis est, vt ad vnum referatur, quem verba ipsa important. Cum igitur Concilium loquens de Clerico beneficiario dicat gaudere beneficio fori, nec illo priuari, si habeat beneficium videtur præcipuè respexisse ad eum finem, vt Clericus appareat, & ideò in eodem voluit solum qualitatem beneficij, ex qua dignosci possit, vt talis. Ad illud, quod subditur dicendum est Concilium in illa alternatiua dispositione præsumere, quod Clericus non beneficiarius per illam non delationem habitus, & tonsuræ, & famulatum non præstitum Ecclesiæ pro longo tempore, & tali, vt non reputetur amplius, vt Clericus deseruerit statum Ecclesiasticum, & vbi non deseruisset animo, in pœnam illius neglectus ipsum subdit potestati laicali; non verò præsumere, quod deseruerit, quando adhuc retinet beneficium, quod esse nequit in non Clerico tonsurato, & de hoc semper apparet, & immediatè potest apparere. Hæc nostra expositio potest etiam ex eo euinci, quod, si quis fuerit in sacris constitutus, & incedat sine habitu, & tonsura non priuetur hoc priuilegio, quamuis Iudici sæculari non appareat, vt Clericus, sed potius, vt laicus, nam Concilium Tridentinum solum loquitur de Clericis prima tonsura, & minoribus initiatis.

Referūtur rationes euincentes intentum.

Et solutiones obiecti.

Circa hanc resolutionem, de Clerico beneficiario multa contingunt in præsenti dubitari. Primum est, an, vt Clericus beneficiarius incedens sine habitu, & tonsura non priuetur hoc beneficio necesse sit, vt saltem deseruiat alicui Ecclesiæ? Affirmat *Suarez de censuris disp. 22. sect. 1. num. 11.* Sed cum *Concilium Tridentinum loco cit.* coniungat hanc qualitatem seruitutis cum secundo membro alternatiuæ, hocque membrum separat à primo per particulam disiunctiuam *aut*, non videtur hæc qualitas cum eodem primo membro coniungenda, sed solum afficere secundum, adeoque etiam si beneficiarius non deseruiat Ecclesiæ, adhuc hoc beneficio gaudere. 30

Non est necesse, quod beneficiarius deseruiat Ecclesiæ

Secundum est, an, vt eximatur à potestate laicali Clericus beneficiarius sufficiat quodcunque beneficium etiam tenue. Affirmatiuè respondendum est *Marcus Antonius Genuensis in praxi Neapol. cap. 7. in fine, Garzias de benefic. part. 1. cap. 2. num. 37.* Ratio est, quia non potest quis gaudere beneficio Ecclesiastico, nisi sit tonsuratus, vndè ex illo infertur Clericatus; & Concilium Tridentinum exigit quidem beneficium, non tamen cum illa qualitate, vt sit pingue, quam propterea, nec nos debemus exigere. 31

Sufficit etiam beneficium tenue.

Tertium est, an, vt quis gaudeat hoc priuilegio debeat habere beneficium Ecclesiasticum tam quoad titulum, & collationem, quam quoad possessionem, an verò sufficiat, quod habeat quoad titulum. *Lopez part. 2. cap. 28.* requirit cum titulo etiam possessionem beneficij, eo quia non dicitur quis beneficium habere, qui illud non possidet. Contrarium tamen communius sustinent, & quidem videtur probabilius, quod scilicet per solam collationem constituatur beneficiarius. Hoc sustinent *Genuensis, & Garzias* in præcedenti dubio allegati *Bonacina de leg. disp. 10. quæst. 2. punct. 1. § 4. nu. 12.*, *Parisius de resignat. benef. lib. 7. quæst. 1. n. 47.*, qui etiam refert ita Sacram Congregationem declarasse. Ratio est, quia per solum titulum 32

Sufficit se habeat titulum

titulum beneficij quis dicitur habere beneficium, quod solum requirit Tridentinum, nec hic titulus potest alicui conferri, qui non sit tonsuratus. His adde, quod, quantumuis beneficium, cuius quis habet titulum, seu etiam possessionem, nullos habeat redditus, adhuc illud habens gaudeat hoc priuilegio, prout notant *Grassus de effect. Cler. effectu primo num. 1224, & Diana part. 1. tract. 2. resol. 30.*, propter eandem rationem, quod habeat titulum.

33 *Consecuto beneficio legitimè nõ amittit ius si lis super illo oriatur.*

Quartum est, an habens beneficium litigiosum gaudeat hoc priuilegio? In hoc considerandum est, an beneficium illud sine controuersia, & pacificè obtinuerit, super quo postea lis orta fuerit, vel an lis circa illud antecedentèr ad collationem, eaque perseuerante obtinuerit, sed super collatione inducta fuerit appellatio. Iuxta primum sensum sentio, absolutè gaudere hoc priuilegio, donec terminato litigio per sententiam definitiuam, quæ transierit in rem iudicatam, eodem sit priuatus. Ratio ex eo deducitur, quia

34 *Secus, si beneficium, nõ fuerit acquisitum.*

per pacificam collationem acquisiuit titulum, in quo est manutenendus, ergo, quousque per sententiam definitiuam priuetur, gaudebit priuilegio, tanquam beneficiarius. Iuxta secundum sensum arbitror, non gaudere cum nunquam fuerit beneficium consecutus, nam licet sententia in prima instantia obtinuerit, per appellationem hæc intelligitur suspensa, nec sortita est suum effectum.

Septima ratio dubitandi est, an tonsuratus habens pensionem super beneficio

35 *Sententia asserens, quod habens præcisè pensioné super beneficio gaudeat.*

gaudeat priuilegio fori. In hoc video Doctores inter se valdè discrepantes. Alij, inter quos *Carolus de Graffis de effect. Cleric. effectu primo num. 1198, & seqq., Garzias de beneficijs part. 1. cap. 5. num. 70., Gonzalez ad reg. 8. cancell. glos. 5. §. 5 n. 6.,* qui asserit ita declarasse Sacram Congregationem, asserunt non gaudere, vndè, si esset Clericus, & incederet sine habitu, & tonsura clericali, & non inseruiret alicui Ecclesiæ, posset à Iudice sæculari conueniri, & capi, nec eidem prodesset pensio, qua gauderet. Alij, inter quos

36 *Sententia asserens, non gaudere.*

Rodriquez in summa part. 1. cap. 155. n. 11., Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 26. num. 9., Diaz cap. 64. num. 10., Armendariz in addit. ad recopil. leg., Nauar. lib. 2. tract. 19. num. 57., qui etiam asserit ita declarasse Sacram Congregationem, dicunt verè gaudere, adeovt, etiam si incedat sine habitu, & tonsura clericali, & non deseruiat Ecclesiæ, non possit capi à Iudice laicali, nec subdatur eius potestati eo modo, quo non subditur beneficiarius. Alij media via incedentes asserunt, quod, si pensio, qua gaudet, excedat summam ducatorum sexaginta auri de Camera, gaudeat tali priuilegio, secus, si non gaudeat; atque ita sentiunt *Barbosa de offic., & potest. Episcopi allegat. 12. num. 8., Belletus apud Marchinum tract. 2. de ord. in particul. part. 1. de prima tonsura cap. 15. difficult. 2.,* qui videntur ad hoc moueri ex Constitut. Sixti V., quæ incipit *Pastoralis*. Alij dicunt, quod, si pensionarius sit tonsuratus gaudeat hoc priuilegio, secus, si non sit tonsuratus; atque ita

37 *Media sententia refertur.*

sentiunt *Alterius in Bullam Cænæ can. 15. cap. 1. col. 4. vers. postulabis, Duardus item in Bullam Cænæ cap. 15. quæst. 3. num. 6. vers. Psalmista*. Quid iam in hac sententiarum varietate concludendum?

Dicendum primo, pensionarium præcisè, vt talem non gaudere priuilegio fori.

38 *Pensionarius præcisè, vt talis non gaudet.*

Consentiunt Doctores pro prima opinione allegati. Ratio ex eo deducitur primò, quia *Concilium Tridentinum loc. cit.* exigit beneficium, ne quis subdatur foro laicali. Ibi. *Nisi beneficium Ecclesiasticum habeat*, sed mera pensio non est beneficium Ecclesiasticum, ergo, qui illa gaudet præcisè, non gaudet priuilegio fori. Secundò, quia ex pensione præcisè non constituitur quis Ecclesiasticus, cum dari etiam possit laicis *Marcus Antonius Curtus institut. mor. lib. 5. tit. 7. num. 17., Cenedus quæst. can. 4. sub num. 36. vers. ista tamen*, ergo ratione eiusdem præcisè non gaudet pensionarius priuilegio fori. Tertiò, quia idem *Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 2.* distinguit pensionem à beneficio, quod idem præstet *sess. 23. de reformat. cap. 18.*, adeoque non idem, quod de beneficio, de pensionibus sentiendum est.

Neque obesse potest primo, si asseratur, Concilium Tridentinum quandoque accipere pensionarium pro beneficiario, vndè statuunt, quod in impetratione beneficiorum inter cætera exprimi debeant pensiones sicut beneficia, aliter gratia redditur subreptitia *Socinus Sen. cons. 260. col. 1. lib. 1., Berous in cap. super literis num. 72. de rescrip., Gigas in tract. de pens. quæst. 67. num. 4.* Secundò, quod Pius V.

39 *Ex eo, quod in impetratione beneficij facienda sit mentio de pensionibus nõ propterea hæ sunt beneficium*

obligauit pensionarios ad recitandum saltem Officium Deiparæ Virginis, & hoc videtur æquiualere seruituti Ecclesiæ; Sixtus verò V. in sua Constitut. 92. obligauit pensionarios habentes summam ducatorum supra sexaginta auri de Camera ad incedendum in habitu, & tonsura, aliter ipsos priuet, & pensione, & priuilegio fori; &, si non habent talem summam excedentem ducatonos illos sexaginta eisdem concedit incedere in habitu sæculari, adeoque non debet priuilegium amittere, quod enim fit lege

permittente nullam pænam meretur, ergo non est hæsitandum, quin pensionarius gaudeat priuilegio fori. Non, inquam, obesse potest. Non primum, quia ex eo, quod in impetratione beneficij facienda sit mentio etiam de pensionibus non est, quia pensio habeatur pro beneficio, sed quia in huiusmodi concessionibus distributor æquus bonorum Ecclesiasticorum seruata proportione geometrica ea distribuere solet, & ideo, ne quis gaudeat simul, & benefitio pingui, & etiam egregijs pensionibus, exigit, vt in impetratione beneficiorum fiat mentio nedum beneficiorum prius obtentorum, sed etiam pensionum. Non secundum, quia dato, quod Pius V. obligarit pensionarios ad recitandum Officium Deiparæ; non propterea hoc est vnum ex requisitis à Concil. Trident. nempè, vt deseruiat alicui Ecclesiæ; recitare etenim priuatim Officium Deiparæ, non est deseruire Ecclesiæ, vt per se patet. Deindè dato etiam quod onus illud recitandi huiusmodi Officium computaretur inter requisita à Concilio, & quod ex dispositione Sixti V., si pensionarius haberet summam excedentem ducatonos sexaginta auri de Camera, teneretur deferre habitum, & tonsuram Clericalem, nonne videt *Spe-* *Explicantur Constitutiones Pij V., & Sixti V.* *rellus decis. 66. num. 37.* auctor huius instantiæ, quod aperte fatetur id, quod negare intendit; numerat enim ea, quæ ex Concilio Tridentino requiruntur in non beneficiario ad gaudendum priuilegio fori, nempè delationem habitus, & tonsuræ Clericalis, & seruitutem saltem æquiualentem Ecclesiæ; pro quo debebat aduertere, quod *Concilium Tridentinum d. sess. 23. de reformat. cap. 6.*, alternatiuè duo statuit, vnum ab altero segregando, vt sæpiùs in præcedentibus repetiuimus, nempè, quod non gaudeat quis priuilegio fori, nisi habeat beneficium Ecclesiasticum, & hoc est primum; secundum verò, quod non gaudeat, nisi habitum, & tonsuram deferat, & inseruiat alicui Ecclesiæ; habens primum sine alio gaudet; non gaudet autem in secundo, nisi habeat simul illa requisita; Dum ergo Sperellus quoad pensionarium numerat illa tria, illum constituit in secundo membro alternatiuæ, adeoque non se habet, vt beneficiarius, qui ratione solius beneficij abstrahendo ab alijs qualitatibus potitur eodem priuilegio. Rursus, quod Sixtus V. obliget pensionarium habentem summam excedentem ducatonos sexaginta auri de Camera ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem, non obliget verò non habentem talem summam, non est, quia pensionarius sit beneficiarius, cæteroqui, vt talis gauderet priuilegio fori, siue summa qua gauderet esset minor sexaginta ducatonis, sicuti eodem gaudet beneficiarius, quantumuis ex beneficio minores redditus percipiat. Est igitur Sixtiana pæna noua dispositio distincta ab illa *Concilij Tridentini d. sess. 23. de reformat. cap. 6.*, per quam duo decernit, vnum pænale, nempè vt Clerici gaudentes pensionibus excedentibus summam ducatonorum sexaginta, si non deferant habitum cum tonsura Clericali, priuentur eisdem pensionibus, alterum fauorabile, vt si Clerici pensionarij non gaudeant tali summa, possint impunè incedere sine tali habitu; hæcque idem Sixtus V. habet in Bulla Incipiente *cum Sacrosancta* edita *die* 18. *Ianuarij* 1589. *num. primo*, in pænam transgressionis priuat eisdem pensionibus, non tamen dicit, quod vt pensionarius præcisè gaudeat priuilegio fori, quod est id, quod modo quæritur, sicuti gaudet beneficiarius, quinimmò, cum in eadem Bulla Pontifex priuet etiam beneficijs beneficiarios incedentes sine habitu, qui tamen nemine reluctante gaudent ex dispositione Concilij eodem priuilegio fori, satis per hoc indicat non respexisse ad priuilegium fori, ad quod respexit Tridentinum, sed ad priuationem beneficiorum, & pensionum, ad quam idem Tridentinum non respexit; in secundo concessit quidem pensionarijs non habentibus summam excedentem ducatonos sexaginta, vt possent incedere sine habitu, & retinere eandem pensionem, non tamen per hoc statuit, vt gauderent priuilegio fori.

Dicendum secundò. Pensionarium siue habentem redditus excedentes sum- 40
mam sexaginta ducatonorum aureorum de Camera, siue non excedentes non gaudere priuilegio fori, nisi deferant habitum, & tonsuram Clericalem. Est conformis ijs, quæ mox diximus, & eisdem rationibus euincitur, cum pensio quomodocunque sumatur non sit beneficium, adeoque non comprehenditur sub dispositione Concilij; Neque quidquam in contrarium euincitur ex Constitutione Sixti V., nam si ista haberet locum in hoc, concluderet etiam, quod beneficiarius non deferens habitum, & tonsuram Clericalem non gauderet hoc priuilegio, cum æque beneficiarium priuat beneficio, ac priuet pensionarium pensionibus, ex quibus recta ratione inferretur, quod, si hic priuatur priuilegio fori, & ille eodem priuaretur, quod est contra dispositionem eiusdem Concilij; Nec arbitrandum est, Pontificem voluisse derogare dispositioni eiusdem Concilij nulla facta de eodem

Pensionarius, quãuis habeat redditus magnos, non deferens habitũ, & tonsuram non gaudet hoc priuilegio.

eodem mentione; vndè eius dispositio ad aliud referenda est, quam ad priuationem talis priuilegij fori; sicque meritò *Gratianus discept. for. cap.* 440., *Pacificus Iordanus lucub. vol.* 2. *lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 187. *fol.* 241., dicunt per Constitutionem Sixti V. beneficatum non incedentem cum habitu remanere ipso iure priuatum beneficijs, non tamen amittere priuilegium fori. Quinimmò *Sperellus d. decis.* 66. *num.* 20., apertè asserit, nec beneficiarium priuari beneficio, nisi ipse citetur, quantumuis probetur illum publicè habitum laicalem detulisse, & non posita citatione possessorem debere in possessione beneficij manuteneri, & in his terminis testatur in Sacro Rotæ auditorio obtinuisse.

Sixtus igitur V. in præfata sua Constit. cum *Sacrosancta* volens consulere decentiæ status Clericalis ad detinendos Clericos beneficiarios, & in sacris constitutos, & etiam pensionarios habentes summam excedentem sexaginta ducatonos in honestate habitus sub pæna amissionis beneficij, & pensionis ipso iure incurrendæ eisdem præcepit delationem huiusmodi habitus, non tamen statuit, quod pensionarius præcisè, vt talis, quantumuis gaudeat illa enuntiata summa redditurum habeat priuilegium fori, sicut habet beneficiarius, sed solum vtrumque priuat beneficio, & pensione, si habitum, & tonsuram non deferant, quæ duo valdè sunt diuersa.

41 Dicendum tertiò. Pensionarium, quantumuis fuerit tonsuratus, non gaudere priuilegio fori si habitum, & tonsuram Clericalem non deferat. Deducitur ex ijs, quæ dicta sunt, nempè pensionarium, qua talis est præcise, non contineri sub illa clausula *Tridentini d. sess.* 23. *de reformat. cap.* 6. *Nisi beneficium Ecclesiasticum habeat*, cum pensio non sit beneficium; vndè ad summum comprehenditur qua tonsuratus sub clausula subsequenti, aut *nisi habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ, de mandato Episcopi deseruiat*, vndè, si habitum non deferat, non gaudet hoc priuilegio. Sed, an saltem gaudeat, si deferat habitum, & tonsuram, non tamen deseruiat alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi? Absolutè negandum est, cum ipsa pensio non æquiualeat eidem seruituti.

Pensionarius, quamuis sit tonsuratus, non gaudet hoc priuilegio, nisi deferat habitũ, & tonsuram.

42 Dicendum quartò, quod, si ipsa pensio fuerit erecta in titulum beneficij, vtique pensionarius gaudeat tali priuilegio *Cocchus lib.* 5. *tit.* 8. *num.* 17., cui videtur adhærere *Diana resol. mor. part.* 1. *tract.* 2. *resol.* 31., & ratio videtur clara, quia tunc consideratur, vt beneficiarius, & per consequens continetur sub clausula prima alternatiuæ *Concil. Trident.*, *nisi beneficium Ecclesiasticum habeat &c.*

Si pensio sit erecta in titulum pensionarius gaudet priuilegio.

Octaua ratio dubitandi est, an Clericus tonsuratus, seu in ordinibus constitutus, si non incedat in habitu, & tonsura, vel non deseruiat Ecclesiæ priuetur absolutè priuilegio fori, adeo vt subdatur potestati laicali simpliciter, à qua possit conueniri, puniri &c. etiamsi postea cognoscatur, vt insignitus tonsura, & ordinibus, an verò solummodo quousque non appareat de tonsuratione, & receptione ordinum. In hoc cum distinctione procedendum existimo; vel etenim ille Clericus fuit præcisè tonsuratus, & minoribus ordinibus constitutus, & habitum, & tonsuram sine animo repetendi dimisit, vel tanto tempore non detulit, vt communitèr habeatur pro non Clerico, vel pro aliquo tempore, & modico non detulit, vt non præsumatur dimisisse sine animo reassumendi. Iuxta primum membrum sentio 43 absolutè, & simplicitèr subdi potestati laicali, adeo vt possit ab ipsa puniri, quantumuis postea innotuerit fuisse tonsuratum, vel ordinibus minoribus insignitum, & in hoc verificatur dispositio Tridentini priuantis tali priuilegio non deferentem habitum, & tonsuram &c. Ratio ex eo deducitur, quod, cum Clericus tonsuratus, & in minoribus constitutus nullo iure coarctetur ad perseuerandum in statu Clericali, & Ecclesiastico, potest pro libertate illum deserere, & redire ad statum laicalem; ex eo autem, quod pro longo tempore deseruerit, & tali, vt communitèr habeatur pro laico, iura pro laico ipsum reputant, & non solum ex præsumptione, quod ipse ad talem statum redierit, sed etiam in pænam diutinæ non delationis, ergo non est, cur non subdatur simplicitèr potestati laicali, adeo vt hæc plenam in ipsum hebeat iurisdictionem. Accedit, quod, si iste plenè 44 non subijceretur potestati laicali, vix esset, vt posset de commissis ab ipso delictis puniri, nam posset declinare a foro laicali per exceptionem, quod sit Ecclesiasticus, & a foro Ecclesiastico per exceptionem, quod redierit ad statum laicalem. Iuxta secundum membrum sentio, quod non subdatur absolutè potestati laicali; vndè si detineatur inuentus sine habitu, & tonsura per Iudicem laicum constante postea de eius statu Clericali sit restituendus foro Ecclesiastico, nec puniendus per laicalem. Hoc sentit *Diana part.* 1. *tract.* 2. *resol.* 33. *vers. notandum*, dum dicit non perdere priuilegium, si aliquando habitum, & tonsuram dimiserit, vt si in captura sine habitu inueniatur, cum illum

Si longo tempore non detulit potest puniri etiã si cognoscatur postea tonsuratus.

Secus, si ad modicum tempus non detulit.

Hh 2 deferre

deferre esset solitus. Item *Bonacina de leg. disp. 10. quaest. 2. punct. 1. §. 4. num. 14.*, dum dicit non amittere priuilegium, si tempore delicti habitum deposuerit, qui etiam refert Sacram Congregationem sic declarasse. Ratio autem ea est, quia nec supponitur dimisisse cum animo non repetendi, nec iura praesumuntur pro illa modica non delatione voluisse tanto periculo iurisdictionem Ecclesiasticam exponere, quod videtur considerasse *Zabarella in cap. perpendimus de sententia excommunicationis*.

45 *Initiatus sacris ordinibus gaudet, quamuis habitum non deferat.* Sed quid erit dicendum, si Clericus in sacris constitutus non deferat habitum, nec tonsuram, an iste priuabitur priuilegio fori, &, si detineatur a potestate laicali, an sit restituendus, nec ne Iudici Ecclesiastico, quantumuis longo tempore non detulerit? Absolutè sentiendum est gaudere, &, si detineatur, restituendum esse curiae Ecclesiasticae. Ratio est, quia *Concilium Tridentinum loco cit.*, loquitur praecisè de prima tonsura, & minoribus ordinibus initiato; vndè eius dispositio non est extendenda ad constitutos in sacris; tum quia istis liberum non est statum Ecclesiasticum relinquere, sicuti liberum est constitutis dumtaxat in minoribus; vndè in sacris constitutus sic delinquens grauitèr puniendus est per Iudicem Ecclesiasticum, & fortè etiam priuatus est beneficijs, quibus gaudet ex Constitut. allegata Sixti V., non tamen intelligitur priuatus remanere priuilegio fori.

46 *In dubio, an gaudeat vel non gaudeatis declaratio pertinet ad Ecclesiasticum Iudicem.* Nona ratio dubitandi est in explicando, ad quem Iudicem spectet in dubio declarare, an Clericus gaudeat, nec ne priuilegio fori, quando est captus a birruarijs fori laicalis. *Iulius Clarus in §. fin. q. 38. vers. dixi Clericum, Guidopontius decis. 138.*, *& cons. 110.*, dicunt hoc ius declarandi pertinere ad Iudicem laicum, eo quia ex quo captus est sine habitu, & tonsura acquisiuit quodamodo in illo iurisdictionem. Verius tamen est, quod hoc pertineat ad Iudicem Ecclesiasticum, prout docent *Farrinacius in praxi crim. tit. de inquisitione quaest. 8. num. 34.*, *Marius Antoninus var. resol. lib. 3. resol. 48. num. 1.*, & clarè deducitur ex textu *in cap. si Iudex laicus de sententia excommunicat. in 6.*, vbi etiam adducitur ratio, quia non est Iudicis saecularis de re spirituali, cuiusmodi est Clericatus, cognoscere; vndè vsus inualuit, vt quotiescunque Clericus sine vestibus, & tonsura Clericali captus est a Iudice saeculari, & eidem Iudici Clericatus obijcitur, Iudex Ecclesiasticus citato Fiscali laico assumptis informationibus super veritate cognoscat, & constito de Clericatu declaret ipsum Clericum, & declarationem intimet Fisco laico, qui si resistat, potest ab eodem Iudice Ecclesiastico declarari excommunicatus excommunicatione Papali per textum *in d. cap. si Iudex laicus de sententia excommunicatione in 6.*

ARTICVLVS XIII.

An ex alia causa ab illa non delationis habitus, & tonsurae Clericalis, possit Clericus trahi ad Tribunal laicale.

SVMMARIVM.

Hoc priuilegio priuatur Clericus sodomita. 1.
Nomine Clerici venit etiam Sacerdos, & quicunque Clericus siue saecularis, siue Regularis. 2.
Non subiacet tamen huic poenae, nisi post sententiam declaratoriam. 3.
Patientes non subiacent huic poenae. 4.
Afficiuntur tali priuatione ante degradationem posita sententia declaratoria. 5.
An Constitutio Pij V. quoad hoc sit vsu recepta. 6.
Priuatur etiam hoc priuilegio Clericus assassinus, si talis fuerit declaratus per Iudicem Ecclesiasticum. 7.
Etiam Clericus, qui procurauit abortum foetus animati. 8.
Haec poena non est moderata per Gregorium XIV. 9.
Alia causa talis priuationis remissiuè. Ibid.

Plures enumerat causas *Marchinus tract. 2. de ordin. in partic. part. 1. c. 15. dif. 12.* ex quibus Clericus trahi potest ad Tribunal laicale. Primum est, si Clericus sodomiam exercuerit; Nomine autem Clerici venit quicunque etiam Sacerdos, & quicunque Clericus siue saecularis, siue Regularis cuiuscunque gradus, & conditionis sint, vt euincitur ex Constitut. Pij V. publicata Romae die 3. Septembris 1568., quae incipit *Horrendum illud scelus*. Hoc clare constat ex Bulla Leonis X., quae incipit *Supremae, & ex enuntiata* Constitut. Pij V., in quibus de hac poena subiectionis foro saeculari cum priuatione cuiuscunque priuilegij Clericalis apertis verbis disponitur. 1 *Clericus sodomita priuatur hoc iure* 2 *Quis veniat nomine Clerici.*

Circa hanc poenam, & easdem Constitutiones, ex quibus emanat, plura hic consurgunt dubia mox discutienda. Primum est, an haec poena subiectionis incurratur ipso iure per exercitium talis criminis ante quamcunque sententiam declaratoriam, an verò nonnisi post talem sententiam. Secundum, an tali poenae subdantur solum agentes in tali cri-

crimine, an verò etiam patientes. Tertium, an posita sententia declaratoria immediatè subdantur potestati laicali, an verò nonnisi post degradationem, & consignationem eidem factam per curiam Ecclesiasticam.

3 *Non subiacet tamen huic pænæ, nisi post sententiam declaratoriã.* Quoad primum ratio dubitandi ex eo consurgit, quod Pius V. in allegata Constitutione loquitur per hæc verba. *Omni priuilegio Clericali, omnique officio, & dignitate &c. præsentis canonis auctoritate priuamus*, quæ verba, cum sint concepta pro tempore præsenti, videntur importare latam sententiam, & propterea pænam ipso iure incurri. Nihilominus sentiendum est, non subesse huic pænæ, nisi post sententiam declaratoriam *Sairus de censur. lib. 7. cap. 12. num. 24.*, & Doctores communitèr contra *Nauarrum in man. cap. 27. num. 250.* Ratio est, quia in pænalibus vsus obtinuit, & præscripsit, vt pænæ non incurrantur, quamuis in earum dispositione concipiantur per verba præsentis temporis, nisi post sententiam saltem declaratoriam criminis commissi cum ea qualitate, pro qua imponuntur, vt de communi testantur *Sperellus decis. 66.*, *& Gratianus discept. for. cap. 440.*

4 *Patientes non subiacẽt huic pænæ.* Quoad secundum, probabilius arbitror, patientes non subesse huic pænæ; tum quia in rigore patientes non dicuntur sodomitæ, sed potius molles, vt notat *D. Thomas prima secunda quæst. 138. art. primo ad primum*, & in hoc sensu intelligitur etiam Apostolus *prima ad Corint. 6.*, dum dicit. *Neque adulteri, neque molles &c.* tum quia, quamuis daremus, quod sub appellatione sodomitæ veniret etiam patiens, hic non comprehenditur sub Constitutione Pij V., cum in ea dicatur *exercentes*, quorum nomine veniunt dumtaxat agentes, non patientes, qui non dicantur exercere, sed pati, tum quia grauius est delictum in agente, quam in patiente, & in foro contentioso grauiori pæna ille mulctatur, quam iste, tum quia crebrius hoc delictum in Clericis agendo committitur, & vix patiendo; iura autem potissimum pænalia respiciunt id, quod, vt plurimum euenit, non id, quod rarò.

5 *Afficiũtur ante degradationẽ.* Quoad tertium, ratio dubitandi ex eo consurgit, quod Pius V. per suam Constitutionem ista statuit. *Ita quod per Iudicem Ecclesiasticum degradati potestati statim sæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio deuolutos legitimis reperitur sanctionibus constitutum*, ex quibus verbis videtur colligi huiusmodi delinquentes non subijci pænis, nisi post degradationem. Verum considerandum est in hac Constitutione plura statui; primum priuat omni priuilegio Clericali, omni officio, & dignitate, ac beneficio Ecclesiastico; secundum statuit degradationem per Iudicem Ecclesiasticum; tertium, vt post degradationem tradatur curiæ sæculari puniendus, ea pæna, qua puniuntur laici simili flagitio infecti, quæ est pæna peremptionis per ignem, quibus positis dicendum est, pænam priuationis priuilegij fori subire statim ac per sententiam declaratoriam constitutus est reus criminis commissi; nam tunc sunt omnia requisita ad talem pænam subeundam; nec subsequentia verba mox allegata quidquam contrarium euincunt, nam referuntur solummodò ad subsequentem pænam per curiam laicalem infligendam.

Contendunt aliqui hanc Pij V. Constitutionem non esse vsu receptam, adeo vt quidem ex PP. Societatis Iesu apud *Fillium de casibus reseru. part. 2. cap. 7. §. 1. n. 8.* testentur Cardinalem Sabellium Summi Pontificis Vicarium declarasse talem non receptionem, de qua etiam testatur *Bellochius de casib. reseru. part. 2. quæst. 1. num. 221.*, quod, an verum sit, ego non statuo. Sufficiat, ea insinuasse, quæ ex tali Constitutione emanant circa rem præsentem supposita eiusdem receptione. 6 *An Cõstitutio Pij V. sit vsu recepta remissiuè.*

Secunda est, si Clericus fuerit assassinus, & talis per Iudicem Ecclesiasticum declaratus, vt videtur colligi ex textu *in cap. 1. de homicid.*, quem textum in hoc sensu intelligunt *Iulius Clarus in pract. crim. quæst. 36.*, *Bernardus Diaz in pract. canon. cap. 144. in verb. curia sæcularis*, *Martha de iurisd. part. 4. cas. 129.*, *Duardus in can. 15. Bullæ Cænæ quæst. 11. num. 62.* Sed in hoc textu sermo est de homicida per industriam, & per insidias, & licet *Glosa ibid.* videatur extendere etiam ad latrones, loquitur tamen solum in ordine ad immunitatem Ecclesiasticam. Quamobrem sistendo in verbis textus dico, Clericum homicidam per industriam, & insidias non gaudere hoc priuilegio, sed priuari solum per sententiam declaratoriam Iudicis Ecclesiastici, per quem est deponendus, & curiæ laicali tradendus. 7 *Etiam assassinus priuatur hoc priuilegio.*

Tertia est, si Clericus procurauerit abortum fætus animati ex Constitutione Sixti V. incipiente *effrenatam*, in qua statuit Clericos omnes omni priuilegio Clericali, officijs, & dignitatibus ipso facto priuari, & ad ipsa inhabiles reddi sine spe habilitatis acquirendæ, & hoc etiam si crimen occultum fuerit, quinimmò per Iudicem Ecclesiasticum degradandos, & curiæ sæculari tradendos, quæ ipsis eas pænas infligat, quæ contra laicos verè homicidas per diuinas leges, & ciuilia 8 *Etiam qui procurauit abortum fætus animati.*

iura

iura sunt dispositæ, & insuper contra eosdem tribuit locum præuentioni Iudicibus Ecclesiasticis, & laicis, & quamuis hæc Constitutio Sixtiana moderata fuerint per Gregorium XIV. in sua Constitutione incipiente *Sedes Apostolica*, moderatio tamen est solummodò quoad reseruationem peccati, & excommunicationis etiam, quando abortus fuit fætus animati, & quando fætus erat inanimis alias pænas reduxit ad terminos iuris communis, quando verò fætus erat animatus easdem pænas Sixtianas reliquit in suo robore. Ex quibus clarè resultat Clericum in hoc genere delinquentem quoad fætum animatum priuari priuilegio fori, quæ pæna intelligenda est supposita sententia declaratoria iuxtà superiùs dicta.

9 *Hæc pæna non est moderata per Gregorium XIV.*

Plures alias causas ex quibus Clericus trahi potest ad Tribunal laicum numerat *Marchinus loc. quo supra*, apud quem sunt videndæ; non enim expedit hic repetere.

QUÆSTIO II.

De Ordine Ostiariatus.

PRimus ordo quoad executionem est Ostiariatus, de quo propterea primo loco est peragendum, vt seruetur ordo in doctrina, qui seruatur in collatione eorundem ordinum. Sub hac quæstione agemus de eius origine, & institutione, de eius quidditate, & causis intrinsecis; de muneribus, & de eiusdem effectibus, & de alijs, si quæ sint, quæ ad eiusdem naturam pertineant.

ARTICVLVS I.

De origine, & institutione Ordinis Ostiariatus.

SVMMARIVM.

Christus Dominus quoad substantiam hunc ordinem instituit. 1.
Vestigium huius ordinis habetur in veteri lege. 2.
Eius vsus incæpit ab Apostolorum temporibus. 3.
Ecclesia postea determinauit materiam, & formam. 4.

NOn est hic sermo de institutione huius ordinis quoad substantiam, cum ex superius dictis, vtpotè Sacramentum sit institutus à Christo Domino auctore omnium Sacramentorum nouæ legis; sed de eodem quoad determinationem materiæ, & formæ, quam Christus Dominus reliquit Ecclesiæ, & quoad tempus, pro quo in Ecclesia Dei cæpit vigere.

1 *Christus quoad substantiā hunc ordinem instituit*

In lege veteri hic mos erat, vt constituerentur Ianitores, qui templi foribus præessent, & per suas vices omnia exteriora, & interiora lustrarent, & custodirent, vt legitur *primo Paralepom. 23., & secundo eiusdem Paralep. item 23.* Quamuis autem cæremonialia legis veteris fuerint in aduentu Christi Domini abolita; in aliquibus tamen quasi ex noua institutione adhuc in nouo testamento vigent, cuiusmodi illud est, quo constituantur Ostiarij ad custodiendum templum Domini, & eijciendos indignos ab eiusdem ingressu, & permanentia. Quandonam autem hic ritus in lege noua, seu hæc institutio Ianitorum quoad talem determinationem materiæ, & formæ, & quoad executionem eiusdem incæperit, hoc est, quod sub hoc titulo controuertendum occurrit.

2 *Vestigiū huius ordinis habetur in veteri lege.*

Conueniunt omnes, quod Ostiariatus incæperit ab Apostolorum temporibus, cum de illo meminerint antiqui PP. ipsis Apostolis affines, inter cæteros *D. Dionysius Areopagita cap. 3. Ecclesiast. Hierarchiæ, D. Ignatius Epist. 8., & 12., Tertullianus lib. aduers. Hæreticos, D. Isidorus lib. 2. de offic. Eccles. cap. 13.* De hoc fit mentio *in cap. Cleros dist. 21., & cap. Ostiarius dist. 23.*, & in pluribus *Concil. Cartag. IV. cap. 10., & Florent. in literis vnionis*. Si autem determinatè quæratur à quonam facta fuerit hæc determinatio, & a quo incæperit, cum ex sacris paginis non appareat, vix potest aliquid certum statui. Probabilius est incæpisse à D. Petro Apostolo, cui datus est primatus in Ecclesia, & omnis potestas ligandi, & soluendi, vndè *in cap. in nouo testamento dist. 21.* dicitur *Post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cæpit ordo*. Verum tamen est, quod nullibi legitur, quod D. Petrus sub hac forma, qua nunc vtimur, instituerit, seu contulerit hunc ordinem, vndè probabile est, quod contulerit, seu instituerit sub forma apta significare potestatem, quæ in ipso confertur, & postmodum per Ecclesiam determinatæ fuerint claues tanquam materia, & verba, quibus Episcopi vtuntur in collatione eiusdem, tanquam forma, vtpotè aptæ ad talem significationem, vt seruetur hic ritus vniformitèr

3 *Eius vsus incæpit ab Apostolis.*

in

in vniuersali Ecclesia, licet alicubi inducta fuerit aliqua variatio, quæ tamen non est quoad substantiam significationis, sed tantum accidentalis, & quoad modum. Hæc omnia innotescunt ex ijs,
4 quæ diximus in præcedenti parte *de ordine in communi*: Vbi, quod quidem Christus Dominus hunc, & alios ordines institueerit quoad substantiam in materia, & forma indeterminata, & in signo sensibili, quod esset aptum ad significationem determinando postea per Ecclesiam; & cum hæc determinatio relicta sit potestati Ecclesiæ, hæc potuit in primitiua Ecclesia statuere aliquod, quod se haberet ex materia, & forma tanquam signum potestatis, quæ confertur, & successiuè aliud signum tanquam aptius constituere

Ecclesia postea determinauit materiam, & formam.

ARTICVLVS II.

De quidditate, & materia, & forma huius Ordinis.

SVMMARIVM.

Definitio Ostiariatus. 1.
Materia remota sunt claues. 2.
Tintinnabulum non est propria materia, sed ad modum materiæ. 3.
Materia proxima est ipsa clauium traditio cum contactu respectu recipientis. 4.
Requiritur contactus physicus, nec sufficit moralis. 5.
Euincitur ex declaratione Innocentij XI. 6.
Forma huius ordinis sunt verba prolata ab Episcopo. 7.
Explicantur singula verba eiusdem formæ. 8.

1 EX fine, quo institutus est, rectè deducitur eius definitio, quod sit signum sensibile potestatis, quæ confertur custodiendi fores Ecclesiæ, & eijciendi ab eadem indignos. Ex eo autem, quod dicatur signum sensibile &c. euincitur conuenientia, quam habet non solum cum cæteris Sacramentis, sed etiam cum cæteris ordinibus, cum quibus etiam conuenit per ly *potestatis*, cum in omnibus ordinibus conferatur potestas in ordine ad munera, quæ sunt in singulis exercenda; ex eo, quod subdatur, custodiendi fores Ecclesiæ, significantur simul finis institutionis, & munera, ad quæ hoc ordine initiatus deputatur, & per hanc particulam à cæteris ordinibus secernitur, & hæc stat loco differentiæ. Hæc quoad constitutionem metaphisicam per prædicata essentialia.

Definitio Ostiariatus.

Considerando iam eundem ordinem quoad esse, & constitutionem physicam, indaganda est eius materia, & forma tam quoad esse remotum, quam quoad esse proximum, & quidem loquendo de materia remota, cum in collatione eiusdem non solum tradantur claues, sed etiam tintinnabulum, quæritur, an materia essentialitèr in vtrisque consistat, an tantum in altero illorum, & quonam, & ex suppositione, quod in altero tantum consistat, ad quem finem alterum, in quo non consistit, fuerit inductum; loquendo verò de materia proxima, quæ communitèr assignatur traditio eius instrumenti, quod dicitur materia remota, & contactus eiusdem respectu recipientis, an requiratur, vt contactus sit physicus, an sufficiat moralis; loquendo verò de forma, quæritur quænam verba sint essentialitèr constitutiua ipsius.

Assertio I. Materia remota huius ordinis sunt claues; tintinnabulum non est propriè materia, sed ad modum materiæ, & inductum solummodo ad significandum quoddam munus annexum eidem ordini. In hoc magis communitèr consentiunt, quamuis aliqui velint vtrumque esse materiam propriam huius ordinis. 2

Materia remota sunt claues.

Probatur; illa est materia propria ordinis, quæ traditur ordinando, dum profertur forma eiusdem ordinis, quæque apta est simul cum forma significare potestatem, quæ per ipsum ordinem confertur, sed id, quod traditur, dum profertur forma Ostiariatus, sunt claues, & ipsæ dumtaxat sunt aptæ significare id, quod importatur per formam; hæc etenim consistit in his verbis. *Sic age quasi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his clauibus includuntur*, ergo claues sunt materia propria ordinis Ostiariatus; & hinc reprobatur illorum opinio, qui non in solis clauibus, sed etiam in tintinnabulo constituunt materiam huius ordinis; si quidem, quando hoc traditur, nulla forma profertur, & antecedentèr prolata in traditione clauium non est apta significare id, ad quod est institutum idem tintinnabulum. Hinc etiã infertur contra nonnullos caractherem huius ordinis non imprimi, quando traditur idem tintinnabulum, sed quando traduntur claues, & vltima sillaba formæ profertur, nam tunc caracther imprimitur, quando ordo confertur; ordo autem confertur non in traditione tintinnabuli, sed in traditione clauium cum prolatione formæ.

Hinc etiam infertur, tintinnabulum solum conferri ad indicandum munus, quod competit Ostiario pulsandi campanas ad conuocandum populum ad Ecclesiastica officia, & functiones, ea proportionali ratione, qua infrà dicemus de porrectione

rectione Calicis vacui in collatione Ordinis Subdiaconatus, quæ non est materia huius ordinis, sed solum cæremonia Ecclesiastica ad indicandam facultatem, quæ Subdiacono confertur, tangendi vasa sacra., hoc tamen verum non est.

3 *Tintinnabulũ non est propria materia*

Assertio II. Materia proxima huius ordinis est ipsa clauium traditio cum contactu eiusdem respectu recipientis, qui contactus debet esse physicus. Consentiunt in hoc *Henriquez de ord. cap.* 10., *Angles quæst. de ord. dub.* 5. *concl.* 2., *Azorius part.* 1. *c.* 10., *Nauarrus in man. c.* 22. *n.* 17., *Coninchus disp.* 20. *dub.* 7. *n.* 70., *Vgolinus de offic. Episcop. part.* 2. *cap.* 26.

4 *Materia proxima est ipsa clauem traditio*

Quod requiratur contactus latè probatum est *d. quæst.* 1. *art.* 7. *per totum*, vbi etiam confutauimus aduersantium argumentum. Recole, quæ ibi dicta sunt; non enim vacat ibi dicta hic repetere. Quod verò requiratur contactus physicus euincitur ex declaratione Innocentij XI., qui in propositione prima per ipsum damnata vult in Sacramentis conferendis sequendam esse opinionem tutiorem relicta probabili; denegari autem non potest quin tutius sit adhibere contactum physicum, quam adhibere solum moralem, & quamuis ipse Pontifex videatur ibi solum attingere conferentem. Ibi- *Non est illicitum in Sacramentis conferendis*, ex connexione tamen, & correlatiuitate videtur etiam comprehendere recipientes.

5 *Non sufficit contactus moralis.*

6 *Declaratio Innocentij XI.*

Assertio III. Forma huius ordinis sunt verba illa. *Sic age, quasi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his clauibus includuntur*. Colligitur ex Pontificali Romano.

7 *Forma huius ordinis.*

Probatur, & explicatur. Dicitur *sic Age* imperatiuo modo, quia non solum confertur potestas, sed etiam imponitur onus exercendi munera talis potestatis collatæ, quod specialius fit in hoc ordine ob necessitatem non solum custodiendi Ecclesiam, sed etiam excludendi indignos ab ingressu, & permanentia in eadem; cæteri etenim ordines respiciunt cultum Dei in ordine ad sacrificium, & bonum Communitatis; hic autem respicit exclusionem eorum, quæ possunt officere dignitati Ecclesiæ, & decentiæ sacrificij, pro quo maxime sollicita est eadem Ecclesia, quæ propterea hoc onus imponit. Dicitur *Quasi Deo redditurus rationem &c.*, per quas particulas ostenditur, quam graue sit onus, quod imponitur Ostiario in collatione ordinis, adimplendi adamussim munera, quæ eidem sunt annexa. Dicitur *pro his rebus, quæ his clauibus includuntur* per quæ verba indicantur munera, quæ principalius pertinent ad talem ordinem.

8 *Explicantur singula verba eiusdem formæ.*

ARTICVLVS III.

De muneribus ordinis Ostiariatus.

SVMMARIVM.

Debet custodire fores Ecclesiæ. 1.
Arcere indignos ab ingressu in eandem. 2.
Nempè infideles. 3.
Item excommunicatos nominatim denuntiatos. 4.
Intellige pro tempore Diuinorum Officiorum. 5.
Et hoc etiam per coactionem. 6.
Quomodo se gerere debeat Sacerdos, qui sacrum incohauit, cum excommunicato ingresso Ecclesiam, & nolente recedere. 7.
Item arcere debet interdictos ab ingressu in Ecclesiam tempore sacri. 8.
Non tamen omisso sacro, si iam incaptum fuerit. 9.
Item curare debet, ne fideles proprius quam par sit accedant ad sacram aram. 10.
Item pulsare campanas ad conuocandum populum ad sacra. 11.
Item seruare sacram suppellectilem. 12.

QVamuis ex forma huius ordinis videatur solum explicitè indicari manus custodiendi fores Ecclesiæ, & ea, quæ in eadem includuntur, alia tamen sunt munera, quæ Ostiario competunt vel implicitè imbibita in tali forma, vel eidem ex speciali dispositione competentia. Quinque autem munera antiquitùs Ostiario competebant, quæ an modo sint in vsu singillatim dicemus, dum de vnoquoque in particulari.

1 *Debet custodire fores Ecclesiæ*

Primum est, indignos ab ingressu Ecclesiæ arcere, & dignos admittere, prout expresè colligitur *ex cap. cleros dist.* 21. Ibi- *Ipsi enim tenentes claues omnia intus extraque custodiunt; atque inter bonos, & malos habentes iudicium fideles recipiunt, & respiciunt infideles*; atque de hoc munere agunt *D. Thomas tertia part. quæst.* 37. *art.* 2. *in addit. Cathechismus Romanus de Sacram. Ord. num.* 15., *D. Isidorus lib.* 2. *de offic. Eccles. cap.* 14. Sed hic remanet explicandum, quinam veniant nomine indigni, qui per Ostiarium ab ingressu in Ecclesiam sint arcendi? Ex verbis mox *alleg. cap. Cleros dist.* 21., satis apparet infideles arcendos esse; nomine autem infidelium veniunt non solum ethnici, sed etiam Iudæi, Hæretici, Cathecumeni, vt colligitur *ex D. Ambrosio Epist.* 23., *& D. Chrysostomo homilia* 41., *&* 60. *ad populum Antiochenum*. Item excommunicati nominatim denuntiati, interdicti, qui, quamuis dici nequeant infideles, cum tamen

2 *Arcere indignos ab ingressu Ecclesiæ*

3 *Infideles*

tamen intelligantur ab Ecclesia separati per censuram quoad hunc effectum pro eisdem computantur. Item publicè pænitentes, qui impositam pænitentiam nondum plenè adimpleuerunt. Sed, an

4 *Excommunicatos nominatim denuntiatos.*

pro omni tempore isti sint arcendi ab ingressu Templi, an verò solummodò pro tempore, quo sacra peragantur. Probabilius arbitror, arcendos esse infideles formalitèr pro quocunque tempore, cum etenim malè sentiant de Ecclesia, potest esse rationabilis præsumptio, quod ingredi intendant in contemptum, & spretum, & irrisionem eiusdem Ecclesiæ.

5 *Pro tempore Diuinorū Officiorū*

Quoad excommunicatos etiam publicè denuntiatos, & nominatim sentio arcendos esse tempore sacri, & Diuinorum Officiorum. In hoc omnes conueniunt, adeo vt, si ingrediantur dum Missa celebratur, vt eidem intersint, expellendi sunt per admonitionem, &, si necesse fuerit per coactionem, &, si hæc non sufficiat,

6 *Etiam per vim*

& Sacerdos celebrans ad consecrationem non deuenerit, debet idem Sacerdos Missam omittere, & ab Altari recedere, quod, si consecratio fuerit peracta, debeat perficere, cum fortiùs obliget ius perficiendi sacrum, quando iam incohatum est per essentialia, quod est de iure Diuino, quam ius expellendi excommmunicatum, quod tantum de iure Ecclesiæ.

7 *Quid agendū sit cum excommunicato nolente recedere incohato sacro.*

Quod, si non facta fuerit consecratio, sed incæptus Canon, tunc *Suarez disp. 12. sect. 1.*, asserit posse, vel Missam prosequi, vel eandem omittere; sed ego arbitror tutius esse, si omittat *Turrianus disp. 11. dub. 1. lib. 2.*, *Diana part. 5. tract. 9. resol. 92.* Cæterum extra tempus, quo celebrantur sacra, vel Diuina Officia, arbitror, admitti posse in Ecclesia, & in eadem orare, quamuis alij adsint fideles dummodo priuatim orent, nam tunc non censentur cum illis communicare, item arbitror posse cum alijs concionem audire, quia hoc non est communicare in Diuinis, cum concio sit mera instructio populi, & deseruire valeat ad resipiscendum à delicto ob quod contraxerunt excōmunicationem *Rainaldus de montit. part. 2. c. 2. num. 21.*, nec obstat id, quod asserit *Tertullianus de pudic. cap. 4. num. 14.*, excommunicatos scilicet arcendos esse à limine Ecclesiæ, nam hoc intelligendum est pro tempore sacri, aut Diuinorum Officiorum, vt sentiunt *Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 4., & 6.*, *Caietanus in summa cap. de particip. cum excommunicatione, §. illicita autem.*

Quoad interdictos ab ingressu Ecclesiæ certum est apud omnes, quod arcendi sint ab Ecclesia tempore sacri, & Diuinorum Officiorum etiam si necesse sit per coactionem; sed si non possint per coactionem etiam expelli, debere omitti sacrum, & Diuina Officia affirmat *Faber cap. 1. num. 113.*, addita ratione, quod correlatiua simul prohibentur, cum igitur interdictus non possit interuenire sacro, & Diuinis Officijs, ita nequeat Sacerdos coram ipso celebrare, nec Diuina peragere. Contrarium tamen sustinent, & quidem rectius *Merceras in tertia parte qu. 24. dub. 3.*, *Diana part. 5. tract. 10. resol. 64.*, & quia, cum Iura præcipiant excludi interdictos, loquuntur de interdicto locali, nec valet quoad hoc paritas de excommunicato nominatim denuntiato, quia de ipso est specialis dispositio. 8 *Item arcere interdictos tempore sacri.*

Cæterum, quod eisdem non interdicatur omnis ingressus in Ecclesiam tenet *Suarez disp. 35. sect. 4. contra Gordonum tom. 2. lib. 7. quæst. 16. cap. 8. num. 55., & seq.*, qui Suarez vult solum prohiberi ingressum formalem ad orandum. Nauarrus verò ampliatiuè procedens *cap. 27. num. 170.* vult solum prohiberi ab ingressu tempore Diuinorum Officiorum, in alio autem tempore ingredi posse etiam ad orandum. addita etiam ratione, quod Ecclesia fundata sit principalitèr, & propriè ad celebranda, & audienda Diuina Officia, & solum secundario, & per accidens ad priuatas Orationes fundendas; pænalia autem strictè interpretanda, & de ijs functionibus, ad quas Ecclesia principalitèr, & instituta. Auila *part. 5. disp 4. dub. 5. concl. 6.* ampliando procedit, quod etiam transire possit per Ecclesiam, quando Diuina celebrantur, & sic transitoriè orare. 9 *Non tamen omisso sacro iam capto.*

Secundum est curare, ne fideles proprius, quam par sit, accedant ad sacram aram ad effectum, ne turbentur Sacerdotes, & ministri Ecclesiæ à proprio ministerio; de hoc habetur expresè *in Cathechismo Romano de Sacrament. Ord. num. 15.*, & adhoc munus etiam reducitur illud, vt curare debeat, vt in Ecclesia seruetur debitus cultus, & reuerentia iuxta textum *in cap. decet de immunit. Ecclesiæ.* 10 *Curare ne fideles propiùs ad Altare accedāt.*

Tertium est, de quo egimus in præcedenti articulo, quod Ostiarius debeat Ecclesiæ campanas pulsare, & ad hunc effectum in ordinatione illi traditur tintinnabulum, vt dicebam in præcedentibus; & congruè quidem hoc munus illi adijcitur, vt sicuti Templum, & ea, quæ in ipso sunt, custodire tenetur ad eiusdem Templi decorem, & populi confluentis commodum, & vtilitatem, ita teneatur ad ipsum populum conuocare. 11 *Pulsare campanas.*

Quartum est, quod Ostiarius debeat sacras vestes, fidelium deposita, & totam Ecclesiasticam suppellectilem custodire,

quod ordinatur per ipsam formam huius ordinis, & expressè decernitur *in cap. perlectis dist. 25.*

12 *Seruare sacram suppellectilem*

Quintum est, quod Ostiarius antiquitùs ex officio tenebatur librum aperire concionaturo, vt legitur in Pontificali Romano. Sed modo hoc munus contraria consuetudine abolitum est.

ARTICVLVS IV.

Expediuntur nonnulla ad ordinem Ostiariatus pertinentia.

SVMMARIVM.

Ostiarius eijciens indignos, si simul eijciat Clericum non contrahit excommunicationem Canonis, si quis suadente. 1.

Ab hac excommunicatione, si illam contraxerit eijciendo animo lædendi Clericum potest ab Episcopo absolui, si læsio fuerit leuis, si verò grauis à Pontifice. 2.

Effectus proprius Ostiariatus est gratia sanctificans, cum speciali auxilio ad rectè obeunda munera eiusdem ordinis. 3.

Suscipiens ordinem Ostiariatus in peccato lethali peccat lethalitèr. 4.

Illum exercens non peccat lethalitèr. 5.

Dubitatur primo, an, cum dictum fuerit, inter munera Ostiarij numerari hoc, quod teneatur indignos ab Ecclesia arcere, & expellere, si contingat plures simul indignos ingredi, & manere in Templo, & ipse eosdem conetur etiam per violentiam expellere, & in ipso conatu expellat etiam Clericum, incurrat excommunicationem Canonis, *si quis suadente*.

1 *Ostiarius eijciens per vim indignos si simul eijciat clericũ non contrahit excommunicationem.*

Respondendum est negatiuè, nisi vtens illa occasione expellat animo inferendi iniuriam ipsi Clerico. *Bonacina de excommunicat. disp. 2. quæst. 4. punct. 4. num. 15.*, vbi allegat Sairum, & Auilam. Ratio ex eo deducitur, quia talis eiectio Clerici non fuit suadente diabolo, prout requiritur *in d. Can.* ad incurrendam hanc excommunicationem. Item respectu eiusdem est merè casualis, ergo per eundem non incurritur excommunicatio, quæ non potest esse sine culpa respectu eijcientis. Hoc idem euincitur *ex cap. si verò 1. de sentent. excommunicat.* Ibi- *Nisi fortè turbam arcendo irruentem non ex deliberatione, sed fortuito casu Clericum lædat.* Dixi *nisi vtens ea occasione expellat animo inferendi iniuriam ipsi Clerico*, nam tunc verè verificaretur, quod suadente diabolo eidem violentèr iniuriam intulerit, vt habetur *in d. cap. si verò.* Ibi *si verò alienius potestatis Ostiarius sub prætextu sui officij malignans Clericum læserit.*

2 *A quo possit absolui.*

Si iam quæratur, à quo possit absolui ab hac excommunicatione? Tunc dicendum est, quod, si leuis fuerit offensio, possit à suo Episcopo absolui. Ibi- *ab Episcopo suo possit absolui*, & hoc videtur fundari in communi regula, secundum quam Episcopus in læsione leui absoluit; si verò grauitèr vulnerauit, non possit, nisi à Pontifice, vel de eius auctoritate absolui. Ibi- *Nisi fortè eundem Clericum grauitèr vulnerauerit.*

Dubitatur secundò, Quinam sit effectus proprius ordinis Ostiariatus. Dixi *proprius* non enim hic controuertimus de effectibus, qui sunt communes omnibus ordinibus, cuiusmodi sunt gratia sanctificans, & caracther, de quibus latè egimus dum de Sacramentis in genere, tum in præcedenti parte *de ordin. in communi*. Quamuis autem gratia sanctificans sit communis non solum omnibus ordinibus, sed etiam omnibus Sacramentis, quia tamen tam in Sacramentis, quam in ordinibus hæc gratia in ordine ad effectus, ad quos datur, est multiformis, & quodamodo diuersa, ideo in præsenti id, quod inquirimus, est qualis sit hæc gratia, & ad quem effectum specialitèr ordinata.

3 *Assignatur effectus proprius huius ordinis.*

Respondeo; gratia specialis, quæ confertur in Sacramento Ordinis Ostiariatus non solum est diuersa in modo, quo confertur, sed etiam in ordine ad effectus, ad quos confertur. Arbitror in hoc omnes consentire. Ratio ex eo deducitur, quod modum, quia est diuersum instrumentum, seu Sacramentum, quo confertur ab illo aliorum Sacramentorum, & ordinum, vt ex se patet; Quoad effectus deducitur ex discursu per omnia, & singula Sacramenta, per omnes, & singulos ordines; nam gratia, quæ confertur in Sacramento Baptismatis, est per modum regenerationis, & effectus eius, dum est inceptio vitæ supernaturalis; in Sacramento Confirmationis est per modum confortationis, & effectus eiusdem est robur ad profitendam fidem, & augendam gratiam, ad quam renatus est; in Sacramento Pænitentiæ est per modum expurgationis, & eius effectus est ablatio obicis obsistentis eidem gratiæ; in Sacramento Eucharistiæ est per modum nutritionis, & eius effectus est augmentum gratiæ nutritiuæ, & sic de cæteris Sacramentis. Loquendo verò speciatim de ordinibus etiam discurrendo per singulos patet in ordine ad diuersa munera, & effectus, ad quæ, seu quos datur esse diuersa; signantèr verò in ordine Ostiariatus, cum detur in ordine ad custodiendas fores Ecclesiæ,

& ea, quæ sub eisdem clauibus includuntur confert speciale auxilium ad ea munera obeunda; vndè quodamodo duplex munus exercet, vnum commune, quo sanctificat, alterum quodamodo singulare, quo corroborat, & vim præstat specialitèr ad obeunda illa munera, ad quæ specialitèr datur.

Dubitatur tertiò, an qui recipit Ostiariatus ordinem in peccato læthali, aut post susceptum existens in eodem peccato illum ministrat peccat læthalitèr.

4 *Suscipiens Ostiariatum in peccato læthali peccat læthalitèr.* Suscipientem hunc ordinem, sicuti cæteros in peccato læthali peccare læthalitèr, certum est ex generali regula, qua suscipiens Sacramentum in læthali, vtpotè, qui ponit obicem gratiæ reus constituitur grauis culpæ, præterquam quod sancta non sanctè pertractat; Ex supra autem probatis ordo Ostiariatus est Sacramentum. Sed, an, qui iam suscepit ordinem, vel in gratia, vel in peccato læthali, postea vel in præcedenti peccato, vel in nouitèr commisso illum ordinem, vel illius functiones exercet, committat nouum peccatum læthale hoc est meta præsentis difficultatis. Pro qua

Aduerte ad hoc, vt quis exercendo ordines in læthali læthale contrahat tres requiri conditiones ex communi Doctores consensu. Prima est, vt ipse sit minister ad talem actum ordinatus. Secunda, vt solemnitèr, & ex officio exerceat. Tertia, vt talis actus, quem exercet sit Sacramentalis. Prima, & secunda conditio supponũtur esse in Ostiario exercente suum munus in læthali; sed vtrum per tale exercitium ponat actum Sacramentalem, ratione cuius in tali exercitio contrahat noxam læthalem, id est, à quo dependet præsens resolutio. Pro quo aduerto, Nauarrum nomine actus Sacramentalis intelligere illum actum, qui annexus est alicui ordini, cuiusmodi est benedictio fructuum respectu Sacerdotij, canere Euangelium respectu Diaconi, Epistolam respectu Subdiaconi, & sic de cæteris. Alij verò nomine actus Sacramentalis, prout pertinet ad rem præsentem, illum intelligunt, per quem conficitur, & confertur Sacramentum, vt cum Sacerdos confert Baptismum, absoluit à peccatis, aut vngit infirmum, qui propterea docent talitèr conficientem, & conferentem Sacramentum in peccato læthali peccare læthalitèr; & in hoc contra Nauarrum consentiunt *Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4. in fine, Valentia tom. 4. disp. 9. quæst. 1. punct. 4. col. 11. quæst. 61., Victoria de Sacrament. num. 233., & Neoterici communitèr*. Quibus ego quoque adhærens,

Respondeo, Ostiarium, qui post susceptum ordinum in eodem ministrat in peccato læthali, non peccare læthalitèr. In hoc consentiunt omnes præallegati. Ratio ex eo deducitur, quod exercens ordinem Ostiariatus nec Sacramentum conficit, nec confert, nec recipit, adeoque, nec exercet actum, vt Sacramentalem, prout ad præsens institutum requiritur, ergo illud exercens in peccato læthali, non peccat læthalitèr. Consequentia probatur, quia ex prænotatis, vt quis exercens ordines in peccato læthali peccat læthalitèr, requiruntur tres allegatæ conditiones; in hac autem hypothesi deficit tertia conditio, cum non exerceat actum Sacramentalem iuxta modum expositum. Neque obstare potest, si dicatur, etiam si non conficiat, nec conferat, nec recipiat in illo exercitio Sacramentum, non pertractare sancta sanctè, & iniuriam quodamodo conferre ipsi ordini propter indecentiam, qua illum exercet; Non, inquam, obstare potest, nam non quæcunque pertractatio minus sancta sacrorum, nec quæcunque indecentia circa illam ingerit noxam læthalem, cæteroqui quicunque contactus rei sacræ factus in peccato læthali, esset peccaminosus læthalitèr, quod nimis durum est, & arduum asserere. Illa igitur dumtaxat indecentia talem culpam inducit, qua in peccato læthali conficitur, confertur, & recipitur Sacramentum, quod quo magis dignius est maiorem exigit dignitatem in conferente, conficiente, & recipiente. 5 *Illum exercēs non peccat læthalitèr*

Dixi *per quem conficitur, & confertur Sacramentum*, & hoc copulatiuè propter illam quæstionem, an conferens, seu ministrans præcisè alteri Sacramentum Eucharistiæ in peccato læthali, contrahat noxam læthalem; iste etenim non conficit, sed præcisè confert illud Sacramentum, qui, an re vera fiat reus læthalis, infrà suo loco videbimus.

QUÆSTIO III.

De Ordine Lectoratus.

SEcundus in ordine executionis est Lectoratus, de quo etiam non inquirimus, an sit ordo, & Sacramentum, an conferat gratiam, & imprimat caractherem, cum hæc omnia innotescant ex dictis in prima parte de Ordinibus in communi. In hac igitur quæstione solum inquiremus ea, quæ sunt propria talis Ordinis, nempè eius institutionem, quidditatem, materiam, & formam, & eiusdem munera cum aliquibus ad hæc pertinentibus.

ARTICVLVS I.

De institutione, quidditate, materia, & forma huius Ordinis.

SVMMARIVM.

Refertur error Caluini asserentis Lectoratum est merum figmentum Ecclesiæ. 1.
A temporibus Apostolorum hanc ordinem viguisse euincitur ex Clemente Papa. 2.
Item auctoritate D. Ignatij. 3.
Item ex pluribus Concilijs. 4.
Institutus est à Christo Domino in vltima cæna. 5.
Definitio propria huius ordinis. 6.
Materia remota est liber Prophetiarum, proxima traditio eiusdem. 7.
Refertur forma huius ordinis. 8.

1 *Error Caluini.* CAluinus *lib. 4. institut. cap. 19. §. 27.* acerrimus Ecclesiæ Catholicæ oppugnator ausus est, ore nimis nefando asserere Lectoratum esse merum eiusdem Ecclesiæ adinuentum post multos annos à condita eadem, & non esse certum gradum, & ordinem Ecclesiasticum, sed pro arbitrio Episcopos consueuisse aliquos tanquam Lectores assumere, vt scripturas sacras publicè in Ecclesia legerent. Quod dicit de Lectoratu, dicit etiam de reliquis ordinibus minoribus.

2 *Reijcitur auctoritate D. Clementis Papæ.* Hic error manifestis antiquorum Patrum testimonijs eliditur, & primo *Clemens Papa lib. 8. Constitut. cap. 22.*, vbi refert quandam D. Matthæi Constitutionem, inter cætera habet hæc verba Apostoli, quæ proferebant super ordinandum in Lectorem. *Deus æterne multus in misericordia, & miserationibus, qui numerum Lectorum conseruas, & ipse nunc respice hunc famulum tuum, cui scriptura sancta ad legendum eas populo tuo committuntur*; &, quamuis nonnulli hunc Constitutionum librum arbitrantur non esse D. Clementis, alij tamen eruditi viri existimant esse eiusdem; &, quamuis eiusdem non esset, denegari tamen non potest, quin sit alicuius grauis, & antiqui Patris, & Doctoris, cum ab Ecclesia sit receptus, quod satis est ad euincendam antiquam institutionem, & à temporibus Apostolorum huius ordinis.

3 *Auctoritate D. Ignatij.* Secundò *D. Ignatij* quasi contemporanei, seu affinis temporibus Apostolorum *in Epistola ad Antiochenos*, vbi habet *Saluto Sanctum Presbiserorum cætum. Saluto Sanctos Diaconos. Saluto Subdiaconos, Lectores &c.* Tertiò D. Cornelij ad Fabianum Antiochenum, qui vt refert *Eusebius lib. 6. Historia Ecclesiastica cap. 33.*, hæc habet. *Is ergo, qui Euangelium vendicabas, Nesciebas in Ecclesia Catholica vnum Episcopum esse debere, vbi videbas esse Presbiteros sexaginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolitos quadraginta duos. Exorcistas, & Lectores cum Ostiarijs quinquaginta duos.*

4 *Ex pluribus Cõcilijs.* Hoc etiam indica Concilia antiqua *Cartaginense IV. can. 8.*, *Bracarense I. can. 29.*, *& Laodicenum can. 24.*

5 *Institutus est à Christo Domino in vltima cæna.* Supposita iam antiquitate huius ordinis remanet inquirendum, à quo fuerit institutus, & quandonam. Ex præactis non est hæsitandum, quin fuerit a Christo Domino institutus, cum omnia Sacramenta nouæ legis eundem habuerint institutorem, sed pro quonam tempore instituerit, non est ita certum. Nonnulli arbitrantur instituisse Lucæ IV., quando in medio seniorum librum Isaiæ aperuit, atque in eo legit *Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem.* Ego autem arbitror instituisse in vltima cæna, quando Apostolos Sacerdotes instituit, quos per gradus ordinasse censendus est.

6 *Definitio propriè Lectoratus.* Supposita item institutione, & existentia huius ordinis, iam essentiam inquirimus per suam definitionem. Dicimus igitur, esse signaculum à Christo Domino institutum, quo confertur potestas legendi in Ecclesia prophetias noui, & veteris testamenti. Definitio patet ex eiusdem particulis; per quas habet, quo conueniat cum cæteris ordinibus, nempè per ly *signaculum à Christo institutum quo confertur potestas*, & quo à cæteris diferat, nempè per ly *legendi in Ecclesia prophetias noui, & veteris testamenti* per quas particulas innuitur finis, ob quem hic

hic ordo institutus est, & munera, quæ sunt per ordinatum exercenda, & ad quæ datur.

7 Materia huius Sacramenti, seu ordinis duplex est, sicuti in cæteris ordinibus, remota scilicet, & proxima. Remota est liber continens prophetias noui, & veteris testamenti. Proxima est ipsa traditio eiusdem libri con contractu saltem eiusdem recipientis. Solum hic aliqua difficultas videtur versari in eo, quod etiam in Subdiaconatu tradatur liber Epistolarum, in quo continentur prophetiæ, vndè videntur confundi materiæ remotæ horum ordinum. Sed in hoc dicendum est *cum Amalario Fortunato lib. 4. de offic. Eccles. cap. 3.*, quod, quamuis in vtroque conferatur liber, quo continentur Epistolæ, nihilominus cum conferatur in ordine ad diuersos effectus, induere rationem diuersæ materiæ; nam in ordine Subdiaconatus confertur ad legendas Epistolas vtriusque testamenti in solemni Missæ sacrificio; in ordine verò Lectoratus ad legendas prophetias extra Missam inter nocturnas psalmodias. Dici etiam potest, quod in Subdiaconatu tradatur liber, in quo continentur Epistolæ prout sunt partes integrantes sacrificium Missæ, prout continet ritus; in Lectoratu verò liber non vt pars Missæ, sed per modum quodamodo prædicationis; vndè dicitur in forma *Accipe, & esto verbi Dei relator*.

Materia proxima, & remota huius ordinis.

8 Forma consistit in illis verbis ab Episcopo prolatis in traditione libri *Accipe, & esto verbi Dei relator habiturus, si fidelitèr, & vtilitèr officium tuum impleueris, partem cum ijs, qui verbum Dei ab initio benè ministrarunt*. Ex hac forma innuitur potestas, quæ confertur; indicatur munus, ad quod eligitur per ly. *Et esto verbi Dei relator*. Explicatur effectus, qui ex eodem recipitur per ly *habiturus partem cum ijs, qui verbum Dei ab initio benè administrarunt*. Indicatur etiam onus benè administrandi in ordine ad effectum, ad quem institutus est consequendum, per ly, *si fidelitèr, & vtilitèr officium tuum impleueris*.

Refertur forma huius ordinis.

ARTICVLVS II.

An si pro libro noui, & veteris testamenti tradatur alius liber vel sacer, vel profanus validè conferatur ordo Lectoratus.

SVMMARIVM.

Si tam conferens, quam recipiens nouerit non esse librum noui, & veteris testamenti inualida est collatio. 1.
Si neuter ignoret, & arbitretur esse proprium librum sententia asserens validè ordinem conferri. 2.
Non validè confertur. 3.
Intentio conferentis non habet vim tribuendi rei significationem; quam non habet. 4.
In ijs, quæ pertinent ad substantiam rei error communis non facit ius. 5.

Hic titulus potest examinari sub duplici sensu, vel quatenus tam conferens, quam recipiens norint non esse librum noui, & veteris testamenti, sed alium ab ipso siue sacrum, siue profanum, vel quatenus vterque ex errore crediderit esse talem librum, cum tamen re vera esset alius ab ipso.

Iuxta primum sensum, quem incompatibilem arbitror cum intentione conferendi, & recipiendi hanc ordinem, indubitabile existimo, validè non conferri, nec recipi, cum deficiat materia propria, & ad hoc instituta, nec sit in potestate conferentis, & recipientis eandem substantialitèr immutandi, nec conferens potest vnum signum sensibile ex arbitrio assumere, quod sit substantialitèr diuersum ab eo, quod institutum est. 1

Si vterque nouerit nō esse librum noui, & veteris testamenti nō tenet

Iuxta secundum sensum nonnulli arbitrati sunt, ordinem sic collatum subsistere, cum sit materia putata, & licet secundum se non sit apta significare potestatem, & effectum, quæ, seu qui confertur per talem ordinem, ex intentione tamen conferentis, seu recipientis ad eum finem, & effectum ordinatur. Addunt, quod error, qui in hoc supponitur communis, faciat ius, & quodamodo materiam determinet addita potissimum ratione, quod a Christo Domino non est constituta pro hoc, sicuti, nec pro alijs ordinibus materia determinata, sed solummodò indeterminata, nempè in signo sensibili apto significare potestatem, quæ non minus habetur per formam, sed etiam per materiam, & intentionem conferentis aptam ad talem significationem. Nihilominus sit 2

Vtroque ignorante sententia asserens validè conferri

Assertio. Liber ille, qui non sit sacræ scrip.

scripturæ, quantumuis reputatus, vt talis tam à conferente, quam à recipiente non est apta materia huius ordinis, adeoque per illum non validè confertur. Arbitror esse commune.

3 *Non validè confertur.*

Ratio ex eo deducitur, quod intentio, seu error conferentis non est apta, seu aptus constituere materiam de se inualidam validam; sed liber alius à sacra scriptura, seu à libro prophetiarum noui, & veteris testamenti non est materia valida huius ordinis, ergo per talem intentionem, & errorem non redditur valida. Maior probatur per inductionem cæterorum Sacramentorum; sic, si Sacerdos arbitretur Hostiam consecrandam esse triticeam, & non fit ex tritico, sed ex alia materia substantialitèr diuersa non constituit eam validam, nec validè consecrat; sic si existimat liquorem in Calice impositum esse vinum ex vite, & sit aqua, vel alius liquor à vino substantialitèr diuersus per illum errorem non constituit materiam validam, nec efficit Sanguinem Christi Domini, & sic de cæteris.

4 *Intentio conferentis nō habet vim mutādi materiā.*

Hinc eluduntur ea, quæ ex aduerso afferebantur; intentio etenim conferentis non potest habere vim rei significandi id, quod secundum se non est apta significare; cæteroqui posset quilibet adhibere quamcunque rem voluerit coniungendo eandem cum propria intentione, quod nemo dicet. Ad illud, quod subditur de errore communi, dicendum est, quod ad summum verificetur in ijs, quæ pertinent ad iurisdictionem, non in ijs, quæ spectant ad substantiam rei, puta ad materiam, & formam; qualibet enim ex ijs non subsistente non subsistit actus; nec quidquam releuat ratio, quæ subditur, quod Christus pro hoc, sicuti nec pro cæteris ordinibus materiam non determinauerit, sed indeterminatè statuerit in signo sensibili apto significare potestatem, quam singuli ordines conferunt; non releuat, inquam, quia licet non determinauerit in vno potius signo, quam in altero, reliquit tamen determinationem non quomodocumque Ecclesiæ; sed in signo apto ad illam significationem; qua posita determinatione non est postea in potestate conferentis adhibere aliud signum, eique ex proprio arbitrio imponere, seu affigere illam significationem, quam non habet in se signum assumptum; neque ex eo, quod arbitretur, esse signum aptum, & determinatum ab Ecclesia quidquam efficit; quia eius arbitramentum non facit aptum, quod in se ineptum est.

5 *In ijs, quæ pertinent ad substātiam rei ius cōmune non facit ius.*

ARTICVLVS III.

An manuum impositio sit necessaria in collatione huius Ordinis.

SVMMARIVM.

Referuntur verba Clementis Papæ. 1. *Illa manuum impositio necessaria non est.* 2. *Illa manuum impositio modo abolita est, & noua materia inducta.* 3. *Si modo fieret ordinatio per solam manuum impositionem, inualidè fieret.* 4.

OCcasionem tribuit huic quæsito id, quod legitur *apud Clementem Papam lib. 8. Constitut. cap. 22.*, vbi sic referens Constitutionem Matthæi Apostoli loquitur, *Ego Matthæus Leui, qui antea fui publicanus, contestor, vt Lectorem eligas, cui manuum imponas, & preces Deo adhibens dicas. Deus æterne multus in misericordia, & miserationibus &c., qui numerum Lectorum conseruas respice hunc famulum tuum, cui scripturæ sanctæ ad legendum eas populo tuo, committuntur &c.* ex quibus verbis habes ex dispositione talis Constitutionis ad constituendum Lectorem requiri manuum impositionem per verba importantia præceptum *Contestor*.

Non hic controuerto, an liber ille Constitutionum fuerit Clementis Papæ, prout eiusdem non esse contendunt DD. plures, & signantèr Cardinalis Baronius, vt in præcedenti articulo innuebam; sed admisso, quod sit ipsius, vt alij plures statuunt, & præcipuè *Franciscus Turrianus in proemio ad librum 8. eiusdem Clementis*, inquiro, an ex præallegatis verbis inferatur præceptum de manuum impositione. 1 *Verba Clementis Papæ*

Sentiendum est, illam manuum impositionem necessariam modo non esse; quod ex multis capitibus deduco; primò, quia in ordinationibus ad Lectoratum modo illa manuum impositio non adhibetur, vt videre est in Pontificali Romano; secundò, quia eodem contextu verborum præcipitur illa manuum impositio, & determinantur preces fundendæ, Ibi- *& preces Deo adhibens dicas. Deus æterne multus in misericordia, & miserationibus, qui mundi fabricam per ea, quæ fiunt patefecisti &c.*, sed hæ preces modo necessariæ non sunt, nec de facto adhibentur, ergo nec erit modo necessaria illa manuum impositio; tertiò, quia illa erat præambula, & quasi dispositiones ad collationem istius ordinis, qui conferebatur per subsequentia verba, dum claues tradebantur. Ibi- *Respice* 2 *Illa manuum impositio modo necessaria non est.*

bunc

hunc famulum tuum; cui scripturæ sanctæ ad legendum eas populo tuo committuntur; quæ verò fuerunt præcisè præambula potuerunt ab Ecclesia Christi Domini interprete immutari.

3 Hinc directè respondendo ad allegata verba Clementis Papæ repetenda sunt ea, quæ in præcedentibus dicebamus, nempè Christum Dominum institutorem huius, sicuti cæterorum ordinum reliquisse materiam, & formam determinandum ab Ecclesia, & fortè primitiuam Ecclesiam iuxta placitum eidem à Christo concessum adhibuisse manuum impositionem tanquam signum ad indicandam potestatem, quæ in ordinibus conferebatur; ita postea attentiùs considerata commutata tali determinatione induxisse tanquam materiam librum sacræ scripturæ, & tanquam formam verba supra allegata, vtpotè signa magis proportionata, & magis exprimentia potestatem, quæ confertur. Hinc mirum non est, si antiqua forma abolita hæc noua adhibeatur. Adde, quod, sicuti Christus Dominus Ecclesiæ reliquit potestatem mutandi circa Sacramenta salua eorum substantia, vt definitum est in Concil. Trident. ita à fortiori reliquerit potestatem immutandi ea, quæ quodamodo sunt præambula ad ipsam ordinum substantiam. Cum igitur in tali Constitutione Matthæi relata à Clemente Papa fiat prius mentio impositionis manus, & postea traditionis libri sacræ scripturæ, cum verbis, quæ eidem traditioni applicantur, præsumendum est, eandem impositionem manus se habuisse solummodò per modum dispositionis.

Illa manuum impositio modo abolita est, & noua materia inducta.

Sed dato doctrinæ gratia, quod antiquitùs per solam manuum impositionem fieret ordinatio, oritur difficultas, an, si modo fieret ordinatio per aliquem Episcopum per solam manuum impositionem omissa traditione libri cum prolatione formæ, esset valida ordinatio. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod, si tunc omnia essentialia aderant in illa manuum impositione, & modo illa in eadem adessent, & sic non esset, cur non esset valida ordinatio. Sed sentiendum est, fore inua-

4 lidam, quia illa forma ordinationis modo abolita est; cum etenim Christus Dominus determinationem materiæ Ecclesiæ reliquerit potuit, hæc primis temporibus vno signo vti, & deindè successiuè primo abolito altero, vti aptiori ad indicandam potestatem, quæ confertur. Neque vrgeas, quod, cum tunc saluaretur substantia Sacramenti, & nunc etiam per signum nouitèr inductum saluatur, non intelligatur facta mutatio substantialis, vbi autem non est mutatio substantialis, subsistit Sacramentum, & ordo, & propterea, si modo adhiberetur antiquus modus, non tolleretur ordo, cum nulla esset mutatio in substantia; contra enim impugnaberis, quia retenta suppositione, quod tunc fieret ordinatio per solam manuum impositionem, & validè ordo conferretur, potuit per Ecclesiam induci mutatio in materia substantialis, & abrogari prima; cum Christus eidem contulerit potestatem circa determinationem eiusdem materiæ, dummodò determinatio esset in signo sensibili apto indicare potestatem. Potest hoc exemplo demonstrari. Nomine disceptante remedium originalis à Deo institutum est tam in lege naturæ, quam in lege scripta, & etiam in lege Euangelica, & quodlibet in sua lege aptum erat ad extinctionem eiusdem originalis, & tamen, cum postea adueniente lege gratiæ Christus Dominus in remedium eiusdem Sacramentum Baptismatis instituerit, quis diceret, quod, si modo adhiberetur remedium, quod adhibeatur in lege naturæ, & scripta consequeretur extinctionem eiusdem originalis? Hoc idem seruata proportione nos dicimus in præsenti hypothesi. Primitùs sola manuum impositio erat sufficiens ad ordinis valorem, sed cum postea Ecclesia auctoritate sibi à Christo collata nouam materiam, nouamque formam induxerit relicta antiqua forma sentiendum est hanc nullam amplius vim habere, & si adhiberetur, nullum sortiretur effectum.

Si modo ordinario fieret per solum manuũ impositionem inualidè fieret.

ARTICVLVS IV.

De muneribus Ordinis Lectoratus.

SVMMARIVM.

Munus præcipuum Lectoris est legere librum sacræ scripturæ tam veteris, quam noui testamenti publicè. 1.

Reijcitur Sotus volens munus eiusdem restringi ad solam lectionem Prophetiarum. 2.

Munus prædicandi non est allegatum ordini Lectoratus. 3.

Ad talem ordinem etiam pertinet docere fidei rudimenta cathecumenis. 4.

Munus benedicendi panem, & nouus fructus modo non competit Lectori. 5.

Ex materia, quæ in hoc ordine confertur, cognoscitur præcipuum munus Lectoris esse legere alta voce librum sacræ scripturæ tam veteris, quam noui testamenti. Dixi *librum sacræ scripturæ* in vniuersum propter *Sotum lib. de institut.* 1

Est legere Sacram Scripturam.

Sacer-

Sacerdotis lect. 2., volentem munus Lectoris restringi ad solam lectionem Prophetiarum, quod est contra communem sensum SS. PP., & Theologorum volentium extendi ad quamcunque sacræ scripturæ lectionem; vndè *D. Ciprianus lib. 2. Epist. 5.* ait *Nil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quàm celebrandis Diuinis lectionibus personare, &c.*, & hic loquitur de Lectore; Clemens Papa in relata Constitutione Matthæi Apostoli. Ibi *Respice hunc famulum tuum, cui scripturæ sanctæ ad legendum eas populo tuo committuntur*, vbi nota, quod loquitur de sacris scripturis in genere, non limitatè ad Prophetias. *Vgo de Sancto Victore lib. 2. de Sacram. part. 3. cap. 6.*, vbi sic loquitur officium. *Lectoris est legère Propheticas, & Apostolicas scripturas.*

2 *Nec solum restringitur ad Prophetias.*

3 *Munus prædicandi nõ est annexũ Lectoratui*

Hinc nonnulli inferunt, munus etiam esse Lectoris prædicare, quod colligunt ex Pontificali Romano, vbi dicitur, quod *Lector debeat legere ea, quæ prædicat*, & ibi prædicatio, & lectio ponuntur tanquam duo distincta, quod idem habetur *in cap. prolectis distinct. 25.* Ibi *quod officium Lectoris sit vaticinia Prophetarum populis prædicare*. Sed non libentèr hoc munus Lectoribus præscriberem, quod non solum vsus demonstrat, secundum quem hoc munus non exercetur à Lectoribus, sed etiam ratio suadet, cum hic ordo, vt plurimum conferatur pueris ineptis ad concionandum. Quamobrem ad ea, quæ proferuntur ex Pontificali Romano, *& ex cap. perlectis*, dicendum est, ibi nomine prædicationis venire recitationem sacræ scripturæ alta, clara, & distincta voce, vt notat *Cardinalis Turrecremata in d. cap. perlectis dist. 25.*

4 *Pertinet etiã ad Lectorem munus docendi cathecumenos rudimenta fidei.*

Aliud munus, sed minus præcipuum est, catechumenos prima fidei rudimenta, quæ doctrinam Christianam appellant, edocere, de quo scribit *Sotus in 4. distinct. 24. quæst. 1.*, & habetur in *Romano cathechismo de Sacrament. Ord. num. 16.* Ad hunc effectum, dum ageremus de conditionibus requisitis ad ordines minores, inter cæteras hanc conditionem requisiuimus, vt promouendus ad ordines minores caleret huiusmodi fidei rudimenta, quod præcipuè videtur requiri in Lectore, cuius officium est in ordine ad instructionem.

5 *Non munus benedicendi panem, & nouos fructus.*

Antiquitùs etiam inter munera Lectoratus numerabatur hoc, quod benedicebant panem, & nouos fructus à fidelibus oblatos; sed merito contraria consuetudine hoc munus sublatum est, cum benedicere ad ordinem Sacerdotalem potius spectet.

ARTICVLVS V.

An Psalmistatus, Cantoratus, & Succentoratus sint ordines distincti ab ordine Lectoratus, an verò munera eidem adiecta, an coadiutorium.

SVMMARIVM.

Fundamentum huius controuersiæ. 1.
Non sunt propriè ordines distincti, nec idem ordo cum Lectoratu. 2.
Sunt Ecclesiastica officia, vt plurimum ordinibus annexa, & quomodo. 3.
Satisfit fundamento controuersiæ. 4.

1 *Fundamentum huius controuersiæ.*

OCcasionem huic difficultati tribuit D. Ignatius in Epistola ad Antiochenos, in qua habet hæc verba. *Saluto Sanctum Presbiterorum cætum: Saluto Sanctos Diaconos. Saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios &c.* ex quibus verbis conijcitur inter cæteros ordines connumerari Cantores, & inter ipsos etiam succentores.

2 *Non sunt propriè ordines.*

Nec idẽ ordo cũ Lectoratu.

Nihilominus absolutè sentiendum est, non esse propriè ordines, nec esse eundem ordinem cum Lectoratu. Ita sentiunt *D. Thomas in addit. ad tertiam partem q. 37. art. 2. ad quintum, Siluester verb. ordo 1. §. 1.*, contra *Valdensem de Sacrament. Ord. cap. 46. num. 6. tom. 2. summæ, & alios*, qui Psalmistatum confundunt cum Lectoratu. Ratio primæ partis, quod scilicet non sint ordines, euincitur primo ex *Concil. Trident. sess. 23. de ord. cap. 2.*, vbi septem dumtaxat numerantur ordines, inter quos nec Psalmistatus, nec Cantoratus recensentur. Secundò ex communi Ecclesiæ consensu, cum pro eisdem non sit constituta certa materia, nec certa forma. Ratio secundæ partis deducitur *ex D. Thoma loc. cit.*, vbi sic loquitur. *Psalmistatus non est ordo, sed officium ordini annexum; quia enim Psalmi cum cantu pronuntiantur, ideo dicitur Psalmista Cantor. Cantor autem non est nomen ordinis specialis, tum quia canere pertinet ad totum Chorum, tum quia non habet aliquam specialem rationem ad Eucharistiæ Sacramentum, tum quia officium quoddam est, quod inter ordines largo modo acceptos computatur quandoque.* Quod, si dicas (considerando secundam rationem allatam à D. Thoma, quod scilicet Psalmista, & Cantor non habeat aliquam specialem rationem ad Eucharistiæ Sacramentum) quod etiam Lector non habeat rationem specialem ad idem Eucharistiæ Sacramentum, cum eius munus exerceatur in Choro,

Choro, & extra Missarum solemnia, adeoque, si ex ea ratione Psalmistatus, & Cantoratus non est ordo, nec erit ordo Lectoratus. Si, inquam, hoc dicas; statim impugnaberis, quia Lectoratus licet exerceatur in Choro extra Missæ sacrificium, quoquo modo tamen ad idem ordinatur, quatenus ex proprio officio speciale munus exercet, per quod disponitur ad legendam in Missa Epistolam, & Euangelium. Adde, quod ordines sunt specialia munera, quæ conferuntur non Communitati, sed determinatis personis, psallere autem, & cantare competit toti Choro, non determinatæ personæ, sicuti competit legere.

3 *Sunt Ecclesiastica officia Ecclesiasticis annexa.* Sentiendum secundò. Psalmistatum, & Cantoratum esse Ecclesiastica officia, vt plurimum ordinibus annexa, non quatenus sunt ordines, sed quatenus Ecclesiasticis, & Clericis adnectuntur, & ab eisdem regularitèr exercentur. Hoc clare deducitur ex verbis allegatis D. Thomæ. Ibi. *sed officium ordini annexum*. Rursus *officium quoddam est, quod inter ordines largo modo acceptos computatur quandoque;* & licet quandoque ad psalendum, & canendum admittantur etiam laici, ex officio tamen videtur sulummodò Ecclesiasticis competere.

4 *Soluitur fundamentum controuersiæ.* Hinc respondendo ad ea, quæ in principio articuli ex D. Ignatio asserebantur, dicendum est, ipsum in recensita Epistola non solum ordines numerasse, sed etiam officia Ecclesiastica, cum omnibus Ecclesiæ quoquo modo inseruientibus vellet salutem enuntiare; vndè etiam ibidem numerat laborantes, qui mortuos sepelliebant, qui tamen ordinis caracthere non gaudebant.

QUÆSTIO IV.

De Ordine Exorcistatus.

Tertij in ordine executionis ordinis examen aggredimur, cuius institutionem, quidditatem, virtutem, & effectus inquirimus. Maxima per hunc confertur potestas, cum dæmonum potestates sic ordinati imperio subdantur; vndè D. Ciprianus in Epistola ad Demetrianum Affricæ Proconsulem asserit, cum dæmones per Exorcistas adiurantur, torqueri spiritualibus flagris, & verberum tormentis ab obsessis temporibus eijci.

ARTICVLVS I.

De origine, & institutione Exorcistatus.

SVMMARIVM.

In lege veteri quomodo eijcerentur dæmones. 1.
Eijcebantur ex gratia gratis data. 2.
Hic ordo institutus est à Christo Domino. 3.
Sententia asserens fuisse institutum, quando eijcebat dæmonia. 4.
Tunc Christus Dominus ostendebat potentiam suæ Diuinitatis. 5.
Probabilius instituit in vltima cæna. 6.

IN lege veteri legimus pluribus in locis fuisse ab obsessis temporibus dæmones eiectos, vt cum apertis Gazofilatijs inuocabant Dei nomen, vel quando ineffabile nomen *Tetragrammaton* pronunciabant, vel vtebantur quadam arte, quam Salamonem tradidisse ferunt nonnullis Hæbræis, vt signantèr refert *Ioseph Hæbræus lib. 8. Antiqu. cap. 2.* Sed hæc potestas tunc non erat ex virtute alicuius Sacramenti, vel Ordinis, sed ex gratia gratis data, quæ quandoque etiam peccatoribus confertur, quod etiam dicendum est, quando in noua lege huiusmodi dæmones proscribuntur non à constitutis in ordine Exorcistatus, sed à laicis, alijsque tali ordine carentibus. 1 *In lege veteri eijcebantur dæmones.* 2 *Hoc erat ex gratia gratis data.*

Loquendo iam de hac potestate, prout procedit ex vi ordinis, & Sacramenti inquirimus, à quonam originem habuerit, & pro quonam tempore, & quidem quoad primum indubitatum est apud Catholicos ortum habuisse à Christo Domino institutore omnium Sacramentorum, & ordinum, inter quæ, seu quos numeratur Exorcistatus; sed quoad secundum pro quonam tempore fuerit institutum, non idem sensus est apud omnes. Nonnulli, inter quos *Marchinus tract. 2. de ord. in partic. part. 4. de Exorcist. cap. 1. nu. 3.*, arbitrantur tunc Christum Dominum hunc ordinem instituisse, quando dæmones è corporibus expellebat, & tunc Apostolis hanc potestatem contulisse; vndè, cum quandoque Apostoli non potuissent obsessum liberare, & de hoc quodamodo cum Magistro conquererentur, receperunt diuinum responsum. *Quod hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in ieiunio, & oratione.* Sed, cum præcedentèr dixerimus ordines, qui sunt præuij, Ostiariatus, & Lectoratus non fuisse institutos, nisi in vltima cæna, 3 *Hic ordo institutus est à Christo Domino* 4 *Sententia asserès tunc Christũ Dominũ instituisse, quando dæmonia eijciebat.*

non videtur congruè asseri, hoc fuisse antecedentèr ad eandem cænam institutum, ne teneamur dicere inordinatè huiusmodi ordines fuisse institutos.

5 Quamobrem dicendum est, quod, quando Christus Dominus expellebat dæmones ab obsessis corporibus ostendebat potentiam suæ Diuinitatis, &, si quam virtutem contulit, tunc fuit per gratiam gratis datam; vndè Christus Dominus signa credentium significans dixit. *Super ægros manus imponent, & benè habebantur dæmonia eijcient, linguis loquantur nouis &c.*, quæ omnia numerantur inter gratias gratis datas; & in allegatis verbis: *Quod hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in oratione, & ieiunio*, manifestè euincitur virtutem collatam esse in virtute operis operantis, non operis operati ex vi Sacramenti instituti.

Tunc Christus Dominus ostēdebat potentiā suæ diuinitatis.

6 Probabilius ergo est, ordinem Exorcistatus institutum fuisse cum cæteris ordinibus in vltima cæna, quando instituit Apostolos Sacerdotes, & dixit hic *facite in meam commemorationem*, sicuti enim tunc principalem Ordinem instituit, ad quem cæteri omnes præcedentes ordinantur, tanquam ad finem, probabile valdè, & congruum fuit, vt tunc omnes præuiè ad illum instituerentur. Quod, si dicatur, quod, cum hic ordo non videatur ordinari ad Eucharistiæ confectionem, sicuti vel mediatè, vel immediatè ordinantur cæteri, non videatur in institutione exigere illum ortum, quem habuerunt alij; tunc respondebo etiam hunc ordinem quoquo modo ordinari ad Eucharistiam, quatenus est in ordine ad eijciendos dæmones ab habitaculo, in quo quandoque residere debet Christus sub Eucharistia existens, vndè, sicuti Ostiariatus dicitur suo modo ordinari ad Eucharistiam, quia eius potestas dirigitur ad expellendos indignos ab Ecclesia, in qua fieri debet sacrificium, ita, quia potestas Exorcistatus ordinatur ad expellendos dæmones à corporibus obsessis, in quibus debet Eucharistiæ Sacramentum recipi, dicitur ad eandem Eucharistiam ordinari.

Probabilius instituit in vltima cæna

ARTICVLVS II.

Cur hæc potestas eijciendi dæmones sit potius alligata ordini minori, quam maiori, & an extendatur ad obsessos infidelium.

SVMMARIVM.

Rationes suadentes debuisse alligari ordini superiori. 1.
Assignantur rationes, ob quas hæc potestas sit alligata inferiori. 2.
Rationes suadentes, hanc potestatem non extendi ad obsessos infideles. 3.
Ex facultate Episcopi potest exerceri etiam erga infideles ad petitionem eorum. 4.
Verba formæ in ordine ad subiecta non stant taxatiuè. 5.
Potestas data Ecclesiæ est directè contra dæmones. 6.
Suspicio derisus cessat, dum infideles petunt. 7.
Effectus proueniens ex tali exercitio est circa temporalia. 8.

CVm magna videatur hæc potestas, cum sit contra Principes tenebrarum harum, & contra spirituales dæmonum potestates, exigere videtur sublimiorem dignitatem, quam sit illa, quæ residet in initiato dumtaxat ordine Exorcistatus. Nihilominus placuit Christo Domino, inferiori huic ordini adscribere. Quæritur igitur ex quonam potuit Christus Dominus moueri ad alligandam huic ordini hanc potestatem? 1

Rationes suadentes debuisse alligari ordini superiori.

Plures possunt assignari causæ talis deputationis. Prima esse potest ostensio potestatis Diuinæ, quæ elegit debilia, vt fortia quæque confundat. Secunda contemptus dæmonum, qui, cum voluerint, se supra se attollere, à debili instrumento prosternantur, & sentiant superbiam propriam humili rerum apparatu deprimi. Tertia, vt ostenderet Ecclesiæ suæ sponsæ potestatem, quæ superbos spiritus non solum excelsioribus suis ministris, sed etiam inferioribus militibus debellaret. Quarta, vt animaret fideles ad eosdem dæmones contemnendos, dum viderent debilibus armis profligari. 2

Assignantur rationes ob quas hæc potestas est affixa ordini inferiori.

Sed, an hæc potestas extendatur ad obsessos infideles, quatenus possint Exorcistæ Exorcismos circa eosdem exercere. Videtur prima fronte negandum, tum quia in forma huius ordinis solum exprimitur potestas imponendi manus super energumenos siue baptizatos, siue cathechumenos, quæ propterea non videtur 3

Rationes suadentes hanc potestatem non extendi ad obsessos infideles

extendi

extendi ad infideles, tum quia Ecclesia in ijs, qui foris sunt, nullam videtur habere potestatem, tum quia illa manuum impositio posset cadere in derisum, & contumeliam Sacramenti, & institutoris eiusdem, tum tandem quia effectus Sacramentorum non videntur congruè applicari ijs, qui sunt extra Ecclesiam.

4 *Ex facultate Episcopi potest exerceri circa infideles.*

Verum dicendum est, maximè accedente Episcopi facultate ad eorum enixam petitionem posse Exorcistas Exorcismos circa infideles exercere. In hoc consentit *Marchinus tract. 2. de ordin. in partic. part. 4. de Exorcistatu cap. 1. num. 14.* Rationem ex eo deduco, quod potestas, quæ confertur à Christo Domino in collatione ordinis Exorcistatus est expellendi dæmones, vbicunque reperiantur, sic expelluntur à domibus, ab animalibus dicente Domino indefinitè. *In nomine meo dæmonia eijcient*, ergo hæc potestas extenditur etiam ad infideles obsessos à dæmonibus, cum potestas referatur potissimum contra dæmones, & ipsi infideles sua se spontè subijciant. Hinc habemus, quod Apostoli, & septuaginta duo discipuli eijcerent dæmones à corporibus Iudæorum.

5 *Verba formæ circa subiecta nõ stant taxatiuè.*

Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur; non primum deductum ex forma, qua confertur hic ordo, quaque dicitur. *Habe potestatem imponendi manus super energumenos siue baptizatos, siue cathechumenos,* vbi videtur hæc facultas restringi, & non extendi ad quoscunque infideles. Non, inquam, hoc primum, quia illæ particulæ non stant taxatiuè, sed demonstratiuè ad indicandos scilicet eos, qui supponuntur spontè se subijcere potestati Ecclesiæ. Non enim supponuntur ethnici, & infideles, qui irrident Ecclesiam eiusdemque ritus, & cæremonias velle eidem se supponere. Dici etiam potest has particulas apponi ad commendandam obsessi corporis fidem, quæ plurimam confert ad dæmonis expulsionem.

6 *Potestas est cõtra dæmones*

Non secundum deductum ex potestate limitata Ecclesiæ, quæ non videtur extendi ad eos, qui foris sunt, seu extra eandem Ecclesiam, quia cum potestas à Christo Domino concessa sit directè contro dæmones, qui quoad hunc effectum expulsionis subduntur eidem Ecclesiæ, potest exerceri contra eosdem vbicunque reponantur, & sicuti expelluntur à domibus, & animalibus, ita non video, cur non possint etiam expelli à corporibus infidelium, maximè si isti spontè se subdant.

Non tertium, quia hæc suspicio derisus, & illusionis cessat in suppositione, quod huiusmodi exorcismi fiant ad petitionem eorundem infidelium, vndè etiam legimus apud *D. Lucam Act. 19.*, quod 7 etiam filij Scenæ Principis Sacerdotum, qui erant Iudæi in nomine Iesu dæmones eiecerint. Quod, si Iudæi, & Gentiles indè assumant occasionem irridendi ritus Ecclesiæ, hoc eorum malitiæ imputandum, non impotentiæ Exorcistæ.

Suspicio derisus cessat petentibus infidelibus.

Non quartum, quia effectus Sacramentorum sunt in multiplici differentia 8 alij sunt effectus gratiæ sanctificantis, alij gratiæ excitantis, alij expulsionis alicuius obsistentis, alij ad bona temporalia, alij ad spiritualia. Rursus alij sunt effectus Sacramenti, alij effectus potestatis, quæ confertur per Sacramentum, nec quando exercetur talis potestas fit Sacramentum, vt per se patet. Hinc dico, quod, quamuis effectus gratiæ sanctificantis, alijque supernaturales, prout sunt effectus Sacramenti, non possint infidelibus applicari, effectus tamen potestatis prouenientis ex Sacramento, cuius exercitium non est Sacramentum, potissimum in ordine ad bona temporalia possint ad eosdem extendi, sicuti extendentur ad animalia, quæ tamen sunt incapacia effectuum Sacramentorum.

Effectus qui ex tali exercitio prouenit est quoad temporalia.

ARTICVLVS III.

De quidditate tum metaphysica, tum physica Exorcistatus.

SVMMARIVM.

Quid propriè sit ordo Exorcistatus. 1.
Materia huius ordinis est liber exorcismorum, forma verba, quæ proferuntur ab Episcopo, quæ hic referuntur. 2.
Potest exorcista abiurare dæmones per Deum. 3.
Facultas extenditur etiam ad eijciendos dæmones à domibus, & animalibus. 4.

Quidditas metaphysica illa est, quæ in singulis rebus habetur per prædicata metaphysica constitutiua earundem in se ipsis, & distinctiua ab alijs quibuscumque, quæ non sunt ipsa. Quidditas physica est illa, quæ resultat ex partibus physicis, ex quibus res in suo esse physico constituuntur.

Quidditas metaphysica ordinis Exorcistatus in eo consistit, quod sit signaculum spirituale, quo confertur potestas 1 eijciendi dæmones à corporibus possessis. Per hanc definitionem habentur ea, per quæ constituitur in suo esse essentiali per prædicata generica, & differentialia, per ly etenim, *quo confertur potestas* habet suum genus, per quod conuenit, cum

Definitio propria exorcistatus.

cum alijs ordinibus, per ly verò *eijciendi dæmones ex corporibus obsessis* habet differentiam per quam discriminatur à cæteris omnibus.

2 *Assignãtur in particulari materia, & forma.*

Quidditas physica, cum resultat ex partibus essentialibus, quæ rem constituunt in suo esse physico, inquirendæ sunt huiusmodi partes constituentes exorcistatum, quæ sunt materia, & forma. Hęc autem materia, quatenus est remota, liber est exorcismorum, qui per Episcopum traditur ordinando in ipso actu ordinationis; proxima verò est ipsa libri traditio ex parte ordinantis, & contactus ex parte ordinati, seu ordinandi. Forma verò consistit in illis verbis, quæ Episcopus profert in ordinatione. *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos siue baptizatos, siue catechumenos.* Hinc physicè potest exorcistatus definiri est ordo constans ex libro exorcismorum tanquam materia, & illis verbis. *Accipe &c.* tanquam forma.

Sed cum dicatur in forma huius ordinis *imponendi manus super energumenos*, non autem abiurandi per Deum dæmones, & cum dicatur *super energumenos siue baptizatos, siue catechumenos*, & non dicatur super quæcunque à dæmone inhabitata, oritur hic difficultas primo, an ex vi ordinis possit cum impositione manuum abiurare dæmones per Deum. Secundò, an possit etiam abiurare per Deum, & expellere dæmones à domibus, & animalibus.

3 *Potest exorcista abiurare dæmones per Deũ.*

Ad primam asserendum ex vi ordinis posse per Deum abiurare dæmones non obstante, quod in forma ordinationis dicatur præcisè imponendi manus super energumenos, quandoquidem, dum Ecclesia in huiusmodi forma loquitur de impositione manuum, non loquitur de eadem materialitèr, sed de eadem formalitèr, prout importat omnia requisita ad effectum intentum eiectionis, scilicet dæmonum à corporibus obsessis.

4 *Et eijcere dæmones à domibus, & animalibus.*

Ad secundam dicendum est implicitè inuolui etiam potestatem eijciendi dæmones à domibus, & animalibus. Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, quod scilicet potestas collata à Christo Domino sit directè contra dæmones, & subiecta, in quibus inhabitant, merè materialitèr se habeant in ordine ad talem potestatem; Christus etenim Dominus indefinitè loquitur. *In nomine meo dæmonia eijcient*, non limitando ad aliquod subiectum, nec verba formæ stant restrictiue, sed id respiciunt, quod, vt plurimum euenit, & quod magis præcipuum est, & in quo exorcistæ frequentiùs versantur, tanquam in principaliori, & considerabiliori subiecto. Cæterum, nec in forma talis ordinis exprimitur potestas super infideles, & tamen hi cadere possunt sub tali potestate, cum legamus in primitiua Ecclesia hanc potestatem exercitam fuisse supra Iudæos obsessos.

ARTICVLVS IV.

De exercitio ordinis Exorcistatus.

SVMMARIVM.

Exercitium ordinis regularitèr post eundem susceptum suspenditur. 1.
Potest Ecclesia suspendere per suspensionem iurisdictionis. 2.
Valdè æquum, & congruum est, vt huiusmodi exercitium suspendatur. 3.
Assignantur rationes congruæ talis suspensionis. 4.
Regularitèr modo non conceditur, nisi Sacerdotibus notæ integritatis, & peritiæ. 5.
Quandoque etiam pueris conceditur ad confundendam dæmonem superbiam. 6.

QVamuis Exorcistis ex vi ordinis collata sit potestas per Ecclesiasticos ritus, & cæremonias eijciendi dæmones à corporibus obsessis; exercitium tamen eiusdem ipsis regularitèr suspenditur. Hic modo quæritur primò, an sit potestas in Ecclesia post collatum hunc ordinem impediendi tale exercitium; secundò, an supposita tali potestate æquum sit, vt impediatur; tertiò quenam possint esse iustæ causæ talis impedimenti. 1 *Regularitèr exercitiũ suspẽditur.*

In ordine ad primum difficultas videtur vrgere ex eo, quod ex iure Diuino competit exorcistis exercitium potestatis suo ordini adnexæ, ergo per Ecclesiam tale exercitium non poterit impedire, cum non habeat potestatem in ijs, quæ iuris Diuinis sunt. His tamen non obstantibus sentiendum est, in Ecclesia esse talem potestatem impediendi ex iusta causa. Ratio est, quia huiusmodi exercitium non solum exigit potestatem ordinis, sed aliquo modo illam iurisdictionis, quæ residet penes Ecclesiam, ergo Ecclesia suspendendo iurisdictionem, potest ipsum impedire. Antecedens probatur, quia non minus videtur necessaria iurisdictio ad soluendos homines a dæmonibus obsidentibus, quam ad soluendos eosdem à peccatis. Consequentia probatur, quia, sicuti ad soluendos homines à peccatis requiritur tam potestas ordinis, quam iurisdictionis, ideo potest Ecclesia suspensa potestate iurisdictionis impedire execu- 2 *Potest Ecclesia suspendere per suspensionẽ iurisdictionis.*

executionem eiusdem ordinis, ita quia ad soluendum à dæmonibus vtraque potestas requiritur, ideo Ecclesia suspensa potestate iurisdictionis potest impedire exercitium eiusdem ordinis.

Hinc facilè soluitur argumentum pro aduersa parte deductum, non etenim directè Ecclesia impedit exercitium potestatis ordinis, sed tantum indirectè, quatenus aufert potestatem iurisdictionis, quæ est sub ipsius dominio, eo modo, quo præstat in impediendo Sacerdoti, qui in ordinatione accepit potestatem ordinis, ne illam exerceant absoluendo per suspensionem scilicet iurisdictionis.

In ordine ad secundum. Respondendum est, valdè æquum, & conueniens

3 *Valdè æquum est, vt suspendatur.*

esse, vt tale exercitium quandoque, & vt plurimum impediatur, nec omnibus indefinitè concedatur. In hoc conueniunt magis communitèr, & experientia ipsa docet regularitèr impediri, & vix aliquibus Sacerdotibus ex speciali facultate concedi. Ratio ex eo deducitur, quia tale exercitium exigit maximam probitatem, & peritiam in exorcizante, & facilè vel ex imperitia, vel ex improbitate ministri illuderetur actio Ecclesiastica in ignominiam, & dedecus Ecclesiæ; vndè Ecclesiæ Prælati valdè cautè procedunt in huiusmodi facultate concedenda, & interdicere consueuerunt, ne quis sine ipsorum facultate in scriptis à dæmone obsessos adiurare audeat, vt absque pupillorum scandalo, tam pium munus vtilitèr, & laudabilitèr obeatur.

In ordine ad tertium plurimæ enumerari possunt causæ, ob quas æquum est,

4 *Assignantur rationes talis suspensionis.*

vt hoc munus impediatur, & non concedatur sine speciali facultate. Prima est iam assignata in resolutione præcedentis difficultatis, quia scilicet requiritur maxima probitas, & peritia in ministro, de qua constare debet per diligentem inquisitionem; vndè de eadem non constante exercitium non est concedendum, ne Ecclesiastica functio subijciatur hæreticorum irrisionibus, & pupillorum scandalo. Secunda est, quia maximè pueri initiati ordine exorcistatus facilè deterrerentur à dæmonibus obsidentibus, & nimis facilè cederent. Tertia, ne sequatur vsus superstitionum, posset enim quandoque quis ex proprio arbitrio, si licitum esset omnibus hoc ministerio vti, adhibere media, vel rationi dissona, vel tanquam apta adhoc munus ex eo, quod viderint in aliquo conualescere, cum non haberent aptitudinem, nisi ex dæmonum præstigijs. Quarta ad effectum, vt seruetur forma ab Ecclesia præscripta, quæ quandoque non seruaretur, si ab omnibus indifferentèr hoc exercitium haberetur.

Hinc hodiernis temporibus hic vsus non conceditur regularitèr, nisi Sacerdotibus, & non quidem omnibus, sed aliquibus dumtaxat notæ, & probatæ integritatis, & peritiæ, & congrua quidem ratione, nam si etiam alijs concederetur, qui non essent talis probitatis possent dæmones abiurati eorum occulta crimina propallare cum rubore abiurantis, & adstantium scandalo. Verum tamen est,

5 *Regularitèr nō conceditur, nisi Sacerdotibus.*

quod, quandoque Sancti Antistites in Ecclesiastici Ordinis confirmationem in hæreticorum ignominiam, & dæmonum confusionem adhibuerunt pueros vix ordine Exorcistatus initiatos ad abiurandos, & eijciendos dæmones, vt de facto contigit iubente D. Carolo Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Hinc etiam Beda in vita Sancti Felicis scribit, quod à puero, qui diuino famulatui se subiecit, & crescente gratia virtutum primo Lectoris in Ecclesia officium suscepit, & post ad exorcistæ gradum prouectus immundos ab obsessis corporibus spiritus eijcere cæpit.

6 *Quandoque etiam pueris conceditur.*

ARTICVLVS V.

De muneribus ordinis Exorcistatus.

SVMMARIVM.

Primum munus exorcistæ est abiurare dæmones, eosque eijcere. 1.

Item monere non communicaturos, vt locum cedant communicaturis. 2.

Modo non est in vsu. Ibid.

Item in ministerio baptismi aquam infundere, & quomodo. 3.

Etiam hoc non est in vsu. Ibid.

Item spiritualitèr per exorcismos, & abiurationes à baptizandis immundos spiritus eijcere. 4.

Quid sit spiritualitèr immundos spiritus eijcere. 5.

Hoc munus modo per exorcistas non exercetur, sed per Sacerdotes baptizantes. 6.

EX dictis iam satis apparet, præcipuum munus exorcistatus esse abiurare dæmones, & à corporibus obsessis proscribere. Nihilominus, quia ex pluribus SS. PP., & DD. quatuor huius ordinis munera assignantur, placet per singula breuitèr transcurrere. Primum est iam assignatum, in quo non vacat immorari, cum eius qualitates iam discussæ inueniantur. 1

Abiurare dæmones eosque eijcere.

Secundum est, vt ad ipsos pertineat monere eos, qui non sunt communicaturi, seu sacram sinaxim non sunt sumpturi

turi

turi locum cedant ijs, qui sunt communicaturi. De hoc munere agunt *D. Isidorus in Epist. ad Ludifridum*, & refertur *in cap. perlectis dist. 25.*, *Rabanus lib. 1. de institut. Cleric. cap. 10.*, *Hugo lib. 2. de Sacram. part. 3. part. 3. cap. 8.*, *Stephanus Eduensis tract. de Sacram. altaris cap. 3.*, & colligitur *ex Pontificali Romano*. Hoc munus non videtur hodiernis temporibus in Ecclesia vsitatum, sed vtinam adhuc vigeret, nam tot in Ecclesia Dei, dum Sacramentum Eucharistiæ populo ministratur, vitarentur confusiones, quas in dies cernimus cum non modica irreuerentia.

2 *Monere non communicaturos, vt cedant locum communicaturis.*

3 Tertium est, aquam in ministerio baptismi fundere. De hoc munere etiam agunt præcitati omnes Doctores. Sed non intelligo quomodo hoc munus primitùs exercerent, nam modo est contraria consuetudine abrogatum. Baptismus etenim vel fit per immersionem, vel per infusionem, vel per aspersionem, & quocunque modo fiat, solus Sacerdos baptizās immergit, infundit, vel aspergit. Fortè hoc munus consistebat in eo, quod exorcista fundebat aquam in ciato, quo per Sacerdotem baptizantem baptizandus, vel immergeretur, vel aspergeretur, vel infunderetur. Sed in hoc vlteriùs non insisto, cum, vt dixi, modo hoc munus non fit in vsu.

Aquam in ministerio Baptismi infundere.

4 Quartum est non corporalitèr, sed spiritualitèr per exorcismos, & abiurationes ab illis, qui proximè baptizandi sunt dæmones, eijcere; vndè Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus *cap. 10.* hæc scribit. *Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformitèr agit non otioso contemplemur intuitu, cum siue paruul., siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum. Non prius fontem aquæ adeant, quam exorcismis, & insufflationibus Clericorum ab eis spiritus immundus abigatur, vt tunc verè appareat, quoniam Princeps huius mundi mittatur foris &c.*

Eijcere à Baptizandis spiritualitèr spiritus immundos.

Sed hic remanet inquirendum quid intelligatur per ly spiritualitèr dæmones eijcere? Pro quo aduertendum est, duplicitèr dæmones quandoque homines possidere; primò quatenus in eisdem corporalitèr inhabitant secundum propriam substantiam, non tanquam informantes, sed quodamodo assistentes, vt contingit in obsessis; secundò quatenus in eisdem, vel ratione peccati inexistentis habent aliquam in ipsis rationem potestatis, seu dominij, licet impropriè, vel ratione vis suggestiuæ eisdem assistunt non corporaliter inhabitantes, sed per suggestiones assistentes. Cum igitur ante baptismum ratione peccati saltem originalis adhuc homines sint filij iræ, & subditi peccato, videntur esse sub dominio dæmonis, & dæmones quodamodo eisdem assistere. Dicuntur igitur exorcistæ ante baptismum per exorcismos, & insufflationes à baptizandis dæmones spiritualitèr eijcere, non quatenus per illos peccata tollantur, per quæ subijciuntur dæmoni, cum ista formalitèr per ipsum baptismum deleantur; sed quatenus disponunt subiectum, vt euacuetur à peccato, & subiectione dæmonis vim quodamodo eidem inferendo.

5 *Quid sit spiritualitèr dęmones eijcere.*

Modo tamen per clericos exorcistas hoc munus non exercetur, sed per ipsos Sacerdotes baptizantes, qui iuxta Rituale Romanum ante ipsam formalem baptismi collationem præmittunt Ecclesiasticas cæremonias, in quibus continentur huiusmodi exorcismi per insufflationes, vnctiones, benedictiones, & similia. 6

Hoc munus modo exercetur per Sacerdotes

ARTICVLVS VI.

De efficacia muneris Exorcistatus.

SVMMARIVM.

Est sermo non de effectibus ordinis in collatione, sed de exercitio ordinis. 1.

Exorcismis adest vis torquendi, & eijciendi dæmones. 2.

Exorcismi non infallibilitèr consequuntur effectum. 3.

Nec illam causant ex opere operato. 4.

Aliud est, quod potestas, sit ex opere operato, aliud, quod exorcismi causent ex tali opere. 5.

HÆc efficacia desumenda est in ordine ad effectus, quos causant. Non loquimur de effectibus, quos causat ipse ordo exorcistatus, dum confertur, nam isti, si sunt omnes, sunt gratia, & caracther, de quibus egimus in præcedenti prima parte de ordinibus in communi; si sint speciales non important, nisi quandam habitudinem eiusdem gratiæ ad obeunda illa munera, quæ sunt propria talis ordinis. Loquimur igitur solummodo de efficacia exercitij potestatis collatæ in ordine ad effectus, ad quos ordinatur, an scilicet illos causet infallibilitèr, & an ex opere operato, an tantummodò ex opere operantis. 1

Est sermo de exercitio ordinis.

Virtutem adesse in exorcismis torquendi, & eijciendi dæmones ex ore veritatis, & ex SS. PP. testimonio clarissimè liquet, quidquid latrent sacrorum, & Ecclesiasticorum rituum irrisores Viclephistæ, & Caluinistæ; ex ore veritatis apud D. Lucam *cap. 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes, & scorpiones, & super* 2

Adest vis eijciendi dęmones

omnem

omnem potestatem inimici, & nihil vobis nocebit. Ex testimonio SS. PP. *D. Cipriani lib. de vanitate idololatriæ*, vbi expressè sic loquitur. *Adiurati per Deum verum à nobis statim cadunt, & fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videris illos nostra voce, & operatione maiestatis occultæ flagris cedi, igne torqueri &c.*, quibus verbis non solum propria auctoritate hanc veritatem confirmat, sed etiam attestatione experientiæ. D. Augustini *lib. 10. de Ciuitate Dei*, vbi sic scriptum reliquit. *Vera pietate homines omnem potestatem inimicam, contrariamque pietati exorcizando eijciant, non placando*. Lactantij *diuin. instit. lib. 2. cap. 16.* Ibi- *Eorum*, (loquitur de exorcistis) *verbis tanquam flagris verberati non modo dæmones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt. Itaque maximis sæpè vlulatibus editis verberari se & ardere, iam iamque exire proclamant*.

3 *Exorcismi nō infallibilitèr consequuntur effectum*

Sed, an effectum infallibilitèr consequantur; ex illis verbis Christi Domini, *In nomine meo dæmonia eijcient*, sic indefinitè prolatis videtur conijci infallibilitèr consequi, cum fundent promissionem absolutam. Sed hanc vim absolutam infallibilitèr consequendi effectum vix agnoscerem experientia constante non semper dæmones eijci. Ratio ex eo videtur congruentèr statui, quod non tanta videtur infallibilitas concedendi exorcismis, quanta conceditur Sacramentis, quæ causant infallibilitèr effectus, nisi obex resistat, nec constat ex aliquo scripturæ testimonio de promissione facta à Christo Domino infallibilis consecutionis illius effectus. Neque illa verba. *In nomine meo dæmonia eijcient*, quidquam euincunt; nam in primis ibi loquitur non simplicitèr de exorcistis adiurantibus vi exorcismorum, sed de omnibus fidelibus virtute fidei, & per gratiam gratis datam; vndè subdit etiam linguis loquentur nouis, & si quid mortiferum biberint non eis nocebit, quæ omnia non referuntur ad exorcismos, sed ad fidem fidelium. Deindè per illa verba non habetur promissio pro omnibus, sed pro aliquibus necessitate Ecclesiæ sic postulante. Quamobrem sentiendum est esse quidem infallibilem effectum quoad potestatem eiurandi dæmones, non sic quoad effectum eos eijciendi, cum hoc pendeat ex beneplacito diuinæ voluntatis ob fines ipsi cognitos, & nobis occultos, quod videtur colligi ex catechismo Romano *part. 2.*, vbi de exorcistatu agitur.

Sed, an hunc effectum causet ex opere operato, quando producitur, an verò tantummodò ex opere operantis res est maioris difficultatis. *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 4. de exorcistatu cap. 10. num. 1.*, sentit producere effectum ex opere operato; cum virtus exorcismorum per se pendeat ex diuina institutione, & ex admirabili Sanctissimi Nominis Iesu virtute, & inuocatione, non ex sanctitate ministri, nisi per accidens. Sed probabilius arbitror, non producere ex opere operato, quatenus eisdem ex se sit indita virtus expulsiua dæmonum, sed quatenus sunt medium, quo Deus ex sua ineffabili prouidentia mouetur ad ipsos expellendos. Rationem ex eo deduco, quod in huiusmodi exorcismis duo potissimum possunt considerari, & potestas scilicet exorcizantis, & ipsi exorcismi, seu adiurationes secundum ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; si loquamur de ipsa potestate, tum ipsa proueniat à carracthere, non est dubium, quin ipsa sit ex opere operato, sicuti est ipse caracther, sed in hoc non est difficultas, sed solum de effectu exercitij talis potestatis, si loquamur de ipsis exorcismis, seu adiurationibus cum sint institutæ ab Ecclesia non habent producere effectum ex opere operato. Deindè huiusmodi exorcismi non sunt Sacramentum, sed merè Sacramentalia, quæ effectus suos non producunt ex opere operato. Tandem loquendo v. gr. de aqua lustrali, quæ etiam inter Sacramentalia numeratur; si loquamur de potestate ipsam benedicendi, certè prouenit à potestate ordinis, & est ex opere operato, benedictio tamen ipsa non producit effectum ex opere operato, sed dumtaxat mouendo Deum ad ipsum concedendum, ergo hoc idem erit sentiendum de exorcismis.

4 *Nec illum causant ex opere operato.*

5 *Aliud est quod potestas sit ex opere operato aliud, quod exorcismi ex tali opere causant.*

Soluitur obiectū Marchini.

Nec obstant, quæ ex Marchino afferebantur; quamuis virtus exorcismorum sit ex institutione diuina quoad potestatem collatam, cum hæc sit ex Sacramento, & vtique ex opere operato, effectus tamen talis potestatis exercitæ est quidem ex ordinatione diuina, quatenus Deus ex illo exercitio mouetur ad producendum talem effectum, non quatenus indiderit virtutem illi exercitio producendi illum effectum, sicuti indidit Sacramentis virtutem producendi gratiam, & caractheres; vndè non est propriè ex opere operato.

AR-

ARTICVLVS VII.

Quanam possit praestare exorcista in exercitio sui ordinis, & quanam non.

SVMMARIVM.

Duo dubia circa titulum excitata. 1.
Ratio suadens, quod exorcista cognito signo, quo dæmon tenetur, non possit illud inquirere, nec comburere. 2.
Cognito signo per manifestationem factam à dæmone potest illud inquirere, & comburere. 3.
Potest exorcista exorcismis, & abiurationibus compellere dæmonem ad manifestanda signa, quibus detinetur. 4.
Non potest exorcista compellere maleficum ad manifestandum signum, quo alligauit dæmonem corpori obsesso. 5.
Cognito malefico potest exorcista illum rogare, vt adaperiat locum, & signum reconditum. 6.
Potest etiam rogare maleficum, vt tollat signum, quo alligauit dæmonem. 7.
Dummodò non prauideatur ablaturum per aliud maleficium. Ibidem.
Regularitèr loquendo non potest rogare alium maleficum, vt quarat, & tollat signum ab alio malefico inductum. 8.
Nisi id praestat per media licita. 9.
Aliquando non licet rogare maleficum, vt tollat signum, quando duplex interuenit pactum, & quomodo. 10.

CONgruum quidem foret, vt exorcista non excederet limites consuetarum abiurationum, & exorcismorum qui, seu quæ præscribuntur, & regularitèr ab Ecclesia adhibentur, quia tamen quandoque plura interueniunt, quæ videntur exigere aliquod speciale remedium, seu remedia, ideo inquirimus, an possit, vel non possit talibus remedijs vti.

1 *Duo dubia excitata* Primum igitur, quod hic inquirendum venit, est, an, si in exorcizando nouerit dæmonem esse aliquo signo ligatum, possit illud signum inquirere, inuentum frangere, & comburere, potissimum, si dæmon afferat, se non posse à corpore obsesso exire, nisi illud signum tollatur. Secundum, an si dæmon ex se non proferat, se signo aliquo teneri, possit exorcista illum abiurationibus, compellere ad dicendum se teneri, vel non teneri aliquo signo. Tertium, an cognito malefico, seu authore maleficij, possit ipsum compellere ad illud tollendum, vel ad manifestandum signum, quo dæmon tenetur, & alia his similia.

2 *Ratio suadens, quod exorcista cognito signo nō possit illud frangere* Quoad primum ratio dubitandi ex eo consurgit, quod eiectio, si contingeret non videtur cedere in efficaciam exorcismorum, & in virtutem, diuinam, sed in adimplementum pacti cum dæmone, siue explicitè, siue implicitè initi, vt ablato tali signo dæmon effugeret, & malefacere desineret, vndè D. Hilarion, vt de eo scribit D. Hieronymus, rogatus, vt ad liberandam virginem à dæmone obsessam, vellet signa, quibus dæmon tenebatur, inquirere, frangere, & comburere noluit hoc præstare. Nihilominus sit

3 *Potest illud inquirere, & comburere.* Assertio I. Cognito per manifestationem eiusdem dæmonis signo, quo ipse tenetur, potest licitè exorcista signum illud inquirere, inuentum frangere, & comburere. In hoc consentiunt communitèr Theologi, & signantèr *Scotus in 4. dist. 34. quæst. vnica, Caietanus in opusc. tract. 12. de maleficijs quæst. vnica, Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione cap. 17.*

Nulla apparet ratio ex qua consurgeat vitium. Ratio ex eo deducitur, quod non appareat, ex quo capite possit deturpari talis inquisitio, fractio, & combustio; non ex ipsa actione secundum se sumpta, quia actio, qua franguntur instrumenta dæmonis, potius honesta est, quam turpis; non ex aliqua cooperatione, quia est potius destructiua operationis dæmonis, quam cooperatiua; non ex aliquo pacto, cum respectu exorcistæ frangentis, & comburentis, nullum pactum interueniat. Quod, si dicas, pactum interuenisse inter maleficum, & dæmonem, vt hic non discederet, nisi remoto illo signo; ex quo videtur exorcista ipsius pacti complementum ponere illud signum remouendo; statim impugnaberis, quia non potest dici, quod compleat pactum, quin potius effectum pacti iniqui dissoluat. Non ex aliquo medio illicito, per quod inficiatur ipsa actio, quia non est assignabilis iniquitas talis medij, cum inquisitio signi, per quod dæmon eijciatur, ex nullo capite est illicita.

Illa manifestatio est ex vi exorcismorum Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur ex resultantia potius remedij humani, & complementi pacti initi cum dæmone, quam efficaciæ exorcismorum, & virtutis diuinæ, quia in primis dicendum est, quod, si manifestatio illius signi facta fuerit à dæmone virtute exorcismorum, iam resultat eiectio esse virtute diuina, à qua prouenit illa manifestatio, & ratione eiusdem per dissolutionem vinculi, seu signi secuta est eiectio. Deindè, quamuis illa manifestatio vi exorcismorum non facta esset à dæmone, sed per inquisitionem ipsius exorcistæ adhuc in ipsa reluceret virtus diuina, in

in detegendis versutijs dæmonis, & vbi potius eiectio illa tribueretur remedio humano adhuc nullum piaculum resultaret, cum in illo remedio nulla inuoluantur iniquitas; non enim ex aliqua ordinatione, seu præcepto Diuino sancitum est, vt nonnisi exorcismis, & abiurationibus dæmones ab obsessis corporibus proscribantur.

Ad illud, quod subditur de D. Hylarione, noluisse scilicet signa inquirere ad abijciendum dæmonem a fæmina ab eodem vexata, dicendum est, vel cælesti lumine ductum cognouisse pro tunc non expedire illam fæminam liberare, vel fretum Diuina clementia noluisse per media humana hoc opus peragere, vt magis virtus Diuina eluceret ad confusionem Hæreticorum, vel ne videretur se Maghis conformare, qui consueuerant nouis incantationibus priora pacta dissoluere.

Quoad secundum ratio etiam dubitandi ex eo consurgit, quod munus exorcistæ non est inquirere media, per quæ humano modo possit maleficium dissoluere, & dæmonem eijcere; hoc autem gereret inquirendo à dæmone signa, ex quorum ablatione maleficium cessaret. Nihilominus sit.

4 Assertio II. Potest iustè exorcista exorcismis, & abiurationibus compellere dæmonem ad manifestanda signa, quibus obstringitur in tali corpore obsesso.

Potest compellere dæmonem ad manifestanda signa.

Probatur. Licitè potest dæmon à corpore obsesso vi exorcismorum expelli, & adiurati iustè compelluntur non solum fateri se dæmones esse, sed etiam prodere sua nomina, vt scribit *Lactantius de Diuin. instit. lib. 2. cap. 16.*, ergo etiam licitè exorcismis, & abiurationibus poterit vi eorundem compelli ad prodenda signa, quibus detinetur in tali corpore; si enim potest compellere exorcista ad prodendum nomen dæmonis obsidentis, cur non poterit compellere ad prodẽdum signum, quo dæmon detinetur; potissimum cum hoc secundum deseruiat ad finem expulsionis; primum ad quidquam non conferat? Neque dicas, inquirere medium, quo detinetur dæmon ad effectum eum eijciendi sublato dicto medio, esse non fidere virtuti exorcismorum, & efficaciæ Diuinæ, sed potius remedio humano modo ponendo per fractionem, & combustionem illius signi; contra enim impugnaberis, quia imprimis, vt supra asserebam, compulsio ad prodendum illud signum est virtute exorcismorum, adeoq; virtute Diuina; quod deindè postea eijciatur per subtractionem illius signi nullam inducit inhonestatem, cum humanum sit noxia submouere modo non interdicto; nec hoc est diffidere de virtute Diuina, & exorcismorum, cum per eosdem facta fuerit compulsio ad eadem signa manifestanda; qua posita manifestatione non tenemur remedia supernaturalia adhibere, cum naturalia habeamus.

Rationes pro asserto.

Quoad tertium plura veniunt examinanda, primo, an possit compellere maleficum cognitum, vt talem ad manifestandum tale signum. Secundò, an saltem possit de hoc illum rogare. Tertiò, an possit rogare, vt tollat tale signum. Quartò, an possit rogare alium maleficum, vt tollat signum per alterum maleficum inductum.

Assertio III. Non potest exorcista compellere maleficum ad manifestandum signum, quo alligauit dæmonem corpori obsesso. 5

Non potest compellere maleficum ad manifestandũ signũ.

Ratio ex eo deducitur, quia vel compelleret per exorcismos, & abiurationes, vel alia via compulsiua. Non per exorcismos, & abiurationes, quia isti, seu istæ ex ordinatione Diuina, & Ecclesiæ referuntur contra dæmones obsidentes, & corpora obsessa, non aduersus alios, qui eisdem dæmonibus non obsidentur, adeoque neque contra maleficos, qui non supponuntur obsessi. Non alia via compulsiua, quia modus sic procedendi non est adiectus ordini exorcistatus, sed inquisitoribus hæreticæ prauitatis, alijsque Iudicibus ad hoc munus deputatis, nec exorcista habet aliam viam procedendi, nisi per exorcismos, & modos ab Ecclesia præscriptos.

Assertio IV. Cognito per exorcistam maleficio, & malefico, vel ex manifestatione dæmonis, vel alio modo potest ipsum rogare, vt adaperiat locum, & signum reconditum. 6

Potest rogare maleficum, vt deteget.

Ratio ex eo deducitur, quia in tali interpellatione, & rogatu nulla considerari potest inhonestas, quinimmò apparet opus pietatis tam respectu obsessi, quam respectu eiusdem malefici; respectu obsessi, cum ordinetur ad eiusdem liberationem modo non vetito; respectu ipsius malefici, vt dissoluatur opus prauum, quod ipse inuexit, & ad quod ipse tenetur; nec considerari potest, quod in tali manifestatione contingeret aliqua noua dæmonis inuocatio, cum hæc non sit necessaria ad manifestandum.

7 Assertio V. Potest etiam exorcista rogare maleficum, vt tollat signum, quo dæmonem tali corpori alligauit, si præuideat hoc præstiturum sine noua dæmonis inuocatione.

Potest etiam rogare maleficum, vt tollat signum.

Probatur; cooperari actioni, per quam malum

malum culpæ dissoluitur, est ex quocunque capite licitum, nisi interueniat modus illicitus, ex quo ipsa cooperatio reddatur illicita, sed rogare maleficum, vt tollat signum, quo dæmonem corpori alligauit, est cooperari actioni, per quam dissoluitur malum, ergo sic rogare licitum est, cum non interueniat modus aliquis illicitus. Dixi, *si præuideat hoc præstiturum esse sine noua dæmonis inuocatione*; si etenim præuideret ablaturum signum per nouam dæmonis inuocationem, certum esset, quod id licitè non præstaret, quia peccato sacrilegij cooperaretur; sed quia potest optimè agnoscere, posse signum remouere sine tali inuocatione, cum ablatio secundum se eandem non exigat, potest præsumere, quod hoc non præstabit illa adhibita, adeoque etiam si adhiberet, non imputaretur exorcistæ ad culpam, cum ipse opus exigeret, quod regularitèr, & ex genere suo præstari potest sine illa noua inuocatione.

8 *Non potest rogare alium maleficum, vt tollat signum ab alio inductũ.* Assertio VI. Regularitèr loquendo non potest rogare alium maleficum, vt exercendo suam artem inuestiget, & tollet signum maleficij ab altero inductum. In hoc consentiunt *Martinus del Rio lib. 6. disquisit. mag. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. dub. 4.*, *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 95. num.* 14.

Ratio ex eo deducitur, quia regularitèr loquendo maleficus, qui non posuit maleficium vtens sua arte, nonnisi inuocatione dæmonis signum eiusdem inquirit, & tollit, ergo exorcista non potest licitè illum rogare, vt signum illud inuestiget, & tollat, quandoquidem induceret ad illam inuocationem dæmonis, & propterea cooperaretur eius peccato. Hinc communitèr docent, quod à malefico parato maleficium maleficio tollere non liceat eius dissolutionem ab ipso petere *Albertus Magnus in 4. dist. 34. art. 9.*, *Caietanus in summa verb. maleficium ad fin.*, *& in opusc. tom. 2. tract. 12. de maleficijs quæst. vnica*, *Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 51. ad fin.*, *Martinus del Rio lib. 6. disqu. mag. cap. 2. sect. 1. qu. 2.*, & si non licet a parato maleficium maleficio tollere, exigere solutionem eiusdem, multo minùs licebit alterum inducere ad maleficium maleficio tollendum.

9 *Nisi id præstat per media licita.* Dixi *regularitèr loquendo*, nam posset contingere, quod alter maleficus ab illo, qui posuit maleficium, calleret alia media licita, & honesta, quibus sine inuocatione dæmonis posset cognoscere signum, & tollere, in quo casu certè posset Exorcista rogare, vt de illo signo inquireret, & illud dissolueret.

Sed quoniam in præcedentibus dixi, licere maleficij signum tollere, quando talis ablatio fieri posset sine noua dæmonis inuocatione, hoc moneo intelligendum esse cum quadam limitatione; vel etenim illud signum positum esset cum duplici pacto, vt quando maleficus conuenisset cum dæmone, vt posito illo signo, teneretur vexare maleficiatum, & eo sublato teneretur cessare à vexatione, vel cum vnico pacto, vt quando maleficus conuenisset cum dæmone, vt posito signo teneretur vexare maleficiatum alio pacto non adiecto de cessatione à vexatione illo signo sublato. Quando igitur diximus in præcedentibus licere rogare maleficum, vt tollat maleficij signum hoc intelligendum, quando maleficium positum est cum vnico tantum pacto cum dæmone iuxta modum expositum secundo loco; secus verò si positum est cum duplici pacto iuxta modum primo loco explicatum, & maleficus auferens ad instantiam tale signum intenderet sibi secundum pactum seruari: Quoad primam partem consentit *Scotus in 4. dist. 34. quæst. vnica vers., & hoc Themesurarius in quarta parte Rosarij verb. matrimonium 5. §. 38.*, *Bannes in secunda secundæ*, *D. Thomæ quæst. 78. art. 4. dub. 2. in solut. ad quartum.* Quoad secundam *Martinus del Rio lib. 6. disqu. mag. cap. 2. sect. 1. quæst. 3. not. 3.*, *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 96. num.* 1. 10 *Interueniente duplici pacto cũ dæmone ablato vno signo aliud firmetur non licet rogare maleficum, vt vnum tollat.* Ratio primæ partis ex eo desumitur, quia nulla apparet turpitudo ex illa signi ablatione, nec ratione finis, nec ratione medij, nec ratione alicuius concomitantis; non ratione finis, quia hic aliud non est, nisi recuperatio sanitatis ablatæ, qui certè licitus est, non ratione medij, quia talis ablatio per se sumpta est potius meritoria, quam illicita, nec est aliud adiacens, seu concomitans, quod deprauet illam actionem. Ratio secundæ partis est, quia per illam ablationem signi cum intentione, vt seruaretur secundum pactum, hoc secundum confirmaretur, & salus speraretur à dæmone, quod iniquum est.

Verum tamen est, quod cum exorcista non conscius supponatur illius duplicis pacti rogando de tali signi ablatione non constituetur reus culpæ, cum iustè potuerit præsumere duplex illud pactum non inesse.

ARTICVLVS VIII.

De regulis seruandis ab exorcista in exorcizando.

SVMMARIVM.

Prima regula est, vt exorcista non vtatur verbis deprecatorijs, sed imperatiuis, & comminatorijs. 1.

Nec item verbis superfluis, iocosis, & nugacibus. 2.

Non debet item vniforma iudicij. 3.

Cauere debet à verbis, quæ redolere possint superstitionem. 4.

PLurimas assignant Doctores regulas seruandas in hoc ministerio exorcizationis, quas hic repetere nimis laboriosum esset. Nonnullas principaliores assignabimus.

1 *Non debet vti verbis deprecatorijs.* Prima est, vt exorcista non vtatur verbis deprecatorijs, sed imperatiuis comminatorijs, & coactiuis, & hoc ex pluribus rationibus, & primo ad ostendendam potestatem, quam habet in dæmones obsidentes. Secundò ad indicandam subiectionem, quam habent dæmones ministris Christi Domini. Tertiò, ne videatur à dæmone beneficium petere, & exorare. Quartò, ne beneficium salutis recognoscatur à dæmone exorato; vndè exorcista, qui vteretur verbis deprecatorijs, constitueretur reus grauis culpæ, se quodamodo dæmoni subijciendo. *Rationes pro regula.* Neque obstare possunt ea, quæ in præcedenti articulo dicebamus, licere scilicet exorcistæ maleficum rogare, vt tollat maleficium; perindè etenim est rogare magum, ac rogare dæmonem per magum; Non, inquam, obstare possunt, quia maleficus non rogatur, vt in ea actione se gerat, vt minister dæmonis, & vt quid a dæmone impetret, sed potius, vt hostis eiusdem, & dissolutor laquei, quem parauerat in eiusdem fauorem, & obsequium eo modo, quo exoratur peccator, vt soluat vincula peccatorum, quibus obstringitur; vndè non currit paritas de hortatu malefici ad dissoluendum signum maleficij, & de exoratione dæmonis, vt abscedat.

2 *Nec verbis iocosis, & nugacibus.* Secunda est, vt non vtatur verbis superfluis, iocosis, & nugacibus, sed immediatè verbis succosis, prægnantibus, & imperatiuis compellat dæmonem silere, & solum ad interrogata respondere, & Diuinæ maiestatis mãdatis obtemperare; vtendo etenim iocis, & nugacibus in hoc graui ministerio non solum apud adstantes in derisum poneret sacram hanc cæremoniam, cum non liceat sacra profanis commiscere, sed etiam dæmonem prouocaret ad nugandum, & quasi cum ipso confabulandum. Timeant exorcistæ nugaces, & iocosi, ne suæ leuitatis pænas luere compellantur, sicuti accidit cuidam Monaco miscenti nugas cum dæmone, de quo scribit *Martinus del Rio lib. 6. disquis. mag. cap. 2. quæst. 3. sect. 3. in quarto remed.*, per hæc verba. *Exemplo mali exitus ex verbis iocosis.* Fuit quidem Monachus in Coloniensi Cænobio verbis satis facetus, sed expellendorum dæmonum gratia celeberrimus, qui à dæmone interrogatus, quem in locum ab obsesso corpore recedere cuperet, respondit iocans, in cloacam meam. Exijt igitur dæmon ab obsesso corpore in definitum locum, quem, cum Monachus ille ad expurgandum ventrem petijsset, tam dirè eum torsit, vt proximus morti fuerit. Hæc ex Martino del Rio refert *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 4. cap. 11. num. 3.*, per hæc expressa verba.

Tertia est, vt in exorcizando non vtatur forma iudicij per consuetas citationes, per litis contestationem, per extortum iuramentum de veritate dicenda, per constitutionẽ termini ad se defendendum; cũ non sit propriè Iudex dæmonis, sed minister Christi ad expellendum modo ab Ecclesia præscripto per consuetas abiurationes non per criminale iudicium. 3 *Non debet item vti forma iudicij.* Nec item potest præcipere sub pæna excommunicationis, vt recedat à corpore obsesso, cum dæmon vtpotè extra Ecclesiam, & non membrum eiusdem, sit incapax talis censuræ. Quod, si in Pontificali Romano hoc nomen excommunicationis legatur, ibi sumitur lato modo pro execratione, & maledictione.

Quarta est, vt caueat a verbis, quæ quoquo modo possint superstitionem redolere, nec longè discedat à consuetis ritibus Ecclesiæ nouos, & inusitatos inducendo, quia facilè potest decipi, & ingerere suspicionem superstitiosæ abiurationis. 4 *Nec verbis, quæ possint inferre superstitionem.*

QUÆSTIO V.

De Ordine Acolythatus.

VLtimus inter minores ordine executionis, licet primus ordine dignitatis, est Acolythatus, qui eo dignior cæteris minoribus, quo proximius eisdem accedit ad inseruiendum sacrosancto Missæ sacrificio, quod est meta, ad quam omnes ordines diriguntur. Huius naturam, conditiones, munera, & effectus hic explicanda assumimus, vt ex eiusdem plena cognitione tanquam magis affinis sacris ordinibus, aditus aperiatur ad indaginem ipsorum.

ARTICVLVS I.

De institutione, origine, & antiquitate huius ordinis.

SVMMARIVM.

Sententia asserens hanc ordinem institutum fuisse, quando Christus de se ipso dixit: Ego sum lux Mundi. 1.
Probabilius fuit institutus in vltima cæna. 2.
Vsus incæpit ab Apostolis. 3.
Reijcitur Caluinus asserens nomen Acolyti esse magicum, & eius munus esse seruire Episcopis ad modum cubicularij. 4.

1 *Sententia asserens institutũ fuisse, quando Christus dixit:* Ego sum lux Mundi.

NOn controuertimus, an ordo Acolythatus fuerit à Christo Domino institutus, cum ex præactis latissimè constet omnia Sacramenta, omnesque ordines ab ipso tanquam ab authore, & institutore originem habuisse. Solum aliquid controuerti posse videtur de tempore, quo hic ordo fuit institutus; nam aliqui tradiderunt tunc fuisse institutum, quando Christus de se ipso dixit: *Ego sum lux Mundi*, ad quod significandum traduntur hoc ordine initiatis candelabra, vt per ipsos accedantur, & fiat illuminatio. Congruentiùs alij statuut, simul cum alijs ordinibus fuisse institutum in vltima cæna, quando Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis vnico actu omnes ordines tam minores, quam maiores instituit sub signo indeterminato sensibili relicta Ecclesiæ potestate signa pro singulis determinandi.

2 *Fuit institutus in vltima cæna*

Supposita iam institutione à Christo Domino indubitatum videtur, vsum eiusdem à temporibus Apostolorum incæpisse, cum de illo meminerit D. Paulus, vt legitur in proemiali vtriusque eiusdem Epistolæ ad Thesalonicenses, vbi sic. Hos collaudat Apostolus scribens eis ab Athenis per Onesimum Acolythum, & de eodem meminerint antiquissimi PP., vt D. Ciprianus *lib. 2. Epist. 10., & Epist. 55.*, D. Isidorus *lib. 7. orig. cap. 12.*, & alij plures. 3 *Vsus incæpit ab Apostolis.*

Ex quibus eliditur vesania *Caluini lib. 4. instit. cap. 19. §. 23.* somniantis hoc nomen Acolythi magicum esse, & superstitiosum; cum etenim viguerit apud Apostolum, aliosque sanctos, & antiquiores PP. quomodo adscribi potest magiæ, & superstitioni? Vlteriùs progreditur in insania Caluinus asserens, Acolythorum munus aliud non esse, nisi deseruire Episcopis, tanquam cubicularios. Sed in hoc etiam eliditur Caluinus ex Gelasio Papa in Epistola ad Episcopos *Lucaniæ cap. 3.*, & ex Epistola Caij Papæ, in qua præcipit, ne quis ad Ecclesiasticos ordines accedat, nisi sit primo Ostiarius, deindè Lector, postea Exorcista, indè instituatur Acolythus. Quomodo sunt meri Episcoporum cubicularij, si prius præcedentibus ordinibus sunt initiandi? Sileat ergo vesanus hic Heresiarcha, & perfidus Ecclesiæ hostis, nec ore nimis lubrico euomat blasphemias, cum tot rationibus oppugnetur, tot conciliorum definitionibus conuincatur, tot SS. PP. auctoritatibus elidatur. 4 *Reijcitur Caluinus asserens nomen Acolyti esse magicũ.*

ARTICVLVS II.

De quidditate, materia, & forma huius ordinis.

SVMMARIVM.

Definitio Acolythatus. 1.
Duæ res tribuuntur in Acolythatu candelabrum cum cereo extincto, & vrceoli vacui. 2.
Vtraque res est materia necessaria ad perfectum ordinem, & quomodo. 3.
Collata vna re, & non altera confertur potestas ad exercitium illius, non alterius. 4.
Si Episcopus collata vna re præmoriatur ad traditionem alterius, hæc est ab alio Episcopo tradenda. 5.
Sententia asserens caractherem imprimi solum in vltimo signo prolationis formæ vltimæ materiæ. 6.
Probabilius imprimitur in vltimo signo prolationis formæ, dum traduntur candelabra. 7.

Duplex

Duplex forma correspondens duplici materiæ refertur. 8.

1 *Quid sit Acolythatus.* NOn diu immorandum in definitione huius ordinis, cum spectata eiusdem natura, & muneribus facilè deducatur. Est signaculum, quo confertur potestas ordinato accendendi Ecclesiæ lumina, & suggerendi vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi Domini. Ex hac definitione elucet conuenientia, & disconuenientia, quam habet cum cæteris ordinibus, finis, ad quem institutus est, & munera, quæ debet exercere.

2 *Duæ res tribuuntur in collatione eiusdem* Loquendo iam de materia, & forma retenta communi distinctione materiæ remotæ, & proximæ in collatione huius ordinis cernimus, duplicem exhiberi materiam, candelabrum scilicet cum cereo extincto, & vrceolum vacuum applicata vtrique congrua, & proportionata forma, vndè vtraque videtur materia remota, & traditio cum morali contactu vtriusq; materia proxima, ex hac tamen duplici materia multiplex insurgit ratio dubitandi, & primo, an vtraque sunt necessaria, & ita essentialis, vt sine vtraque non subsistat ordo. Secundò, an si collato per Episcopum candelabro cum cereo extincto applicata congrua forma contigat inopinato fato Episcopum occumbere non exhibito vrceolo vacuo, teneatur, qui recepit candelabrum ab alio Episcopo recipere vrceolum vacuum, vt possit ministrare in ordine Acolythatus. Tertiò, an in vtraque materia cum applicatione debitæ formæ imprimatur caracther, an in vna tantum, & quanam. *Plures rationes dubitandi.*

3 *Vtraque res est materia necessaria.* Incipiendo à prima dicendum est, vtramque materiam esse necessariam ad constituendum perfectè Acolythum, ita tamen, vt, si vna cum debita forma exhibeatur, & non altera, acquiratur potestas correspondens eidem materiæ, & non alteri. Quod vtraque sit necessaria ex eo euincitur, quod ex ordinatione Ecclesiæ, & Christi Domini Acolythatus institutus est pro vtroque munere exercendo, ergo ex eadem ordinatione necessaria est vtraque materia, ex qua oritur vtraque potestas ad illa munera ex officio obeunda.

4 *Collata vna re, & non altera confertur potestas ad exercitium illius, nō istius.* Quod deindè collata vna materia, & non altera valdè conferatur potestas ad munus correspondens illi materiæ, & non potestas ad alterum munus, ex eo euincitur, quod posita sint omnia requisita ad vnam, & non ad alteram, nempè debita materia, congrua forma, & intentio tam in conferente, quam in recipiente, neque vna potestas essentialitèr imbibitur in alia, cum sint distinctæ. Res eo modo componitur, quo in ordine Sacerdotali, in quo duplex potestas confertur, altera ad conficiendum Corpus reale Christi Domini, altera in ordine ad Corpus misticum, nempè absoluendi membra Christi à peccatis, quarum prima validè confertur, etiam si secunda non conferatur.

Prosequendo ad secundam dicẽdum est, 5 defuncto Episcopo post collationem vnius materiæ cum congrua forma teneri sic initiatum, si velit ad superiores ordines ascendere, vel potestatem receptam ex officio exercere, aliam potestatem per exhibitionem vrceoli cum proportionata forma recipere. Ratio ex eo deducitur, quia de iure Diuino vtraque potestas conflat, & constituit vnum ordinem, & vtraque potestas prærequiritur ad susceptionem ordinis superioris, & ad exercitium ordinis suscepti ex officio, ergo, vbi velit ad ordinem superiorem ascendere, vel susceptum ex officio exercere, tenebitur potestatem, quam non recepit integram, recipere. Confirmatur, quia, si quis receperit ordinem superiorem per saltum tenetur ordinem, quem non recepit, vt in illo possit administrare, recipere, ergo etiam, qui in eodem ordine, in quo confertur duplex potestas, vnam recepit, vt in eodem administret, tenetur alteram recipere. *Defectus vnius rei mortuo Episcopo ordinante est supplendus per aliū Episcopum.*

Quoad tertiam ratio dubitandi, ex ijs consurgit, quæ dicebamus *in præcedenti prima part. de ordinibus in communi quæst. 5. art. 6.*, vbi quod in ordinibus, in quibus duplex actio, & duplex materia interuenit, caracther imprimatur in illo vltimo signo, in quo profertur vltima sillaba formæ. Cum igitur in Acolythatu duplex actio, & duplex materia cum duplici forma concurrat, videtur congruentèr asserendum esse, caractherem non imprimi, nisi in vltimo signo prolationis secundæ formæ; atque iuxta hanc opinionem videtur procedere *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 5. de Acolythatu cap. 3. num. 3.*, vbi etiam allegat *D. Thomam*, *Paludanum*, *Siluestrum*, *Durandum*, & *D. Antoninum*, & vlteriùs addit hanc rationem, quia in illo ordine, in quo interuenit duplex materia, caracther imprimitur in traditione illius materiæ, quæ principalius, & immediatiùs deseruit Eucharistiæ; vrceoli autem principalius, & immediatiùs eidem deseruiunt, quem candelabra. 6 *Sententia asserens caractherē imprimi in vltimo signo prolationis formæ, dum traduntur vrceoli.*

Nihilominus sentiendum est imprimi quoad substantiam in vltimo instanti prolationis formæ, cum qua traduntur candelabra, prout sentiunt *Angelus verb. ordo 1. num. 4.*, *D. Bonauentura in quarto dist.*

dist. 24. in secunda part. distinct. dub. 5., *Riccardus item in 4. dist. 24. art. 4. quaest. 3.*, quando verò in traditione vrceolorum profertur vltima sillaba formae eidem correspondentis fit quaedam solummodò extensio per quandam habitudinem ad diuersa munera, & per hoc dissentio à *Viguerio in summa Theologiae cap. 16. §. 6.*, *Vasquez tom. 3. in tertia part. disp. 237. cap. 3. num. 36.*, volentibus imprimi caracterem partim in traditione candelabri, & partim in traditione vrceolorum respectiuè ad vltimum instans prolationis formae vtriusque. Ratio nostri asserti ex eo deducitur, quod per talem traditionem candelabri cum prolatione formae denegari non potest, quin conferatur ordinato aliqua potestas, ne efficacia eiusdem formae cum materia remaneat suspensa, ergo tunc verè imprimitur caracther, in quo fundatur illa potestas, non enim potest esse potestas ordinis sine caracthere. Quod, si dicas, quod in traditione vrceolorum cum prolatione debitae formae conferatur etiam potestas, quae nequit esse sine caracthere, & cum caracther in vnoquoque ordine sit qualitas indiuisibilis, congruum est, quod non imprimatur, nisi in vltima actione, per quam postea extenditur ad praecedentia. Si inquam, haec dicas, statim impugnaberis, quia verè in illa secunda actione traditionis vrceolorum cum prolatione debitae formae confertur potestas, quae tamen radicatur in caracthere praecedentèr posito ea proportionali ratione, qua in Sacerdotio, in quo confertur duplex potestas, altera in Corpus reale Christi Domini, altera in Corpus misticum, caracther primo imprimitur in collatione potestatis in Corpus reale, & secunda fundatur in eodem caracthere prius posito, & solum superaddit quandam extensionem per moralem habitudinem etiam ad Corpus misticum.

7 *Probabilius imprimitur in vltimo signo prolationis formae dum traditur candelabrum.*

8 Haec quoad materiam huius ordinis. Quoad formam, quae duplex est, acceptamus communes Ecclesiae, quibus quoad correspondentem traditioni candelabri, dicitur: *Accipe Ceroferarium cum cereo, vt scias te ad accendenda Ecclesiae lumina mancipari in nomine Domini*, & quoad correspondentem traditioni vrceoli dicitur: *Accipe vrceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.*

Forma exprimitur correspondens vtrique materiae

ARTICVLVS III.

Cur tradatur potius cereus extinctus, & vrceolus vacuus, quam ille accensus, & iste plenus, & an si ille traderetur accensus, & iste plenus validè Ordo conferretur.

SVMMARIVM.

Rationes, ob quas traditur candelabrum cum cereo extincto. 1.
Rationes, ob quas traditur vrceolus vacuus. 2.
Si traderetur cereus accensus, & vrceolus vacuus sententia asserens non fore validam ordinationem. 3.
Probabilius esset valida. 4.
Principale significatum illius cerei est ad indicandum lumen spirituale. 5.
Munus Acolythorum non est solum accendere luminaria, sed etiam ea deferre accensa. 6.
Etiam vrceoli pleni sunt valida materia. 7.

Rationes plurimas huius dispositionis assignant Doctores, & primo de 1
cereo extincto hanc assignant, quia munus, ad quod deputatur Acolythus, est ad accedenda Ecclesiae lumina, vt praefertur in forma eiusdem, *vt scias te ad accendenda Ecclesiae lumina mancipari*, adeoque ad indicandam potestatem, quae ei confertur, traditur cereus extinctus; non enim potest accendere, quod iam accensum est. Secundò hanc aliam moralem assignant, scilicet ad indicandam etiam errorum caliginem, quae aderat ante Euangelij promulgationem, & post Euangelij praedicationem ad ostendendum lumen veritatis, quod per ipsum Euangelium elucescit, ideoque in Euangelij eiusdem recitatione cerei deferuntur accensi.

Rationes, ob quas traditur cereus extinctus.

Secundò de vrceolo vacuo hanc rationem assignant, ob distinguendum munus 2
Acolyti ab illo Subdiaconi, qui vrceolos plenos Sacerdoti porrigit. Secundò, quia Acolythus deputatur ad eosdem implendos. Tertiò ad ostendendum munus eiusdem non ita proximè accedere ad confectionem Sacrosanctae Eucharistiae, & sic hunc ordinem distingui à sacris, qui proximiùs accedunt ad eandem Eucharistiam conficiendam.

Rationes ob quas traditur vrceolus vacuus.

Haec quoad primam partem tituli; Quoad secundam, quae quoquo modo 3
videtur pendere à prima, cum cerei accensi, & vrceoli pleni non videantur habere eandem significationem, quam habet ille extinctus, hic vacuus, hic aduertendum est, munus Acolythi non solum esse

Sententia asserens, quod, si traderetur

ad

cereus accensus non esset valida ordinatio. ad accendenda lumina, sed etiam ad ea deferenda accensa, non solum ad deferendos vrceolos vacuos, sed etiam plenos in Missa, eosque porrigendos Subdiacono ministranti in Missa, quod, si solum dicatur in forma, qua traditur cereus, *ad accendenda Ecclesiæ lumina*, hoc est ad indicandum aliquod munus, non omne.

4 *Probabilius esset valida.* Quamobrem absolutè crederem, validam fore talem ordinis collationem; ad quod pluribus moueor rationibus; primo, quia in eo, quod maius est, continetur id, quod minus est, & sic in candelabro cum cereo accenso continetur candelabrum secundum se, quod præcisè potest cõsiderari nullo habito respectu ad illud, quod cereus sit accensus, & sic est materia apta ad hunc ordinem, nec obstare potest, quod licet materialitèr hoc verum sit, non sit tamen verum quoad formale significationis, ad quod instituta est illa materia, cum sit ordinata ad indicandam potestatem ad accendenda luminaria Ecclesiæ, quæ significatio haberi non potest, quando iam luminare, quod traditur, est accensum. Non, inquam, obstare potest, quia principale significatum illius materiæ est ad indicandum lumen spirituale, quod moribus præbere debet ipse ordinatus; vndè Episcopus in oratione, quam subdit post collatam potestatem dicit. *Quatenus lumen visibile manibus praferentes lumen quoque spirituale moribus prabeant*, quod præscindit ab eo, quod lumen sic accensum, vel accendendum, quin potius indicat accensum. Deindè per id, quod factum est, indicatur id, quod fieri debet, adeoque per lumen accensum indicatur, quod non accensum est, debeat accendi.

5 *Principale significatum est indicare lumen spirituale.*

6 *Defert Acolytus candelabra etiam accensa.* Secundò moueor ex eo, quod potestas Acolythorum, non solum est ad accendenda in Ecclesia luminaria, sed etiam ad ea deferenda accensa in Missa, & præcipuè ad recitationem Euangelij, quod magis præcipuum est, cum sit ad significandum lumen, quod per promulgationem eiusdem Euangelij in mundo natum est; hoc autem significatum, quod est proprium talis ordinis, habetur per delationem luminis accensi. Neque obstat, quod in Pontificali dicatur, quod Pontifex tradat candelabrum cum candela extincta, per quod videtur excludi à ratione materiæ cereus accensus. Non obstat, inquam, quia Pontificale statuit id, quod ad minus ex necessitate requiritur; per hoc tamen non excludit, quin cum eo apponatur aliud, quod, quamuis necessarium non sit, est tamen quid magis, nec euacuat, quod necessarium est; vndè pluribus in locis iuris canonici pro præcipuo munere Acolythorum assignatur deportatio candelabrorum, vt *in cap. Cleros distinct. 21.* Ibi. *Acolythi grecè latinè Ceroferarij dicuntur à deportandis cereis, quando legendum est Euangelium, aut sacrificium offerendum*, & *D. Thomas tertia part. quæst. 37. art. 2.*, asserit tradi duplicem materiam in collatione huius ordinis ad indicandam duplicem potestatem alteram super Corpus Christi verum per vrceolos denotatam, alteram super Corpus Christi mISticum idest fideles, & Ecclesiam, quæ per candelabrum misticè designatur; fideles autem, & Ecclesia supponuntur illuminati, seu illuminata, adeoque lumen fidei habere.

Soluitur instantia deducta à Pontificali.

Tertiò in ordine ad vrceolos plenos ex eo moueor, quod munus Acolythi est eosdem ministrare Subdiacono in ordine ad confectionem Eucharistiæ; ad quam requiritur, vt contineant materiam consecrabilem, ergo, quantumuis vrceoli pleni exhibeantur, validè fiet ordinis collatio, cum habeatur id, ad quod significandum talis materia exhibetur, quod, si regularitèr vrceoli vacui per Episcopum traduntur in collatione talis ordinis, hoc est, quia sufficit, quod tradantur vacui, cum sufficientèr indicetur munus ad quod deputantur. Quod, si repetas, quod vrceoli pleni tribuãtur Subdiacono in ordinatione eiusdem, adeoque vacui tradi debeant Acolytho, vt distinguantur munera eorundem, tunc dicam, monera vtriusque sufficientèr distingui per hoc, quod Subdiacono tradantur vrceoli pleni cum Calice, & Patena vacuis ad ostendendum, quod in eodem Calice vinum cum aqua debet infundere, & ministrare immediatè in hoc Sacerdoti celebranti; Acolythus verò debet solum eosdem Subdiacono tradere, eidemque ministrare, quod proprium ipsius munus est. 7 *Etiam si vrceoli pleni tradantur, valida est ordinatio.*

ARTICVLVS IV.

De muneribus ordinis Acolythatus, & dignitate.

SVMMARIVM.

Munus Acolythorum est deferre luminaria in celebratione Missæ, & præcipuè ad Euangelium. 1.

Ministrare vinum, & aquam ad conficiendum Eucharistiam. 2.

Deseruire Subdiacono in solemni celebratione Missæ. 3.

Mortuos sepellire, sed hoc amplius non est in vsu. 4.

Di-

Dignitas Acolythorum excedit dignitatem aliorum ordinum inferiorum. 5.

Explodantur iura negantia posse Acolythum nubere. 3.

1 *Deferre candelabra.* PAtet ex dictis, duo principalia munera Acolythorum esse, deferre luminaria in celebratione Missæ, & præcipuè ad recitationem Sacrosancti Euangelij, & vinum, & aquam in vrceolis ad Eucharistiam conficiendam ministrare. De his duobus muneribus sufficientèr constat *ex cap. Acolythus dist. 23.*, *& cap. Cleros dist. 21.*, & colligitur ex formis, quibus hic ordo confertur. 2 *Ministrare vinum, & aquã* Tertium munus est deseruire Subdiacono, & Diacono in solemni celebratione Missæ, quod præcipuè præstant in exercitio duorum præcedentium munerum.

Quartum munus erat mortuos sepellire, prout refert *Stephanus Durantus lib. 1. de Rit. Eccles. Cathol. cap. 13.*, quinimmò hoc plerique euincere conantur ex Epistola 12. D. Ignatij ad Antiochenos, vbi cum salutasset omnes Ecclesiæ ministros incipiens à Sacerdotibus non meminit Acolythorum, sed numerauit Laborantes, quorum nomine veniunt, qui mortuos sepelliunt, ex quibus cócludunt, quod nomine laborantium veniant Acolythi, cum probabile non sit, hunc Antistitem omisisse Acolythos à salutatione. Sed quidquid sit de hoc, certum est, hunc morem modo apud Acolythos non vigere, & hoc munus, si antiquitus vigebat, modo abolitum esse.

3 *Seruire Subdiacono.*

4 *Mortuus sepellire.*

5 *Excedit dignitas aliorum ordinum inferiorum.* Quoad secundam partem tituli de dignitate ordinis Acolythatus certum est, hanc præcellere dignitatem omnium præcedentium ordinum minorum; cum etenim dignitas in sacris, & Ecclesiasticis ordinibus desumatur per ordinem ad Eucharistiæ confectionem, Acolythatus, cum proximius ad eandem accedat cæteris, maiorem supra cæteros inferiores præseferat dignitatem; Acolythi etenim immediatè Altari deseruiunt, & famulantur in Missæ sacrificio deferendo luminaria, ministrando vinum, & aquam, vbi alij, vel præsunt dumtaxat foribus Ecclesiæ, vel dæmones à corporibus eijciant, vel legant in Choro.

ARTICVLVS V.

An Acolythatui annexum sit onus non contrahendi nuptias.

SVMMARIVM.

Referuntur iura, quæ videntur vitare Acolythos nubere. 1.

Referuntur iura contrarium euincentia, & præferuntur, 2.

OCcasionem tribuerunt huic dubio Canon Apostolorum 27., vbi hæc expresè habentur. *Qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint vxorem accipiant, sed Lectores, & Cantores tantummodo*, & nouella Iustiniani Constitutio *collat. 4. tit. de nuptijs, §. sed & si quis*, vbi hæc leguntur. *Ne Clericus vltra Cantorem, aut Lectorem nuptias contrahant*, vbi nota illas particulas *tantummodo, & ne vltra*, quæ important restrictionem ad Lectores, & Cantores, & excludunt à nuptijs quoscunque alios in ordine Clericali constitutos. 1 *Iura vetantia.*

Sed his iuribus alia obstare videntur, & primo textus *in cap. si quis eorum dist. 32.* Ibi. *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt voluerit nuptiali iure mulieri copulari hoc ante ordinationem Subdiaconatus faciat.* Secundò textus *in cap. si quis verò ead. dist.* Ibi- *si quis verò ex Clericis extra sacros ordines constitutis, qui se continere non possunt, sortiri vxores debet.* Tertiò textus *in cap. 1. de Cler. coniug.* Ibi- *si quis Clericorum infrà Subdiaconatum, acceperint vxores, ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas vxores districtione Ecclesiastica compellatis.* 2 *Præferuntur iura contrarium statuentia.*

Quamobrem retentis iuribus hoc secundo loco expositis, & eorum dispositionibus difficultas solùmodo reducitur ad explicanda iura præcedentia. *Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 19.*, *Azorius instit. mor. lib. 13. cap. 13. quæst. 4.*, *Sanchez tom. 2. de matrim. lib. 2. disp. 31. num. 6.*, explicant per hoc, quod illæ particulæ *tantummodo, & illa alia. Ne vltra* stent quidem taxatiuè, non tamen absolutè, sed respectiuè ad casus dissimiles, non autem ad similes, qui comprehendantur sub eadem ratione; sic asserunt, cum omnes ordines minores cadant sub eadem ratione allegatorum textuum, sub qua comprehenduntur Lectores, & Cantores, etiam comprehendi sub eadem dispositione. Sed non libentèr acquiesco huic expositioni, quandoquidem cum Acolythatus sit ordo superior, & dignior Lectoratu, qui propterea videtur maiores qualitates in ipso exigere, non videtur cadere sub eadem dispositione, vndè ratio allata videtur quidem militare in ordine ad ordines inferiores Lectoratu, nempè ad Ostiariatum, & primam tonsuram, non autem in ordine ad superiores illo, cuiusmodi est Acolythatus. Quamobrem congruentius dicerem per allegata iura secundo loco ampliari præcedentia, potissimum, cum etiam per 3 *Explodũtur iura negatiua Acolytũ posse nubere.*

Aco-

Acolythatum non obstringatur ordini Ecclesiastico, sed possit pro libertate ab illo recedere; nunquam enim in iure inuenio dispositum, quod Acolythus teneatur in eo statu perseuerare, sicuti tenetur Subdiaconus, nec item inuenio, quod Acolytatui sit adnexum votum castitatis, nec ex mente ordinati, nec ex dispositione iuris, quæ est ratio formalis, ob quam Subdiaconus non potest nubere.

QUÆSTIO VI.

De Ordine Subdiaconatus.

IAm ascendimus ad sacros Ordines, ad quos viam strauimus per indaginem inferiorum. Primus in ordine executionis, licet vltimus in ordine dignitatis, est Subdiaconatus, de quo hic quæstionem instituimus. Altiorem exigit, & accuratiorem indaginem hic ordo, cum inter sacros reputetur, & plura habeat annexa onera, plures exigat conditiones, plura, eaque subliminiora munera exerceat, de quibus omnibus in particulari erit pertractandum.

ARTICVLVS I.

De institutione, & origine huius Ordinis.

SVMMARIVM.

Varia nomina, quibus Subdiaconi fuerunt antiquitùs appellati. 1.
Hic ordo fuit institutus à Christo Domino in vltima cæna. 2.
Eius vsus cæpit immediatè post institutionem à tempore Apostolorum. 3.
An in primitiua Ecclesia Subdiaconatus numeraretur inter ordines sacros remissiuè. 4.

1 PLura fuerunt vestigia huius ordinis in veteri testamento, licet sub diuersis nominibus, vt *Iosuè 9.*, vbi fuerunt appellati Gabaonitæ. *Esdræ primo c. 8.*, vbi fuerunt dicti Nathinæi, à Græcis modo dicantur Hypodiaconi, & à Latinis Subdiaconi, idest SubDiacono, cui immediatè in Altari deseruiunt. *Varia nomina Subdiaconorum*

In ratione Sacramenti, & Ordinis Ecclesiastici non est, nec esse potest dubium, quod fuerit à Christo Domino institutus, & vtique in vltima cæna; quando linteo se præcinxit, & missa aqua in peluim lauit pedes discipulorum, & linteo extersit, vt præ cæteris adnotarunt *Cardinalis Osius tract. de ord. c. 52., & Vasquez tom. 3. in tertiam part. disp. 238. cap. 5.* 2 *Hic ordo institutus est à Christo Domino*

Facta à Christo Domino hac institutione non est dubitandum, quin eius vsus incæperit immediatè vigere in Ecclesia Dei, & ab ipsis Apostolis emanarit successiuè in alios ab eisdem ordinatos vigore mandati eisdem ab ipso impositi, vt *quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis. Hoc facite in meam commemorationem*, vndè de eodem mentionem fecerunt *Clemens Papa lib. 8. Apostolic. Constitut. cap. 15., & 28., D. Cyprianus lib. 2. Epist. 10., & lib. 3. Epist. 21., & Epist. 22., Diuus Ignatius in Epist. 2. ad Antiochenos*, & vlterius plura Concil. antiqua *Cartaginense IV. can. 5., Toletanum IV. can. 27., & Rhemense can.* 4. Neque obstare potest textus *in cap. nullus in Episcopatum dist. 60.*, vbi ex Vrbano II. sic habetur. *Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, & Presbiteratum. Hos siquidem solos primitiua legitur habuisse Ecclesia.* Non, inquam, obstare potest, quia in allegato textu solum dicitur non posse eligi in Episcopos, nisi illi, qui fuerint ad Diaconatum, & Presbiteratum promoti, cæterum, ibi fit etiam mentio de Subdiaconis. *Subdiaconos verò, quia, & ipsi Altaribus ministrant &c.* Quod, si ibi dicatur. *Hos siquidem solos primitiua legitur habuisse Ecclesia;* hoc ad summum euincit in primitiua Ecclesia Subdiaconatum non fuisse numeratum inter ordines sacros, non autem non fuisse inter ordines recensitum. Sed, an re vera in primitiua Ecclesia Subdiaconatus non fuerit inter ordines sacros computatus, nunc ex professo examinandum assumimus. Pro quo sit. 3 *Eius vsus incæpit à tempore Apostolorum.* 4 *An esset inter ordines sacros remissiuè.*

ARTICVLVS II.

An Subdiaconatus in sua origine, & semper fuerit Ordo Sacer.

SVMMARIVM.

Textus in cap. nullus in Episcopatum dist. 60., *computans inter sacros ordines solum Diaconatum, & Presbiteratum.* 1.
Dupliciter ordo potest dici Sacer, vel propter seruitutem proximam Altari, vel propter annexionem voti castitatis. 2.
In origine potest dici Sacer iuxtà primum sensum, non iuxtà secundum. 3.

Mm De

De iure Diuino Subdiaconatui non est annexum votum continentiæ. 4.
De tempore, quo fuit annexum non constat. 5.
Antiquissima est hac connexio. 6.

1 *Textus in cap. nullus in Episcopatũ dist. 60.* POtissimam occasionem huius difficultatis tribuit recensitus textus *in d. cap. nullus in Episcopatum dist. 60.*, vbi dicitur, quod primitiua Ecclesia solos pro sacris habuerit ordines Diaconatus, & Presbiteratus considerata illa particula *solos*, quæ excludit quoscunque alios ab illis, adeoque etiam Subdiaconatum.

2 *Dupliciter ordo potest dici Sacer.* Tota difficultas pendet à discussione rationis, ob quam ordines dicuntur sacri; non etenim potest præcisè desumi ex eo, quod sint Sacramenta, nam hac ratione omnes ordines essent dicendi sacri, cum omnes ex supra probatis sint Sacramenta. Aliundè igitur desumenda est ratio, ob quam aliqui ordines dicantur sacri, alij non ita. Hæc differentia nonnisi ex duplici capite potest prouenire, vel ex eo, quod aliqui proximius deseruiant Altari in ordine ad confectionem Sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ est meta, ad quam omnes ordines diriguntur, atque isti dicantur sacri, & non alij, qui non ità proximè accedunt, vel ex eo, quod aliqui habeant annexum votum continentiæ, & isti dicantur sacri, & alij non habeant illud annexum, qui propterea sacri non dicantur.

Si denominatio *sacri* desumatur ex proximiori famulatu, qui præstatur Altari in ordine ad conficiendam Eucharistiam non dubitarem Subdiaconatum in sua origine, & pro semper fuisse sacrum, & pro sacro computandum, quandoquidem ex genere suo proximè habet Altari deseruire ministrando instrumenta, & vasa sacra necessaria pro Sacramento eiusdem Eucharistiæ, vndè etiam defert insignia magis apta, & proportionata huic muneri, & Altari proximè assistit.

3 *In origine potest dici Sacer primo modo, non secundo.* Si verò denominatio desumatur à voto continentiæ, certum est in sua origine, non fuisse sacrum, non solum, quia nec ex natura sua, nec ex iure Diuino habet annexum tale votum, sed etiam, quia de facto permittebantur Subdiaconis nuptiæ cum vna virgine, vt expressè habetur *in cap. quicunque dist. 77.*, & ibi Glosa *in verb. ad Diaconis*, vbi considerat illa verba *continentia præeunte*, quæ dicit referri ad Diaconum, non ad Subdiaconum, & propterea eadem Glosa subdit. *Ideò hoc non dixit de Subdiaconatu, quia nondum erat Ordo Sacer tempore Siricij Papæ, qui antiquissimus fuit; hodiè verò est Sacer Ordo.*

Quamobrem pro resolutione huius tituli, dico posse hunc ordinem quoquo modo dici in sua origine sacrum, & quodamodo inadæquatè, prout ex genere suo proximius Altari deseruit in confectione sacræ Eucharistiæ; non autem absolutè, & simplicitèr, & prò omni tempore, sed pro eo dumtaxat, pro quo cæpit habere annexum votum continentiæ; & iuxtà hunc sensum locutus est *Vrbanus II. relatus in d. cap. nullus in Episcopatum dist. 60.*, dum dixit, quod primitiua Ecclesia habuerit solos pro sacris Diaconatum, & Presbiteratum, quia solum isti tunc habebant annexum hoc votum continentiæ.

Si autem quæratur, quo iure, & pro quonam tempore inductum fuerit hoc onus continentiæ ordini Subdiaconatus; hoc certum est, non fuisse de iure Diuino impositum, cum nullibi constet de tali iure, & in pluribus iuris canonici locis tum allegatis, tum allegandis manifestè appareat vxores permissas fuisse Subdiaconis, quod vtique concedi non potuisset, si de iure Diuino esset vetitum. 4 *Votum continentiæ non est annexũ de iure Diuino.* Quoad tempus interdicti, quo scilicet tempore incæperit vigere hoc onus continentiæ, nil certum habemus. Habemus quidem, quod tempore Leonis I., qui sedem Apostolicam tenuit anno post Christum natum 440., hoc viguerit, vndè *in Epistola 83. cap. 4.*, quam scripsit ad Anastasium Episcopum Thesalonicensem hæc expressè habet. *Ne Subdiaconis quidem carnale contubernium conceditur, vt & qui habent, sint tanquam non habentes, &, qui non habent permaneant singulares.* 5 *De tempore quo fuit annexum non constet.* Hoc idem habetur ex D. Gregorio Pontifice, qui regnauit post Christum natum anno 590., vt habetur *ex eiusdem Epistola 42. lib. 1.*, quæ est relata *in cap. ante triennium distinct. 31.* Antiquius hoc statuit Calistus I., qui teste Platina regnauit anno Christi 218., & refertur *in cap. Presbiteris distinct. 27.*, ex quibus omnibus, & alijs infrà deducendis colligitur, antiquissimum esse hoc onus continentiæ seruandæ respectu Subdiaconorum. 6 *Antiquissima est hac connexio.* Certum autem tempus, pro quo determinatè fuerit impositum, non possumus assignare.

ARTICVLVS III.

De materia, & forma Ordinis Subdiaconatus.

SVMMARIVM.

Quanam interueniant in ordinatione Subdiaconi. 1.
Censura Marchini damnantis quoquot sustinent Calicem cum Patena non esse materiam propriam huius ordinis. 2.
Ipse sustinet librum Epistolarum non esse materiam substantialem, & quibus rationibus. 3.
Sententia constituens materiam in Calice cum Patena, & libro Epistolarum. 4.
Sententia asserens consistere in sola traditione libri Epistolarum. 5.
Rationes tum negatiua, tum positiua huius sententia. 6.
Ha rationes videntur speculatiuè fortes. 7.
Respondetur rationibus prima sententia. 8.
Debet absolute sustineri Calicem cum Patena esse materiam partialem. 9.
Assignatur forma huius ordinis, siue consistat eius materia tantum in traditione libri, siue etiam in porrectione Calicis cum Patena. 10.
Inuocatio Santissima Trinitatis non est de substantia huius forma. 11.

1 *Quanã interueniant in ordinatione Subdiaconi.* IN ordinatione Subdiaconi plura interueniunt, de quibus inquiritur, an constituant materiam huius ordinis. Primò interuenit liber Epistolarum. Secundò Calix cum Patena vacuus. Tertiò vrceoli pleni. Quartò Amictus, manipulum, & tunica. Primo loco, vt colligo ex Pontificali Romano exhibetur ordinandis Calix cum Patena vacuus, & tunc, cum Episcopus Calicem, & Patenam porrigit, admonet de dignitate, & qualitate ministerij per illa verba. *Videte, cuius ministerium vobis traditur &c.* Secundò per ArchiDiaconum traduntur vrceoli pleni, nec tunc verba aliqua proferuntur. Tertio loco traditur Amictus cum prolatione verborum, quæ apta sunt ad indicãdam significationem illius, successiuè manipulum, & tunica cum similibus, & proportionatis respectiuè verbis significantibus &c. Tandem traditur liber Epistolarum, & tunc Episcopus profert illa verba, quæ se habent tanquam forma. *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei tam pro viuis, quam pro defunctis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

Hic iam inquiritur, an omnia hæc constituant materiam adæquatam huius ordinis, an aliqua tantum, & quænam. 2 *Censura Marchini damnantis sustinentes Calicem cũ Patena non esse materiã propriã.* *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 2.*, constituit primo sub censura *Viguerium in summa institut. Theolog. cap. 16.*, §. 6., & omnes, quicunque asserunt Calicem cum Patena vacuum non esse materiam propriam huius ordinis, & solum librum Epistolarum esse eiusdem materiam adæquatam, contra eosdem allegat *Concil. Cartaginense IV. cap. 5., Toletanum IV. can. 27., & Florent. sub Eugenio IV. in decreto fidei post vltim. sess.* §. 6. Deindè statuit librum Epistolarum non esse materiam substantialem, quod multis conatur euincere, & primo, quia antiquitus Epistolæ solemniter non à Subdiaconis, sed à Diaconis legebantur, vt colligit ex Catechismo Romano, vbi hæc formalia leguntur, *Epistolam etiam, quæ olim à Diacono in Missa recitabatur, Subdiaconus legit.* 3 *Ipse sustinet librum Epistolarum non esse materiã substantialem.* Secundò, quia munus legendi Epistolam ex vi ordinis non est, sed ex præscripto Ecclesiæ, vt asserit *Henriquez lib. 10. cap. 13. num.* 4. Tertiò, quia in Concilijs *Cartagin. 4. can. 5., & Toletano IV.*, traditur materia huius ordinis, ibique nulla fit mentio libri Epistolarum. Quartò, quia in primitiua Ecclesia liber Epistolarum noui testamenti non aderat, & tamen extabat ordo Subdiaconatus. Tandem allegat cæteruam DD. non constituentium materiam, nec etiam partialem in dicto libro Epistolarum.

Alij duplicem constituunt materiam huius ordinis, nempè Calicem, & Patenam vacuos, & librum ipsum Epistolarum, inter quos numeratur *Filliucius tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 45.*, & alij, quorum rationes hæ præcipuæ sunt; 4 *Sententia constituens materiã in vtraque consistere.* primo quia, vt infra dicemus, materia Diaconatus est liber Euangeliorum saltem partialis, ergo etiam materia Subdiaconatus saltem partialis erit liber Epistolarum, quia non minus in illius ordinatione confertur liber Euangeliorum cum forma tribuente potestatem legendi solemnitèr eadem Euangelia, quam in ordinatione istius tradatur liber Epistolarum cum simili forma conferente potestatem easdem solemnitèr in Missa legendi, tum quia, sicuti Diaconus deseruit Sacerdoti per vsum Euangeliorum, ita Subdiaconus eidem per vsum Epistolarum inseruit. Secundò, quia in traditione libri Epistolarum confertur vera potestas apta ad munera talis ordinis, & potestas ordinis non confertur sine materia, & forma propria, ergo eadem libri Epistolarum est materia substantialis, saltem partialis eiusdem ordinis Subdiaconatus. Tertiò,

quia omnes statuunt, quod in ordinatione Sacerdotis duplex conferatur potestas; altera in Corpus reale Christi Domini, altera in Corpus misticum eiusdem, & pro materia istius constituunt manuum impositionem, quam asserunt substantialem, ergo etiam in ordinatione Subdiaconi, cum conferatur duplex potestas, altera ministrandi vasa pro sacrificio Missę, altera legendi in Missa solemnitèr Epistolas, vt deducitur ex forma eiusdem ordinis, materia vtriusque erit substantialis saltem partialis.

5 *Constituens in sola traditione libri Epistolarum.*

Alij materiam adæquatam huius ordinis constituunt in sola traditione libri Epistolarum, & traditionem Calicis, & Patenæ vacuorum asserunt non importare, nisi facultatem tangendi vasa sacra; quorum sententiam, licèt *Marchinus loco citato*, notet esse censuræ obnoxiam, sua tamen non caret probabilitate, & his rationibus innititur; primò confutando opinionem constituentem materiam adęquatam in sola traditione Calicis vacui, cum Patena item vacua, quia in traditione eiusdem nulla profertur forma, sed solum præfertur quædam admonitio de dignitate huius ordinis, ergo tunc non applicatur materia propria, quia hæc simul cum forma applicanda est, tum quia quasi eodem contextu, quo traduntur Calix vacuus, & Patena, traduntur etiam vrceoli pleni, & tamen nullus constituit materiam propriam in eisdem vrceolis, ergo nec constituenda est in Calice cum Patena vacuis, tum quia illa traditio Calicis cum Patena vacua est solum quidam ritus, & cæremonia, qua conceditur potestas tangendi vasa sacra ad Altaris ministerium, & idcircò satis est, vt Episcopus instrumenta tangenda porrigat, quod præstat sine aliqua forma.

6 *Rationes tum negatiuæ, tum positiuæ huius sententiæ.*

Secundò directè probatur hæc opinio, quia ex supradictis tunc confertur potestas ordinis, quando profertur vltima sillaba formæ, per quam imprimitur caracther, sed solum, quando traditur liber Epistolarum, profertur forma, & eiusdem vltima sillaba, non quando porrigitur Calix vacuus, cum Patena, quia tunc nulla videtur proferri forma, ergò tunc solum imprimitur caracther, adeoque tunc solum applicatur propria materia, cum caracther imprimatur, quando est applicatio materiæ, & formæ. Rursus non solum ad traditionem libri Epistolarum pręcedit traditio Calicis vacui, & Patenæ, sed etiam indumentum, amictus, manipulum, & tunicæ, quibus accedunt respectiuè ad quodlibet prædictorum indumentorum proportionata verba, & tamen nullus constituit materiam propriam in eisdem indumentis, ergo nec videtur constituenda in traditione Calicis, cum in ea nulla verba tanquam forma videantur proferri.

Fateor me plurimum premi rationibus huius tertiæ opinionis nullum negotium mihi facescentibus rationibus, quæ pro prima sententia afferebantur, potissimum in ea parte, qua à materia huius ordinis excluditur traditio libri Epistolarum. 7 *Prefertur hæc tertia sententia.*

Non prima deducta ex eo, quod antiquitus Epistola à Diaconis recitaretur in Missa; nam quidquid sit, quod legeretur à Diaconis, non tollitur, quin fuerit Subdiaconis collata potestas eas legendi, sicuti, quod modo Exorcismi regularitèr fiant à Sacerdotibus, non tollitur, quin eorum potestas saltem ordinis resideat apud Exorcistas. Deindè recole, quæ supra dicebamus, determinationem scilicet materiæ, & formæ relictam esse potestati Ecclesiæ, quæ per eandem Ecclesiam potuit variari in signa magis apta ad significandam potestatem, quæ in singulis ordinibus confertur, & sic mirum non est, quod etiam munera fuerint quoquo modo variata, & sic quod præstabatur à Diaconis, modo præstetur à Subdiaconis. Non secunda deducta ex eo, quod munus legendi Epistolas non sit ex vi ordinis, sed ex præscripto Ecclesiæ; nam in primis falsum est, quod munus legendi ex officio Epistolas in Missa non sit ex vi ordinis cum ex vi ordinationis conferatur talis potestas, vt colligitur ex forma eiusdem. 8 *Respondetur rationibus primæ sententiæ.*

Habe potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, per quæ certè verba significatur aliqua ordinis potestas, quod, si Epistolæ legantur etiam ab initiatis ordinibus inferioribus, hoc non fit ex officio, sed tantum ex præscripto permissiuo Ecclesiæ. Deinde etiam dici potest, quod Calix vacuus cum Patena vacua sit quodamodo ex præscripto Ecclesiæ, quoad determinationem, non quoad substantiam. Non tertia desumpta ex Concil. Cartaginensi, & Toletano, quia vel illa Concilia referebantur ad ritum primitiuæ Ecclesiæ, in qua alia aderat materia, cum liber Epistolarum tunc non esset, vel dicta Concilia omisisse, quia supponerent. Cæterum, si dicta Concilia non meminerunt, alia expressam mentionem fecerunt. Non quarta desumpta ex eo, quod in primitiua Ecclesia liber Epistolarum non aderat; nam nec liber Euangeliorum in principio aderat, nec liber Exorcismorũ, & tamen aderat Ordo Diaconatus, & Exorcistatus, nec vllus est, qui neget librum Euangeliorum, & Exorcismorum esse respectiue materiam propriam Diaconatus, & Exorcistatus. Deindè recole,

quæ

quæ supra, & mox dicebamus fuisse in Ecclesia potestatem determinandi materias ordinum, dummodò essent in signo sensibili apto ad significandam potestatem.

9 *Etiam Calix, & Patena sũt materia huius ordinis.* Nihilominus absolutè adherendum est communiori opinioni DD. propter verba expressa præcitatorum Conciliorum, vndè retenta traditione libri Epistolarum, tanquam materia substantiali partiali dicendũ etiam porrectionem Calicis, & Patenæ vacuæ esse materiam partialem huius ordinis. Quod, si dicatur, quod nulla huius materiæ assignatur forma, respondere poteritis, quod illa verba. *Videte cuius ministerium vobis traditur, ideò vos admoneo, vt ità vos exhibeatis, vt Deo placere possitis*, habeant rationem formæ, nam licet non concipiantur modo imperatiuo, sicuti concipiuntur formæ cæterorum ordinum, sed modo indicatiuo, apta tamen sint, prout coniunguntur cum tali porrectione ad significandam potestatem tangendi vasa sacra, eaque ministrandi in sacrificio Missæ.

10 *Assignatur forma huius ordinis.* Hactenus quoad materiam Ordinis Subdiaconatus. Nunc breuitèr de forma eiusdem. Pro quo relatiuè ad præcedentia aduerto, quod, cum duplex assignetur materia propria, & substantialis, pro materia porrectionis Calicis, & Patenæ vacuæ admitti possint pro forma illa verba, mox recitata. *Videte cuius ministerium vobis traditur. Ideò vos admoneo, vt ità vos exhibeatis, quod Deo placere possitis*, iuxta modum mox expositum, ità tamen, vt illa verba: *Videte cuius ministerium vobis traditur*, solummodò sint substantialia, sequentia verò sint tantum hortatoria, non substantialia, pro materia verò traditionis libri Epistolarum forma propria sint illa verba. *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei tam pro viuis, quam pro defunctis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.*

11 *Inuocatio Sanctissimæ Trinitatis nõ est de substantia huius formæ.* Hic solummodò oritur aliqua difficultas, an inuocatio Sanctissimæ Trinitatis sit de substantia huius formæ. Negatiuè respondendum est, nam tota significatio potestatis collatæ habetur per præcedentia verba, quæ id efficiunt, quod significant, & illa Sanctissimæ Trinitatis inuocatio est ad benedictionem ordinati, vndè in *quæstionibus de Sacramentis in genere* solum inuocationem expressam Sanctissimæ Trinitatis docuimus esse de substantia Sacramenti Baptismi, quia Sanctissima Trinitas est fundamentum nostræ Fidei, quod debet imprimi in primo ingressu Ecclesiæ per Baptismum.

ARTICVLVS IV.

In qua actione imprimatur caracther Subdiaconatus.

SVMMARIVM.

In sententia constituente materiam adæquatam huius ordinis in solo libro Epistolarum, caracther imprimitur in prolatione vltimæ sillabæ formæ eiusdem. 1.

In sententia constituente in solo Calice cum Patena imprimitur in vltimo signo prolationis formæ eiusdem. 2.

In sententia tutiori constituente materiam in vtroque sententia asserens imprimi in traditione Calicis. 3.

Secundum hanc tutiorem sententiam imprimitur in traditione Calicis. 4.

Specialis ratio pro hac sententia. 5.

HÆc etiam difficultas dependet à præcedenti, si etenim adæquata materia consistat in sola porrectione Calicis cum Patena vacua alijs omnibus exclusis à ratione talis materiæ, certum est, quod caracther imprimatur in prolatione vltimæ sillabæ formæ eiusdem supposito, quod illa verba: *Videte cuius ministerium vobis traditur*, sint forma, si verò adæquata materia sit sola traditio libri Epistolarum, tunc infallibiliter caracther imprimetur in prolatione vltimæ sillabæ formæ eiusdem, cum tunc habeatur perfecta significatio eiusdem. Si verò in vtraque materia consistat, tunc maior adest difficultas; nam congruè non videtur dici, quod partim imprimatur in vna, partim in alia, cum etenim caracther cuiuscunque ordinis sit indiuisibilis non videtur posse admittere successiuam partium productionem. 1 *Sententia asserens imprimi in sola collatione Calicis.* 2 *Sententia asserens imprimi in traditione libri.*

Retenta hac sententia duplicis materiæ communior sententia asserit caractherem imprimi in traditione Calicis vacui *D. Thomas in 4. distinct. 25. quæst. 1. ad secundum. Valentia tom. 4. disp. 9. quæst. 1. punct. 5. Henriquez de ordine cap. 13. n. 4. Vasquez in tertia part. tom. 3. disp. 238. c. 5. Conincbus de Sacram. disp. 20. dub. 7. n. 69. Molfesius in summa tom. 1. tract. 2. cap. 8. num. 16.*, & ad hoc asserendum pluribus rationibus mouentur, primò, quia ex *D. Thoma tertia part quæst. 37. art. 4. ad tertium in addit.*, porrectio Calicis vacui est materia principalis, traditio verò libri Epistolarum solum materia secundaria, caracther autem imprimi debet in actione principaliori, non in secundaria. Secundò, quia cum omnes ordines dirigantur ad confectionem Eucharistiæ, tanquam 3 *Sententia asserens etiam in suppositione, quod materia in vtraque consistat imprimi in traditione Calicis.*

ad

ad vltimum finem, quando aliquis ordo consistit in duplici actione, & habet duplicem materiam, in ea actione, & porrectione illius materiæ congruum est, vt imprimatur caracther, quæ proximius accedit ad confectionem eiusdem Eucharistiæ, magis autem ex se patet accedere ad Eucharistiam ministratio vasorum sacrorum, quam legere Epistolam. Ad hoc etiam plurimum conferunt, quæ habet *Eugenius IV. in decreto fidei*, post vltimam sessionem *in Concil. Florentino, §. sextum Sacramentum*, vbi asserit Subdiaconum ordinari per traditionem Calicis vacui.

Neque obesse possunt, quæ diximus *part. 1. de Ordine in communi q. 5. art. 7.*, nempè illa verba: *Videte cuius ministerium*, non habere propriè rationem formæ, ac proinde tunc non imprimi caractherem; Non, inquam, obesse possunt, quia ibi suppositiuè, & recitatiuè procedebamus. Cæterum nunc ex professo, & medulitus rem considerantes iuxtà tutiorem sententiam constituentem in vtroque materiam absolutè asserimus, caractherem imprimi in traditione eiusdem Calicis vacui, non
4 *Hac sẽtentia præfertur.* propter rationes, quæ fuerunt adductæ pro hac opinione, cum habeant validas, & efficaces exceptiones, sed propter hanc vnicam, quod iuxtà hanc sententiam per traditionem talis Calicis vacui cum illis allegatis verbis confertur aliqua potestas ordinis, non enim efficacia eius formæ cum materia remanere potest suspensa; ergo tunc verè imprimitur caracther, in quo fundatur illa potestas; non enim potest esse potestas ordinis sine caracthere. Quod, si dicas, quod etiam in traditione libri Epistolarum cum debita forma conferatur aliqua ordinis potestas, ergo vel conferretur duplex caracther in ordine Subdiaconatus, quod non videtur dicendum, cum caracther in vnoquoque ordine consistat in qualitate indiuisibili non patiente magis, & minus, vel potius imprimitur in vltima actione, qua traditur liber Epistolarum, cum tunc ponatur complementum ordinationis. Si, inquam, hoc dicas; statim
5 *Specialis ratio pro tali sententia.* impugnaberis; quia supposito, quod in traditione Calicis vacui conferatur aliqua potestas ordinis ex necessitate debet imprimi caracther, cum illa sine isto non possit subsistere, & licet etiam in traditione libri Epistolarum conferatur potestas, hæc radicatur in caracthere antecedentèr posito, & solum eidem superaddit quandam extensionem per moralem habitudinem ad munus legendi ex officio in Missa solemnitèr Epistolam, ea proportionali ratione, qua diximus de Acolythatu *in hac secunda parte de ordin. in particulari quæst. 5. art. 2. circa fin.*

ARTICVLVS V.

An Calix non consecratus sit materia apta Ordinis Subdiaconatus, & an de necessitate Sacramenti requirantur Calix, & Patena simul.

SVMMARIVM.

Sententia asserens Calicem, vt consecratum non esse de necessitate Sacramenti. 1.
Sententia opposita refertur, cum suis rationibus. 2.
Hæc secunda sententia in praxi est absolutè seruanda. 3.
Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ. 4.
Sententia asserens non esse de necessitate Sacramenti requiri Calicem simul cum Patena, sed sufficere vnum, vel alterum. 5.
Opposita sententia refertur cum suis rationibus. 6.
Hæc etiam secunda sententia est in praxi amplectenda. 7.
Vtrumque item est de necessitate præcepti. 8.
Concilia ponunt non solum, quæ sunt de substantia, sed etiam, quæ comitantur substantiam. 9.
In ordinatione Sacerdotis secundum aliquos sufficit traditio solius panis, vel vini quoad valorem Sacramenti. 10.
Non currit paritas de pane, & vino in Sacrificio, ac de Calice, & Patena in Subdiaconatu. 11.

PRocedit hic titulus in suppositione, quod Calix sit materia substantialis huius ordinis, iuxta quod ex communiori sententia diximus in præcedentibus articulis.

Circa primam tituli partem duplicem inuenio opinionem ex diametro oppositam. Prima docet, Calicem consecratum non esse de necessitate Sacramenti, & esse materiam aptam huius ordinis, quantumuis non sit consecratus, atque pro hac opinione stant *Henriquez. lib. 10. cap. 5. lit. F.*, *Homobonus tract. 4. cap. 3. quæst. 19.*, licet hic parum sibi constans *tract. 4. c. 9. quæst. 75. in fine*, tradiderit oppositam sententiam tutiorem esse, & in praxi magis receptam *Molfesius in summa tom. 1. tract. 2. cap. 8. num. 23.*, *Filliutius tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 45.*, *Diana resol. mor. part. 2. tract. 4. de Sacrament. resol. 189.* Rationes plurimas pro hac adducunt. Primò, quia Ecclesia determi- 1 *Sententia asserens Calicem consecratum non esse de necessitate Sacramenti.*

nauis

nauit pro materia huius Sacramenti Calicem vacuum, nec vllibi præscripsit, hunc debere esse consecratum, ergo, quia non est de necessitate Sacramenti consecratio eiusdem Calicis, nec præsumendum est, quod Ecclesia omiserit qualitatem exprimere, sine qua validum non esset Sacramentum. Secundò, quia in Sacramento Baptismatis, v.g. regularitèr adhibetur aqua benedicta, benedictio tamen non est de necessitate eiusdem Baptismatis, vndè, si adhiberetur aqua non benedicta, validè esset collatus Baptismus, quod idem dicendum est in cæteris Sacramentis, si excipias Sacramentum Confirmationis, & Extremæ Vnctionis, in quibus de necessitate Sacramenti requiritur materia consecrata, ergo etiam in Sacramento Subdiaconatus, quamuis regularitèr adhibeatur Calix consecratus, si tamen adhiberetur non consecratus, validè hic ordo conferretur.

2 *Sententia opposita refertur cũ suis rationibus.*

Secunda opinio statuit requiri de necessitate Sacramenti Calicem consecratum adeout, si esset non consecratus, non validè hic ordo conferretur, atque pro hac opinione stant *Præpositus in cap. perlectis distinct. 25, Siluester verb. ordo 2. §. 4., Paludanus in 4. distinct. 14. quæst. 2., Fornarius de ord. cap. 2. nu. 7., Marchinus part. 6. de Subdiaconatu tract. 2. de ord. in particul. cap. 2. dub. 1. num. 3., & seqq.* Suis etiam non caret rationibus hæc opinio, quarum prima est, quia per traditionem huiusmodi Calicis confertur potestas tangendi, & præparandi vasa sacra ad conficiendam Eucharistiam, non videtur autem congruè conferri potestas tangendi vasa sacra, dum traditur vas non sacrum. Secunda, quia Calix non consecratus non distinguitur a Calice, seu vase laico, nec est idoneum instrumentum ad continendam Eucharistiam. Tertia, quia Christus Dominus in vltima cœna Calicem suo contactu sacrauit; ergo, cum Episcopus non possit suo contactu reddere Calicem sacrum, debet per Ecclesiasticas functiones illum sacrare, vt conformetur cum actione Christi Domini. Quid iam concludendum?

3 *In praxi seruanda est secũda sententia.*

Assertio I. Licet speculatiuè prima sententia videatur probabilis; in praxi tamen secunda absolutè seruanda est. Prima pars euincitur ex rationibus pro prima sententia adductis.

Secunda pars ex eo euincitur, quod in administratione Sacramentorum relicta probabili tutior pars est eligenda, & seruanda iuxta id, quod definiuit Innocentius XI. semper gloriosæ memoriæ, qui die secunda Martij 1679. damnauit propositionem illam, quæ est prima in ordine, qua dicebatur *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem relicta tutiori, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi*; Denegari autem non potest, quin tutius sit adhibere Calicem, & Patenam consecratos, quam non consecratos, siquidem nemine desceptante per illos validum constitueretur Sacramentum; per istos non ita certò, cum plerique non leuis nominis DD. contrarium sentiant, vel saltem valdè dubitent de eius valore.

4 *Soluuntur argumẽta contrariæ sententiæ.*

Nec valdè me premunt rationes contrariæ sententiæ, quandoquidem licet præferant aliquam probabilitatem, hæc tamen merè speculatiua est; in administratione autem Sacramentorum certior in praxi regula sequenda est, ne Sacramenta exponantur periculo frustrationis. In particulari ad id, quod dicitur, quod Ecclesia determinauerit Calicem nulla facta expressione consecrationis dicendum est, quod ex eo precisè, quod conferat in ordine ad conferendam potestatem tangendi vasa sacra, & ad ministrandum in Sacrificio Missæ, in quo vasa sacra requiruntur, videatur sufficienter indicare huiusmodi consecrationem requiri. Ad illud, quod subditur de materia Baptismi dicendum est non currere paritatem, quia, cum Baptismus sit Sacramentum summæ necessitatis, debuit institui in materia, quæ præsto esset omnibus, quod non militat in Sacramento Ordinis.

5 *Sententia asserens, nõ requiri de necessitate Sacramenti Calicem simul cũ Patena.*

Circa secundam partem tituli duplicem etiam inuenio sententiam extremè oppositam. Altera docet de necessitate Sacramenti non requiri vtrumque, Calicem scilicet, & patenam vacuum, sed sufficere vnum, vel alterum, atque pro hac opinione stant *Innocentius, & Rosella relati à Siluestro verb. ordo 2. quæst. 11. in fin.* Rationes pro hac opinione has arbitror esse. Primò, quia Sacrificium quoad validum esse potest in vnica tantum specie subsistere, ergo etiam quoad validum esse potest conferri potestas ad præparanda vasa per vnicam tantum speciem. Secundò, quia per huiusmodi traditionem confertur potissimum potestas tangendi vasa sacra; hæc autem potestas videtur sufficientèr tribui per traditionem vnius, vel alterius; qui enim habet potestatem tangendi Calicem, habet etiam potestatem tangendi patenam. Tertiò, quia vna, vel altera apta est ad significandam potestatem per ordinem ad Sacrificium, vtraque enim materia est ordinata ad

Sacri-

Sacrificium, nec est necesse, vt exprimantur omnia munera, ad quæ deputatur, vt videre est in omnibus ferè ordinibus, respectu quorum plura sunt munera, nec tamen omnia exprimuntur in traditione materiæ.

Altera docet, vtrumque requiri ex necessitate Sacramenti copulatiuè, adeo vt vna materia sine altera non subsistat ordo; atque pro hac opinione stant *Siluester verb. ordo 2. quæst. 11., Tabiena verb. ordo, §. 5., Henriquez lib. 10. cap. 8. lit. M.*

6 *Sententia vtrũque requirẽs.* *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 2. dub. 2.* Prima ratio huius opinionis est, quia Concilia præcipuè Cartaginense IV. *cap. 5.*, Toletanum IV. *can. 27.*, & Florentinum sub Eugenio IV. in decreto Fidei *post vltim. sess. §. sextum Sacramentum*, dum assignant materiam huius ordinis, vtrumque copulatiuè ponunt, & requirunt, non sub disiuncto, ergo quia vtrumque ex necessitate Sacramenti requiritur, dum etenim agunt de materia Sacramenti, agunt de ijs, quæ sunt necessaria necessitate Sacramenti. Secundò, quia, sicuti potestas consecrandi sub vtraque specie est indiuisibilis, & in collatione eiusdem requiritur, tam Calix plenus, quam Patena cum Hostia; ita potestas ministrandi vasa pro vtraque specie in Subdiacono sit indiuisibilis, & in collatione eiusdem vtrumque copulatiuè requiratur; Quid iam sentiendum?

7 *Hæc secunda sententia in praxi est sequenda.* Assertio II. Speculatiuè loquendo sustineri potest, vt probabilis opinio, quod sufficiat, vel Calix, vel Patena; tutior tamen est, adeoque in praxi absolutè seruanda opinio vtrumque requirens. Eisdem ferè rationibus innititur, quibus præcedens assertio, quibus additur præceptum Ecclesiasticum vtrumque præcipiens, de quo mox subdam. Hoc tamen hic vnum aduerto, quod licet in subsequentibus soluamus argumenta, quibus arguitur, non vtrumque requiri ex necessitate Sacramenti, attamen hoc præstamus ad indicandam probabilitatem contrariæ sententiæ speculatiuam, non ad euincendum in praxi ipsam seruandam esse. Quod autem in praxi hoc absolutè seruandum sit, euincitur non solum ex præallegato textu Innocentij XI., sed etiam ex communi obseruantia, ex sollicitudine Episcoporum curantium, vt vtraque materia tangatur, ex rationibus pro eadem adductis, quæ omnia non modicam vim faciunt.

Nec obstant, quæ pro contraria sententia supra afferebantur; non primum de Sacrificio Missæ; quia in primis non ita certum est, vt supponitur, quod hoc possit confici in vna solum specie; quin immo iuxta ea, quæ tradidimus in quæstionibus de Sacrificio Missæ longè certius est, quod non nisi in vtraque possit fieri; cum etenim hoc Sacrificium institutum sit, vt sit plenè rememoratiuum Sacrificij cruenti in Cruce oblati, debet esse explicitè rapresentatiuum eiusdem, quod haberi non potest, nisi per consecrationem vtriusque speciei; nam per solam panis consecrationem exprimitur solum Corpus exangue, non autem modus, quo factum est exangue, hoc est effusio Sanguinis, quæ postea fit per consecrationem vini. Deindè dato etiam, sed non concesso, quod Sacrificium possit in vna tantum specie confici, non propterea sequitur, quod possit fieri ordinatio Subdiaconi per exibitionem vel solius Calicis, vel solius patenæ. Ratio diuersitatis est, quia in primo casu supponitur potestas indiuisibilitèr collata ad vtrumque, & solum fieret diuisio in exercitio talis potestatis; in secundo non supponitur, sed tunc confertur potestas ad vtrumque, quæ proindè debet conferri per exibitionem vtriusque, cum sit in ordine ad plenè exercenda munera Subdiaconatus; & potestas ad omnia debet simul conferri.

Non secundum, quia per talem traditionem non confertur præcisè potestas tangendi vasa sacra, sed ministrandi vtramque materiam in Sacrificio; non tertium; quia vna sola materia non est apta ad expresse significanda essentialia Sacrificij.

Quod vero vtrumque requiratur ex præcepto euincitur ex Concilijs supra allegatis assignantibus tam Calicem, quam Patenam vacuam, & etiam ex consuetudine vbique recepta, & adamussim seruata magna cum sollicitudine, quæ ex alibi dictis habet vim legis obligantis sub graui. His etiam adde, quod Ecclesia, quæ ex concessione Christi Domini determinauit materiam omnium ordinum aptam ad significandam potestatem, quæ in singulis confertur, (cum ipse Christus instituerit in signo sensibili indeterminato iuxtà ea, quæ in præcedentibus dicebamus) vtrumque determinauerit ad expressius significandam talem potestatem; ea autem, quæ determinauit, intelligitur etiam præcepisse obseruanda sub graui in collatione ordinum; vndè, si omitterentur, etiamsi non inualideretur ordo, quod tamen verum non est, contraheretur grauis culpa, & con-

& congrua quidem ratione, vt expressior habeatur significatio potestatis, quæ confertur; vndè in hoc valdè solliciti sunt Episcopi in collatione huius ordinis, vt tam Calix, quam Patena tangantur.

8 *Vtrumque tamen est de necessitate præcepti.*

Nec obstare posse videntur, quæ pro contraria sententia afferebantur. Non primum deductum ex Concilijs allegatis; nam ipsa ponunt materia tam quoad substantialia, quam quoad ea, quæ comitantur substantiam, ea proportionali ratione, qua eadem Concilia, & Doctores assignantia, seu assignantes formam absolutionis dicunt hanc esse. *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & tamen de essentia formæ, & Sacramenti sunt tantum illa. *Ego te absoluo*, reliqua sunt tantum de complemento, & maiori expressione. Rursus in forma consecratoria Sanguinis dicunt consistere in illis verbis. *Hic est Calix Sanguinis noui, & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, & tamen de essentia formæ sunt tantum illa. *Hic est Calix Sanguinis mei*.

9 *Concilia ponunt non solũ quæ sũt de substantia, sed etiã quæ comitantur substantiã.*

10 Non secundum, quia in primis non defuerunt, qui assererent in ordinatione Sacerdotis panem seorsim acceptum, & ita vinum seorsim acceptum esse sufficientem huius ordinis materiam; atque hi sunt *Henriquez lib. 10. de ordine cap. 6.*, *Bartholomæus ab Angelis Dialogo 8. de materia Sacramento Eucharistiæ, §. 352.*, *Homobonus de exam. Eccl. tract. 4. cap. 9. qu. 75.*, *Tannerus in tertia part. disp. 7. quæst. 2. dub. 4. num. 99.*, hancque etiam probabilem existimat *Bonacina de Sacrament. disp. 8. quæst. vnica punct. 3. num. 3.*, qui etiam addit, quod potestas consecrandi vtramque speciem non tradatur diuisim, sed simul indiuisibilis, & sic quod collata potestate per exhibitionem vnius tantum materiæ possit in altera specie consecrare. Deindè dato etiam, quod essentialitèr, & ex necessitate Sacramenti requiratur in ordinatione Sacerdotis tam Calix cum Vino, quam Patena cum Hostia, non propterea sequitur, quod Calix, & Patena vacui simul ex necessitate Sacramenti requirantur in ordinatione Subdiaconi.

Solus panis, vel vinum est secundũ aliquos materia sufficiẽs pro Sacerdotio

11 Ratio diuersitatis est, quia Sacerdotium confertur immediatè in ordine ad sacrificium Missæ peragendum, quod vtporè rememoratiuum mortis, & passionis Christi Domini debet esse expressiuum Corporis exanguis, tum Sanguinis separati, quod haberi nequit, nisi per vtramque speciem, Subdiaconatus autem est in ordine ad præparanda vasa sacra cum potestate ea tangendi, vndè non est necessaria tanta expressio per exhibitionem vtriusque, sicuti non est necessaria traditio vini, & aquæ, cum sufficiat, quod in vltima actione, quæ est immediata ad sacrificium, nempè in ordinatione Sacerdotis fiat illa expressio; potissimum cum tradita potestate tangendi, & præparandi vas sacrum intelligatur collata potestas ad alia similia tangenda, & præparanda.

Non currit paritas de pane & vino in Sacerdotio ac de Calice, & Patena in Subdiaconatu.

ARTICVLVS VI.

De muneribus Ordinis Subdiaconatus.

SVMMARIVM.

Enumerantur omnia munera Subdiaconatus in particulari. 1.

Antiquitùs vigebat munus in Subdiaconi assistendi foribus Ecclesiæ per quas fæminæ ingrediebantur. 2.

PLura munera huius ordinis recensentur in Pontificali Romano. Plura deducuntur ex forma ordinationis eiusdem; plura ex textibus iuris canonici habentur. Primum est, aquam ad ministerium Altaris præparare, adeoque eidem in ordinatione traduntur vrceoli pleni. Secundum est proximè assistere sacrificio Missæ, & Diacono ministrare, siquidem idcircò dicitur Subdiaconus, quia Diacono subest, eique in Altaris ministerio debet deseruire. Tertium, Epistolam in Missa solemni legere, & idcircò in ordinatione eidem traditur liber Epistolarum, & profertur forma, per quam eidem confertur talis potestas, & licet hoc munus, quandoque præstent, qui non sunt tali ordine insigniti, hoc non præstant ex officio, sed ex tacita Ecclesiæ permissione. Quartum est, Calicem cum Patena in vsum sacrificij Diacono offerre; & hoc euincitur ex ipsa ordinatione, in qua eidem tangendus traditur Calix cum Patena vacuus. Quintum, Crucem in supplicationibus deferre, vt colligitur *ex cap. si Subdiaconus distinct. 35.* Sextum, pallas Altaris, & Corporalia abluere, aliaque similia præstare, vt tradunt communitèr Doctores, & signantèr *Homobonus tract. 4. de art. circa exam. ad Subdiacon. cap. 3. quæst. 19.*, & colligitur ex Pontificali Romano. Septimum, absente, vel impedito Diacono Cathechumenos instruere.

1 *Enumerantur omnia munera huius ordinis in particulari.*

2 Antiquitùs hoc etiam munus adiectum erat ordini Subdiaconatus, vt assisterent Subdiaconi in templo ad ianuas, per quas mulieres ingrediebantur, sicuti Diaconi assistebant ad ianuas, per quas masculi intrabant in templum, vt notarunt *Cardina-*

dinalis Osius *de distinct. ord. cap. 51. in fine, Michael Mediná lib. 1. de Sacram. vir. continentia cap. 12., & 13., Clemens Romanus lib. 8. constit. cap. 11.*, & per hoc contradistinguebatur munus Subdiaconorum, & Diaconorum ab illo Ostiariorum, quod isti expellebant, & expellere debebant indignos ab ingressu in Ecclesiam, Subdiaconi verò mulieribus assistebant, ne cum masculis confunderentur, & Diaconi masculis, ne in loco fæminarum adstarent. Sed hoc munus iam contraria consuetudine est abolitum, & vix Ostiarij assistunt, vt indignos à templo expellant. Vtinam adhuc hoc munus in Ecclesia Dei vigeret, non etenim tot confusiones, tot scandala orirentur quotidies cernimus in spretum sacrorum, in contumeliam Creatoris, in dedecus nominis Christiani, & in derisionem infidelium.

2 *Antiquitùs vigebat munus in Subdiaconis assistendi foribus Ecclesiæ per quas fæminæ ingrediebantur.*

ARTICVLVS VII.

De conditionibus, & dispositionibus requisitis in ordinando in Subdiaconum.

SVMMARIVM.

Conditiones plures ad hoc requisitæ remissiuè. 1.

Ætas requisita pro diuersis temporibus fuit diuersa. 2.

Modo requiritur ætas 22. annorum. 3.

Sufficit, vt vigesimus secundus annus fuerit incohatus. 4.

Priuilegia Regularium, quod possint in hac ætate à suis Prælatis dispensari. 5.

Non possunt Regulares amplius in hoc dispensare. 6.

Debet promouendus ad Subdiaconatum scire omnia, quæ pertinent ad munera talis ordinis. 7.

Item debet esse instructus de misterijs fidei, & quare. ibid.

1 *Conditiones plures remissiuè.* Mitto hic ea omnia, quæ in præcedentibus dicta sunt de requisitis, tam positiuè, quam negatiuè in initiandis sacris ordinibus in communi, quæ etiam applicari possunt ad hunc specialem ordinem; vnde præcisè me refero ad aliqua in particulari, quæ ad hunc specialem ordinem pertinent, & præcipuè relatiuè ad ætatem, ad scientiam, de quibus licet aliquid locuti fuerimus *in prima parte quæst. 3. art. 2., & 3.*, placet tamen nonnulla etiam in particulari hic restringere.

Quoad ætatem pro hoc ordine Subdiaconatus pro diuersis temporibus diuersa fuit assignata, nam tempore Sosimi Papæ admittebantur ad Subdiaconatum in decimoquarto ætatis anno, vt habetur *in cap. in singulis distinct. 77.* tempore Siricij Papæ non promouebantur ante annum vigesimum, vt habetur *in cap. quicunque distinct. eadem 77.*, tempore Concilij Viennensis pro Subdiaconis præscripta est ætas anni decimioctaui, vt refertur *in Clemene. Generale de ætate, & qualit. ord.* Sed modo *per Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 12.*, statutum est, ne quis ad Subdiaconatum promoueatur ante vigesimum secundum suæ ætatis annum, qui tamen sufficit, si fuerit incohatus, cum versemur in fauorabilibus, nec Concilium præscribat, quod debeat esse completus, vt latè probauimus *in d. prima part. quæst. 3. art. 2.*, & iure quidem meritò hanc prouectiorem ætatem præscripsit Concilium, quia, cum vinculum continentiæ sit annexum eidem ordini, & mens adolescentum sit leuissima, & nimis fragilis, voluit eisdem consulere, ne tali vinculo obstringerentur, nisi annos haberent, quibus maturè cognoscerent grauitatem vinculi, & maturiori iudicio se obligarent.

2 *Ætas pro diuersis temporibus diuersa.*

3 *Modo requiritur ætas 22. annorum.*

4 *Sufficit, vt talis annus fuerit incohatus.*

Hic oritur difficultas, an hæc ætas vigesimi secundi anni quoad promouendos ad Subdiaconatum sit etiam à Regularibus seruanda? *Hieronymus Sorbus in compendio priuilegiorum mendicantium tit. dispensatio num. 15.*, allegat priuilegium Innocentij IV. concessum Generalibus, & Prouincialibus sui ordinis, vt possent super ætate dispensare, adeo vt ex eorum dispensatione posset subditus ipsorum ordinari Sacerdos completo anno vigesimo secundo, ex quo videtur etiam sequi posse dispensare super ætate præscripta ad Subdiaconatum addens, quod Pius V. viuæ vocis oraculo anno 1566. die 23. Martij firmaret, quod Minores, vti possent in foro conscientiæ omnibus gratijs per Antecessores suos concessis, etiam si per Tridentinum fuerint reuocatæ, & quamuis Gregorius XIII. reuocarit priuilegia, quæ obstant Tridentino; attamen eadem pro foro conscientiæ mendicantibus restituit.

5 *Priuilegia Regularium, quod possint à suis Prælatis in hoc dispensari.*

Sed absolutè sentiendum est, non posse Regulares promoueri ante legitimam ætatem à Tridentino præscriptam, nec posse priuilegijs iuuari propter textum nimis expressum *Concil. Trident. sess. 23. cap. 12.* ibi: *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur priuilegijs quibuscunque quoad hoc penitus exclusis*; nec releuat renouatio facta per Pium V., nam de hac authenticè non constat, & vbi, constaret, cum sit facta solum viuæ vocis oraculo intelligi-

6 *Non possunt amplius Prælati Regulares in hoc dispensare.*

tur

tur reuocata per Gregorium XV. in sua Constitut. 27., & per Vrbanum VIII. in Constitut. incipiente. *Alias fel. recor. Gregorius XV.*, vbi reuocarunt omnia priuilegia viuæ vocis oraculo concessa.

7 *Debet scire omnia, quæ pertinent ad munera talis ordinis.* Quoad scientiam plura edidimus *d. part. 1. quæst. 3. art. 3.*, vbi signantèr pro Subdiaconatu iuxta dispositionem *Concil. Trident. sess. 23. cap. 13.*, diximus necessariam esse scientiam, qua norit omnia munera, officia, quæ pertinent ad talem ordinem. Item, cum in defectum, seu absentiam Diaconorum debeant Subdiaconi instruere cathechumenos in misterijs fidei debent esse plenè instructi de eisdem misterijs, non enim potest docere, quæ ipse nescit, &, si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Circa hæc omnia promouendus ad Subdiaconatum diligenti discussione per Episcopum, seu eius examinatores examinandus est, &, si minus idoneus, seu instructus inueniatur, repellendus est, donec &c.

ARTICVLVS VIII.

De oneribus annexis Subdiaconatui, & primo de cælibatu.

SVMMARIVM.

DD. asserentes votum continentiæ esse annexum ordini Subdiaconatus de iure diuino. 1.

Non esse de iure diuino latè probatur. 2.

Græcos post susceptos sacros ordines non posse nec licitè, nec validè nubere plerique affirmant. 3.

Contraria sententia proponitur, & probatur. 4.

Cur in Ecclesia latina irritetur matrimonium post susceptos sacros ordines, & non in Ecclesia Græca. 5.

Concilium Tridentinum agnoscit votum continentiæ non esse annexum ordine sacro de iure diuino. 6.

Soluuntur rationes oppositæ. 7.

INcipimus examinare onera, quæ huic ordini adnectuntur, quorum primum est cælibatus, de quo primo loco inquirimus, an illud onus procedat de iure diuino.

1 *Doctores asserentes votum castitatis esse de iure diuino annexũ Subdiaconatui.* Non defuerunt Doctores Catholici, qui, vt confunderent hæreticorum prauitatem contendentium nullo iure siue diuino, siue humano continentiam exigendam esse à sacris ministris, nimis acritèr, & rigidè procedentes voluerunt hoc onus à iure diuino procedere. Inter istos numerantur *Maior in 4. distinct. 24. qu. 2. per totum, Clicthoneus lib. de contin. Sacerd. cap. 4., & seqq.*, quorum aliqui addunt, quod, si hoc ius diuinum positiuum non sit, fit diuinũ naturale, ad quod probandum pluribus rationibus mouentur. Primò, quod nunquam licuit in Ecclesia Dei sacris ordinibus initiatis veneri operam dare, nec matrimonium contrahere, vt videre est *in Canonibus Apostolorum c. 15.*, & tradit *Castrensis l. 2. de hæresi verb. Sacerdotium, & Michael Medina in tract. de cælibatu*. Secundò, quia incontinentia, & matrimonium maximè Sacerdotali ministerio repugnat, quo purissimum Corporis, & Sanguinis Christi Domini sacrificium Deo offertur, & si olim etiam apud Ethnicos cautum erat, vt Sacerdotes castitatem seruarent extante apud Romanos lege à natura procedente, quæ in hæc verba canebat. *Ad Diuos adeunto castè. Potestatem adhibet opes admouento. Qui secus faxit, ipse Deus vindex erit*, & asserente *Tullio lib. 2. de legibus*. Quin etiam apud omnes gentes pudicitiam in hominibus Deo dicatis præ cæteris fuisse commendatissimam; quid erit dicendum de Sacerdotibus cultoribus veri Dei, qui non profana sacrificia dæmonibus, sed immaculatum sacrificium verò Deo offerunt?

Sed, vt asserebam, nimis acritèr isti procedunt, & vt hæreticos confundunt, 2 *Non esse de iure diuino latè probatur.* assumunt principium, quod nec probant, nec possunt probare; & extant manifesta iura, & rationes contrarium euincentia, seu euincentes; In primis Sacerdotes veteris testamenti, quinimmò nec ipse Summus Pontifex vetabantur a coniugio, nec ipse Christus Dominus aliquid circa hoc præcepit, sed cuiuslibet voluntati reliquit. Deindè Paulus Apostolus scribens ad Titum de eligendo in Sacerdotem, & Episcopum dicit. *Si quis sine crimine est vnius vxoris vir filios habens fideles &c.* Ex quibus verbis colligitur coniugatum posse ad sacros ordines assumi. Rursus, si esset de iure diuino annexum ordini Subdiaconatus votum continentiæ, nunquam fuisset licitum Subdiaconis habere vxores, quod tamen falsum esse ex pluribus comprobatur primò *ex cap. quicunque distinct. 77.*, vbi permittebantur Subdiaconis nuptiæ cum vna virgine, & *ex cap. nullus in Episcopatum distinct. 60.*, vbi dicitur, quod primitiua Ecclesia habuerit solos pro sacris ordines Diaconatum, & Presbiteratum, quia solum isti tunc habebant annexum votum castitatis. Secundò, quia in Ecclesia Græca vxorati in sacros ordines cooptati post ordinationem lege continentiæ non alligabantur, vt plurimis Summorum Pontificum, & SS. PP. testimonijs latè probat *Marchinus*

tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 8. difficult. 2. num. 2., & seqq., vbi etiam respondet ad obiecta contraria; hoc autem verificari non posset, si de iure diuino eidem ordini esset annexum onus continentiæ.

3 *Sententia docens Græcos post susceptos sacros ordines non posse nubere,* Sed, an post susceptos sacros ordines possent Græci vxores ducere, adeovt, quamuis vxorati possint ad sacros ordines assumi, non tamen possint post susceptos sacros ordines vxores ducere, lis est maxima inter Doctores. Nonnulli inter quos *Azorius instit. mor. lib. 13. cap. 14. quæst. 7., Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 28. num. 3., & seqq., Michael Medina lib. 4., Couaruuias de matrimonio part. 2. cap. 6. §. 3. num. 1. vers. Græci enim*, sentiunt Græcos post sacros ordines susceptos nec licitè, nec validè posse matrimonium contrahere, & hoc colligunt *ex cap. de Syracusanæ distinct. 28.* Sed in primis aduerto, quod *Azorius primo loco citatus*, duo dicat, vnum in assertione, nempè tam sacris ordinibus initiatum non posse contrahere matrimonium, &, si contrahat, non esse ratum, alterum in probatione, quod scilicet etiam apud Græcos Sacerdos non possit esse bigamus. Circa hæc dicta Azorij ego duo considero; primum, quod non resoluit adæquatè dubium propositum, quod est, an initiatus sacris ordinibus in Ecclesia Græca possit nubere; & ipse respondet, quod bigamus non possit esse Sacerdos. Sed quid, si ante sacros ordines vxorem non habuerit, & velit post eosdem susceptos habere? Certè in hoc casu non esset bigamus; secundum, quod non benè asserat matrimonium in Ecclesia Græca contractum post sacros ordines non esse ratum; nam textus *in d. cap. Syracusanæ distinct. 28.*, prohibet quidem matrimonium sub pæna depositionis, non tamen irritum reddit ipsum matrimonium.

Alij supponentes in Ecclesia Græca Subdiaconum posse vxorem, ne dum validè, sed etiam licitè ducere, & loquentes præcisè de Diacono, & Sacerdote plures efformant casus, sed prius supponunt, quod ordinādis in Diaconos detur optio, an velint continentiam profiteri, an verò nolint, loquendo de continentia quoad futuram vxorem; si recusent continentiam, non sunt ad ordinem Diaconatus promouendi, quod, si Episcopus non obstante tali recusatione eos ordinet,

4 *Contraria sententia proponitur, & probatur.* tunc poterunt vxorem ducere, & liberè vti Choro, prout expresè colligitur *ex cap. quicunque distinct. 28.* Ibi- *Diaconi quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione testati sunt dicentes velle se habere vxores, nec posse se continere, hi si postea ad nuptias peruenerint maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit*; Si verò non recusent continentiam, sed taceant, & recipiant manus impositionem, tunc non possunt vxorem ducere, &, si duxerint, deponuntur; hoc colligitur ex sequentibus verbis *d. cap. quicunque distinct. 28.* Ibi- *quicunque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias peruenerint, deponantur à ministerio cessare debebunt*, quod idem repetitur *in cap. Diaconis distinct. 27.* Ibi- *quod, si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit, sit alienus à ministerio, & vacet à Clero.* Ex his iuribus apertè satis colligitur huiusmodi matrimonia contracta post susceptos sacros ordines in Ecclesia Græca non esse irrita, vt malè sentiebant Doctores pro prima sententia allegati; non enim in ijs dicitur, quod matrimonia non teneant, sed quod deponantur à sacro ministerio, quod clariùs deducitur ex eo, quod dicitur *in d. cap. Diaconis distinct. 27.* Ibi- *Si verò Diaconus à ministerio cessare voluerit contracto matrimonio licitè potest vti*, ergo vtique erit validum, cæteroqui licitè eo, vti non posset. Sed quid modo seruetur in Ecclesia Græca, non est meum hic inuestigare.

Difficultas solummodò aliqua circa validitatem huiusmodi matrimonij contracti post susceptionem sacrorum ordinum præcipuè præexistente professione continentiæ videtur versari in eo, quod in Ecclesia Latina post susceptum ordinem Subdiaconatus, cui annexum est votum continentiæ, si contrahatur matrimonium, hoc omni iure irritum censetur propter idem votum castitatis præexistens per textum *in cap. 1., & 2. qui Clerici, vel vouentes cap. vt lex 27. qu. 1. cap. si quis eorum distinct. 32., & in extrauag. Ioannis XXII. de voto, & ex Concil. Trident. sess. 24. de matrim. c. 9.*, cur ergo non irritabitur etiam in Ecclesia Græca post ordines sacros susceptos cum eadem professione continentiæ? Ad hoc responderi potest, quod, cum Ecclesia Græca non receperit generale votum castitatis quoad eos, qui eandem professi fuerint, receperit solummodò sub ea pæna, vt, qui nupserit post sacros ordines cum tali professione, deponatur, vt colligitur *ex d. cap. de Syracusanæ distinct. 28.* Ibi *Orientalis Ecclesia non suscipit generale votum castitatis, hoc tamen diligenti obseruatione custodit, vt post adeptum Sacerdotium defuncta priori vxore, cum qua Sacerdos factus fuerat, si aliam duxerit, deponatur.* 5 *Cur matrimonium post susceptos sacros ordines irritetur in Ecclesia latina, & non in Græca*

MM 3 Iam

6 Iam redeo, vndè fui digressus alia ratione euincendo continentiam quoad ordines sacros à iure diuino non prouenire, & vtique deducta ex *Concil. Trident. sess. 24. cap. 9.*, vbi anathematizat omnes, qui dixerint Clericos in sacris constitutos, vel Regulares solemniter castitatem professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, vbi vides Concilium continentiam non refundere in ius diuinum, sed in legem Ecclesiasticam, & votum solemne.

Conciliũ Tridentinum agnoscit hoc votum non esse de iure diuino.

7 Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur. Non primum, quia apertè constat non semper in Ecclesia Dei quoad initiatos sacris ordinibus viguisse onus continentiæ, cum non solum apud Græcos, sed etiam apud Latinos vsus fuerit vxorem ducere, vt latè probauimus in præcedentibus, & infra latius probabimus. Non secundum, quia licet continentia, & perfecta castitas valdè conferat ad congruè sacrum ministerium peragendum, non est tamen à Deo præcepta, cum nec in veteri testamento viguerit, nec semper in nouo, & Deus Optimus Maximus se accommodans ex beneplacito suæ voluntatis conditioni hominum exegit quidem puritatem quoad maculas læthales, ne scilicet sancta impiè tractarentur, non autem puritatem quoad vsum coniugalem saltem sub præcepto, nec vsus ethnicorum quidquam euincit, quandoquidem isti declinantes à veritate, & aberrantes à veræ Religionis cultu, quandoque onera importabilia imponebant, quandoque adimplenda relaxabant, quandoque superstitiosa inducebant, quandoque sancta aspernabantur; vndè ex oneribus, quæ ipsi imponebant, non est arguendum ad onera iure diuino imposita.

Soluuntur rationes oppositæ

ARTICVLVS IX.

An Subdiaconus teneatur ex voto ad continentiam seruandam, an tantum ex Ecclesiæ præcepto.

SVMMARIVM.

Ex Concil. Trident. videtur argui Clericos sæculares obligari ex lege Ecclesiastica, Regulares verò ex voto. 1.

Votum ex natura sua debet esse voluntarium, & liberum. 2.

Plures casus distinguuntur. 3.

Puer ante vsum rationis promotus ad sacros ordines non tenetur ad continentiam nec ex voto, nec ex præcepto, nisi postea acquisito vsu rationis continentiam promittat. 4.

Si continentiam non promittat priuatur vsu ordinis suscepti. Ibid.

In puero ante vsum rationis nec est voluntarietas in se, nec in causa. 5.

Præceptum Ecclesiæ est conditionatum, si voluerit ordinari. 6.

Vbi peruenerit puer ad vsum rationis, & ordinem susceptum approbauerit, tenetur ad continentiam ex voto. 7.

Factus compos rationis, si sciens ordinem exercuerit, tenetur seruare continentiam. 8.

Si ignorans exercuerit, non tenetur ad illam. 9.

Adultus promotus, si consenserit tam in susceptione ordinis, quam in annexis tenetur ad continentiam ex voto, si consenserit in substantiam ordinis, & non in onera annexa tenetur ad continentiam ex præcepto. 10.

Quomodo cohæreat voluntarietas, quæ sequitur in voto cum præcepto. 11.

Discrimen inter votum solemne in professione, & votum in ordine. 12.

Adultus promotus per vim ad ordines sacros non tenetur ad continentiam nec ex voto, nec ex præcepto. 13.

Promotus per vim non tenetur. 14.

Adultus habens vxorem, si per metum cadentem in constantem virum sacros ordines susceperit vxore non consentiente non tenetur ad continentiam, nec ex voto, nec ex præcepto. 15.

Si per talem metum ordinatus fuerit vxore consentiente potest adhuc vti consortio illius. 16.

Si vxorem non habuerit promotus per talem metum potest ipsam ducere. 17.

Promotus ad sacros ordines cum ignorantia oneris continentiæ obligatur ad eandem seruandam ex præcepto Ecclesiæ. 18.

Non tenetur in hac hypothesi ex voto. 19.

CVm *Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9.* anathematizet eos, *qui dixerint, Clericos in sacris constitutos, vel Regulares solemnitèr castitatem professos posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto*, videtur satis clarè innuere ex vi ordinum sacrorum obligationem continentiæ non ex voto, sed ex lege dumtaxat Ecclesiastica prouenire; Duo etenim in dicto Canone distinguit, & Clericos in sacris constitutos, & Regulares solemnitèr castitatem professos; dum igitur postea subdit *non obstante lege Ecclesiastica, vel voto*, primum nempè *non obstante lege Ecclesiastica*, refert ad primos, nempè ad Clericos in sacris constitutos; secundum nempè, *vel voto* refert ad secundos, nempè ad Regulares solemnitèr castitatem professos, cæteroqui incongruè vtrumque dixisset, nempè non obstante lege 1

Dispositio Concil. Trid

Eccle-

Ecclesiastica, vel voto, si vtrique ex voto obligarentur.

2 *Votum ex natura sua debet esse voluntariũ & liberum.* Hoc etiam clariùs deducitur ex natura voti, quod ex necessitate debet esse voluntarium, liberum, & de consilio, quale non esset, si ex Ecclesiæ præcepto proueniret; vndè asserendum videtur, quod obligatio consurgat solum ex Ecclesiastica constitutione Ordinatis in sacris continentiam præcipiente, & quemcunque vsum venereum illis prohibente.

Verùm, quia communitèr Doctores statuunt sacris initiatum teneri ad continentiam ex voto implicito imbibito in eisdem sacris ordinibus, vt signantèr *D. Thomas in 4. distinct. 37. qu. 1. art. 1., Caietanus tom. 1. opusc. tract. 27. quæst. vnica vers. quoad secundum, Sotus lib. 7. de iust. quæst. 4. art. 2., & quæst. 5. art. 3. ad secundum, Medina de sacrorum virorum continentia lib. 5. cap. 2., Azorius mor. institut. lib. 13. cap. 12. quæst. 6., & Theologi communitèr*, ideò hic inquirimus, quomodo hoc saluari possit stante natura voti, & dispositione Concilij Tridentini supra allegata.

3 *Plures casus distinguuntur* Vt clarius hac in re procedamus, plures casus distinguimus, vel enim sacris ordinibus initiati sunt pueri ante vsum rationis, vel adulti, si adulti, vel voluntariè recipiunt ordinem sacrum, vel per vim, vel per metum cadentem in constantem virum, vel per ignorantiã; si voluntariè, vel voluntarietate adæquata, scilicet relata tam ad substantiam ordinis, quam ad annexa, vel voluntarietate inadæquata, relata scilicet ad substantiam ordinis, non autem ad annexa. Rursus, si per metum cadentem in constantem virum, vel iam est vxoratus, quando promouetur, vel non est vxoratus; si est vxoratus, & non inuitus recipit ordines sacros, vel recipit consentiente vxore, vel ea dissentiente, & inuita. In ordine ad omnes hos, & similes casus titulus dissoluetur.

Assertio I. Puer ante vsum rationis promotus ad sacros ordines non tenetur

4 *Quid sentiendum sit puero ordinato ante vsum rationis* ad continentiam nec ex voto, nec ex præcepto Ecclesiastico, nisi postea cum ad ætatem peruenerit, continentiam perpetuam promittat, quam, si non promittat, priuatur vsu ordinis suscepti. *Sotus in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 2., Maior in 4. distinct. 24. quæst. 2. in quinto argumento, Abbas in cap. 1. de Cler. per salt. promoto*, vbi citat per hac sententia *Hostiensem, Innocentium, & Archidiaconorum, Azorius institut. mor. part. 1. lib. 13. cap. 14. quæst. 9., Paludanus in 4. distinct. 25. quæst. 3. art. 1. ad fin.*, qui tamen sibi parum constans *in 4. distinct. 37. quæst. 1. art. 2. concl. 3.*, contrarium docuit quoad præceptum Ecclesiasticum; asserit enim ex lege Ecclesiastica teneri castitatem perpetuis temporibus seruare. Contra nostram tamen assertionem saltem quoad legem Ecclesiasticam stant *Bernardus in cap. 1. de Cler. per salt. promot., Riccardus in 4. distinct. 25. art. 4. quæst. 2. ad tertium*.

Ratio primæ partis quoad votum ex eo deducitur, quod puer sic ordinatus nec voluntariè in se, nec voluntariè in causa voluit ipsam continentiam, ergo ex voto ad illam seruandam non tenetur, quandoquidem cum votum debeat esse voluntarium sublata voluntarietate absolutè nec tenet, nec obligat. Antecedens non videtur pati difficultatem, cum etenim in susceptione talis ordinis non esset compos rationis, nec potuit velle continentiam liberè, nec ordinem, ergo nec voluntariè in se, nec in causa votum habuit illius continentiæ, adeoque ex voto ad illam non obligatur. 5 *Non est voluntarietas nec in se, nec in causa.*

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod præceptum Ecclesiasticum de continentia seruanda respectu promotorum ad sacros ordines, non est absolutum, sed quodamodo conditionatum, si voluerint scilicet ad sacros ordines promoueri, & liberè in illos consenserint; cæteroqui posset Ecclesia inuitos promouere, & ipsos ad continentiam nolentes coarctare, quod nemo dicat asserente Apostolo. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*; sed de pueris vsu rationis carentibus, non potest dici, quod sacros ordines voluerint, nec quod in illos liberè consenserint, ergo illo præcepto Ecclesiæ non obligantur. Neque obstat, si dicatur, quod caractherem ordinis receperint; statuto autem Ecclesiastico obstringuntur quicunque caractherem sacrorum ordinum receperint. Non obstat, inquam, quia ad obligandum ad continentiam non sufficit, quod quis caractherem receperit, sed requiritur, quod illum voluntariè receperit. 6 *Præceptum Ecclesiæ est conditionatum.*

Dixi, *nisi postea cum ad ætatem peruenerit castitatem perpetuam promittat*, nam, si tunc eandem profiteatur, nulli dubium quin ex tunc obligetur ad obseruantiam eiusdem, & hoc non solum ex præcepto Ecclesiastico, sed etiam ex voto, quod tunc intelligitur poni ex voluntate eiusdem assentientis. Quod, si supponas, quod cum peruenerit ad legitimam ætatem, absolutè dissentiat oneri continentiæ; tunc absolutè priuabitur vsu ordinis suscepti; nam, qui non vult onera ordini annexa, ad quem promotus est sine præuia cognitione, æquum non est, vt gaudeat beneficio, & ministerio ordinis, cuius onera recuset subire. Si verò supponas, 7 *Acquisito vsu rationis, & approbato ordine tenetur ex voto.*

ponas, quod, cum peruenerit ad legitimam ætatem, neque consentiat, neque dissentiat oneri continentiæ; tunc considerandum est, an sciens exercuerit ordi-
8 nem susceptum, vel ignorans; si sciens exercuerit, quãtumuis habeat dissensum ad continentiã, tenebitur ad eandem seruandã, non quidẽ ex voto, sed ex præcepto Ecclesiæ, quia, qui vult principale, debet velle, quæ eidem adnectuntur, vel saltem coarctatur ad illã seruandam; si ignorans (quod tamen vix credi potest) ex tunc non obligabitur, vt infrà vberius dicam; sed, si postea norit obligationem continentiæ annexam, & nihilominus adhuc in exercitio illius ordinis perseuerauerit, & tunc obligabitur iuxta mox dicta.

Pactus compositionis si sciens ordinem exercuerit, tenetur ad continentiã.

Assertio II. Si adultus promotus ad
9 ordines sacros consenserit voluntarietate adæquata tam relata ad substantiam ordinis, quam ad onera eidem annexa obligatur ad continentiam seruandam ex voto; si verò voluntarietate inadæquata, nempè relata ad substantiam ordinis, sed inuoluntarietate positiua relata ad onera, tunc tenebitur ad eandem seruandam ex præcepto Ecclesiæ, sed non ex voto. Ita quoad primam partem
10 *D. Thomas in 4. distinct. 37. quæst. 1. art. 1., Sotus lib. 7. de iust. quæst. 4. art. 2., Nauarrus in man. cap. 22. nu. 52., Azorius instit. mor. part. 1. lib. 13. cap. 12. quæst. 6., Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 21., Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. quæst. 2. num. 10., & tom. 2. in Decalogum lib. 1. cap. 6. num. 2., & 3., Vasquez tom. 3. in tertiam partem disp. 249. cap. 2., & 3., Basilius Pontius lib. 7. de matrim. c. 27. n. 7.* quidquid ex aduerso dixerint *Paludanus in 4. distinct. 37. qu. 1. art. 2. num. 14., Gregorius de Valentia tertia part. disp. 9. quæst. 5. punct. 5. §. 1., & alij*. Quoad secundam partem *Sanchez d. disp. 27. quæst. 2. num. 11., Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 8. difficult. 6. num. 8.,* quidquid ex aduerso dixerit *Homobonus tract. 4. de art. circa examen ad Subdiacon. cap. 3. quæst. 28.,* volens obligari ex voto tacito, & implicito.

Secus, si ignorans

Quid sentiendum sit de adulto promoto cũ voluntarietate mixta.

Probatur prima pars *ex cap. nullum dist. 28.* Ibi *nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit*, vbi nota illud verbum *promiserit*, quod importat propriè voluntatis actum, & propterea votum, quod idem clarius habetur *in cap. assumi ead. dist. 28., & cap. Diaconi ibidem*, ibi *Professi continentiam*; quæ important voluntariam continentiæ professionem.

Neque obstare potest, quod votum debeat esse ex sui natura de consilio, & voluntarium, non ex præcepto, vt suprà
dicebamus; cum igitur talis professio ab 11
Ecclesia præcipiatur non potest esse ex voto. Non, inquam, obstare potest, quia, sicut ex propriæ voluntatis arbitrio suscipit ordinem Subdiaconatus, sic etiam spontè, & liberè suscipit illud continentiæ onus; vndè aduertendum est, quod, vt suprà innuebam, non absolutè præcipiat castitatem, cum hæc sit de consilio, sed ex suppositione, quod quis velit ad ordinem Subdiaconatus promoueri; Quamobrem, qui liberè vult promoueri, vult etiam liberè obligari ad onera, quod satis est ad saluandum votum, cum hoc sit voluntarium in causa. Hinc communitèr tradunt Doctores, quod promotus ad ordinem Subdiaconatus, si violet castitatem, non solum peccat contra castitatem, sed etiam contra Religionem ratione voti.

Quomodo cohæreat voluntarietas voti cũ præcepto.

Neque item obstat, quod supra ex Concil. Trident. afferebatur, nempè Concilium referre legem Ecclesiasticam ad Clericos in sacris constitutos, & votum solummodò ad Regulares, qui castitatem solemnitèr vouerint, vt constare videtur ex contextu verborum *in d. sess. 24.*
can. 9. Non, inquam, obstat, quia in 12
primis per lij *non obstante lege Ecclesiastica* sumit Concilium originem talis voti, quæ est ex lege Ecclesiastica, antequam illud votum non aderat; & per ipsam præscriptum est, vt quicunque voluerit beneficium ordinationis Subdiaconatus debeat tale votum saltem implicitè profitendo continentiam elicere, & in hoc procedit discrimen, quód intercedit inter hoc votum, & votum solemne Religionis, seu in Religione emissum, quod illud est impositum ex lege Ecclesiastica, hoc verò ex simplici propriæ voluntatis arbitrio nullo præcedente præcepto. Deindè, vt notat *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 13. cap. 12. quæst. 6. vers. mihi tamen magis placet* lij *Ecclesiastica lege*, non refertur ad Clericos in sacris quomodocunque constitutos, sed ad eos dumtaxat, qui volentes ordinem nolunt onus castitatis subire, qui non voto propter defectum voluntatis, sed Ecclesiastica lege obstringuntur, & per hoc probatur secunda pars assertionis nostræ, vt mox ostendam. Cæterum idem Azorius sic distinguit. Qui spontè, & scientèr sacros ordines suscipit nulla existente voluntate repugnante oneri continentiæ votum eiusdem emittit expressum vel saltem tacitè; qui verò, vel per metum cadentem in constantem virum, vel voluntate repugnante eidem oneri, non ex voto obstringitur, sed ex Ecclesiastica lege. Hinc

Discrimen inter votũ solemne in Religione, & votum castitatis in ordine.

Pro-

Probatur secunda pars assertionis; non potest subsistere votum, nisi sit implicitè saltem, si non explicitè volontarium, sed existente voluntate repugnante eidem oneri non potest esse quoad idem voluntarium, nec explicitè, nec implicitè, ergo nequit de eodem esse votum, ergo obligatio, quæ consurgit non erit ex voto, sed ex lege Ecclesiastica sic obligante; neque dicas, voluntarietatem ad principale sequitur voluntarietas eius, quod est eidem principali annexum, sed sic ordinatus voluntarietatem simplicitèr habet ad principale, ergo saltem implicitè ad accessorium, seu ad connexum cum ipso; contrà enim impugnaberis, quia axioma illud, quod annexum sequatur conditionem sui principalis verificatur solum, quando est annexum, vel ex natura sua, vel ex iure diuino, non autem, quando solum lege Ecclesiastica, vt in casu nostro, in quo potest velle principale, & nolle annexum, per quod annexum non destruitur principale, cum hoc subsistat in se sine tali annexo.

13 *Quando positiuè disentit à voto obligatur ex præcepto.*

14 *Promotus per vim nullo modo tenetur.*

Assertio III. Adultus, qui per vim absolutè promouetur ad ordines sacros, nec ex voto, nec ex lege Ecclesiastica obligatur ad continentiam *Azorius instit. mor. part. 1. lib. 13. cap. 14. quæst. 8.*, *Silnester verb. Ordo 4. quæst. 1.*, *Angelus eodem verb. Ordo 3. quæst. 25.*, *Glosa, & Doctores in cap. maiores, §. vltima de Baptismo*.

Ratio est, quia huiusmodi onus, nec consurgit ex Ecclesiæ præcepto, nec ex voto proprio sic ordinati; non ex præcepto Ecclesiæ, quia Ecclesia non obligat, nisi suscipientes ordines sacros, sed sic ordinatus non recipit ordinem sacrum, nec eius caractherem, quia in adulto ad validè suscipiendum ordinem requiritur intentio saltem habitualis; qui autem per vim ordinatur nullam habet intentionem quin potius intentionem repugnantem susceptioni, ergo non validè suscipit ordinem, nec caractherem eiusdem; non ex voto, nam, si non habet intentionem ordinem suscipiendi, multo minùs supponitur habere intentionem ad onera annexa tali ordini ex dispositione Ecclesiastica. In hoc neminem arbitror dissentire.

15 *Habens vxorem promotus per metum grauem vxore dissentiente non tenetur.*

Assertio IV. Adultus, qui per metum cadentem in constantem virum sacris ordinibus initiatur, si vxorem ante tales ordines habuerit, & hæc non consenserit, certum est, quod nec ex voto, nec ex præcepto Ecclesiæ teneatur cum illa castitatem seruare; si verò illa consenserit, nec ipse tenetur abstinere ab illius contubernio; si verò antecedentèr vxorem non habuerit, probabilius potest adhuc vxorem ducere. Quoad primam partem omnes consentiunt. Quoad reliquas consentiunt *Glosa in cap. maiores verb. conditionalitèr de Baptismo*, *& in cap. vbi ista distinct. 74.*, *Maior in 4. distinct. 24. quæst. 2. ad argumentum quintum*, *Riccardus in 4. distinct. 25. art. 4. quæst. 2. ad tertium*, *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 13. cap. 14. quæst. 8.*, dum etenim isti omnes statuunt, quod sic ordinatus possit nubere, à fortiori sequitur, quod possit, vti coniuge, quam antecedentèr habebat.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod etiam, si ipse consenserit omninò liberè in susceptionem sacrorum ordinum non consentiente vxore, quam antecedentèr habebat, non potest se eximere ab obligatione reddendi illi debitum, quandoquidem per matrimonium illa acquisiuit plenum ius in corpus mariti, quo iure priuari nequit sine sua culpa, & sine suo consensu, nec Deus acceptat rem iure diuino, & naturali alteri obligatam sine consensu eius, cui est obligata, ergo à fortiori non poterit se eximere ab illa obligatione, si ipse non omninò liberè, sed per metum cadentem in constantem virum consenserit in illam ordinum sacrorum receptionem.

Ratio secundæ partis ex eo desumitur, quod, quantumuis vxor consenserit, ipse tamen non liberè omninò consensit in illam ordinum susceptionem, ergo ipse non priuatur iure, quod habet in corpus vxoris, quod enim mutuo consensu libero contractum est, nonnisi mutuo consensu libero potest quoad vsum dissolui. Ne que obstat, si dicatur, quod ipse quoque consenserit, cum metus etiam cadens in constantem virum non tollat absolutè voluntarium, cæteroqui inualida omninò foret talis ordinum susceptio, quod, si verum esset, non esset locus huic quæstioni; Quod autem talis metus non tollat absolutè voluntarium arguitur *ex cap. meritò quæst. 1.*, vbi dicitur, quod voluntas coacta per metum sit verè voluntas. Non obstat, inquam, quia licet talis metus non tollat absolutè, & simplicitèr voluntarium, & voluntas coacta per metum sit verè voluntas; non est tamen talis, vt sufficiat ad saluandum votum, seu vt votum possit subsistere, & obligare; nam aliqua sunt, quæ contenta sunt quacunque voluntarietate, aliqua, quæ exigunt omnimodam, & plenam libertatem; in primò genere sunt Baptismus, & receptio caractheris in ordinibus; in secundò genere sunt alia, & signantèr votum per ea, quæ habentur *in cap. perlatum, & c. cum dilectus de his, quæ vi, metusque caus. fiunt*, & præ-

16 *Si promotus fuerit per talé metum vxore consentiente potest adhuc eadem vti.*

Votum exigit omnimodam libertatem in vouente

& præcipuè quoad votum continentiæ habetur *in cap. integritas 32. quæst. 2. cap. ante triennium distinct. 31., & cap. præsens 20. quæst. 3.*

17 *Promotus per grauem metum potest uxorem quam nō habet ducere.*

Ratio tertiæ partis ex ijs desumitur, quæ modo dicebamus, quod scilicet votum ad obligandum exigat omnimodam libertatem in vouente, vt etiam euincitur *ex cap. 1. de his, quæ vi, metusque causa fiunt*; non compatitur autem cum omnimoda libertate metus cadens in constantem virum, nam licet hic non tollat voluntarium simplicitèr, minuit tamen de libertate. Neque dicas, hanc rationem quidem euincere, quod non obligetur ex voto ad abstinendum à nuptijs; non autem euincere, quod non obligetur ex præscripto Ecclesiæ, quæ ad obligandum non exigit plenissimam libertatem, sed illam dumtaxat, quæ requiritur ad validè recipiendum ordinem; contra enim impugnaberis, quia in ijs, quæ merè iuris Ecclesiastici sunt, talis metus est sufficiens ad deobligandum, cum Ecclesia pia mater non præsumatur velle obligare cum tanto onere; sic Ecclesia obligat ad audiēdum sacrum pro diebus festis, si tamen adsit periculum grauis damni, ex quo consurgat metus grauis, cessat huiusmodi obligatio, & hoc constat in alijs similibus.

Soluitur argumentum deductū ex c. de Iudæis dist. 45.

Dices *ex cap. de Iudæis distinct. 45.*, si Iudæi per metum cadentem in constantem virum sacro fonte Baptismatis abluātur, Religionem, & legem Christianam seruare compelluntur, eo quod caractherem Baptismatis susceperunt, ergo etiam ordinati per metum cadentem in constantem virum, cum caractherem ordinis receperint, compellentur ea, quę ordini sunt annexa, seruare; si enim, vt notat *Sotus lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 5. ad finem*, illi Baptizati ad fidem coguntur, propterea quod caracthere sunt insigniti, certè, & isti ad onera ordinis cogentur, cum caracthere ordinis sint decorati; certè grauius est onus seruandi totam legem Ecclesiasticam, ac præcisè seruandi castitatem. Sed contra, quia ad seruandam legem Christianam post susceptum Baptismum oritur obligatio ex iure diuino, à cuius obseruantia non potest eximere metus cadens in constantem virum, cum ea, quæ sunt iuris diuini, sint seruanda, etiam si mundus periret; obligatio verò seruandæ continentiæ post susceptos ordines sacros est tantum de lege Ecclesiastica, quæ ex genere suo non obligat cum tanto onere, & tot periculis, vt suprà dicebamus.

Assertio V. Promotus ad sacros ordines cum ignorantia obligationis continentiæ obligatur ad eandem seruandam non quidem ex voto, sed ex Ecclesiæ præcepto. Quoad obligationem ferè omnes consentiunt; sed, an sit ex voto, an verò ex Ecclesiæ præcepto, discrepant inter se Doctores *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 27. quæst. 2. num. 11.*, *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 13. cap. 14. quæst. 10.*, sentiunt obligari ex voto implicitè imbibito in ipsa susceptione ordinis liberè voliti. *Marchinus verò tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 8. diffic. 6. num. 8.*, sentit obligari dumtaxat ex lege Ecclesiastica, cui nos in hoc adhæremus.

18 *Promotus ad sacros ordines cū ignorantia oneris castitatis tenetur ex præcepto ad illam seruandam.*

Probatur primò de obligatione seruandi continentiam in genere. Quia Ecclesia absolutè obligat liberè, & scientèr recipientes sacros ordines ad eandem continentiam seruandam siue scientes, siue ignorantes talem obligationem, ergo volens scientèr, & liberè ordinem sacrum obligabitur ad eandem continentiam, quantumuis fuerit ignarus eiusdem obligationis. Dixi *liberè, & scientèr recipientes sacros ordines*, nam, si ignorantia non versaretur præcisè circa obligationem annexam, sed etiam circa substantiam ordinis, quatenus nesciret se ordinem sacrum recipere, tunc certè non obligaretur ad eandem continentiam seruandam, cum non susciperet voluntariè sacrum ordinem, & in hoc promotus pariformaretur puero ante vsum rationis promoto ad sacros ordines.

19 *Non autem ex voto*

Probatur secundò, quod talis obligatio non sit ex voto, quia votum, vt obliget, debet esse omninò voluntarium, sed cum ignorantia non compatitur voluntarietas, quia voluntarium præsupponit præuiam cognitionem eius, quod vouetur, ergo obligatio illa non potest esse ex voto. Deindè ad hominem, contra *Sanchez d. disp. 27. quæst. 2. nu. 11.*, sic arguo. Ipse statuit, quod, si quis in sacra ordinatione nolit castitatem vouere, non obligetur ex voto ad illam seruandam, ergo neque ex voto obligabitur ad illam seruandam, qui inuincibilitèr in susceptione sacri ordinis ignorat eidem esse annexam castitatem. Consequentia hæc probatur, quia in tantum in casu antecedentis admissi per ipsum Sanchez non obligatur ex voto, quia non est voluntarietas ad illud, sed etiam in casu consequentiæ non adest hæc voluntarietas, quia nihil potest esse volitum, quin præcognitum, ergo, si in primo casu non obligatur ex voto, neque ex eodem obligabitur in secundo. Neque dicas in primo casu, non solum non esse voluntarietatem, sed positiuam repugnantiam ad eandem; in secundo autem non esse hanc repugnantiam, quia potius

indiferentiam ad volendam, vel nolendam eandem continentiam, & sic potius præsumi pro voluntate. Contra enim impugnaberis, quia ad rationem voti non solum requiritur non repugnantia positiua ad ipsum, sed etiam positiua voluntarietas, quæ stare non potest cum ignorantia.

ARTICVLVS X.

Ex quo habeatur, quod votum continentiæ in sacris ordinibus dicatur solemne, & quomodo dirimat matrimonium.

SVMMARIVM.

Rationes, ob quas votum emissum in professione Religiosa dicatur solemne. 1.
Hæ rationes non militant pro voto in sacra ordinatione. Ibidem.
Ratio formalis, ob quam hoc dicitur solemne, non est, quia dirimat matrimonium. 2.
Dicitur solemne, quia coniugitur ex præscripto Ecclesiæ cum actu solemni ordinis. 3.
An inhabilitas ad matrimonium ex eo consurgens proueniat ex voto, an verò ex Ecclesiæ ordinatione, sententiæ oppositæ referuntur. 4.
In casibus, in quibus consensit tum in substantiam ordinis, quam in annexa irritatur radicalitèr ex lege Ecclesiæ, formalitèr ex voto. 5.
In casibus, in quibus non consensit in annexa, inhabilitas oritur solum ex lege. 6.

1 *Rationes, ob quas votum emissum in professione dicatur solemne.* VOtum in professione emissum in Religione approbata ex multis capitibus elucet esse solemne, primò, quia emittitur cum certis solemnitatibus comitantibus actum, quo ponitur ipso vouente offerente, & Prælato acceptante nomine Dei, & Religionis. Secundò, quia per actum expressum, & solemnizatum transfert dominium corporis vouentis in Deum, cum qua traditione non compatitur facultas idem in creaturam transferendi. Tertiò, quia votum castitatis substantialitèr constituit professionem, quæ ex genere suo solemnis est. Hæc autem non videntur verificari respectu voti, quod annexum est ordini sacro

2 *Ratio formalis ob quam dicitur solemne non est, quia dirimat matrimonium.* ex dispositione Ecclesiæ, quamobrem hic inquirimus, qua ratione huiusmodi votum dicatur solemne.

Communiùs asserunt, dici solemne, eo quia inhabilem reddat promotum ad contrahendum matrimonium, & contractum post ipsum dirimat, vt colligitur *ex cap. 1., & 2., qui Clerici, vel vouent., & cap. vt lex 27. quæst. 1. cap. si quis eorum distinct. 32., & ex Concil. Trident. sess. 24. de matrimon. can. 9.*, sed hoc est assignare effectum, qui consequitur ex eodem voto solemni, non rationem formalem, per quam constituitur in ratione solemnis, ex qua consequatur ille effectus.

Congruentiùs dicerem dici solemne ex eo, quod coniungatur cum ordine, qui solemnitèr confertur, & hoc ex Ecclesiæ dispositione, & per hoc contradistinguitur à voto solemni professionis, quod hoc solemnitèr expresè per proprium actum voluntatis emittitur, illud verò solemnitèr quidem ratione actus, cui adnectitur, qui solemnis est, non tamen expresè, quia formalis actus non elicitur, sed dumtaxat implicitè ex eo, quod volens ordinem intelligitur implicitè velle, quod eidem annectitur. 3 *Dicitur solemne, quia coniungitur cum actu solemni.*

Ratione huius solemnitatis oritur postea, quod reddat inhabilem sic promotum ad contrahendum matrimonium, & si contrahatur, ipsum dirimat. Sed hic oritur immediatè difficultas, an hæc inhabilitas ad matrimonium proueniat immediatè ab ipso voto sic solemnizato, an verò ex Ecclesiæ tale votum præcipientis institutione. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod, si oriretur immediatè ex voto, incongruè inter impedimenta dirimentia matrimonium numerarentur, tanquam duo distincta ordo, & votum, cum sufficeret votum numerare, quam rationem considerauit *Fernardus Rebellius part. 2. de obligat. iust. lib. 3. quæst. 12. n. 2.* Ex alio capite, si ex sola Ecclesiæ institutione talis inhabilitas, & irritatio proueniret, frustrà insudarent Doctores in inuestigando, an tale votum sit solemne, an simplex, cum qualecunque illud esset non ex ipso, sed ex Ecclesiæ statuto talis inhabilitas haberetur. 4 *Inhabilitas ad matrimonium an consurgat ex voto, an ex Ecclesiæ præcepto.*

Ad conciliandum hoc dissidium, ego hoc pacto procederem iuxta ea, quæ in præcedentibus dicta sunt. In casibus, in quibus tacitè, vel expresè quis consensit non solum in substantiam ordinis, sed etiam in ea, quæ sunt eidem ordini ex lege Ecclesiæ annexa, radicalitèr illa inhabilitas proueniret ex Ecclesiæ statuto, formalitèr ex ipso voto; in casibus verò, in quibus nec expresè, nec tacitè consensit in votum proueniret ex Ecclesiæ institutione. Per hanc distinctionem ex vno capite optimè saluatur, quod sint duo impedimenta matrimonij, votum, & ordo, nam votum non extenditur ad omnes casus, ad quos ordo obligat, nempè, quando in ipso ordine non interuenit votum nec explicitè, nec implicitè, sed obligatio consurgit ex sola Ecclesiæ lege; ex alio capite verificatur, quod ex voto solemni 5 *In casibus, in quibus consensit, tam in ordinē, quam in annexa inhabilitas oritur radicalitèr ex lege, formalitèr ex voto.*

lemni in ordinibus implicitè imbibito oriatur tale impedimentum. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod, cum Ecclesia præcipiat illud votum, quod antecedentèr non aderat, iam ipsa est causa illius voti, & omnium, quæ ad ipsum consequuntur, ergo obligatio ad non contrahendum, seu impedimentum ab ipsa radicalitèr prouenit, & cum ex voto solemnizato formalitèr illud impedimentum proueniat ad distinctionem voti simplicis, illud erit immediatè in ipsum, & formalitèr refundendum.

6 *In casibus, in quibus non consensit in annexa oritur solū ex lege.*

Ratio secundæ partis est, quia Ecclesia potuit, & voluit nullo etiam adiuncto voto respectu ordinati in sacris inducere impedimentum dirimens matrimonium, & inhabilem reddere contrahentem; ex eo autem, quod inter impedimenta dirimentia numerauerit ordinem, vt distinctum à voto certè voluit ex ipso ordine præcisè, vt distincto à voto oriri impedimentum, quod potissimum verificatur, quando non accedente voluntate promoti ad votum ordo validè, & scientèr recipitur.

ARTICVLVS XI.

An votum solemne in Religione emissum differat specie à voto solemni implicitè imbibito in susceptione ordinis sacri.

SVMMARIVM.

Finis, ad quem proponitur hæc difficultas. 1.
Sententia asserens diferre specie cum suis rationibus. 2.
Sententia asserens non diferre specie. 3.
Præfertur hæc secunda sententia. 4.
Obedientia ratione legis se habet solum, vt principium. 5.
Diuersa ratio de violante ieiunium, ad quod obstringitur ex præcepto Ecclesiæ, & ex voto. 6.
Non tenetur vtrumque in confessione aperire. 7.

1 *Finis, ad quem proponitur hæc difficultas.*

HÆc difficultas potissimum proponitur ad eum effectum, vt dignoscatur, an si quis sit solemnitèr professus in Religione, & simul sacris ordinibus spontè, & liberè initiatus, & castitatem violauerit, contrahat malitiam specie diuersam in confessione necessario aperiendam, an verò vnicam dumtaxat; si etenim inter se specie diferrent, non erit hæsitandum, quin duplicem in specie malitiam contrahat, si verò in specie non diferrent, vnicam solum in specie, nec necesse erit, vtramque qualitatem in confessione explicare stante sententia, quod solum species, numerus peccatorum, & circumstantiæ mutantes speciem, non autem simplicitèr aggrauantes sint exponendæ ex necessitate.

2 *Sententia asserens diferre speciē.*

Differre specie sustinet *Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 4.*, cuius rationem eam arbitror esse, quod vtrumque procedat à diuersa in specie virtute, & violatio opponatur diuersæ virtuti, nam prout refertur ad votum solemne in Religione emissum opponitur virtuti Religionis, prout verò refertur ad ordinem sacrum opponitur virtuti obedientiæ saltem radicalitèr, quatenus ex lege Ecclesiastica tenetur seruare continentiam.

3 *Sententia asserens non diferre speciē.*

Non diferre in specie sustinent *Sanchez de matrimon. tom. 2. lib. 7. disp. 27. num. 27.*, *Villalobos tom. 1. tract. 9. difficult. 37. n. 16.*, quorum rationem eam arbitror esse, quod licet illa vota proueniant à diuerso principio, referuntur tamen ad eandem in specie virtutem Religionis, & diuersitas specifica non desumitur à diuersitate principiorum, sed à diuerso termino ad quem, nempè à diuersa virtute.

4 *Præfertur hæc secunda sententia.*

Huic secundæ opinioni, tanquam probabiliori adhæreo, vndè, si obstrictus vtroque vinculo castitatem violaret, non teneretur vtrumque vinculum in confessione explicare. *Sanchez d. disp. 27. n. 27.*, *Homobonus tract. 4. de exam. Eccl. c. 3. q. 27.*, *Filliutius tom. 2. tract. 30. cap. 9. num. 124., & seqq.*, *Diana mor. resol. part. 1. tract. 7. de circumstantijs resol. 4.* Ratio fundamentalis primæ partis, ex qua secunda deducitur, consistit in eo, quod vtrumque vinculum respicit eandem in specie virtutem Religionis, ergo non diuersificatur in specie, cum diuersitas specifica desumatur penes ordinem ad diuersam in specie virtutem; neque dicas, vinculum, prout prouenit ex vi ordinis non respicere præcisè virtutem Religionis, sed etiam virtutem obedientiæ, cum proueniat ex lege Ecclesiastica, ergo ratione ejusdem obedientiæ diuersificatur à voto, quod emittitur in solemni professione; contra enim impugnaberis; nam licet illud votum in susceptione ordinis præcipiatur per obedientiam hoc est per legem Ecclesiasticam, quia tamen per ipsam præcipitur aliquod, quod est materia Religionis ad solam Religionis virtutem refertur, & si, quæ est diuersitas solum in principium refunditur, ex quo non prouenit diuersitas specifica in actu. Hinc in similibus docent *Villalobos tom. 1. tract. 9. dub. 36. num. 14.*, *Perez in regulam, D. Benedicti cap. 5. num. 23.*, *& alij*, quod, si Religiosus non obediat Superiori præcipienti aliquid sub obedientia non peccet duplicitèr

5 *Obedientia ratione legis se habet solum, vt principium.*

contra obedientiam, & contra Religionem addita etiam ratione., quia id, quod præcipitur sub obedientia rationem voti fit materia Religionis.

Neque vlterius vrgeas, si quis pro aliqua die teneatur ad ieiunium ex præcepto Ecclesiastico, & simul ex voto, quod ipse liberè emisit, & pro tali die ieiunium violet, non solum peccat contra obedientiam ratione præcepti Ecclesiastici violati, sed etiam contra Religionem ratione voti, ergo etiam, si quis obstringatur duplici vinculo ad seruandam continentiam, nempè ratione voti solemnis in professione emitti, & ratione legis Ecclesiasticæ obligantis ad simile votum in susceptione sacrorum ordinum, si ipsam continentiam violet peccabit non solum contra Religionem, sed etiam contra obedientiam; Contra enim adhuc impu-

6 *Diuersa ratio de violante ieiuniū, ad quod obstringitur ex præcepto, & ex voto.*

gnaberis, quia, quidquid sit de antecedenti, in quo Doctores non conueniunt, consequentia non rectè deducitur, quia in primo casu de obstricto ad ieiunium, & ex voto, & ex præcepto Ecclesiastico, est diuersa ratio, quia votum respicit Religionem, præceptum Ecclesiasticum respicit temperantiam; in secundo autem vtrumque votum, seu etiam præceptum Ecclesiæ respicit castitatem, vt relatam ad Religionem, quod deindè vnum proueniat ex propriæ voluntatis arbitrio, alterum à lege Ecclesiastica non inducit diuersitatem, cum solum hoc se teneat ex parte principij diuersi.

7 *Non tenetur vtrumque in confessione aperire.*

Ratio secundæ partis consecutiuæ ad primam est, quia ex necessitate non sunt in confessione aperienda peccata, nisi quoad numerum, speciem, & circumstantias mutantes speciem; in hac autem hypothesi, nec multiplicatur numerus, quia est vnicus tantum actus; non species, quia, vt mox probauimus, votum solemne in Religione, & votum in susceptione sacrorum ordinum non differunt in specie, ac proindè, nec inducunt circumstantiam mutantem speciem, ergo ex necessitate non erit in confessione vtrumque vinculum aperiendum.

ARTICVLVS XII.

An si ordo Subdiaconatus ex aliquo defectu substantiali sit inualidus, qui illum inualidè recepit, obligetur ad continentiam.

SVMMARIVM.

Inualidè professus in Religione adhuc tenetur seruare castitatem. 1.

Quibus de causis professio in Religione possit esse inualida. 2.

Professio Religiosa, si sit inualida ob defectum ætatis, vel quia emissa in Religione non approbata obligat ad castitatem. 3.

Si sit inualida ob defectum legitimi consensus non obligat. 4.

Si ordo defectu alicuius substantialis sit inualidè collatus, non obligat ad continentiam. 5.

Differentia inter professionem inualidam, & ordinem inualidum. 6.

1 *Inualidè professus in Religione tenetur seruare castitatem*

Excitatur hæc difficultas ob textum *in cap. placet de conuers. coniug.*, vbi dicitur, quod inualidè professus in Religione, adhuc teneatur ad castitatem seruandam ex simplici voto eiusdem, in quod resoluitur illa professio inualida; ex quo deindè inferunt nonnulli Doctores, quod etiam, si quis sit inualidè ordinatus, obligetur ad continentiam seruandam, cum votum solemne implicitè in eodem ordine emissum resoluatur in simplex. Pro solutione

2 *Professio in Religione quomodo possit esse inualida.*

Aduerte, professionem in Religione emissam ex multis capitibus posse esse nullam, vel quia emissa est ante legitimam ætatem à iure præscriptam, vel quia emissa est in Religione non approbata, interueniente tamen in vtroque hoc casu consensu libero profitentis, vel defectu debiti consensus, quatenus hic inuitè positus est, vel per vim, vel per ignorantiam, vel per metum cadentem in constantem virum; si fuerit inualida iuxtà primum, & secundum casum, certè resoluitur in simplex votum, adeoque sic nullitèr professus tenetur seruare continentiam, atque iuxtà hunc vtrumque sensum procedit textus *in d. cap. placet de conuers. coniug.*, si verò fuerit inualida defectu debiti, & legitimi consensus, certè non resoluitur in simplex votum castitatis, adeoque sic professus non tenetur continentiam seruare.

Ratio primæ partis quoad vtrumque casum ex eo deducitur, quod sic profitens absolutè, & simplicitèr vouit castitatem, & substantiam eiusdem intendit,

quod

quod sufficit ad obligandum ad eandem,
3 ergo absolutè tenetur eandem seruare ex vi illius promissionis absolutæ in tali professione emissæ. Neque arbitrandum est, quod illam promissionem emiserit quasi conditionatè, si illa professio subsistat, & intuitu eiusdem, sine qua non emisisset; vndè illa existente inualida absolutè resoluitur promissio. Non, inquam, arbitrandum, quia, cum absolutè intenderit professionem, absolutè etiam intendisse censendus est illam promissionem, seu votum, quod deindè defectu ætatis, vel approbatæ Religionis professio resoluatur, adeoque, & votum continentiæ cessat esse solemne, non propterea illud votum simplicitèr cessat, vndè inualidatur professio quoad ea, quæ sunt contra ius irritans, non quoad ea, quæ habent subsistentiam in actu absolutè elicito voluntatis vouentis, & sic in hoc locum habet adagium, quod licita per illicita non vitiantur.

Si sit inualida ob defectū ætatis obligat.

Ratio secundæ partis est, quia non existente consensu libero ad professionem, neque intelligitur consensus liber ad votum in eadem professione contentum, sed non existente consensu libero votum absolutè, & simplicitèr non subsistit, ergo nec absolutè obligat; sicque siue consensus fuerit per vim, vel per ignorantiam, siue etiam per metum cadentem in constantem virum emissus non potest conferre ad validitatem voti, quod est vnum ex illis, quæ omnimodam exigunt libertatem per ea, quæ supra diximus. Hinc resoluendo difficultatem propositam.

4 *Si sit inualida ob defectum legitimi consensus non obligat.*

Dicendum est, quod, si ordo defectu alicuius substantialis sit irritus, seu inualidè collatus absolutè non obliget sic inualidè ordinatum ad seruandam continentiam. Consentit *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 8. difficult. 8. per totum*. Ratio ex eo deducitur, quod, vel obligatio continentiæ est annexa ordini ex lege Ecclesiastica, vel ex voto implicitè imbibito in eodem ordine; quocunque modo sit annexa resoluto ordine, & ipsa resoluitur, ergo eodem resoluto ex defectu substantiali illa non amplius obligat. Minor probatur, quia ipsa continentia non intenditur per se primo, & principalitèr, sed ad summum secundario, & accessoriè, non subsistente autem principali, nec accessorium, siue sit à lege, siue à voto intuitu illius emisso potest subsistere. Neque dicas, quod etiam votum castitatis in professione emittatur intuitu eiusdem professionis, & tamen inualida professione defectu substantiali alio à consensu non sit inualidum ipsum votum, ergo etiam

5 *Ordo inualidè collatus nō obligat.*

6 *Differentia inter professionem inualidam, & ordinem*

&c.; Contra enim impugnaberis, quia in professione per se primo, & principalitèr intenditur ipsum votum castitatis non tanquam merè accessorium; in susceptione autem ordinis sacri continentia solum secundario, & intuitu illius intenditur, ideoque in hoc casu sublato principali tollitur & accessorium, non sic in primo.

Quod, si repetas, quod profitens in Religione, in tantum consentiat in votum castitatis, in quantum consentit in professionem, eo quod non voueret, nisi intenderet ad professionem, ergo votum est accessorium ad professionem, ergo non subsistente professione, nec votum potest subsistere, nec obligare; Contra impugnaberis, quia in professione æquè primo vtrumque intendit professionem scilicet, & votum, cum votum sit de primarijs constitutiuis eiusdem professionis; vndè potest dici ad conuertentiam, quod in tantum intendit vouere, in quantum intendit profiteri, & quod in tantum intendit profiteri, in quantum intendit vouere; in susceptione verò ordinis sacri solum intendit vouere, quia vult ordinibus sacris initiari.

ARTICVLVS XIII.

An, qui suscepto ordine Subdiaconatus violaret castitatem sacrilegium committeret.

SVMMARIVM.

In casibus, in quibus obstringitur ad continentiam ex voto, violans eandem committit sacrilegium. 1.

Sententia asserens, quando solum obligatur ex lege, non contrahere sacrilegium. 2.

Lex Ecclesiæ obligat ex obedientia. 3.

Rationes Homoboni contendentis teneri ex voto. 4.

Probabilius violans continentiam, non contraheret sacrilegium. 5.

Lex Ecclesiastica obligans ad votum, quando hoc liberè habetur, resoluitur in materiam voti. 6.

Soluuntur rationes Homoboni. 7.

Dictum est in præcedentibus quandoque promotum ad sacros ordines obligari ad continentiam ex voto implicitè imbibito in ipsis ordinibus, quandoque solum ex lege Ecclesiastica, vt quando consensit in ordinem nullo autem modo in votum, quin potius eidem reluctatur. In casibus, in quibus obstringitur ex voto, non videtur posse esse dubium, quod, si violet castitatem, contrahat 1

Quando obligatur ex voto cōmittit sacrilegium.

hat peccatum sacrilegij cum lædat rem Deo sacram.

2 *Sententia asserens, quando obligatur ex lege non committere sacrilegiũ*

Difficultas solummodò versatur, quando non obstringitur ex voto, sed dumtaxat ex lege Ecclesiastica, an contrahat malitiam sacrilegij. Videtur dicendum, nullo modo contrahere culpam sacrilegij, quia, si in minoribus dumtaxat constitutus castitatem violaret, non constitueretur reus sacrilegij, ergo nec constitueretur reus eiusdem Subdiaconus, si non ex voto, sed præcisè ex lege Ecclesiastica obligaretur ad eandem castitatem seruandam. Consequentia probatur, quia intantum constitutus in minoribus non fit sacrilegus per violationem continentiæ, inquantum nullo voto ad illam obstringitur, sed in data hypothesi, nec Subdiaconatus ex voto obstringeretur, ad illam seruandam, ergo nec ipse fiet sacrilegus violando continentiam. Nec obstat, si dicatur, quod licet non obstringatur ex voto, obstringatur tamen ex lege Ecclesiastica obligante ad eandem continentiam seruandam. Non obstat,

3 *Lex Ecclesiæ obligat ex obedientia.*

inquam, quia lex Ecclesiastica habet quidem vim obligandi ex obedientia, ita vt transgressor constituatur inobediens, non autem obligandi ex voto, ita vt transgressor constituatur sacrilegus, sic lex Ecclesiastica præcipit seruare ieiunium certis diebus, habere confessionem semel in anno, & communionem in Paschate non tamen constituit transgressores reos sacrilegij.

4 *Rationes Homoboni contendentis teneri ex voto, adeoque fieri sacrilegũ.*

Homobonus tract. 4. de art. circa examen ad Subdiaconatum quæst. 27., sentire videtur, quod etiam in hac hypothesi non eximatur à culpa sacrilegij, dum dicit, quod non solum teneatur ex lege Ecclesiastica, sed etiam ex voto, quatenus Ecclesia decreuit, quod promouendus debeat continentiam promittere; & promittere, & debere promittere in effectu sibi æquiualeant, quinimmò *quæst. 28.*, immediatè sequenti addit, quod sacros ordines suscipiens, quamuis non intendat vouere, teneatur tamen ex voto castitatem seruare, quod necessariò ordinem consequitur, addita etiam ratione, quod, licet Ecclesia nullum cogat votum emittere, cum sit res meri cõsilij, statuit tamen, vt, qui ordines sacros suscipiunt, teneantur continentiam ex voto tacito, & implicito seruare, quare videtur sentire, quod saltem voluntariè in causa, si non in seipso velit illam continentiam. Maiorem firmitatem huic adderet casus, quo promotus ad ordinem sacrum cum expressa intentione non se obligandi ad continentiam, postea spontè exerceret ordinem susceptum; nam tunc ratione exercitij spontè voliti videtur consentire in votum, seu obligationem continentiæ, quandoquidem, si nollet votum, deberet ab exercitio abstinere; sicut puer ordinatus Subdiaconus ante vsum rationis, si acquisita ratione nollet obligationem castitatis, teneretur abstinere ab exercitio ordinis suscepti, & eo ipso, quo ordinem exerceret, censeretur in votum consentire, quod etiam considerarunt *Nauarrus cons. 1., & 2. tit. quod mat. cauf.*, *Henriquez de ordine c. 14.*, *Vgolinus de offic. Episc. part. 1. cap. 13., & part. 2. cap. 26. §. 1.*, *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 13. c. 14. quæst. 8.*, *Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 27. num. 6.*, *Bonacina de matrimon. quæst. 3. punct. 9. n. 22.*, qui omnes, quamuis statuant, quod ordinatus per metum cadentem in constantem virum non obligetur ad castitatem seruandam, asserunt tamen, quod, si iste postea verbo consentiat, vel pacto sine aliqua vi ordinem susceptum exerceat, obligetur ex voto.

5 *Probabilius violans continentiam quando tenetur solum ex lege, non fit sacrilegus.*

Probabiliùs arbitror talitèr promotum delinquentem contra castitatem non peccare peccato sacrilegij. Ratio ex eo deducitur, quia peccatum sacrilegij est fractio voti sacri, sed in hac hypothesi nullum supponimus adesse votum, ergo in tali fractione nullum interuenit sacrilegium. Hinc *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 8. difficult. 10. num. 3.*, docet contra *Basilium Pontium lib. 7. de matrimon. c. 29. num. 15.*, quod, si puer ante vsum rationis promotus ad Subdiaconatum peruenerit ad vsum rationis, nec votum continentiæ acceptauerit, & contra continentiam peccauerit, non constituatur reus sacrilegij, eo quia respectu eiusdem non intelligatur votum interuenisse, quod idem videtur dicendum in casu præsenti, cum in hoc etiam nullum supponatur votum adesse.

6 *Lex Ecclesiastica in susceptione ordinis liberè absolutè voliti resoluitur in materiã voti.*

Neque obstant primò ea, quæ in præcedentibus docuimus, nempe, quod Religiosus professus, & sacris ordinibus initiatus, si peccet contra castitatem, non contrahat peccatum specie diuersum ab illo, qui solum professus, vel solum in sacris constitutus talitèr peccando contraheret, cuius ratio est, quia semper peccatur contra eandem virtutem Religionis ergo promotus sacris ordinibus peccando contra castitatem, contrahit labem sacrilegij, & hoc non obstante, quod solum ex lege Ecclesiastica obstringatur ad castitatem; supponimus enim, quod etiam in casu professi simul, & sacris ordinibus initiati interueniat etiam obligatio ex lege Ecclesiastica; Non obstant, inquam, quia in casu Religiosi, vtroque vinculo obstri-

obstricti, quamuis interueniat lex Ecclesiastica obligans ad votum in susceptione sacrorum ordinum, lex tamen ipsa resoluitur in materiam voti iam tacitè emissi, & per consequens iam adimpleta intelligitur; in casu autem, de quo hic loquimur, lex non resoluitur in materiam voti, cum nullum votum intelligatur emissum, ac proindè solum viget in sua ratione legis.

7 *Soluuntur rationes Homoboni.* Neque secundò obstant ea, quæ ex Homobono adduximus, quia ipse supponit, quod sine propria voluntate, immò contra propriam voluntatem possit quis ad votum, & ex voto obligari ex eo, quod consentiat in ordinem, quasi, quod ex hoc resultet voluntarietas in causa, cuius contrarium nos supra docuimus, nec potest considerari voluntarietas in causa, vbi est expressè, & positiua voluntas ad eius oppositum; Nec item obstant, quæ subduntur de exercitio eiusdem ordinis, quandoquidem licet grauissimè peccet in illo exercitio, dum habet intentionem non profitendi continentiam, non tamen peccat contra votum, quia nec illud emisit, quin potius voluntatem habet eidem oppositam, vndè poterit quidem grauitèr puniri ob contumatiam in transgressione legis, non tamen constituetur reus sacrilegij.

ARTICVLVS XIV.

An, si puer acquisito pleno rationis vsu, sed ante pubertatem liberè recipiat ordinem sacrum sciens eidem esse annexam castitatem obstringatur voto continentia.

SVMMARIVM.

Ratio suadens puerum ante pubertatem promotum non teneri voto castitatis. 1.
Probabilius obligatur ad continentiam. 2.
Paritas deducta à professio ante pubertatem non tenet. 3.
Votum solemne emissum in professione ante pubertatem resoluitur in simplex. 4.
Ratio per Marchinum adducta nil euincit. 5.

1 *Sententia asserẽs promotum ante pubertatẽ, nõ obligari ad continentiam* Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod votum castitatis in solemni professione emissum ante pubertatem non obligat per textum *in cap. ad nostram de Regular.* quinimmò *Concilium Trident. sess. 25. c. 15. de Regularibus*, statuit, quod solemnis professio in Religione emissa ante decimumsextum annum completum omninò irrita sit, nec obliget, ergo neque votum castitatis solemne, sed implicitè emissum in susceptione sacrorum ordinum ante pubertatem obligabit ad eandem continentiam seruandam, cum videatur eadem ratio militare; vtrumque enim iugum videtur grauissimum, & vtrumque exigere maturam deliberationẽ, quam ante pubertatem iura non agnoscunt. Propter hanc rationem *Maiolus lib. 1. de irregular. num. 6.*, *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 30. num. 3.*, *Squillantes de Cler. obligat. part. 1. num. 85.*, absolutè docuerunt, promotum ad sacros ordines ante acquisitam pubertatem non obligari ad castitatem, sed posse liberè nubere. His tamen non obstantibus sit

2 *Probabilius obligatur.* Assertio. Acquisito rationis vsu promotus ad sacros ordines liberè cum plena cognitione onerum eisdem annexorum, nec eisdem repugnans obligatur ex voto ad continentiam seruandam, nec potest nubere. *Caietanus secunda secundæ qu. 88. art. 9.*, *Sotus de iust. lib. 7. quæst. 2. art. 5. ad vlt.*, *Sairus in Claui Regia lib. 6. cap. 5. n. 6.*, *Egidius Conincb de Sacram. disp. 20. dub. 14. num. 136.*, *Basilius Pontius lib. 7. de matrim. quæst. 3. punct. 29. num. 15.*, *Bonacina de matrimon. quæst. 3. punct. 9. num. 9.*

Probatur primò, quia nec ius naturæ, nec ius positiuum humanum ipsum eximit à tali onere, ergo non est, cur deobligetur. Antecedens quoad ius naturæ patet, quia ius naturæ ad obligandum exigit solum plenam rationis aduertentiam, quæ potest esse post acquisitum vsum rationis, nec requirit determinatam ætatem, vt videre est in alijs pluribus, cum nemine discrepante de iure naturæ, possit inire sponsalia, vota simplicia perpetuæ castitatis emittere &c. Quoad ius positiuum humanum ex eo euincitur, quod nullibi constat de tali iure, nec argumentum à paritate voti emissi in solemni professione ante pubertatem, vel ante decimumsextum annum quidquam euincit, quandoquidem non est facienda extensio de casu ad casum, potissimum, quando non militat eadem prorsus ratio, prout contingit in casu præsenti, nam iugum professionis duriùs valdè est, & grauiùs, quam sit votum castitatis implicitè emissum in susceptione sacrorum ordinum; in illa etenim præter votum castitatis iugum graue perpetuæ, & exactæ obedientiæ, abdicatio cuiuscumque rei temporalis cum priuatione iuris ad dominium, debitum seruitutis in regularibus obseruantijs inuoluuntur, propter quæ iura statuerunt vltra certam ætatem annum probationis, quæ cum non interueniant in susceptione sacrorum ordinum, iura non ità exactè procedunt, 3 *Paritas deducta à professione ante pubertatẽ, nõ tenet*

nec

nec illas requirunt probationes, sed immediatè habita certa inquisitione ad illos admittunt.

4 *Votum solemne emissum in professione ante pubertatē resoluitur in simplex.* Probatur secundò, quia, quamuis professio emissa ante pubertatem acquisitam, vel ante decimumsextum annum sit ex dispositione iuris positiui irrita, votum tamen castitatis, quod cæteroqui fuisset solemne, resoluitur in simplex ratione consensus præstiti in emissione eiusdem, quod obligat ad obseruantiam, ergo etiam votum implicitè emissum in susceptione sacrorum ordinum, cum fuerit cum pleno consensu, obligabit, quinimmò nec transibit in simplex, cum nullibi reperiatur dispositum, quod vel ordo, vel ipsum votum irritetur.

5 *Ratio Marchini nil euincit.* Vlteriùs progreditur in probatione huius assertionis *Marchinus tract. 2. de ord. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 8. difficult. 10. num. 10.*, considerans obligationem continentiæ in ordine sacro prouenire à lege humana, ac proindè interueniente iusta causa, cuiusmodi est illa impubertatis, posse à Romano Pontifice dispensari; obligationem verò continentiæ in professione non oriri ex iure humano, sed ex propria voluntate vouentis, in qua Pontifex difficilè dispensat, ex quo deindè infert, non esse similem casum de voto in professione solemni emissum, ac de voto implicitè imbibito in susceptione sacrorum ordinum. Sed huic probationi non valdè fidendum est, cum potius contrarium ex ea euincatur; difficiliùs enim frangitur vinculum, quod ex propria voluntate stringitur, quam illud, quod ex lege humana, vt fatetur ipse Marchinus, dum dicit, quod illud, quod prouenit ex lege humana sit faciliùs dispensabile, non sic illud, quod prouenit ex propria libertate, ex quo sequitur, quod, si illud, quod ex propria voluntate prouenit in professione Religiosa ob non acquisitam pubertatem dissoluitur, etiam quinimmò à fortiori dissoluendum sit illud, quod inuoluitur in susceptione ordinum, cum ex lege humana stringatur. Deindè licet in susceptione sacrorum ordinum onus vouendi proueniat ex lege humana, votum tamen ipsum est ex propriæ voluntatis arbitrio, cum fuerit ordo susceptus cum plena cognitione onerum eidem annexorum, vndè in hoc nulla videtur esse dissimilitudo.

ARTICVLVS XV.

De Pœnis contra initiatos sacris ordinibus nubentes.

SVMMARIVM.

Initiati sacris ordinibus nubentes contrahunt excommunicationem latæ sententiæ. 1.

Hæc pœna afficit etiam contrahentes per verba de præsenti, quamuis non consummauerint. 2.

Non tamen contrahentes præcisè sponsalia. 3.

Contrahentes matrimonium ex alio capite inualidum secundum aliquos non contrahunt hanc excommunicationem. 4.

Probabilius tamen contrahunt. 5.

Etiam sic contrahentes deponuntur ab officio. 6.

Et ipsi, & eorum proles sunt addicendi perpetuæ seruituti Ecclesiæ. 7.

Hæc pœna modo non est in vsu. Ibidem.

Non priuatur beneficijs. 8.

An subdantur Inquisitoribus hæreticæ prauitatis remissiuè. 9.

Plures enumerat pœnas *Simanca de Catholicis institut. tit. 4. rub. de matrimonio num. 11., & 13., & in Enchiridio viol. Relig. tit. 12. rub. de nefarijs nuptis*, contra Clericos sæculares pòst Subdiaconatum nubentes. Prima est excommunicatio latæ sententiæ, prout habetur *in Clem. vnica de consang., & affin.* Ibi *Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes refrænare metu pœnæ ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere.* 1 *Prima pœna est excommunicationis latæ sententiæ.*

Circa hanc primam pœnam nonnullæ insurgunt rationes dubitandi, quarum prima est, an, si sacris initiatus contraheret præcise matrimonium, & non consummaret, incideret in hāc pœnam excommunicationis. Secunda, quid, si contraheret præcisè sponsalia. Tertia, quid, si contraxerit matrimonium ex alio defectu substantiali inualidum? Ad primum asserendum videtur, quod, si non consummaret matrimonium, non contraheret hanc excommunicationem, quandoquidem per matrimonium præcisè ratum continentia professa non violatur, & cum voto non pugnat matrimonium, vt videre est in matrimonio Deiparæ cum D. Ioseph, potissimum, cum liberum sit ipsi resilire intacta vxore à tali matrimonio, & ad pristinum statum redire. Contrarium tamen sustinet *Glosa in d. Clem. vnica de consanguin., & affin. in verb. contrahere*, 2 *Afficit etiam, quamuis non consummauerint.*

vbi

vbi ponderat, quod textus loquitur præcisè de contractu, non de coitu; contractus autem subsistit per verba de præsenti seruatis in reliquo iuris solemnitatibus, & consummatio est complementum extrinsecum, non substantia eiusdem cōtractus. Huic secundæ opinioni adhæreo, cui non possunt obsistere allegata pro prima, cum textus imponens huiusmodi pænam sistat præcisè in contractu, & non solum vetat id, per quod castitas violatur, sed etiam id, ex quo ex genere suo potest sequi illa violatio.

Ad secundam etiam asserendum videtur, quod, si contraheret solum sponsalia, adhuc hanc pænam excommunicationis subiret, nam prohibitio nuptiarum excludit etiam sponsalia per textum *in l. oratio, ff. de sponsal.*, & sponsalia, & matrimonium æquiparantur per textum *in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.* Nihilominus sentiendum est, per sola sponsalia non contrahere hanc excommunicationem. Ratio ex eo deducitur, quia in

3 *Non tamen cōtrahentes præcisè spōsalia.* pænalibus non est facienda extensio vltra id, quod verba sonant, per quæ constituuntur pænæ; sed verba textus, per quæ imponitur illa excommunicatio, sonant præcisè contractum matrimonij, non mera sponsalia, ergo illa pæna non extenditur ad contrahentem præcisè sponsalia; nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur; nam licet verum esset, quod prohibitio nuptiarum excludat etiam sponsalia, & matrimonium, & sponsalia sibi æquiualeant, non propterea verum est, quod contrahenti sponsalia intelligatur illa pæna imposita, quæ contrahenti matrimonium *argument. textus in l. perpetuo de elect. in 6.*

4 *Contrahentes matrimonium ex alio capite inualidū secundū aliquos, non contrahunt hanc pænam.* Ad tertiam videtur etiam dicendum, constitutum in sacris contrahentem matrimonium per verba de præsenti, quod ex alio capite puta consanguinitatis, vel affinitatis esset inualidum, non contrahere illam excommunicationem, prout in similibus notat *Garzias de benefic. part. 11. cap. 8. num. 8., & seqq.*, vbi licet loquatur de priuatione beneficiorum, quam asserit non incurrere beneficiarium, quando contrahit matrimonium inualidum, potest tamen trahi ex eadem ratione ad negationem excommunicationis, & pro hac opinione militat ratio, quod contrahere matrimonium inualidum, & non contrahere matrimonium paria sunt, nec possit dici in rigore, contrahi matrimonium, quando inualidè contrahitur, Nihilominus absolutè sentiendum est, contrahere excommunicationem istam latam *in d. Clement. vnica de consanguin., & affin.*, & in hoc consentire videtur *Couarruias de matrimon. part. 2. cap. 6. §. 3. num. 5.* dum asserit, contrahentem matrimonium inualidum, dum est in sacris constitutus, priuari beneficijs. Rationem ex eo deduco primo, quia ex inualiditate præcisè matrimonij non demitur illa pęna excommunicationis, siquidem eo ipso, quo quis in sacris constitutus contrahit matrimonium, hoc ex dispositione iuris est inualidum. Dicere deindè, quod hæc inualiditas proueniens ex ordinibus sacris non consideretur ad eximendū à pæna, cū hæc propter ipsam contrahatur, non videtur euacuare difficultatem, quandoquidem, si ratio aduersantium, ob quam asserunt contrahentem matrimonium ex alio capite inualidum nō contrahere hanc excommunicationem, est, quia illud matrimonium non est matrimonium, etiam in hoc casu matrimonium contractum per constitutum in sacris, non est propriè matrimonium, quod deindè in hoc secundo casu excommunicatio imponatur ob illud attentatum contrahendi, dum est impeditus à voto, nil videtur officere, cum maius sit attentatum contra dispositionem iuris contrahere inualidè ex alio capite, quam contrahere inualidè ex hoc solum capite; & mens iurium prohibentium sub tali pæna est retrahere ab eo, quod est contra castitaté professam, & nō minus est contra hanc contrahere inualidè ex hoc, quam ex alio capite. Secundò rationem ex eo deduco, quod grauius est delictum contrahere matrimonium ex hoc, & ex alio capite inualidum, quam contrahere præcisè inualidè ex hoc capite, cum verè ipse intendat in vtroque casu matrimonium contrahere, ergo, si in hoc casu contrahitur excommunicatio, & in illo contrahi censenda est, cum in illo etiam habeat figuram matrimonij; nec obstare potest, si dicatur iura grauius punire delictum ipsum formale, quam conatum ad delictum; in hac autem hypothesi esset solum conatus ad delictum, non ipsum delictum, cum matrimonium esset inualidum; Non, inquam, obstare potest, quia delictum, ob quod imponitur talis pæna, consistit in eo, quod constitutus in sacris medio matrimonij violet votum castitatis annexum eisdem sacris ordinibus; hoc autem præstat, siue per matrimonium inualidum ex hoc, vel alio capite, cum semper præferat figuram matrimonij.

5 *Probabilius tamen contrahunt.*

Rationes pro hac nostra sententia.

6 *Etiam sic contrahentes deponūtur ab officio.* Secunda pæna imposita contra constitutos in sacris cōtrahentes matrimonium est depositio ab ordine, prout habetur *in cap. Presbiter, & cap. Presbiterum dist. 28.* Nomine depositionis ab ordine venit depositio ab officio, adeo vt nequeat alijs,

nec publicè, nec priuatè benedicere, nec Corpus Domini dispensare, nec alio modo ministrare.

7 *Ipsi, & eorum proles addiciuntur seruituti Ecclesiæ.* Tertia pæna, quæ non solum tangit ipsos in sacris constitutos, sed etiam eorũ prolam, si quam habuerint, est, quod ipsi plectuntur canonica censura, filij verò ab ipsis progeniti redduntur in perpetuam seruitutem illius Ecclesiæ, in cuius ignominiam nati sunt, vt habetur *in cap. cum multa* 15. *quæst.* 8. Sed hæc pæna modo contraria consuetudine videtur abolita, vt notat *Glosa in d. cap. cum multæ in verb. connubio in fin.*

8 *Non priuantur beneficijs.* *Marchinus tract.* 2. *de ordin. in particulari part.* 6. *cap.* 8. *difficult.* 11. *num.* 1. inter has pænas contra constitutos in sacris nubentes impositas numerat etiam priuationem omnium beneficiorum, & ad hoc probandum adducit textum *in cap.* 1., *&* 2. *de Cleric. coniug.* Sed non benè perpendit hos textus Marchinus; loquuntur enim huiusmodi textus quoad priuationem huiusmodi beneficiorum de clericis in minoribus constitutis; & vbi agunt de constitutis in sacris asserunt solummodò illorum matrimonium non tenere, & compellendos esse per suspensionis, & excommunicationis sententiam vxores dimittere. Cæterum, quod hæc pæna non intelligatur imposita contra constitutos in sacris, si nubant, clarè deducitur *ex d. cap. Presbiter, & cap. Presbiterum distinct.* 28., vbi glosa dicit priuari officio, non beneficio. Si autem quæratur, cur Clerici in minoribus constituti priuentur huiusmodi beneficijs per nuptias contractas, non sic constituti in sacris, dicam, eam esse, quia matrimonium illorum tenet, adeoque, cum debeant cum vxoribus indiuiduam vitæ rationem seruare, æquum non est, vt Ecclesiasticis etiam beneficijs perfruantur; matrimonium verò istorum non tenet, adeoque, cum nequeant cum vxoribus habitare, sed teneantur eas dimittere etiam per compulsionem censurarum, ideò iura contra eosdem decreuerant depositionem ab officio ordinum, non à beneficijs.

9 *An subdantur Inquisitoribus hæreticæ prauitatis remissiuè.* Vltimo inter has pænas numerat *Prosper Farinacius tract. de hæresi quæst.* 183. §. 6. *num.* 71. *in fin.*, subiectionem taliter delinquentium Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, tanquam sint suspecti de hæresi, & malè sentientes de Sacramentis; quinimmò ipse addit, quod propter istam hæresis suspicionem debeant torqueri, & si nihil emergat præmissa abiuratione de vehementi ad triremes ad tempus damnari. Sed aduerte, quod Farinacius ibi loquitur de Religiosis solemnitèr professis. An verò hoc extendendum sit ad Clericos sæculares in sacris constitutos, vos videritis.

ARTICVLVS XVI.

An Clerici in minoribus constituti nubentes ipso iure priuentur beneficijs.

SVMMARIVM.

Iura suadentia pænam priuationis beneficiorum non esse latæ sententiæ, sed ferendæ. 1.

Probabilius est latæ sententiæ. 2.

Et si iniquè perseuerauerit in beneficio tenetur fructus perceptos à die matrimonij restituere. 3.

Eo ipso, quo per verba de præsenti contraxit matrimonium, priuatur beneficio etiam non elapso bimestri permisso ad deliberandum de statu Religionis. 4.

Nec habet regressum ad beneficium, si sponsa intra bimestre ingrediatur Religionem. 5.

EX occasione eorum, quæ diximus in præcedenti articulo de priuatione beneficiorum respectu Clericorum in minoribus constitutorum nubentium, excitatur hæc difficultas, & ratio circa ipsam dubitandi desumitur *ex d. cap.* 1. *de Cler. coniug.*, vbi Alexander III., hæc statuit. *Si qui Clericorum infrà Subdiaconatum acceperint vxores, ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas vxores districtione Ecclesiastica compellatis*, vbi, cum requiratur ministerium hominis, Ibi *compellatis* dispositio videtur esse sententiæ ferendæ, & ad priuandum non latæ, adeo vt ipso iure intelligatur priuatus. Propter hanc rationem *Marchinus loc. cit. num.* 5., asserit, non intelligi ipso facto priuatum, sed canonicè priuandum. 1 *Rationes suadentes non esse latæ sententiæ.*

2 *Probabilius est latæ sententiæ.* Glosa verò *in d. cap.* 1. *de Cler. coniug. in verb. relinquenda*, sentit ipso iure, & facto priuari, & respondens ad obiectum de illa compulsione asserit ipsam referri ad factum solum, & promissionem iniquè reluctante beneficiario dimissioni, & ad hoc adducit textum *in cap. literas de concess. prabendarum, & cap. cum nostris eodem tit.*, subdens, quod sic nubens contrario facto iuri suo renuntiauerit *argum. textus in l.* 1., *C. de furt.*, *& l. quod in hæredem*, §. *eligere*, *ff. de tribu.* Atque huic glosæ opinioni adhæret etiam *Barbosa de offic.*, *& potest. Episcop. allegat.* 57. *num.* 202., *&* 207., atque eidem ego etiam tanquam probabiliori adhærendum existimo, cum ex dispositione iuris matrimonium validum pugnet cum retentione beneficiorum Ecclesiasticorum, &, sicuti, quia in constituto in ordinibus sacris matrimonium per ipsum initum ipso iure non tenet,

tenet, retinet adhuc beneficium, cum beneficium non pugnet cum matrimonio inualidè suscepto, ita quia in minoribus constituto matrimonium per ipsum contractum ipso iure tenet, beneficium ipso iure debet vacare propter repugnantiam &c.

3 *Si fructus perceperit tenetur restituere.* Hinc sequitur, quod, si ipse in minoribus constitutus contracto matrimonio iniquè reluctetur dimissioni beneficij, teneatur fructus eiusdem à puncto contracti matrimonij iniquè perceptos restituere, cum ipso iure intelligatur priuatus eodem beneficio; nemo autem facit fructus suos rei non suæ.

Hic suboritur alia difficultas, an, si Clericus in minoribus constitutus contrahens matrimonium per verba de præsenti, & sponsa eodem matrimonio legitimè contracto, & nondum consummato ex facultate ipsi à iure concessa Religionem ingrediatur, & profiteatur, ipse Clericus amiserit beneficium, & an saltem habeat regressum ad beneficium, quod per matrimonium supponitur amisisse. Pro clariori notitia huius difficultatis aduerte hoc in iure statutum esse, vt coniuges contractis nuptijs habeant bimestre, in quo non possunt compelli ad easdem consummandas, ad effectum deliberandi, an velint ad perfectiorem statum Religionis transire. Iam supponimus, quod sponsa durante hoc bimestre deliberarit de Religione, & ad eandem transierit, & sic quærimus primò, an ipse Clericus sic coniugatus statim ac nuptias contraxit, amiserit beneficium, an verò tunc solum, quando elapso bimestri, & consummato matrimonio eius vxor non habet amplius facultatem recedendi à nuptijs, & transeundi ad Religionem. Secundò ex suppositione, quod statim amiserit, ex eo, quod eius sponsa transeat intra tempus permissum ad Religionem, habeat regressum ad ipsum.

4 *Ipso facto priuatur etiam nō elapso bimestri ad deliberandum.* Ad primum quæsitum respondendum existimo, statim amisisse, ac nuptias contraxit. Ratio est, quia iura respiciunt contractum, non coitum, vt in præcedentibus docuimus; contractus autem eo ipso, quo nullo existente canonico impedimento initus est per verba de præsenti, subsistit, nec suspenditur quoad substantiam vsque ad complementum illius bimestris, sed tantum quoad effectum consummationis, vnde, quando alter ex coniugibus intrà illud bimestre transit ad Religionem, non resoluitur à principio, sed tunc tantum dissoluitur matrimonium, ergo, cum illud validum à principio intelligatur, ex tunc priuat Clericum coniugatum beneficio, cum iura absolutè prohibeant permanentiam beneficij cum matrimonio validè contracto.

Ad secundum assero, non habere regressum ad illud beneficium, quo fuit spoliatus. *Bernardus Diaz in pract. crimin. can. cap. 74., Coaruuias de matrim. part. 2. c. 6. §. 3. num. 5., Farinacius in fragment. verb. Clericus num. 329.* Ratio est, quia illud beneficium non est præcisè suspensum, sed simplicitèr sublatum, & demptum omninò ius eiusdem beneficiarij; ius autem simplicitèr extinctum non reuiuiscit. Verum tamen est, quod, si istum pænituerit, & ad Episcopum pænitens accesserit, poterit per eundem restitui quodamodo dispensando, quod paritate rationis deduco ex textu *in cap. sanè Sacerdotes de Cler. coniug.*, vbi dicitur, quod Sacerdotes, qui ratione coniugij initi priuati sunt officio, possint per Episcopi dispensationem, si pænitentes fuerint, eodem officio restitui, ex quo infero, quod etiam possint restitui beneficio per dispensationem Clerici in minoribus constituti, si transeunte sponsa ad Religionem pænitentiam habuerint. 5 *Nec habet regressum ad beneficium, si sponsa ingrediatur Religionem.*

ARTICVLVS XVII.

An, qui per timorem iustè incussum sacros ordines recepit, teneatur ad continentiam.

SVMMARIVM.

IN præcedentibus loquentes de timore graui, & cadente in constantem virum iniustè incusso absolutè diximus, non teneri ad castitatem seruandam saltem, quantum est ex vi voti, quinimmò, nec lege Ecclesiastica, si velit abstinere ab exercitio ordinis suscepti. Modo supponimus, quod timor fuerit iustè incussus vrgente ad hoc aliqua communi vtilitate, & necessitate Ecclesiæ, quatenus deficientibus aptis eiusdem Ecclesiæ ministris persona aliqua reputaretur idonea, quinimmò quodamodo necessaria ad Ecclesiæ munera, & ipse renuente ordinari Episcopus ipsum compelleret sub præcepto, & Ecclesiasticis censuris ad sacram ordinationem, & hoc supposito inquirimus, si illis censuris perterritus consentiret in illam ordinationem, an teneretur ad continentiam seruandam. Sub hac compulsione ordinatum fuisse D. Augu- 1 *Explicatur sensus tituli.*

ctinum à Valerio Episcopo refert Possidonius in eius vita.

2 *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 8. difficult. 9. num. 3.*, sentit absolutè teneri lege continentiæ, rationemque adducit, quod vrgente Ecclesiæ necessitate iste irrationabilitèr esset inuitus, nec pateretur iniuriam, si ad sacros ordines ob publicam vtilitatem compelleretur, vndè communitèr docent Theologi, quod Sacramentum Ordinis est necessarium Ecclesiæ, & si non omnibus, saltem aliquibus, ex quibus sequitur, quod saltem aliqui ad hoc munus possint compelli sic exigente communi Ecclesiæ necessitate, quæ præualere debet cuiuscunque priuatæ intentioni, & commodo.

Sententia asserens teneri ad continentiam

3 Ego autem in hoc considero, an talem metum iustè passus ad euitandas pœnas comminatas consenserit non solum in ipsum ordinem, sed etiam in ea, quæ eidem sunt annexa, quatenus de istis plenam notitiam habuerit, & consentiendo ordini etiam implicitè istis consenserit; vel consenserit solum in ipsam substantiam ordinis, & nullo modo ijs, quæ sunt eidem annexa. Iuxtà primum sensum sentio cum eodem Marchino, quod teneatur ad continentiam, quia in eandem consensit non obstante tali metu, quia quoties metus iustè illatus est, hoc est lege permittente toties nulla datur restrictio. Ratio est, quia sic de nulla iniuria conqueri potest metum passus cum iure permittente fuerit compulsus. Iuxtà secundum sensum maior videtur difficultas, quia ex vna parte consentiendò ordini videtur sufficientèr Ecclesiæ necessitati consulere, ex alia parte potest velle in sua libertate permanere quoad continentiam. Nihilominus, quia ordo datur ad vsum, & necessitas Ecclesiæ non per ipsum ordinem præcisè, sed per eiusdem exercitium suppletur consentiendo in ordinem propter Ecclesiæ necessitatem videtur etiam implicitè consentire in vsum; consentiendo autem in vsum videtur consentire in continentiam, quandoquidem Ecclesia ijs, qui ordinati sunt inuiti quoad vsum interdicit vsum, vt videre est in pueris, qui si fuerint ordinati ante vsum rationis, & postquam ad ipsum peruenerint, renuant continentiæ consentire, illos priuat vsu ordinis.

Si consenserit plenè in ordinem vtique tenetur.

4 *Etiam si consenserit solum in ordinem*

ARTICVLVS XVIII.

De secundo onere Subdiaconatus horarum, scilicet Canonicarum.

SVMMARIVM.

Subdiaconus tenetur horas canonicas recitare. 1.

Sententia asserens hoc onus partim à iure Diuino, partim ab Ecclesiastico procedere. 2.

Sententia asserens procedere à iure naturæ. 3.

Indicantur iura, ex quibus procedit hoc onus. 4.

Hoc onus est antiquissimum. 5.

Et obligat ex genere suo sub lethali. 6.

VNa est omnium Theologorum, & Canonistarum vox, quod sacris ordinibus initiati teneantur horas canonicas dietim recitare, sed quo iure ad hoc compellantur, non est certum apud omnes. In hoc igitur articulo inquiremus, quale sit tale ius, quod ad hoc obliget; an diuinum scilicet, an naturale, an positiuum, & humanum. Secundò supposito, quod sit merè humanum, à quonam tempore incæperit obligare. Tertiò sub quo onere obliget. 1

Subdiaconus, tenetur Horas Canonicas recitare.

Quoad primum non defuerunt aliqui, qui asseruerunt onus recitandi horas canonicas quoad initiatos sacris ordinibus partim à iure Diuino, partim à iure humano manare. De iure Diuino, quatenus Ecclesiastica persona à sæculo abstracta, & indissolubilitèr Deo per sacros ordines alligata laudis sacrificium debeat celebrare, illudque Deo Omnipotenti de fructu labiorum suorum offerre; vndè consequentèr dicunt, Summum Pontificem dispensare non posse, vt Diuinum Officium in totum non recitetur. De iure humano Ecclesiastico, quatenus Ecclesia ordinauit, distinxit, & modum præscripsit recitandi. 2

Sententia asserẽs partim à Diuino, partim ab Ecclesiastico iure procedere.

Non defuerunt alij, qui dixerunt, hoc onus procedere à iure naturali, ea ducti ratione, quod, cum Clerici sacris addicti temporalia à laicis habeant, natura sic exigente debent spiritualia conferre, & pro eisdem laicis intercessiones ad Deum habere iuxta textum *in cap. cum secundum de prabendis*. 3

Sententia asserẽs procedere à iure naturæ.

Communior tamen, & amplectenda illorum sententia est, qui asserunt procedere de iure humano Ecclesiastico, nam, quamuis de iure Diuino, & naturali, possit esse obligatio persoluendi aliquas laudes Deo, non est tamen ex eisdem

iuribus

iuribus sancitum, quod hæ potius, quam illæ laudes Deo persoluantur, ea proportionali ratione, qua de iure Diuino est festa celebrare, non est tamen de iure Diuino, quod talitèr, vel talitèr celebrentur, cum hoc sit ab Ecclesia præscriptum, vndè, sicuti Pontifex potest dispensare in auditione sacri ità potest dispensare in recitatione horarum canonicarum. Ratio huius sententiæ ex eo deducitur, quod in sacris paginis non constat de tali onere, adeoque neque de iure Diuino, quinimmò, nec constat ab Apostolis emanasse, &, si de iure Diuino esset, non posset Pontifex dispensare, ergo, cum omnes fateantur Clericos in sacris constitutos teneri ad recitationem horarum canonicarum, hoc onus debet ab aliquo iure procedere, non Diuino, vt mox probabatum est, ergo humano, non ciuili, quia ad ipsum non pertinet de rebus sacris disponere, ergo Ecclesiastico.

Procedit à iure humano Ecclesiastico.

4 Quod si dicas; nullibi constare de iure canonico obligante ad huiusmodi recitationem; nam, si afferantur textus *in cap. si quis Presbiter, vel Diaconus distinct. 92.*, *& in cap. Presbiter distinct. 91.*, *& in cap. 1. de celebrat. Miss.*, primus textus intelligendus est solummodò de publica recitatione horarum, & de Clericis Choro addictis; secundus loquitur solum de Presbiteris, non de Diaconis, & Subdiaconis. Tertius etiam solum loquitur de Presbitero, & fortè etiam curato, cum in eodem textu eidem præscribantur opportuna, quæ ad curam animarum pertinent; statim respondebo sufficientèr per hos textus indicari hoc onus etiam respectu Subdiaconorum præcipuè per textum *in cap. Presbiter distinct. 91.*, vbi nomine presbiteri lata significatione veniunt, & Diaconi, & Subdiaconi iuxta *Glosam*, *& Panormitanum ibidem*; deindè hoc expresiùs, & fortiùs habetur *in c. dolentes de celebratione Missarum*. Hoc idem habetur *in Concil. Basiliensi sess. 21. sub tit. qualitèr extra Chorum Horæ Canonicæ dicendæ sint*, vbi sic habet. *Quoscunque alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos, cum ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc Sancta Sinodus &c.*, & licet non videatur ibi onus imponere, sed supponere, *cum ad Horas Canonicas teneantur*, indicat tamen tale onus adesse, quod puto esse relatiuè ad præcitatos textus. Tandem dicere possumus, quod, quamuis non haberemus de hoc ius Ecclesiasticum scriptum, sufficientèr tamen habeamus non scriptum fundatum in immemorabili consuetudine sic recepta, & præscripta, quod satis est ad obligandum.

Indicantur iura quibus procedit hoc onus.

Quoad secundum non possumus certum tempus assignare, ex quo incæperit hoc onus constitutis in sacris recitandi Horas Canonicas; ex quo tamen *in dicto Concil. Basiliensi* dicatur, *cum teneantur ad Horas Canonicas*, præsumendum est longè ante tale Concilium hoc onus viguisse; vndè apparet fuisse antiquissimum. 5

Hoc onus est antiquissimū.

Quoad tertium asserendum est, obligare sub onere peccati læthalis, nisi paruitas materiæ, vel legitima causa excuset. Ratio ex eo deducitur, quia præceptum est de re graui, & sub grauibus pænis, ergo inducit obligationem sub graui. Quare *in dicto cap. dolentes de celebratione Missarum*, præcipitur Prælatis, & Clericis in virtute sanctæ obedientiæ, vt Nocturnum Officium, & Diurnum studiosè recitent, & deuotè; quod certè importat onus graue. Dixi, *nisi paruitas materiæ, vel legitima causa excuset*, de qua re infrà latissimè agemus. 6

Et obligat ex genere suo sub lathali.

ARTICVLVS XIX.

An in die ordinationis Subdiaconatus, teneatur ad totum Officium illius diei.

SVMMARIVM.

Horæ Canonicæ non dicuntur ab orando, sed ab horis, quibus orari debet. 1.

Assignatur tempus, quo debent recitari. 2.

Rationes suadentes non teneri, nisi ad illas horas, quæ ex præscripto Ecclesiæ remanent recitandæ post ordinationem. 3.

Sententia asserens obligari ad omnes horas. 4.

Sententia pro illa die ad nullas obligari. 5.

Probabilius non obligatur, nisi ad eam Officij partem, quæ ex præscripto Ecclesiæ remanet recitanda post ordinationem. 6.

Onus respicit diem diuisim per partes. 7.

Soluuntur rationes suadentes ad nullas horas teneri. 8.

Horæ Canonicæ dicuntur non ab orando, vt aliqui opinati sunt, sed ab horis, quibus metimur tempus præscriptum, & determinatum ad orandum, & psallendum; sicuti enim Regius Psaltes *septies in die laudem Deo canebat*, ita & Ecclesia statuit, vt Deo septies cànerentur, quas à tempore, quo recitari debent, Horas Canonicas appellauit. 1

A quo desumatur ethimologia horarum.

2 Tempus autem determinatum pro singulis horis sic disponitur, vt Matutinum cum laudibus recitetur, vel media nocte iuxta illud Psalmi *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*, vel summo manè iuxta illud. *Ecce iam noctis tenuatur vmbra*; prima in aurora, tertia hora tertia, sexta hora

Assignatur tempus, quo debent recitari.

hora sexta, nona, hora nona Vesperæ post prandium, Completorium in Vesperis.

3 *Sententia asserens non obligari nisi ad horas, quæ remanent post ordinationem.* Cum igitur ordo Subdiaconatus, qui confertur inter Missarum solemnia, non conferatur, nisi post tempus præfenitum pro Matutino, Laudibus, & prima, & obligatio non incipiat, nisi à suscepto eodem ordine Subdiaconatus, videtur sic ordinatus non obligari, nisi ad horas, quæ ex præscripto Ecclesiæ sunt recitandæ post tempus à suscepta ordinatione, nempè ad tertiam, & sequentes horas, cum solummodò à tali tempore sit posita ordinatio, à qua consurgit obligatio, vt in specie scribit inter alios *Azorius instit. mor. part. 1. lib. 10. cap. 13. qu. 17.*

4 *Sententia obligans ad omnes.* Quia tamen onus recitandi Horas Canonicas, & onus diei, & ordinatio sequitur in illa die, nonnulli asseruerunt, ad omnes Horas Canonicas illius diei teneri Subdiaconum ordinatum; non enim ità alligatum est onus recitandi Matutinum cum laudibus, & prima illi determinato tempori, vt, si in illo non recitentur, non sit amplius obligatio post illud recitandi, cum onus vigeat pro tota ille die. Cum igitur in illa die obligetur, & onus pro tota die vigeat, non videtur eximi ab obligatione recitandi in totum.

5 *Sententia ad nullas obligans* Ex aduerso alij docuerunt pro illa die ad nullas horas recitandas teneri argum. textus *in §. 2. Institut. de verb. obligat.*, & *§. vlt. institut. de inutilibus stipulationibus*, vbi in odiosis, & grauantibus desideratur totus dies effluxisse. Addunt, quod, cum dies incœperit sine onere, quod quando est, respicit totam diem, non videtur congruè grauari in reliquo die, quando non est grauata à principio. Quid iam in hoc concludendum?

Assertio. Probabilius est, non obligari, 6 *Præfertur prima sententia.* nisi ad eam officij partem, quæ ex præscripto Ecclesiæ remanet recitanda post ordinationem. Consentiunt in hoc *Azorius loc. cit.*, & *Marchinus part. 6. de Subdiaconat. cap. 12. difficult. 1. n. 11.*

Ratio ex eo desumitur, quia ex vi ordinationis non obligatur, nisi ad ea onera, quæ consequuntur ad ipsum ordinem, non autem inducit aliquam obligationem ad præcedentia, ergo non obligatur, nisi ad eas horas, quæ ex præscripto Ecclesiæ sunt recitandæ post ordinationem, non ad eas, quæ ex præscripto eiusdem sunt recitandæ antecedentèr ad ipsam; non enim obligatio, quæ consurgit ex ordinatione retro trahenda est ad ea, quæ eandem præcedunt.

Neque obstant ea, quæ pro secunda sententia afferebantur, quia onus non respicit totam diem indiuisibilitèr, sed diuisim per partes, & per diuersas horas, secundum quas diuisim singulæ horæ sunt recitandæ; cum igitur obligatio consurgat post aliquas partes, hoc est post tempus, in quo horæ secundum Ecclesiæ præscriptum supponuntur recitatæ, cum pro illo debeant recitari; ideò ad illas non vrget, sed dumtaxat ad reliquas, quæ sunt recitandæ, nec vrget id, quod subditur, quod scilicet, si horæ non recitentur in tempore ab Ecclesia præscripto non cesset onus illas recitandi in reliquo illius diei; non vrget, inquam, quia licet hoc verum sit in ijs, in quibus est obligatio pro tota die, non tamen in ijs, in quibus obligatio incipit tantum pro medietate diei, vt in casu nostro; in illis etenim onus est totius diei, adeoque quovsque dies durat, obligantur; in istis verò est onus solius medietatis diei, adeoque nonnisi pro illa medietate tenentur, vndè ad summum in hoc valet paritas, quod, sicuti illi, cum sint obligati pro tota die, si non recitauerint pro tempore in ille die præscripto teneantur totum recitare in reliquo illius diei; ità, si isti post susceptam ordinationem, non recitauerint illas horas, quas recitare tenentur horis præfinitis, teneantur illas in reliquo diei recitare. 7 *Onus respicit diem diuisim per partes.*

Nec item obstant, quæ pro tertia sententia afferebantur, nam textus allegati, quibus aduersarij innituntur, prçterquam quod non faciunt ad rem, potius contrarium euincunt; nam ibi dicitur, quod, si obligatio sit pura, confestim vrgeat, si verò sit in diem non obliget, nisi elapsa tota die; in hac autem hypothesi obligatio consurgens ex ordinatione est pura, adeoque statim vrget. Deindè, quando dicitur, quod obligatio relata ad diem non vrgeat, nisi elapsa die, hoc verificatur, quando actio est indiferens secundum se, vt ponatur illa, vel die sequenti; hæc autem obligatio cum sit affixa illi diei, non potest in alteram transferri, cum pro altera vrgeat alia similis obligatio. Ad illud, quod subditur, dicendum est, ad summum valere, quando grauamen esset indiuisibile, non autem, quando est diuisum in partes, quia tunc dies potest esse non grauata pro parte, pro qua non incœpit obligatio, & pro altera grauata; pro qua obligatio incœpit. 8 *Soluuntur rationes pro vltima sententia*

AR-

ARTICVLVS XX.

An, si quis ante ordinationem totum Officium illius diei recitauerit, intelligatur oneri illius diei satisfecisse.

SVMMARIVM.

Exponitur series difficultatis. 1.
Rationes suadentes per illam anticipatam recitationem satisfecisse. 2.
Rationes suadentes non satisfacere. 3.
Probabilius satisfecit. 4.
Argumentum ad hominem contra Bonacinam. 5.
Reijcitur responsio Bonacinæ. 6.

1 *Exponitur series difficultatis.* SEnsus huius difficultatis in hoc consistit. Suppono iuxtà præacta, quod ordinatus Subdiaconus non incipiat obligari, nisi post punctum eiusdem ordinationis, & quidem solum ad illas horas, quæ secundum præscriptum Ecclesię correspondent tempori post ipsam ordinationem, adeoque dumtaxat ad sextam, nonam, Vesperas, & Completorium. Suppono vlteriùs, quod ipse præuidens fortè post ordinationem sibi non superfuturum esse otium pro reliquo diei, vel ex alia causa ad eas recitandas, ipsas omnes ante ordinationem recitauerit, & tunc quæro, an per illam præproperam recitationem satisfecerit oneri, quod subiuit per ordinationem.

2 *Rationes suadentes satisfacere.* Ratio dubitandi pro validitate satisfactionis, ea est, quia illud onus recitandi Horas Canonicas correspondentes tempori post ordinationem est onus illius diei, dum autem in illa eadem die fuerint recitatæ, verificatur, quod oneri diei fuerit satisfactum. Quod autem onus non inceperit, nisi post medietatem diei parum referre posse videtur, cum onus licet inceptum media die possit adimpleri pro tota die, cum Ecclesia diem statuerit pro recitatione.

3 *Rationes suadentes non satisfacere.* Ratio dubitandi pro negatione validæ satisfactionis, ea est, quia validè non fit satisfactio pro obligatione futura, & nondum nata per actionem præcedentem, quando obligatio actionis non oritur, nisi post aliquod opus, ad quod consequitur illa obligatio, sed obligatio recitandi Horas Canonicas non oritur, nisi post ordinationem in Subdiaconum, ergo recitatio præcedens ipsam ordinationem non potest esse satisfactoria illius obligationis. Accedit in confirmationem, quod, si quis sacrum audierit in die festum præcedenti non satisfacit oneri diei festi, eo quia onus solummodò incipit in die festo; sed etiam onus recitandi Horas Canonicas ex vi ordinationis non incipit, nisi post ordinationem, ergo per præcedentem recitationem ad eandem ordinationem non satisfit oneri &c. Neque dicas non currere paritatem, quandoquidem onus audiendi sacrum in die festo est alligatum diei festo, adeoque, si extra diem festum Missa audiatur, per hanc auditionem non satisfit præcepto; onus autem recitandi Horas Canonicas post ordinationem est pro tali die ordinationis, & onus talis determinatæ diei; in illa autem eadem die recitatio est posita; contra enim impugnaberis, quia, sicuti obligatio audiendi sacrum in die festo non incipit, nisi in eodem die festo, itá obligatio recitandi Horas Canonicas in die ordinationis non incipit, nisi in eadem ordinatione, ergo, sicuti illi non satisfit per auditionem præcedentem diem festum, neque isti satisfiet per recitationem præcedentem eandem ordinationem. Quid iam in hoc concludendum?

Assertio. Probabilius est, sufficientèr satisfecisse, nec teneri horas correspondentes tempori post ordinationem iam antecedentèr eadem die recitatas repetere quidquid ex aduerso dicat *Bonacina de ijs, quæ ad prim. Diuin. Offic. recitat. pertin. disp. 1. quæst. 2. punct. 5. num. 11.* Nostræ opinioni adhærere videtur *Salas de legibus disp. 14. sect. 4.* 4 *Probabilius satisfacit.*

Ratio est, quam suprà insinuauimus, & strictioribus terminis sic comprehenditur. Onus, quamuis incipiat dumtaxat post ordinationem, est tamen onus diei, & sufficit, quod sit adimpletum in die, ergo cum tales horæ fuerint recitatæ in illa die, quamuis antecedentèr ad ordinationem, sufficienter erit satisfactum oneri illius diei, nec currit paritas in anticipata recitatione earum in die præcedenti, vel de auditione sacri die præcedenti diem festum; quandoquidem, & recitatio Horarum Canonicarum est affixa diei ordinationis, & auditio sacri diei festo, extra quos propterea nec recitatio, nec auditio prodest ad adimplendum præceptum; recitatio verò in die ordinationis est affixa eidem diei, & obligatio adimpletur in eadem die. Hinc *Sufficit, quod onus adimpleatur in die, quo incapit.*

Probatur secundò ad hominem contra Bonacinam contrariæ sententiæ assertorem. Auditio sacri summo manè in loco, in quo non celebratur festum, satisfacit oneri auditionis sacri in loco, in quo celebratur festum, sic, si quis summo manè audiat Modoetiæ sacrum, vbi non est dies festus D. Matthæi, cum ibi celebratur Ritu Romano, & accedat Mediolanum 5 *Argumentum ad hominem, contra Bonacinam.*

num hac die, qua hæc scribo, vbi celebratur dies festus eiusdem Apostoli, certè per illam auditionem factam summo manè Modoetiæ satisfacit oneri auditionis sacri, quod hic vrget, cum hic peruenerit hora opportuna ad audiendum sacrum, vt fatetur *Bonacina ipse de legibus disp. 1. quæst. 1. punct. 5. num. 58. vers. idem dicendum, & de ijs, quæ pertinent ad priuatam Diuini Officij recit. disp. 1. qu. 2. punct. 5. num. 11. vers. ratio dubitandi* allegato *Salas de legibus disp. 14. sect. 4.*, & tamen onus audiendi sacrum non incipit, nisi à tempore, quo Mediolanum, vbi onus viget, peruenit, ergo etiam per recitationem præcedentem factam eadem die ordinationis satisfecit præcepto recitationis horarum, quantumuis onus incæperit solum à puncto ordinationis; in vtroque etenim casu est onus diei, in vtroque obligatio non incipit à principio diei, sed tantum ab illo puncto, quo ille Mediolanum peruenit, iste ordinatus est, in vtroque est anticipatio in primo auditionis sacri, in secundo recitationis horarum, & tamen, quia in eadem die, qua viget onus audiendi sacrum, sacrum audiuit, licet ante obligationem satisfacit primus præcepto, ergo etiam secundus per anticipatam recitationem factam eadem die.

6 *Reijcitur responsio Bonacinæ.* Ad hoc respondet *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recitation. pert. d. disp. 1. quæst. 2. punct. 5. num. 11. vers. respondeo negando consequentiam*, quod audiens sacrum non audit illud nomine Ecclesiæ, & vt minister eiusdem; ordinatus autem Subdiaconus recitat Officium nomine Ecclesiæ, cuius non est minister, nisi post susceptum ordinem, adeoque mirum non est, quod ille satisfaciat, non iste. Sed impugnatur primò, quia iam recedit à ratione formali per ipsum adducta, quod scilicet satisfactio supponat debitum, cui nequeat anticipatè satisfieri; si etenim audiens sacrum in loco, in quo non viget onus audiendi, satisfacit oneri, quod viget in alio loco, ad quem accedit, quantumuis obligatio non incipiat, nisi cum peruenerit ad talem locum, iam cessat ratio, quod satisfactio supponat debitum, ad quod impertinentèr se habet, quod ille non audiat nomine Ecclesiæ, iste recitet nomine ipsius. Secundò, quia in tantum recitat nomine Ecclesiæ, in quantum eidem ab Ecclesia imponitur onus recitandi, cum antecedentèr ad præceptum Ecclesiæ non esset tale onus Subdiacono adiectum; cæterum ad summum hoc præstat, vt minister Ecclesiæ, quando publicè in Choro recitat, non autem, quando priuatim, sed etiam ab Ecclesia imponitur onus audiendi sacrũ, ergo &c.

Probatur tertiò ex praxi recepta in aliquibus, & pluribus Religionibus, secundum quam diebus, quibus aliqui profiteri debent anticipant longè ante consuetum in Choro recitationem horarum, quibus interueniunt professuri ad effectum, vt detur locus functioni professionis, & tamen post professionem non compelluntur sic professi ad repetendas horas, quas præcedentèr in Choro cum alijs recitauerant, quantumuis non obligentur, nisi post professionem emissam, ergo etiam &c. *Argumentum desumptum à paritate.*

ARTICVLVS XXI.

De tempore, quo recitandæ sunt Horæ Canonicæ.

SVMMARIVM.

Dies Ecclesiastica computatur de media ad mediam noctem. 1.

Quomodo cohæreat cum hac computatione, quod Matutinum cum laudibus diei subsequentis licitè recitetur post Vesperas diei præcedentis. 2.

Oritur solùm ex iure consuetudinario sic recepto. 3.

Etiam, vbi non est consuetudo recitandi Matutinum post Vesperas in diebus solemnioribus, in quibus primæ Vesperæ sunt de solemnitate potest post illas Matutinum recitari. 4.

Rationes suadentes Matutinum esse cum Laudibus coniungendum. 5.

Possunt etiam separatim recitari, Matutinum scilicet in Vesperis, & Laudes manè. 6.

Ordo seruandus in solemni recitatione Horarum Canonicarum quoad tempus. 7.

In hoc seruandæ sunt consuetudines locorum. 8.

Sententia asserens, quod, si varietur notabilitèr tempus præscriptum in recitatione solemni, peccetur lethalitèr. 9.

Probabilius non peccatur lethalitèr secluso contemptu, & scandalo. 10.

Præcipuus finis talis temporis distributionis est in ordine ad rememorationem septem mysteriorum Passionis Christi Domini. 11.

Explicatur textus in Clem. 1. de celebrat. Miss. 12.

In recitatione priuata potest Matutinum cum Laudibus recitari post Vesperas præcedentis diei, omnes horæ manè etiam simul vsque ad Vesperas. 13.

Matutinum cum Laudibus potest recitari post Vesperas diei præcedentis, vbi istæ recitantur præscripto tempore. 14.

Celebrare Missam ante recitatum Matutinum non est lethale remissiuè. 15.

Ti-

1 *Dies Ecclesiastica est de media ad mediam noctem.*

Titulus hic plura inuoluit, tum relatè ad tempus, intra quod Officium totum recitari debet, tum relatè ad tempus, quo singulæ horæ sunt persoluendæ.

Et quidem in ordine ad primum hæc regula communitèr præscribitur, quod, cum onus recitandi Horas Canonicas sit pensum diei, incipiat à media nocte antecedentis diei ad mediam noctem sequentis inclusiuè; dies enim secundum communem Ecclesiæ acceptionem incipit à media nocte, & terminat ad sequentem mediam noctem; vndè secundum hanc regulam Officium diei non videtur posse incohari, nisi post mediam noctem antecedentis diei, nec prosequi vltra mediam noctem sequentem; vsus tamen inualuit, & obtinuit quoad recitationem Matutini cum laudibus, quod possit præmitti, & recitari in Vesperis præcedentis diei.

2 *Quomodo cum hoc stet, quod Matutinũ diei subsequentis recitetur post Vesperas diei præcedentis.*

Sed quomodo hoc congruit cum enunciata regula de media in mediam noctem, si ante mediam noctem, hoc est in Vesperis præcedentis diei Matutinum huius diei cum laudibus potest recitari? Certè ista dies non incipit, nisi à media nocte, ergo, si Matutinum cum laudibus recitetur ante illam, non recitatur in die, qua ex præscripto Ecclesiæ debet recitari, & si Matutinum cum laudibus potest recitari ante mediam noctem, cur non prima, & tertia, cum omnes sint horæ illius diei? *D. Thomas, quodlib. 5. art. vlt. ad primum* sic procedit, quod, quantum ad contractus, & alia huiusmodi dies incipit à media nocte, sed quantum ad Ecclesiasticum Officium, & solemnitatum celebritates incipiat dies à Vesperis; ex quibus verbis patet iuxtà D. Thomam, quod recitatio Matutini cum laudibus habita in Vesperis diei præcedentis pertineat ad diem sequentem. Sed in hoc fit recessus à communi regula, secundum quam dies incipit à media nocte, & perseuerat vsque ad mediam, quam regulam communitèr recipiunt Doctores non solum in ordine ad contractus, sed etiam in ordine ad recitationem Diuini Officij. Deindè adhuc remanet explicandum, quomodo, si incipit à Vesperis diei præcedentis non possit saltem validè, licet non licitè cum Matutino recitari etiam prima, & tertia? cum recitarentur in die incæpto, quo debent recitari. Ad hæc concilianda dicendum est de rigore iuris, diem non incipere, nisi à media nocte; ex consuetudine tamen recepta communitèr in ordine ad Officium Ecclesiasticum incipere à Vesperis diei præcedentis non quidem quoad omnia, sed dumtaxat quoad Matutinum, & laudes, vndè quoad reliqua ius scriptum remanet in suo robore.

3 *Oritur solum, ex consuetudine.*

Sed aliqua difficultas consistit in diebus solemnioribus, in quibus primæ Vesperæ, quæ celebrantur die præcedenti solemnitatem, sunt eiusdem solemnitatis, an scilicet in peruigilio earundem dierum solemniorum, Matutinum diei sequentis solemnioris possit recitari immediatè post easdem primas Vesperas, cum tunc videatur incipere dies solemnitatis, cum tunc recitentur Vesperæ, quæ ad eandem solemnitatem pertinent. Hæc difficultas videtur potissimum vrgere in locis, in quibus non est recepta consuetudo recitandi Matutinum cum laudibus ante mediam noctem; nam in alijs locis, in quibus viget cõsuetudo recitandi illud post Vespertinas, & Completorias horas, non habet locum, nam, si in alijs diebus possunt pro illo tempore licitè recitari, à fortiori poterunt recitari in diebus illis solemnioribus, in quibus primæ Vesperæ sunt de solemnitate. Arbitror probabilius esse, posse post easdem Vespertinas, & Completorias precationes immediatè recitari, quia in hoc casu, cum incipiat Officium diei sequentis à Vesperis, potest, & Matutinum pertinens ad illum diem absolui. Ad hoc etiam facit, quod etiam publicè in Ecclesia, quandoque recitentur, vt triduo ante Pascha, & in aliquibus Ecclesijs per totam octauam solemnitatis Corporis Christi Domini. 4

In diebus solemnioribus, in quibus primæ Vesperæ sunt de solemnitate potest post illas recitari Matutinum.

Rursus quoad hoc potest esse difficultas, an vbi recepta est consuetudo recitandi Matutinum post Vespertinas, & Completorias preces sint ex necessitate laudes coniungendæ cum Matutino, an verò possit in Vesperis Matutinum recitari, & laudes in manè? Videtur prima fronte dicendum, esse ex necessitate coniungendas, eo quia non duas Horas Canonicas constituant, sed vnam dumtaxat, quod ex eo colligitur, quod, vt infrà videbimus, septem dumtaxat sunt Horę Canonicæ; si autem laudes computarentur pro vna hora distincta, octo essent horæ computandæ. Nihilominus sentiendum est, & posse simul, & separatim, hoc est Matutinum in Vesperis, & laudes in manè recitari. In hoc consentit *Bonacina de ijs, quæ pertinent ad Diuini Officij priuat. recit. disp. 1. quæst. 3. punct. 3. num. 11.*, vbi alios innumeros allegat. Ratio primæ partis ex eo desumitur, quia Matutinum, & laudes constituunt dumtaxat vnam horam, cæteroqui contra communiorem Doctorum consensum, de quo infrà agemus, octo computarentur Horæ Canonicæ; vna autem hora est simul recitanda. Ratio secundæ partis est, quia antiquitus ità in more positum erat, vt laudes recitarentur post nocturnas preces separatim 5

Rationes suadentes Matutinum, cũ laudibus esse coniungendum.

Qq in

in aurora, vt videtur colligi *ex cap. 1. de celebratione Missarum*, sed hunc textum allegat Bonacina ad hunc effectum, de quo tamen non loquitur textus. Hoc certum est, quod, quamuis Matutinum, & laudes non constituant, nisi vnam horam, habent tamen ad inuicem ex ipsius Ecclesiæ institutione quandam seiunctionem, cum incipiant eo modo, quo incipiunt aliæ horæ separatæ per inuocationem adiutorij Dei; vndè quandoque eadem Ecclesia Matutinum à laudibus seiungit, vt videre est in nocte Natiuitatis Christi Domini, in qua recitato prius Matutino præcipit Missam celebrari, & post Missam laudes, quinimmò nonnulli testantur, antiquitus consueuisse tria nocturna constituentia Matutinas precationes separatim recitari tribus distinctis horis, & *Filliutius tract. 23. cap. 6. num. 202., & 238.*, tradit, posse etiam modo separatim dici, & si hoc fieri potuit quoad nocturna, non video, cur non possit fieri quoad laudes. Sed quomodo per hoc saluari potest, quod constituant vnicam dumtaxat horam? Dicendum est, esse vnam vnitate coordinationis, quæ non exigit vnitatem temporis, de qua re infrà in sequenti articulo vberiùs agemus.

6 *Possunt separatim recitari.*

In ordine ad secundum relatum ad tempus, quo singulæ horæ sunt persoluendæ distinguendum videtur in ordine ad recitationem publicam in Choro faciendam, & in ordine ad priuatam extra Chorum. Circa recitationem publicam, duo hic veniunt discutienda. Primò, quanam hora singulæ sint recitandæ. Secundò, an, si notabilitèr varietur tempus præscriptum ad singularum recitationem committatur peccatum, & quodnam.

7 *Ordo seruandus in solemni recitatione Horarũ Canonicarum.*

Ad primum dicendum est, quod iuxtà iura, & Canones hoc tempus sit seruandum, vt Matutinum cum laudibus recitandum sit ad mediam noctem, aut quarta vigilia noctis, hoc est vna, duabus, tribusue horis ante ortum solis. Prima orto iam sole iuxtà id, quod dicitur in principio hymni, *Iam lucis orto sidere*. Tertia hora tertia à solis ortu. Sexta hora meridiana. Nona tertia post meridiem hora. Vesperæ hora decima ab ortu solis, Completorium post solis abscessum. Iuxtà consuetudines regionum, & diuersarum Religionum receptum est, vt cum aliqua temporis variatione etiã in Choro recitentur, nam alicubi Matutinum cum laudibus recitatur in Choro post Completorias preces; prima, & tertia simul coniunguntur, & summo manè recitantur; sexta, & nona pro eodem tempore circa meridiem; Vesperæ, & Completorium, tribus, vel quatuor horis ante solis occasum. Alicubi Matutinæ preces cum laudibus recitantur summo manè, & cum illis coniunguntur prima, & tertia. Alicubi Matutinum cum laudibus dicitur post mediam noctem, & prima, tertia, sexta, & nona simul recitantur post solis ortum &c., & alibi alitèr, quæ consuetudines seruari possunt sine vlla labe, cum habeant vim legis non scriptæ, seu consuetudinariæ, quæ derogat etiam scriptæ.

8 *In hoc seruari possunt consuetudines locorum*

Ad secundum *Nauarrus cap. 3. de orat. num. 63.*, *Reginaldus lib. 18. num. 180. ad fin.*, *Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 12. num. 78.*, *& alij plures* apud *Bonacinam de ijs, quæ ad priuatam Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 3. punct. 3. num. 7.*, asserunt, quod, si notabilitèr varietur tempus à iure, vel consuetudine præscriptum in recitandis horis in Choro peccetur læthalitèr, nec satisfiat obligationi recitandi in Choro, & rationes in eo fundant, quod tale tempus præscriptum sit in commodum populorum, vt interesse valeant Diuinis Officijs, quo commodo frustrarentur, si ex libertate posset tempus recitationis variari, quod certè graue est. Addunt compelli posse per censuras ad recitandas horas tempore præfinito, vt habetur *in Clem. 1. de celebrat. Missarum*, quod certè nimis arduum esset, nisi tenerentur sub graui seruare tempus præscriptum. Nihilominus absolutè crederem, non esse in tali variatione peccatum graue, si præscindas à contemptu, & scandalo, quinimmò nullum esset peccatum, si variatio contingat ex legitima causa. In hoc consentiunt *Valentia secunda secunda tom. 3. disp. 6. qu. 2. punct. 10. vers. est autem*, *Caietanus in summa verb. hora cap. 4.*, *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. qu. 3. punct. 3. num. 7. vers. Ego verò*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod seclusο scandalo illa variatio temporis non est talis, vt ingerat grauitatem culpæ cum non pertineat ad substantiam præcepti, sed præcisè ad circumstantiam temporis, & cæteroqui Officium recitaretur intra diem præscriptum. Ratio secundæ partis est, quia verbi gratia, quando solemnis processio habenda est, vel concio consuetudine receptum est, vt huiusmodi horæ, vel præponantur, vel post ponantur. Quod, si dicas, quod ob similes causas non liceat Missam celebrare vltrà tempus ab Ecclesia præscriptum, hoc est ante auroram, vel post meridiem, ergo neque ex eisdem causis licitum erit horas, vel præponere, vel post ponere tempori præscripto; statim impugnaberis, quia in primis non ità verùm est,

9 *Sententia asserens in variatione notabili temporis peccari læthalitèr*

10 *Probabilius nõ peccatur læthalitèr*

quod

quod dicitur de celebratione Missæ, quin per Epicheiam interueniente legitima causa possit celebrari, vel paulò ante, vel paulò post. Deindè, quidquid sit de præpostera, vel postposita Missæ celebratione, vsus, & consuetudo obtinuit, vt possit interuenientibus allegatis, & similibus causis tempus horarum variari, non sic, vt possit præponi, vel postponi Missa tempori præscripto.

11 *Quinam sit præcipuus finis distributionis illius temporis.*

Ad rationes contrariæ sententiæ iam respondendum est, primarium finem constitutionis determinati temporis ad recitationem Horarum Canonicarum respicere cultum Diuinum in remmemorationem septem præcipuorum mysteriorum Passionis Christi Domini, prout colligitur ex illis carminibus relatis *per Glosam in cap. 1. de celebratione Miss.*

Hæc sunt septennis, propter quę psallimus, horis Matutina ligant Christum, qui crimina purgat Prima replet sputis, causam dat tertia mortis Sexta Cruci nectit, latus eius nona bipersit Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

Quod, si velimus etiam illam temporis distributionem inductam esse in commodum populorum, vt Diuinis Officijs interesse valeant, dicere possumus, esse dumtaxat finem minus præcipuum, & secundarium, qui ex legitimis causis præcipuè enarratis variari poterit, cum populi vberiores concurrent ad solemnem processionem, vel concionem audiendam, quod in maiorem vtilitatem eorundem cedere potest. Ad secundam de illa enunciata compulsione per censuras ad recitandam

12 *Explicatur textus in Clem. 1. de celebrat. Miss.*

præscriptis temporibus *ex Clement. 1. de celebratione Miss.*, dicendum est, hoc inductum fuisse præcipuè ad euitandum scandalum, & seruandam consuetam Ecclesiæ armoniam, vndè, si variatio esset peccaminosa læthalitèr, esset talis ratione scandali, non ratione sui præcisè. Deindè in allegato textu *in Clement. 1. de celebrat. Miss.* Pontifex mandat Ecclesiæ Prælatis, vt sint solliciti, vt hoc onus debitis temporibus adimpleatur, & propterea præcipiant obseruantiam, & in contumaciam compellant censuris, ex quibus sequitur, quod in contumaciam præcepti censura sit iniungenda, ideoque non præcisè ob violationem temporis, sed ob violationem præcepti.

13 *Quandonam possint recitari priuatim.*

Circa recitationem deindè priuatam Horarum Canonicarum, quamuis videatur attento præcisè iure communi idem omninò seruandum, quod in recitatione publica in Choro, vsus tamen inualuit, vt vel Matutinæ precationes, & laudes recitentur in Vesperis præcedentis diei post Vesperas, & Completorium, vel manè sequenti, & etiam, vt tunc ipso manè possint simul recitari omnes horæ vsque ad Vesperas, quod non solum consuetudine inductum est, sed etiam positiua permissione, vt colligitur *in cap. Presbiter de celebratione Miss.*, *& cap. Presbiter distinct.* 91., quinimmò etiam hic fit extensio ad Vesperas, quæ intelligenda sunt existente aliqua causa, sed, cum ibi subdatur. *Ita tamen, vt horis competentibus iuxtà possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur*, quæritur, quem sensum habeant huiusmodi verba, cui breuitèr respondeo, hunc sensum habere, vt, quamuis eidem concedatur posse simul recitare priuatim huiusmodi horas debeat tamen curare, vt publicè in Templo à cæteris Clericis minoribus debeant recitari.

Hic duo potissimum dubia emergunt, quorum primum est, an, cum ex superiùs dictis concessum sit posse Matutinas preces cum laudibus in Vesperis diei præcedentis recitari, possint immediatè post Vesperas absolui, an verò solummodò post solis recessum. Secundum, an ex necessitate saltem Matutinum sit præmittendum à Sacerdote sacrificio Missæ.

14 *Matutinum, cū laudibus potest recitari post Vesperas nō expectato recessu solis.*

In ordine ad primum, cum huiusmodi horæ dicantur nocturnæ, nonnulli voluerunt, non posse recitari, nisi post solis occasum, quo tempore incipiunt tenebræ noctis. Nihilominus sentiendum est, posse recitari post Vespertinas, & Completorias precationes, vbi istæ recitentur temporibus à iure præfinitis, & in hoc consentiunt *D. Thomas quodlib. 5. art. 28., Belarminus lib. primo de bonis operibus cap. 18. vers. solet autem, Bonacina de ijs, quæ ad priu. Diuini Offic. recit. pecc. disp. 1. qu. 5. punct. 3. nu. 16.* Ratio fundatur in communi consuetudine sic recepta, nec obstat, quod huiusmodi dicantur nocturnæ, quia tales dicuntur attento iure communi scripto, secundum quod sunt recitandæ solummodò post mediam noctem, postquam incipit dies sequens, vndè denominationem desumunt à iure.

15 *Celebrare Missā ante Matutinum non est læthale.*

In ordine ad secundum antiquitus vigebat sententia, quod læthale esset peccatum Missam celebrare ante recitationem saltem Matutini, & inter cæteros sic docuit *D. Antoninus, & alij plures antiquiores*. Sed, cum hoc non sit de iure Diuino, sed dumtaxat Ecclesiastico, quod non videtur obligare sub tam graui pœna, & vbi olim obligasset, modo sit contraria consuetudine abrogatum saltem quoad talem pænam, non videtur amplius vrgere. Sed de hoc alibi fusiùs.

ARTICVLVS XXII.

De numero, & ratione numeri Canonicarum Horarum.

SVMMARIVM.

Sententia numerans octo Horas Canonicas cum suis rationibus. 1.
Septem dumtaxat sunt Horæ Canonicæ. 2.
Satisfit rationibus contrarijs. 3.
Ecclesia in hoc conformatur exemplo Dauidis. 4.
Finis talis numeri respicit significationem septem Mysteriorum Passionis Domini. 5.

OCto Horas Canonicas numerarunt *Nauarrus cap. 3. de Horis Canonicis num. 26., D. Antoninus tertia part. tit. 9. cap. 12. §. 1., Rodriquez in summa prima part. cap. 140. num. 1.*, distinguentes Matutinum à laudibus, tanquam vnam horam ab alia. Ad hoc afferendum mo-
1 *Sententia numerans octo Horas Canonicas.*
uentur primò, quia Horæ Canonicæ institutæ sunt ad normam quotidianarum precum, quas Dauid Deo fundebat; sed hic octo distinctis temporibus has preces fundebat, septies scilicet in die iuxta illud *septies in die laudem dixi tibi*, & semel in nocte iuxtà illud *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, ergo octo sunt Horæ Canonicæ, nempè septem diurnæ, & vna nocturna. Secundò, quia laudes possunt separatim recitari à Matutino, hoc scilicet in Vesperis, illæ in manè sequenti, ergo sunt duæ horæ distinctæ, cæteroqui non possent separatim recitari, quia in vna, & eadem hora non permittitur diuina interruptio. Tertiò, quia, sicuti distinctio numerica motuum physicis desumitur à distinctione temporum; ità distinctio numerica in Horis Canonicis desumenda videtur à diuersitate temporum, quo possunt recitari.

Sed his neutiquam obstantibus asseren-
2 *Sunt tantum septem Horæ Canonicæ.*
dum est, septem dumtaxat esse Horas Canonicas, nec Matutinum à laudibus distingui, tanquam vnam horam ab alia. In hoc consentiunt *Sotus lib. 10. de inst. qu. 5. art. 4., Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 6. num. 6., Barbosa in cap. Presbiter num. 17. de celebrat. Missarum, Garzias de benef. tertia part. cap. 1. num. 224.*, & alij magis communitèr. Non aliundè rationem desumo, quam ab institutione Ecclesiæ, quæ, sicuti easdem constituit quoad substantiam, & quoad esse, ita etiam quoad numerum, nam, sicuti, quia Christus Dominus Sacramenta instituit, eorundem numerum etiam determinatè constituit, ità, quia Ecclesia Horas Canonicas instituit, earum etiam numerum præfiniuit. Quod etiam in septennario numero Ecclesia Horas Canonicas instituerit, expressè colligitur tum ex communi Doctorum consensu, tum *ex cap. 1. de celebrat. Missarum*, tum *ex Clement. 1. de reliquijs, & vener. sanct.*, tum ex Breuiario Romano, vbi septem horæ noncupantur.

Nec obstant, quæ pro contraria sententia afferebantur, non primum desump- 3 *Satisfit rationibus contrarijs.*
tum ex exemplo Dauidis; nam ex ipso potius deducitur tantum esse septem Horas Canonicas, sicuti tantum septies apud Deum ipse perorabat, nec distinguenda est oratio, quam ipse de media nocte surgens fundebat ab illis, quas in die fundebat, quin potius computabatur cum illis, nec obstat, quod loquens de septem precibus dicat *in die* loquens verò de altera dicat *media nocte*, nam per ly in die accipit diem naturalem, qui constat 24. horis à media ad mediam noctem, vndè omnes preces, quas fundebat in illis 24. horis dicebat fundere in die. Non secundum, quia ex separatione temporis, quo possunt recitari non benè arguitur diuersitas horarum; nam etiam, vt testantur plerique DD. antiquitus nocturna separatim recitabantur, nec propterea computabantur pro diuersis Horis Canonicis. Distinctio igitur non aliundè desumenda est, quam ab institutione Ecclesiæ. Non tertium propter eandem rationem.

Quoad secundam tituli partem de ra- 4 *Ecclesia in hoc conformatur exemplo Dauidis*
tione talis numeri plurimas referunt Doctores desumptas ex congruentijs. Nobis sufficiet vnam, vel alteram assignare. Congruentior videtur illa, quæ desumitur ex exemplo Dauidis, qui, sicuti fuit auctor Psalterij, ex quo desumuntur Psalmi pro Horis Canonicis, ità potuit esse exemplar, à quo fuerit desumptus numerus earundem; vndè, sicuti ipse septies in die laudes canebat, ità ipse tribuit normam Ecclesiæ instituendi horas, quibus septies laudes in die persoluerentur. 5 *Ordinatur ad manifestanda septem Mysteria Passionis.*
Altera est relata ad rapræsentandam Christi Domini Passionem, & eius principaliora mysteria, quæ, sicuti sunt septem, ità septem sunt institutæ horæ, & singulæ horæ relatæ ad singula mysteria habentur in quinque supra recitatis carminibus.

AR-

ARTICVLVS XXIII.

De ordine, quo preces Horariæ Canonicæ sunt recitandæ.

SVMMARIVM.

Ordo seruatus ab Ecclesia in recitatione Horarum Canonicarum. 1.

Recitatis Horis Canonicis ordine inuerso posterioribus scilicet ante priores cum causa nullum, sine causa solum veniale committitur. 2.

Enumerantur causæ excusantes à peccato. 3.

Si quis recitando Vesperas recordetur non recitasse sextam, & nonam completis Vesperis debet recitare sextam, & nonam, & postea Completorium. 4.

Recitatio in eadem hora partis posterioris ante anteriorem sine causa est peccaminosa venialitèr. 5.

Si cum causâ non est peccaminosa. 6.

Enumerantur aliquæ causæ excusantes. 7.

Recitatio vnius officij pro alio, si sit cum bona fide, est satisfactoria. 8.

Si fiat cum scientia, & mala fide est grauitèr peccaminosa. 9.

Nec esset satisfactoria obstante Bulla Pij V. 10.

Qui recitauit officium pro officio siue scientèr, siue ignorantèr, an satisfaciat repetendo ea, in quibus officium recitatum non conuenit cum recitato; an verò teneatur omnia repetere, latè resoluitur. 11.

1 *Ordo recitationis Horarum Canonicarum.*

CErtum est, Horas Canonicas recitandas esse seruato ordine, quem Ecclesia instituit, vt primo recitetur Matutinum cum laudibus, deindè prima, successiuè tertia, sexta, nona, postea Vesperæ, vltimo Completorium. Sed, an peruersio talis ordinis inducat grauem culpam? illud est, quod specialitèr venit sub præsenti titulo examinandum.

Pro quo aduerto, pluribus modis posse contingere peruersionem, seu inuersionē; primò quatenus recitentur horæ diurnæ ante nocturnas, vel pomeridianæ ante meridianas; secundò quatenus in eadem Hora Canonica priùs recitetur, quod posteriùs erat recitandum, puta Psalmi priùs, quam Hymnus, vel vnus Psalmus, qui est ordine posterior priùs, quam alius, qui est tali ordine prior; tertiò, quatenus vnum Officium pro altero recitatur, puta Officium de Sancto, cùm esset de feria recitandum, vel viceuersa. Hæc autem peruersio, seu inuersio quomodocunque sequatur, vel potest esse interueniente aliqua iusta causa, vel sine causa, sed ex inaduertentia, vel obliuione.

Si peruertatur ordo iuxtà primum sensum, quatenus priùs recitentur horæ diurnæ ante nocturnas, vel pomeridianæ ante meridianas interueniente aliqua iusta causa, puta, quia mente tenet illas, non istas, nec tunc habet Breuiarium, ex quo possit legere, &, si differat omnes, timeat sibi non superfuturum tempus ad omnes recitandas, nullum peccatum committitur; si verò inuertatur sine causa, tunc peccatum veniale committitur. In vniuersum consentiunt *Graffius part. 1. lib. 2. decis. 152. num. 23.*, *Azorius institut. mor. tom. 1. lib. 10. cap. 10. quæst. 1.*, *Augustinus Barbosa in cap. Presbiter de celebratione Missarum num. 8.* Ratio primæ partis est, quia cautiùs, & consultiùs proceditur præuertendo illum ordinem, quam se exponendo periculo omissionis horarum aliquarum quoad substantiam, siquidem ibi erratur in circunstantia, hic in substantia, vbi autem quis consulto operatur, & cum dictamine prudentis, & præualentis rationis nullo modo peccat. Secundò, quia Ecclesia in ijs, quæ præcipit, quæque non cadunt sub substantia præcepti, non intelligitur velle obligare, quando iusta causa excusat ab obseruantia. Hinc tradunt primo *Siluester verb. hora quæst. 9.*, *Suarez tom. 2. de Religione tract. 4. lib. 4. cap. 24. num. 4.*, *Paulus Laiman lib. 4. tract. 1. cap. 8. num. 8.*, quod, si quis adhuc Matutinum cum laudibus non recitauerit, & inuitatus à Superiore, vt simul cum ipso primam recitet, possit hanc recitare nulla labe contracta existimantes hanc iustam esse causam variandi ordinem. Secundò, quod, si quis dum recitat Vesperas recordetur se non recitasse sextam, & nonam, posse Vesperas vsque ad finem prosequi, & postea recitare sextam, & nonam ex obliuione omissas *Armilla verb. hora n. 25.*; *Caietanus in summa verb. hora, §. 2.*, *Nauarrus de Oratione cap. 21. num. 59.*, *Azorius institut. moral. tom. 1. lib. 10. cap. 10. quæst. 1.* Sed hic oritur difficultas, an, si in casu, quo, dum quis recitat Vesperas, recordatur ex obliuione omisisse sextam, & nonam, debeat post Completas Vesperas post quas solet immediatè Completorium recitare, reassumere eandem sextam, & nonam, & post illas Completorium, an verò teneatur Completorium post Vesperas absoluere, & postea sextam, & nonam. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod recitando post Vesperas Completorium, & postea sextam, & nonam nonnisi vnam præstat inuersionem, recitando verò post Vesperas sextam, & nonam duas quodamodo præstat, vnam postponendo sextam, & nonam Vesperis, alteram

2 *Recitatio inuersa, cū causa non est peccaminosa; sine causa solum venialitèr.*

3 *Enumerantur causæ excusantes à peccato.*

4 *Si quis recitādo Vesperas recordetur omisisse sextam, & nonā completis Vesperis debet recitare sextam, & nonā.*

ram intermediando Vesperas, & Completorium, quæ deberent sibi esse immediata. Ex altera parte diutiùs, quam par esset differrentur sexta, & nona. Congruentiùs arbitrarer post Vesperas soluendas esse sextam, & nonam, eo quia, vt asserebam in secunda parte rationis dubitandi, minus à suo loco distarent sexta, & nona; tum quia officium debet perfici per Completorium, & non per sextam, & nonam, quæ ex genere suo intermediant inter alias horas, nec obstant, quæ afferebantur in prima parte rationis dubitandi; non obstant, inquam, quia fit solummodò variatio in anticipatione Vesperarum ad sextam, & nonam, & Completorium stat suo loco vltimo ad complendum Officium.

Non peccat contra substantiam. Ratio secundæ partis est, quia ex vna parte declinat à præscripto Ecclesiæ nulla causa ipsum excusante; ex alia talis declinatio non est à præcepto quoad substantiam, sed dumtaxat quoad circumstantiam ordinis, ergo, quia declinat sine causa peccat, quia verò non declinat in substantia, sed tantum in circumstantia, non peccat læthalitèr, sed ad summum venialitèr.

5 *Recitatio in eadem hora partis posterioris ante anteriorem sine causa est peccaminosa venialitèr.* Si ordo peruertatur iuxtà secundum sensum, quatenus in eadem Hora Canonica recitetur priùs, quod erat posteriùs recitandum, puta Psalmus ante hymnum, tunc etiam dicendum est, quod, si hoc fiat sine causa præciso contemptu committatur peccatum veniale, si autem iusta causa interueniente, nullum peccatum. Ita in vniuersum *Emanuel Sà verb. hora num. 8., Suarez tom. 2. de Religione tract. 4. lib. 4. cap. 11. num. 10., Molfesius tract. 2. cap. 2. num. 34.* Ratio primæ partis est, quia fit peruersio in ordine ab Ecclesia præscripto, & quidem sine causa, vt supponitur, quæ tamen peruersio non est in substantia, sed in circumstantia, ergo est quidem peccaminosa, non tamen læthalitèr. Ratio secundæ partis est eadem, quæ adducta fuit de peruersione ordinis comparatiuè ad horas inter se; sicuti enim iusta causa eximit à quacunque labe recitantem horam posteriorem ante priorem, ità eadem iusta causa eximit à tali labe recitantem vnam partem eiusdem horæ posteriorem ante priorem.

6 *Si fiat cũ causa non est peccaminosa.* Hinc, si Canonicus iusto impedimento detentus Chorum non ingrediatur, nisi iam vna hora incæpta, si cum Choro prosequatur reliquum eiusdem horæ, & postea Choro finito recitet partem illius horæ, quam omisit ob dilatum ingressum in Chorum nullam labem contrahit ob iustam causam, quæ interuenit, vt præter citatos Doctores sentit *Paulus Laiman lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 7.* Item si quis recitatis nocturnis, quæ mente tenet, non habeat, quo possit lectiones recitare ob libri defectum, si timeat tempus non superfuturum, quo possit postea officium complere, nullam contrahat labem, si officium prosequatur, & postea separatim recitet easdem lectiones *Phyliarcus instit. Sacerd. part. 1. lib. 1. c. 6. concl. 1., Paulus Laiman loc. cit. num. 7. ad fin.* Item, si quis inter recitandum aduertit se aliquem Psalmum omisisse possit sine labe horam illam prosequi, & postea recitare Psalmum, quem omisit *Angelus verb. hora nu. 28., Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 10. quæst. 2., Siluester verb. hora qu. 12. distinct. 1.* Item, si quis in Choro aliquid vel culpabilitèr, vel inculpabilitèr omiserit, possit, quinimmò debeat durante officio in Choro prosequi officium, omisso eo pro tunc, quod omisit; finito tamen Choro debet omissum repetere *Siluester verb. hora quæst. 12., Macignus cap. 25. num. 18., & seqq.* — 7 *Enumerãtur causæ excusantes.*

8 *Recitatio vnius officij pro alio est satisfactoria* Si tandem peruertatur ordo iuxtà tertium sensum, quatenus pro officio de feria recitetur officium de Sancto, vel viceuersa, tunc considerandum est, an talis peruersio fuerit ex inaduertentia, & cum bona fide, an verò scientèr, & cum mala fide. Si ex inaduertentia, & bona fide non dubitarem sic recitantem satisfacere Ecclesiæ; nec teneri repetere, quantumuis eadem die inuersionem agnouerit *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 10. quæst. 2., Siluester verb. hora quæst. 12. distinct. 1.* Ratio ex eo deducitur, quod non sit defectus, nec in substantia, nec in fine, nec in voluntate recitantis, non in substantia præcepti, quia hoc respicit, quod septies in die horæ recitentur, & laudes Deo soluantur iuxtà illud: *septies in die laudem dixi tibi*. Quod, si dicas substantiam præcepti non solum referri ad septennarium numerum horarum, sed etiam ad tales numero horas ab Ecclesia pro tali die præscriptas sub præcepto; plura etenim officia determinata pro determinatis diebus sub præcepto recitanda proponuntur ab Ecclesia; nonnulla verò ad libitum; statim impugnaberis, quia licet respiciat etiam horas determinatas pro singulis diebus præceptas, has respicit, tanquam speciales ritus, & cæremonias, quæ, quantumuis secundum se obligarent sub graui, non tamen, quando omittuntur, seu inuertuntur ex inaduertentia, & cum bona fide; hæc etenim est conditio præceptorum positiuorum Ecclesiasticorum, vt inaduertentia, & bona fides excuset potissimum, si pro ipsis æquiualens apponatur, & cum intentione per illud satisfaciendi præcepto. Non in — *Rationes pro asserto.*

in fine, quia præcipuus est, vt rapresententur septem specialia mysteria Passionis Christi Domini, vel, vt fiat conformatio cum exemplo Dauidis, qui septies in die laudes Deo canebat; hic autem finis saluatur per septem Horas Canonicas siue in vno, siue in altero officio. Non ex voluntate inordinata recitantis, quia ipse abitratur præscriptas horas recitare.

9 *Peruersio talis cũ scientia, & mala fide est grauitèr peccaminosa.*

Si peruertatur cum scientia, & mala fide certè non eximerem sic recitantem à graui culpa, quia in re graui cum plena deliberatione deficeret à præscripto Ecclesiæ, quæ non solum præcipit septem horas quotidiè recitandas in genere, sed etiam per speciale præceptum tales determinatas horas, cuius voluntaria transgressio, cum sit de re graui, est grauitèr peccaminosa.

Sed hic duplex oritur difficultas. Prima est, an non solum læthalitèr peccet, sed etiam non satisfaciat præcepto. Secunda, an si recitato officio de feria, cum esset recitandum de Sancto, sufficientèr satisfaciat, si repetat ea, in quibus officium de feria non conuenit cum illo de Sancto, non autem repetat ea, in quibus vtrumque officium conuenit.

10 *Non est satisfactoria obstante Bulla Pij V.*

Quoad primam nõ potest esse dubium, quod aliqua actio sit grauitèr peccaminosa, & tamen sit satisfactoria, cum peccatum possit esse quoad modum, & satisfactio quoad substantiam, cum tantum ponatur, quantum debetur. In præsenti hypothesi arbitrarer satisfacere, tum oneri Ecclesiæ, quam beneficij, si ex beneficio teneatur, adeovt non teneatur aliquid restituere, sicuti teneretur, si officium omitteret, nisi obsisteret Bulla Pij V. posita in principio Breuiarij Romani. Ratio est, quia quoad substantiam septem horas ab Ecclesia intentas recitauit; & solum in qualitate defecit, & in ordine ad beneficium æquiualens obligationi præstitit. Sed, vti asserebam, modo hæc vim non faciunt obstante prædicta Bulla.

11 *Qui recitauit officium pro officio, an satisfaciat repetendo præcisè ea, in quibus officium recitatũ non conuenit cũ recitato*

Quoad secundam *Bonacina de ijs, quæ ad priuatam Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 3. punct. 4. prop. 2. num. 6.*, sentit plenè satisfacere repetendo ea, in quibus illa duo officia non conueniunt, licet non repetantur ea, in quibus conueniunt; nam quoad illam partem, in qua conueniunt, ritè recitauit, & quoad partem, in qua non conueniunt, suppleuit postea illam repetendo. Hæc rectè procedunt quoad satisfactionem; nam, si iuxtà mox dicta satisfecit vnum pro altero officium recitando, quamuis nihil repetat de officio pro illa die præscripto, à fortiori intelligitur satisfacere repetendo ea, in quibus officium pro illa die recitandum non conuenit cum iam recitato. Sed quid erit dicendum quoad peccatum? Ipse etiam *Bonacina loco cit.*, videtur asserere, nec etiam peccare asserens, quod quoad illam partem, in qua illa duo officia conueniunt in prima recitatione satisfecerit, quod deindè non satisfecerit in illa parte, in qua non conueniunt, satisfecit postea illam repetendo; vndè asserit, quod præceptum recitationis non obliget cum tanto rigore, & quamuis obliget ad partem omissam repetendam, obliget etiam ad totum repetendum etiam quoad ea, quæ non fuerunt omissa, sed recitata in recitatione primo officij. Sed Bonacina in hoc procedit ex suppositione, quod ex inaduertentia, seu obliuione fuerit vnum officium pro altero recitatum. Sed quid erit dicendum, si scientèr, & cum plena deliberatione hoc factum fuerit? Sentio, quod repetendo ea, in quibus officium diei cum altero recitato non conuenit eximatur à culpa saltem graui, cum solum inuertat ordinem; cæterum substantiam seruet. Quod, si vrgeas, quod, quando recitauit, verbi gratia officium de Sancto, cum esset recitandum de feria, illam partem, in qua vtrumque officium conuenit recitauerit, tanquam partem officij de Sancto, quæ propterea non potest postea inseruire tanquam pars officij de feria; statim impugnaberis, quia, quantumuis fuerit recitata, vt pars officij de Sancto, non repugnat tamen, quin mutata intentione, cum fuerit recitata in eadem die, possit constitui pars officij illius diei, seu recitandi in illa die; semper enim verificabitur, quod in illa die totum officium illius diei fuerit recitatum, licet cum aliqua interruptione, quod non importat grauem noxam.

ARTICVLVS XXIV.

De qualitate officij singulis diebus recitandi.

SVMMARIVM.

Regularitèr officium recitandum est ad normam Breuiarij Romani. 1.

Duæ exceptiones. Ibidem.

Articuli examinandi circa has exceptiones. 2.

Facta approbatione à Sede Apostolica pro certo loco determinati Breuiarij Clericus degens in tali loco non potest vti Breuiario Romano. 3.

Et hoc etiam si priuatim recitet. 4.

Recitans officium loci, in quo non permanentèr, sed

sed negotiorum causa degit, licitè recitat, quamuis iuxtà Breuiarium patriæ officium sit diuersum. 5.
Probatur specialitèr, quod possit vti Breuiario loci, in quo reperitur. 6.
Sententia asserens Religiosum professum existentem extra Monasterium teneri seruare Breuiarium propriæ Religionis, nec posse, vti illo loci, in quo existit. 7.
Ex iusta causa non esset damnabilis, si vteretur Breuiario illius loci. 8.
Satisfit rationibus contrariæ sententiæ. 9.
Habens duo beneficia in diuersis locis, tenetur recitare officium iuxta ritum loci, in quo habitat. 10.
Etiam si beneficium alteriùs loci sit pinguiùs. 11.
Si pro parte anni resideat in loco vnius beneficij, & pro altera in loco alteriùs potest se conformare vtrique. 12.
In neutro loco beneficiorum degens iuxta statutum volens seruandum esse ritum loci beneficij, non domicilij, tenetur seruare ritum loci, in quo beneficium est pinguiùs. 13.
Si vnum beneficium sit pinguiùs, alterum digniùs, tenetur seruare ritum pinguioris. 14.
Si vtrumque sit æquale, potest, vti ritu, vel vnius, vel alteriùs. 15.
Si Clericus mutet domicilium cum animo permanendi in loco, in quem transit, tenetur seruare ritum illius loci. 16.
Scholares degentes in Ciuitate studiorum causa possunt recitare, vel iuxta ritum Ciuitatis, vel iuxta ritum patriæ. 17.

1 *Regulariter officium recitandum est ad normam Breuiarij Romani.*

REgularitèr loquendo certum est, quod Officium Diuinum recitandum sit ad normam Breuiarij Romani, cum hoc signantèr præcipiat Ecclesia, vt videre est in Constitutione Pij V. edita anno 1568. apposita in principio eiusdem Breuiarij, vbi cassat, & annullat alia Breuiaria. Excipiuntur tamen per eundem Pium V., ab hac regula illæ Ecclesiæ, quarum officia approbata sunt à Sede Apostolica, vel quæ habeant vsum continuatum per ducentum, & vltra annos ab edita eadem Constitutione; item excipi potest ille, cui ex speciali priuilegio Summi Pontificis concessum est posse recitare secundum aliquam determinatam formam.

2 *Articuli examinandi*

Circa has tres exceptiones nonnullæ consurgunt rationes dubitandi, quas singillatim relatiuè ad vnamquamque profero, & diluo. Circa primam oritur primò, an posita tali approbatione à Sede Apostolica licitum sit Clerico degenti in Territorio, pro quo facta est illa approbatio, vti Breuiario Romano relicto eo, quod approbatum est pro tali Territorio. Secundò, an, si ille exeat à tali Territorio, & in aliud negotiorum causa se transferat, possit omittere Breuiarium sui Territorij, & vti illo Territorij, in quod se transfert, si aliquod particulare etiam ibi sit approbatum, vel Breuiario Romano. Tertiò, an, si Religiosus degens ex causa extra Religionem, possit omittere Breuiarium suæ Religionis, & adhibere illud loci, in quo degit, vel etiam Breuiarium Romanum. Quartò, an, si quis habeat duo beneficia sita in diuersis Territorijs, in quorum singulis sint approbata Breuiaria secundum ritum diuersa, possit pro libertate, vti quocunque voluerit Breuiario illorum locorum. Quintò, an, si quis habeat beneficium in vno loco, ratione cuius teneatur officium recitare, & in loco beneficij sit particulare Breuiarium approbatum, & alio se transferat, vbi non viget talis approbatio, possit se accommodare consuetudini loci, ad quem se transfert, an verò teneatur seruare Breuiarium loci, in quo situm est beneficium. Sextò, an Scholares vnius Diœcesis, in qua seruatur ex approbatione speciale Breuiarium se transferât in Ciuitatem alterius Diœcesis causa studiorum, in qua est diuersa consuetudo approbata, teneantur seruare Breuiarium suæ Diœcesis, an verò pro libertate possint, se accommodare vsui illius Ciuitatis, in qua habitant ratione eorundem studiorum, & alia his similia.

3 *Clericus tenetur, vti Breuiario pro loco, in quo habitat approbato.*

Ad primam videtur prima fronte afferendum, vtique posse, vti Breuiario Romano non obstante illa approbatione; nam recitans officium iuxtà ritum Romanum conformat se Ecclesiæ Romanæ, quæ est Mater omnium Ecclesiarum *Lessius lib. 2. de iust., & iur. cap. 37. dub. 12. num. 74., Caietanus in summa verb. hora, §. 2., Emanuel Sà verb. hora nu. 6., Barbosa in cap. Presbiter num. 10. de celebratione Missarum*. Nihilominus probabilius est non posse licitè, vti Romano Breuiario, quantumuis priuatim officium recitaretur. In hoc consentiunt *D. Thomas quodlib. 6. art. 8., Vasquez de benef. cap. 4. dub. 2. art. 1., Suarez de Religione tom. 2. lib. 4. cap. 11. num. 4., & cap. 23. num. 2., & 9., Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10., Garzias tertia parte de benef. cap. 1. n. 155.*, vbi etiam refert declarationem Sacræ Congregationis. Huius sententiæ plurima afferuntur iura, & rationes. Primum ius habetur *in cap. de his, & cap. placuit distinct. 12.*, in quibus præcipitur, vt omnes Prouinciales eundem in psallendo modum teneant, quem Metropolitanam sedem habere cognouerint, & ibidem graues pænæ iniunguntur contra alitèr facien-

facientes. Neque hic audiendus est *Lessius dict. num. 74. vers. nihilominùs contraria sententia in fin.*, dum dicit, allegata iura esse dumtaxat intelligenda de officio publico, non de eo, quod priuatim dicitur. Non, inquam, audiendus est; tum quia allegati textus loquuntur discretiuè de ciuibus, & Prælatis Ecclesiarum, vbi nomine ciuium, prout distinguuntur à Prælatis, veniunt determinatæ, & priuatæ personæ, tum quia conformitas à iure requisita non solum debet esse in toto corpore, sed etiam in partibus eiusdem, cæteroqui confusiones plurimæ orirentur, nec licitum est partibus pro libertate à corpore recedere. Secundum ius habetur *in Clement. 2. de celebratione Missarum*, vbi Domesticis commensalibus Cardinalium, & Episcoporum per dispensationem conceditur, quod in recitatione Horarum Canonicarum possint se conformare ritui, quo recitant ipsi Cardinales, & Episcopi; inanis autem esset illa dispensatio, si liberum esset cuique Romanum Breuiarium, aut aliud adhibere, quod esset diuersum à proprio suæ Ecclesiæ approbato. Respondet ad hoc etiam *Lessius loc. cit.*, non esse inanem talem dispensationem, quia textus *in allegat. Clement. 2.*, non solum permittit, vt vti possint Breuiario Romano, quo vtuntur Cardinales, & Episcopi, sed etiam alio quocunque, si alio vtantur ipsi Cardinales, & Episcopi. Sed talis responsio nullam videtur vim facere, quandoquidem iam concedit, quod dispensatio cadat tam supra Breuiarium Romanum, quam supra aliud quodcunque relatiuè ad officium approbatum Ecclesiæ eorundem Domesticorum, & sic etiam dispensatio quoad hoc esset inanis. Prima ratio est, quia, cum sit membrum illius Ecclesiæ, in qua approbatum est illud Breuiarium, non potest pro libertate ab ea recedere, sed debet se conformare eidem suæ Ecclesiæ. Secunda, quia ciuis Mediolanensis, verbi gratia degens hic Mediolani, non potest omittere ritum eiusdem Ecclesiæ in ieiunio, & festo D. Matthiæ, quæ celebrantur pro diuerso tempore à ritu Romano sub prætextu, quod velit idem ieiunium seruare, & festum celebrare ad normam ritus Romani, quinimmò communitèr docent, quod exteri, qui pro die, quo ritu Ambrosiano seruatur ieiunium, & festum illius diei, quantumuis sint alterius Diœcesis, reperiuntur esse Mediolani, teneantur sub graui, & ieiunium, & festum seruare, ergo etiam, qui hic Mediolani degunt, tenetur seruare Breuiarium iuxtà ritum Mediolanensem, nec possunt pro libertate vti Romano.

4 *Et hoc etiam si priuatim recitet.*

Rationes suadentes assertũ.

Ad secundam, probabiliùs existimo posse pro libertate, vti vel Breuiario approbato propriæ Diœcesis, vel Breuiario illius loci, ad quem negotiorum causa diuertit. In hoc consentit *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertinent disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 8. vers. secunda, & opposita sententia*, vbi dicit posse sequi Breuiarium illius loci, ad quem transit, *& ibid. vers. sed hæc distinctio mihi displicet*, vbi asserit, quod, si non habet animum ibi permanendi pro maiori parte anni, non teneatur Breuiarium illius loci sequi. Prima pars probatur, quia per illam exiguam moram in tali loco sine animo ibi permanendi pro maiori anni parte nō constituitur subditus illius loci, sed adhuc retinet subiectionem patriæ, ergo potest, vti iuribus patriæ, adeoque etiam Breuiario in eadem, & pro eadem approbato. Neque dicas primo, qui recedit à proprio loco, & negotiorum causa ad alterum locum accedit, in quo seruatur ieiunium, vel celebratur festum, tenetur ad seruandum ieiunium, & festum illius loci, ad quem accedit, & tamen non cessat esse subditus illius loci, à quo recessit, ergo etiam, quantumuis per illam moram in alio loco non cessat esse subditus sui loci, adhuc tamen tenebitur seruare Breuiarium illius loci, ad quem accessit; contra enim impugnaberis, quia præceptum seruandi ieiunium, & celebrandi festum in loco est præcisè locale, adeoque afficit omnes, qui reperiuntur in tali loco; præceptum verò recitandi diuinum officium est personale simplicitèr, & quoad substantiam, & ad summum locale secundum ritum, & secundum quid, & obligat, quatenus quis est in loco, non quatenus alibi reperitur, sicuti præceptum audiendi sacrum in festo, quod celebratur in patria, non obligat existentem extra patriam. Neque vlteriùs dicas, Sacerdotem Græcum transeuntem per partes Latinorum teneri in celebratione Missæ, & recitatione officij seruare ritum Ecclesiæ, per quam transit, ergo &c.; Contra adhuc impugnaberis, quia omninò falsum est, quod asseritur de Sacerdote Græco; quinimmò praxis suadet, quod Græci transeuntes per partes Italiæ suo ritu, & cæremonijs vtuntur; quin potius aliqui, nec incongruè volunt, quod non possint, vti ritu Latino.

5 *Manens in alio loco negotiorũ causa potest vti vel Breuiario proprio, vel illo illius loci.*

Secunda pars probatur, quia præceptum seruandi ritum, seu Breuiarium approbatum in loco non obligat extra locum, pro quo approbatum est, ergo extra illum locum poterit non seruari, sed seruari ritus illius loci, ad quem accessit;

6 Vndè, quia onus recitandi diuinum officium est quoad substantiam personale, sequitur, semper personam vbicunque reperiatur, quia quoad ritum, & formam est locale, obligat quidem quoad talem formam, & ritum in loco, pro quo est approbatum, non extra illum locum. Neq; dicas ex eo, quod transeat ad alium locum sine animo ibi permanendi, sed deuotionis, seu negotiorum causa non desinit esse subditus loci, à quo recedit, nec constituitur subditus loci, ad quem accedit, ergo non potest, vti ritu, & forma, quæ seruatur in loco, ad quem accedit; contra enim impugnaberis, quia in ijs, in quibus non requiritur iurisdictio ad vtendum ritibus loci, ad quem quis accedit, non requiritur, quod quis constituatur subditus illius loci, sed potest, se conformare vsibus eiusdem iuxtà illud, *si fueris Romæ Romano viuito more, si fueris alibi viuito sicut ibi.* Dixi *in quibus non requiritur iurisdictio*, nam, si indigeret aliqua dispensatione certè non posset illam exigere ab Episcopo loci, ad quem transit sine animo ibi permanendi.

Probatur specialiter, quod possit, vti Breuiario loci, in quo reperitur.

Ad tertiam *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. qu. 3. punct. 1. num. 8. in respons. ad tertiam obiectionem, seu rationem cōtrariam,* asserit, Monachum, seu Religiosum, in cuius ordine, vel ex indulto Pontificis, vel ex inueterata consuetudine seruatur specialis ritus, existentem extra Monasterium non posse, vti Breuiario illius loci, in quo reperitur, sed teneri seruare illud sui ordinis additis nonnullis rationibus; primò, quia non
7 solum tenetur ex vi præcepti, & regulæ sui ordinis, sed etiam ex voto emisso in Professione Religionis, quo se obligauit ad seruandas constitutiones eiusdem ordinis ad modum quo regulæ, seu constitutiones obligant, votum autem sequitur vouentem quocunque transeat. Secundò, quia Regulæ, & Constitutiones ordinum sunt approbatæ à Romano Pontifice, qui habet iurisdictionem, & potestatem in toto orbe. Tertiò, quia, sicuti Religiosus Franciscanus, quantumuis existat extra Monasterium, non est immunis à ieiunio, quod seruatur singulis diebus Veneris in toto ordine, ita Religiosus etiam existens extra Monasterium, non erit immunis ab onere seruandi Breuiarium sui ordinis.

Sententia asserens Religiosū etiam extra Monasterium, teneri seruare ritum Monasterij.

Sed ego valdè libentèr commendarem, quod seruetur ritus proprij ordinis, non tamen damnarem grauis culpæ, si Religiosus potissimum existente aliqua iusta, & rationabili causa vteretur Breuiario loci, in quo reperitur. Rationem ex eo deduco, quod maximè æquum sit, vt, qui in reliquis seruat regulas ordinis, non discordet ab eo in ritibus, & consuetudinibus eiusdem; ex alio capite, cum statuta non obligent extra Territorium statuentium; statuta de recitando officio iuxtà 8
Breuiarium proprij ordinis, extra eundem ordinem non videntur obligare. Hinc, si existens Religiosus extra Monasterium careat Breuiario sui ordinis, non dubitarem, posse, quinimmò teneri, vti Breuiario loci, in quo reperitur, quia, cum onus recitandi officium diuinum quoad substantiam sit personale, afficit vbicunque Religiosus reperiatur, & quoad ritum, & qualitatem sit quodamodo locale, extra locum non videtur obligare; vndè seruata substantia ritus poterit conformari loco, vbi adest.

Ex iusta causa nō esset damnabilis, si vteretur Breuiario illius loci.

Nec obstant, quæ per Bonacinam afferebantur; non primum desumptum ex 9
voto seruandi regulas, & constitutiones ordinis, quia votum non est de regulis seruandis, & constitutionibus, sed dumtaxat de castitate, paupertate, & obedientia, cæteroqui fractor cuiusque regulæ constitueretur reus fracti voti, quod nemo dicet. Non secundum desumptum ex approbatione Pontificis, qui habet iurisdictionem in toto orbe, quia talis approbatio afficit quidem, quod in tali ordine possit seruari illud particulare Breuiarium, non afficit autem, quod vbique debeat ex necessitate seruari; sicuti supponimus à Romano Pontifice approbatum ritum Ambrosianum, non sequitur tamen, quod addicti ritui Ambrosiano non possint extra Diœcesim Mediolanensem, vti ritu loci, in quo reperiuntur. Non tertium, quia Religiosus Franciscanus specialitèr ex vi regulæ sub læthali se obligauit ad seruandum tale ieiunium siue intra, siue extra Monasterium, & sub tali onere tale præceptum acceptatum fuit communitèr in tali ordine.

Satisfit rationibus contrariæ sententiæ.

Ad quartam cum multiplici distinctione procedendum est, vel etenim habens 10
duo beneficia residet in loco, vbi situm est beneficium, & non in alio, vel residet pro parte anni in vno, & pro altera parte in alio, vel in neutro. Rursus, vel illa beneficia sunt paria in dignitate, & prouentibus, vel vnum excedit alterum, & quidem, si in vno, seu in loco vnius resideat, tenetur, vti Breuiario illius loci, in quo residet, & in hoc consentiunt *D. Thomas quodlib. 1. art. 13., Azorius instit. mor. part. 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 2., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 10., Fillutius tract. 23. cap. 7. quæst. 1. num. 221., Paulus Laiman lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 3.*

Habens duo beneficia in diuersis locis, tenetur recitare officium loci, in quo habitat.

Ratio

11 *Etiam si beneficium alterius loci sit pinguius.* Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypothesi fortiùs ius viget pro obligatione seruandi Breuiarium loci, in quo residet, quam sit illud, quod viget pro Breuiario loci, in quo situm est aliud beneficium, siquidem in primo casu coniungitur ius beneficij cum iure domicilij; non sic in secundo. Sed quid erit dicendum, si beneficium, in quo, seu in cuius loco non residet, sit pinguiùs, & digniùs illo, quod situm est in loco, in quo beneficiarius residet. Adhuc sentiendum est, seruandum esse Breuiarium loci domicilij, & beneficij simul potius, quam Breuiarium beneficij pinguioris. Ratio est, quia fortiùs est vinculum domicilij, seu habitationis simul cum beneficio, quam solius beneficij licet pinguioris, cum valdè honestum sit, vt nos metipsos conformemus moribus eorum, quibus per domicilium associamur. Quod si dicas, obligationem recitãdi officium prouenire ex beneficio, ergo seruandus est ritus recitandi officiũ illius loci, in quo situm est digniùs, seu pinguiùs beneficium; contra enim impugnaberis, quia onus officij in beneficiario consurgit quidem ex beneficio non tamen recitandi tali, vel tali ritu; cæteroqui existens Romæ, & habens beneficium hic Mediolani teneretur seruare Breuiarium iuxtà Ritum Ambrosianum, quod nemo dicet.

12 *Degens pro parte anni in vno, & pro parte in altero potest vtrique se conformare* Si verò pro parte anni resideat in loco, vbi situm est vnum beneficium, & pro altera anni parte resideat in loco, vbi adest alterum beneficium; poterit pro illa parte anni, qua in vno habitat seruare Breuiarium illius loci, & pro altera seruare Breuiarium alteriùs; cum æqua sit ratio pro vtroque, & in hoc consentire videntur *Siluester verb. hora quæst.* 1., *D. Thomas quodlib.* 1. *art.* 13., *Reginaldus lib.* 18. *num.* 169., *Molfesius tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 47.

13 *In neutro loco beneficiorum degens, quemnã ritum seruare teneatur.* Si in neutro habitet, & beneficium in vno sit digniùs, & pinguiùs tenetur seruare Breuiarium eiusdem loci, in quo est tale beneficium, & in hoc consentiunt Doctores omnes mox citati. Procedit ex suppositione sententiæ volentis, quod potiùs seruandus sit ritus loci beneficij, quam loci domicilij, nam, si iuxtà sententiam *Suárez de Religione tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 8., locus domicilij præualeat illi beneficij non potest habere locum id, quod hic dicimus, quandoquidem esset seruandum Breuiarium loci domicilij. Ratio nostri dicti ea est, quia præcisa obligatione recitandi iuxta ritum loci residentiæ, & habitationis fortior ratio vrget pro ritu, qui seruatur in loco beneficij dignioris, quam pro illo, qui seruatur in loco beneficij minùs digni, quandoquidem obligatio recitandi officium est personalis, & maior dignitas præualet minori. Sed quid erit dicendum, si in vno loco sit beneficium digniùs, in alio beneficium minùs dignum, sed pinguiùs? Tunc *Bonacina d. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 9., videtur asserere, teneri sequi ritum loci beneficij dignioris. 14
Sed non libentèr adhærerem huic resolutioni, quandoquidem onus recitandi diuinum officium est propter fructus, qui recipiuntur ex eodem beneficio, nam, si beneficium nullos fructus redderet, non obligaret ad eiusdem recitationem, & si tantum tenues, obligaret dumtaxat ad aliquas preces, non ad officium, vt infrà videbimus, ergo, vbi fructus sunt pinguiores, ibi est recitandum officium, seu iuxta ritum illius loci. *Extante beneficio vno pinguiori, altero digniori tenetur seruare ritum pinguioris.*

Si verò beneficia sint æqualia poterit pro libertate recitari officium iuxtà ritum vnius, vel alteriùs loci, quia non est maior ratio de vno, quam de altero ritu, & beneficiarius Diœcesim habeat in vtroque loco *Siluester verb. hora quæst.* 1., *D. Thomas quodlib.* 1. *art.* 13., *Molfesius tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 47. 15 *Beneficijs æqualibus liber est.*

Ad quintam patet ex dictis quid dicendum. Si enim alio se transferat sine intentione ibi commorandi, sed negotiorum, vel deuotionis causa poterit, vel vti Breuiario loci beneficij, vel loci, ad quem accedit, quia ex vna parte per recessum à loco beneficij non desinit esse subiectus illi loco, ex alia potest se accommodare vsibus loci, in quo reperitur. Si verò alio se transferat cum animo ibi permanendi, & acquirendi domicilium, tunc tenetur ritum seruare loci, in quem se transfert, quia ibi domicilium acquirit, & fortiùs est vinculum domicilij, & habitationis, quam beneficij. 16 *Si Clericus alio se transferat animo ibi permanendi tenetur seruare ritum illius loci.*

Ad sextam *Azorius institut. mor. part.* 1. *libro* 10. *cap.* 11. *quæst.* 3., sentit teneri Scholares degentes in aliqua Ciuitate studiorum causa seruare ritum, qui vsu receptus est in eorum Diœcesi, non illum Ciuitatis, in qua student. Sed ego arbitror cum *Bonacina loc. cit. num.* 11., posse recitare iuxtà morem Ciuitatis, in qua degunt studiorum causa, & in hoc consentiunt *Suarez tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *c.* 13. *num.* 7., *Filliucius cap.* 7. *qu.* 1. *num.* 221., propter rationes superiùs adductas. Non negauerim tamen, posse seruare etiam ritum, & morem suæ Diœcesis, in qua habent beneficium, quia non desinunt esse subditi illius Diœcesis. 17 *Scholares quẽ ritum seruare tenẽtur.*

ARTICVLVS XXV.

De Horis Canonicis non interrumpendis.

SVMMARIVM.

1 *In quo sensu procedat titulus.* NOn est hic sermo de interruptione vnius Horæ Canonicæ comparatiuè ad aliam; cum etenim sint præscripta distincta tempora pro earum recitatione, indubitatum est inter vnam, & alteram posse aliquam moram intercedere, & hoc non solum licitè potest fieri, sed valdè laudabile est, vt fiat ad seruandum Ecclesiæ præscriptum, quamuis non damnabilis sit consuetudo aliquarum Ecclesiarum, quæ coniungunt recitationem Matutini cum laudibus, & prima, & tertia, & hoc non solum priuatim, sed etiam publicè in Choro. Id igitur, de quo in præsenti est sermo, est in ordine ad partes vnius, & eiusdem horæ, an scilicet sit peccaminosum huiusmodi partes inter se disiungere, seu interrumpere recitando modo vnam partem, & post aliquod temporis alteram, & hoc siue fiat ex causa, siue sine causa. Secundò, an quælibet interruptio reddat peccaminosam illam recitationem, & qualitèr.

Loquendo de tribus nocturnis, ex quibus Matutinum de Sanctis constituitur; 2 *Sententia asserẽs tria nocturna posse tempore separari* nam de feria est vnum tantum, nonnulli arbitrantur, quod, si quis eadem interrumpat recitando vnum pro vno tempore, alterum pro altero etiam sine causa, & intercedente longa mora inter vnum, & alterum, nullam contrahat labem considerato eo, de quo aliqui testantur, quod primitùs huiusmodi nocturna diuersis horis recitarentur. Sed hodiè hoc non approbarem, cum constituant vnam, & eandem horam, & vsus inualuerit, vt simul sine vlla interruptione recitentur; vndè de interruptione eorundem idem erit sentiendum, quod dicitur de interruptione partium aliarum horarum.

Ex iustis causis, & rationabilibus partes vnius Horæ Canonicæ posse ab alijs 3 *Reijcitur hac sententia.* interrumpi fert communis Theologorum, & Canonistarum consensus, de quo *Azorius instit. mor. part. 1. lib. 10. cap. 8. q. 3., Marchinus tract. 2. de ord. in particulari part. 6. de Subdiacon. cap. 12. difficult. 5. num. 1.* 4 *Ex iusta causa possunt separari* Iustas autem causas, ob quas officium possit interrumpi, enumerant mox allegati Doctores, & *Nauarrus tract. de orat. cap. 16. num. 68., & seqq.* Ad hoc autem, vt huiusmodi causæ dicantur iustæ ad 5 *Causa excusantes remissiuè.* hunc effectum excusationis à culpa in tali interruptione requiritur, vt tales causæ ità adsint, vt earum executio non possit differri ad aliud tempus.

Nulla autem existente causa considerandum erit, an interruptio sit modica, an verò magna, & considerabilis, &, si fuerit modica, an fuerit cum iocis, & illusionibus, an verò ex mera incuria, & accidia; item, si fuerit magna, qualis, & quanta requiratur ad inducendam culpam læthalem. Item ex suppositione, quod fuerit tanta, vt sit peccaminosa læthalitèr, an, si facta illa interruptione recitatur reliquum illius horæ non repetita parte priùs recitata, & interrupta

satis-

satisfiat officio illius diei, adeo vt fructus beneficij non amittantur.

6 Interruptio modica non est grauitèr peccaminosa. Assertio I. Si interruptio sine causa fuerit modica, & non iocosa, seu commixta iocis, & irrisionibus probabiliùs non est peccaminosa, & ad summum leuissimè, si verò fuerit iocosa est peccaminosa venialitèr, & in linea grauiori inter limites tamen venialis. In vniuersum consentire videtur *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 8. quæst. 6.*

Prima pars ex eo euincitur, quod non sit præsumendum, Ecclesiam piam, & clementissimam Matrem voluisse in transgressione in re tam modica obligare sub culpa, quæ, sicuti ob paruitatem materiæ in suis præceptis excusat à quacunque culpa, ità etiam ab eadem excusat ob paruitatem temporis, & in ijs, quæ iuris positiui sunt, quæ parum distant nihil distare videtur. Neque obstat, si dicatur, paruitatem materiæ excusare quidem à culpa læthali, non autem à veniali; non enim denegari potest, quod illa modica interruptio non sit transgressio, licet leuis præcepti, & propterea, sicuti grauis transgressio grauem, ità modica, & leuis modicam, & leuem culpam inducit. Non obstat, inquam, quia in primis non desunt graues Doctores, qui asserunt interruptionem, quantumuis longissimam non trahere culpam læthalem, inter quos numerantur *Petrus de Arragona secunda secundæ quæst. 81. art. 12.*, *Rodriquez in summa part. 1. cap. 141. num. 3.*, *Naldus verb. Diuinum Officium*, *Bartholomæus à Sancto Fausto tract. de Horis Canonicis lib. 2. q. 102.*, ex quo videtur congruè sequi interruptionem modicam eximere à quacunque culpa. Deindè, cum non versemur in ijs,

7 Iocosa est magis damnabilis. quæ sunt mala ab intrinseco, sed talia solummodò, quia ab Ecclesia præcepta, hæc non obligant sub aliquo onere, nisi secundum mentem præcipientis; non intelligitur autem Ecclesia ob modicam illam interruptionem velle obligare sub aliquo onere peccati, cum parum pro nihilo reputetur.

Secunda pars ex eo euincitur, quod in hac hypothesi, non solum sacra profanis, & iocosis miscentur, quod maximè dedecet dignitati Diuini Officij, sed etiam, quia interruptio est ex causa mala, nempè ex iocis, & irrisionibus; vndè *Azorius loc. cit.* in hoc agnoscit duplicem culpam venialem, alteram interruptionis sine iusta, & legitima causa; alteram commixtionis verborum otiosorum, & inanium irrisionum cum verbis sacris; vndè *in cap. dolentes de celebratione Missarum*, reprehenduntur Clerici, & beneficiarij, qui cum Horas Canonicas, vel priuatim recitant, vel publicè decantant, aliqua colloquia intermiscent, &, sicuti non leuis irreuerentia esset, si alloquens serio cum Principe inania, & iocosa verba intermisceret, ità irreuerentèr agit, qui cum Deo loquens psallendo, iocis, & inanibus verbis colloquium interrumperet.

Assertio II. Interruptio ad longum tempus etiam sine iusta, & legitima causa probabilius non est peccaminosa læthalitèr. Ità præter præcitatos Doctores *Fernandez part. 3. cap. 13. §. 7.*, *Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 19. num. 5.*, *Lessius de iust., & iur. lib. 2. cap. 37. dub. 10. num. 57.*, vbi allegat *Caietanum in summa verb. quando hora*, *§. quoad quartum Paleanum lib. 3. de bon. oper. cap. 6. in fine quartæ assertionis*, *Zecchum in summa cap. 83. de offic. diuin. num. 10.*, & alios viros doctos. Quidquid ex aduerso dixerint *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu c. 12. difficult. 8.*, & alij plures, quos ipse allegat. 8 Interruptio ad longū tempus etiā sine causa nō est peccaminosa læthalitèr.

Probatur primò, quia data illa interruptione adhuc saluatur, quod totum officium diei fuerit quoad substantiam recitatum, ergo præceptum Ecclesiasticum est adimpletum, ergo per illam interruptionem non est inductum peccatum læthale. Hæc consequentia probatur, quia peccatum, quod in hoc potest considerari, est propter transgressionem præcepti, sed præceptum est plenè adimpletum, ergo in hoc peccatum læthale non est considerabile. Neque dicas, præceptum Ecclesiæ esse de septem Horis Canonicis recitandis, sed, qui sic notabilitèr interrumperet, non diceretur septem Horas Canonicas recitare; nam demus, quod quis incipiens primam recitato Hymno, & primo Psalmo reliquum omitteret postea recitandum; Demus vlteriùs, quod post diutinum tempus à recitatione Hymni, & Psalmi, alium Psalmum reassumeret, & iterum per longum tempus intermitteret, certè hic non diceretur vnam horam recitare, sed plures preces separatas, nam propter magnam intermissionem priora non possent cum posterioribus coniungi ad constituendam vnam horam; Contra enim impugnaberis, quia ex quo ex institutione Ecclesiæ prima conflatur ex Hymno, Psalmis, alijsque determinatis precibus, quotiescunque omnes illi Hymnus, & Psalmi, & Orationes pro eadem die recitantur intelligitur prima recitari, nec illa temporum distinctio, pro qua recitantur, destruit vnitatem requisitam, nam mens Ecclesiæ est, vt intra eadem diem recitentur; &, sicuti saluatur vnitas Rationes pro asserto.

eiusdem

eiusdem officij per recitationem omnium horarum eadem die, quamuis separatim recitentur, & vna confessio, quamuis per plures vices facta sub vna absolutione, ita non est, cur non saluetur vna hora, quamuis partes eiusdem separatim recitentur.

Progreditur *Lessius loc. cit.* in probatione huius assertionis, hoc pacto. Singuli Psalmi, singuli Hymni, singulæ Lectiones, & Orationes sunt separatæ quædam precationes, quæ singulæ habent per se suam significationem, nullamque cum alijs connexionem, ergo, quia non sunt connexæ, poterunt separatim recitari; quia retinent eandem significationem id præstant, quod intendit Ecclesia pro illa die. Sed hæc probatio videtur aliquas pati difficultates, nam licet illi Psalmi, Hymni, & Orationes nullam per se dicant cum alijs connexionem, habent tamen illam ex institutione Ecclesiæ autricis, seu institutricis Horarum Canonicarum, & cum easdem ordinauerit ad septem principaliora Passionis Christi Domini mysteria rapresentanda, non haberet significationem à se ipsa intentam, si diuisim recitarentur. Verum retenta eadem Lessij probatione dicere possumus, illam connexionem ab Ecclesia intentam, talem non esse, vt, si omittatur, lædatur substantia, ideoque omissio eiusdem non erit peccaminosa saltem læthalitèr. Ad illud, quod subditur de ordinatione ad manifestanda septem principaliora Passionis Christi Domini mysteria, dicendum est illam ordinationem esse finem solum extrinsecum, & secundarium, per cuius desinentiam non absolutè, sed quoad ordinem non destruitur finis primarius laudandi Deum per illas preces, quæ laudatio resultat siue coniunctim, siue separatim recitentur. Cæterum, si ex illa ordinatione aliquid euinceretur contra Lessij probationem, & contra nostram assertionem, euinceretur etiam, quod, si omnes horæ simul recitarentur, & non seruaretur ordo ab Ecclesia præscriptus, læthale peccatum committeretur, cum non fieret illa rapresentatio mysteriorum Passionis Christi Domini.

Ratio Lessij, & instantia ad idem.

Aduersus hanc nostram assertionem nonnulla congerunt argumenta Aduersarij. Primum est, quod frustrà insudarent Doctores in inquirendo, quanta requiratur temporis distantia inter vnam partem, & alteram eiusdem Horæ Canonicæ ad inducendam noxam lęthalem, si hæc non contraheretur ex longissima etiam mora, dummodo recitatio vtriusque partis fieret eadem die. Sed hoc argumentum valdè nos non torquet, quia in primis illi Doctores, qui talitèr insudant, sunt in contraria sententia, quam nos non improbabilem censemus, sed solum dicimus nostram probabiliorem. Deindè dicere possumus, eorum laborem eo tendere, vt inuestigent, quanta requiratur distantia ad contrahendam noxam venialem, non enim ex quacunque modica mora hæc contrahitur, & per hoc magis firmatur nostra prima assertio.

Solutio contrariorum argumentorum.

Secundum desumitur ex Concilio Toletano VII. relato *in cap. nihil contra 7. quæst. 1. vers. nullus*, vbi hæc leguntur. *Nullus absque preuentu patentis molestiæ minister, vel Sacerdos, cum ceperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere*, & ibi immediata contra transgressores imponitur pœna excommunnicationis, quæ supponit grauitatem culpæ. Sed huic etiam occurrimus asserentes, textum hunc non procedere de simplici interruptione, sed de omissione reliquæ partis ab incæpta, quod colligitur, tum ex verbis præcedentibus eiusdem textus, tum ex verbis quibus concipitur hæc dispositio; ex præcedentibus, vbi dicitur, quod Missarum solemnia, ex quo incæpta sunt, debeant perfici per eum, qui incæpit, vel ipso ægrotante per alium Sacerdotem. Vides, quod ibi prohibetur omissio, dum per alium Sacerdotem, ægrotante primo, præcipitur complementum, ne imperfectum sacrificium relinquatur, ex verbis, quibus concipitur eadem dispositio, cum ibi dicatur, *imperfecta officia non præsumat omninò relinquere*; relinquere autem omninò imperfecta, est omittere, quod requiritur ad perfectionem, non præcisè interrumpere. Neque audiendus hic est *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 12. difficult. 5. num. 8.*, dum dicit, hanc dispositionem non posse referri ad omissionem reliquæ partis non recitatæ; nam frustranea esset dispositio per PP. Concilij apposita, cum certum sit, omissionem esse peccaminosam læthalitèr. Non, inquam, audiendus est, quia PP. illius Concilij non solum voluerunt firmare, quod iam statutum erat, sed vlteriùs voluerunt obligare ad obseruantiam statuti per impositionem pœnæ excommunicationis, quæ antecedentèr posita non erat. Cæterum incongruum videtur, quod Concilium simplici interruptioni, quæ non est contra substantiam, voluerit pœnam ità grauem excommunicationis apponere.

9 *Textus in cap. nihil contra 7. qu. 1. loquitur de omissione.*

Tertium desumitur à paritate Regis, qui grauitèr offensus maneret, si alloquens ipsum de rebus grauibus auertens ab ipso sermonem conuerteret ad seruos loquens de rebus leuibus, & inutilibus, ergo

10 *Non valet argumentum à Principe ad Deum.* ergo a fortiori grauitèr Diuinam Maiestatem offenderet, si post cæptum cum ipso colloquium per recitationem diuinarum precum ipsum interrumperet, vt ad alia inutilia se conuerteret. Sed huic etiam accurrimus dicentes Deum Optimum Maximum, qui nouit imbecillitatem hominum, & vagam eorum voluntatem non ægrè ferre, sicuti ægrè ferunt Principes diuersiones secum alloquentium; ipsi etenim considerant præcisè externum cultum, & ea, quæ ab hominibus seruantur; Deus autem ea, quæ sunt Dei, & pendent ex ipsius lege, & Ecclesiæ, nec ex aliquo actu sordido Physico coram se patrato læditur, sicuti læduntur Reges, & Principes; vndè non valet argumentum à Principe ad Deum.

Non valet argumentum ab interruptione notabili in Choro ac extra Chorum. Quartum desumitur ex eo, quod notabilis interruptio in recitatione diuini officij facta à Choro secundum communem opinionem, vt asserit *Marchinus loc. cit.*, sit peccaminosa læthalitèr, ergo etiam interruptio notabilis facta extra Chorum, & priuatim, cum militat eadem ratio. Sed contra in primis dispar omninò est ratio, quia illa interruptio in recitatione solemni in Choro ingereret scandalum in populo, quod considerari non potest in recitatione priuata. Deindè illa notabilis interruptio in primo casu aduersaretur ritibus Ecclesiæ, & consuetudini receptæ, non sic in secundo. Tandem cessante scandalo, & contemptu non est ita certum, quod illa interruptio etiam in Choro sit peccaminosa læthalitèr.

Sed hic oritur difficultas duplex. Prima est, an, si quis interrumperet officium animo repetendi iam recitata, satisfaciat, si postea non repetat, sed solum sequentia adiungat. Secunda, an, si non solum interrumperet per longum tempus, sed vlteriùs post partem incæptam, sed interruptam recitaret alias horas, & postea partem omissam diceret, peccaret læthalitèr, & non satisfaceret.

11 *Qui interrupit cũ animo repetendi, si non repetit secundũ Medinã, non satisfacit.* In ordine ad primam *Ioannes Medina, C. de Orat. quæst. 16. art. 3.*, *Nauarrus de Oratione cap. 16. num. 73.*, existimant non satisfacere, nisi priora repetat. Rationem ex eo deducunt, quia ex eo, quod interrumpat cum animo repetendi partem, quam recitauit, iam habet animum per illam partem recitatam non satisfaciendi, ergo per illam non satisfacit, sed tenetur ad satisfaciendum illam repetere. Consequentia probatur, quia non satisfit oneri per operationem, per quam operans non intendit satisfacere eidem oneri; sic si quis mihi debeat centum nummos aureos non liberatur à tali onere, si mihi donet animo liberali centum gratis, & absque animo soluendi mihi debitum.

Lessius lib. 2. de iust., & iure cap. 37. dub. 10. num. 59. vers. sed veriùs est, sentit satisfacere, quantumuis recitata non repetat, cum sufficiat, vt propositum mutet. Rationem ex eo desumit, quod adimplere præceptum est horas recitare simplicitèr, non determinatè cum animo adimplendi illud; vndè per recitationem simplicitèr horarum satisfit intentioni Ecclesię quoad rem præceptam. Addit tamen, quod ne videatur præceptum contemnere, debeat vel explicitè, vel implicitè intendere eidẽ Ecclesiæ obedire; adeò vt, si expressè intendat non satisfacere per illam præcedentem dimidiatam recitationem, non repetendo postea illam peccet contra ipsum præceptum non omissione operis externi, sed interno contemptu. 12 *Secundũ Lessium satisfacit.*

Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. c. 8. quæst. 7., procedit cum distinctione; vel etenim ille, qui incæpit recitare, & interrupit habuit animum in incæptione, vel interruptione postea totum repetere, & tunc asserit in hoc locum habere sententiam primam Medinæ, & Nauarri statuentium, si non repetat, grauitèr peccare; nec satisfacere propter rationem ab eisdem adductam; vel tunc non habuit animum repetendi iam recitatum, sed prosequendi pro alio tempore horam incohatam, & tunc adhuc sub distinctione procedit, vel enim postea mutato proposito primo continuandi statuit, velle iterum totum repetere, & deindè adhuc mutato hoc secundo proposito decreuit continuare, & rediuit ad primum propositum, & tunc sentit continuando non peccare læthalitèr, & satisfacere; vel post primum propositum non iterandi, sed continuandi statuit in corde suo velle omnia iterare, & hanc secundam voluntatem non retractauit, & tunc videtur asserere non iterando peccare læthalitèr. Retenta quoad primum membrum distinctionis primæ sententia Medinæ, & Nauarri propter rationem ab eisdem adductam, probat primum membrum distinctionis secundæ, seu subdistinctionis sic. Illa prima pars recitata, & postea interrupta cum illa intentione expressa non iterandi valet, & licet subsequatur alia intentio totum repetendi etiam recitatum non desinit esse valida in sua origine, ergo retractata illa secunda intentione totum repetendi, si per nouam intentionem relatam ad primam continuetur omissum non repetito iam recitato, satisfiet, nec vllum peccatum læthale contrahetur, & ex hoc patet discrimen, quod intercedit inter hunc casum primi membri subdistinctionis, & primum 13 *Exponitur sententia, Azorij, cum suis distinctionibus.*

mem-

eiusdem officij per recitationem omnium horarum eadem die, quamuis separatim recitentur, & vna confessio, quamuis per plures vices facta sub vna absolutione, ita non est, cur non saluetur vna hora, quamuis partes eiusdem separatim recitentur.

Progreditur *Lessius loc. cit.* in probatione huius assertionis, hoc pacto. Singuli Psalmi, singuli Hymni, singulæ Lectiones, & Orationes sunt separatæ quædam precationes, quæ singulæ habent per se suam significationem, nullamque cum alijs connexionem, ergo, quia non sunt connexæ, poterunt separatim recitari; quia retinent eandem significationem id præstant, quod intendit Ecclesia pro illa die. Sed hæc probatio videtur aliquas pati difficultates, nam licet illi Psalmi, Hymni, & Orationes nullam per se dicant cum alijs connexionem, habent tamen illam ex institutione Ecclesiæ autricis, seu institutricis Horarum Canonicarum, & cum easdem ordinauerit ad septem principaliora Passionis Christi Domini mysteria rapresentanda, non haberet significationem à se ipsa intentam, si diuisim recitarentur. Verum retenta eadem Lessij probatione dicere possumus, illam connexionem ab Ecclesia intentam, talem non esse, vt, si omittatur, lædatur substantia, ideoque omissio eiusdem non erit peccaminosa saltem læthalitèr. Ad illud, quod subditur de ordinatione ad manifestanda septem principaliora Passionis Christi Domini mysteria, dicendum est illam ordinationem esse finem solum extrinsecum, & secundarium, per cuius desinentiam non absolutè, sed quoad ordinem non destruitur finis primarius laudandi Deum per illas preces, quæ laudatio resultat siue coniunctim, siue separatim recitentur. Cæterum, si ex illa ordinatione aliquid euinceretur contra Lessij probationem, & contra nostram assertionem, euinceretur etiam, quod, si omnes horæ simul recitarentur, & non seruaretur ordo ab Ecclesia præscriptus, læthale peccatum committeretur, cum non fieret illa rapresentatio mysteriorum Passionis Christi Domini.

Ratio Lessij, & instantia ad idem.

Aduersus hanc nostram assertionem nonnulla congerunt argumenta Aduersarij. Primum est, quod frustrà insudarent Doctores in inquirendo, quanta requiratur temporis distantia inter vnam partem, & alteram eiusdem Horæ Canonicæ ad inducendam noxam lęthalem, si hæc non contraheretur ex longissima etiam mora, dummodo recitatio vtriusque partis fieret eadem die. Sed hoc argumentum valdè nos non torquet, quia in primis illi Doctores, qui talitèr insudant, sunt in contraria sententia, quam nos non improbabilem censemus, sed solum dicimus nostram probabiliorem. Deindè dicere possumus, eorum laborem eo tendere, vt inuestigent, quanta requiratur distantia ad contrahendam noxam venialem, non enim ex quacunque modica mora hæc contrahitur, & per hoc magis firmatur nostra prima assertio.

Solutio contrariorum argumentorum.

Secundum desumitur ex Concilio Toletano VII. relato *in cap. nihil contra 7. quæst. 1. vers. nullus*, vbi hæc leguntur. *Nullus absque præuentu patentis molestiæ minister, vel Sacerdos, cum cæperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere*, & ibi immediatè contra transgressores imponitur pæna excommunnicationis, quæ supponit grauitatem culpæ. Sed huic etiam occurrimus asserentes, textum hunc 9 non procedere de simplici interruptione, sed de omissione reliquæ partis ab incæpta, quod colligitur, tum ex verbis præcedentibus eiusdem textus, tum ex verbis quibus concipitur hæc dispositio; ex præcedentibus, vbi dicitur, quod Missarum solemnia, ex quo incæpta sunt, debeant perfici per eum, qui incæpit, vel ipso ægrotante per alium Sacerdotem. Vides, quod ibi prohibetur omissio, dum per alium Sacerdotem, ægrotante primo, præcipitur complementum, ne imperfectum sacrificium relinquatur, ex verbis, quibus concipitur eadem dispositio, cum ibi dicatur, *imperfecta officia non præsumat omninò relinquere*; relinquere autem omninò imperfecta, est omittere, quod requiritur ad perfectionem, non præcisè interrumpere. Neque audiendus hic est *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 12. difficult. 5. num. 8.*, dum dicit, hanc dispositionem non posse referri ad omissionem reliquæ partis non recitatæ; nam frustranea esset dispositio per PP. Concilij apposita, cum certum sit, omissionem esse peccaminosam læthalitèr. Non, inquam, audiendus est, quia PP. illius Concilij non solum voluerunt firmare, quod iam statutum erat, sed vlteriùs voluerunt obligare ad obseruantiam statuti per impositionem pænæ excommunicationis, quæ antecedentèr posita non erat. Cæterum incongruum videtur, quod Concilium simplici interruptioni, quæ non est contra substantiam, voluerit pænam ità grauem excommunicationis apponere.

Textus in cap. nihil contra 7. qu. 1. loquitur de omissione.

Tertium desumitur à paritate Regis, qui grauitèr offensus maneret, si alloquens ipsum de rebus grauibus auertens ab ipso sermonem conuerteret ad seruos loquens de rebus leuibus, & inutilibus, ergo

ergo à fortiori grauitèr Diuinam Maiestatem offenderet, si post cæptum cum ipso colloquium per recitationem diuinarum precum ipsum interrumperet, vt ad alia inutilia se conuerteret. Sed huic etiam accurrimus dicentes Deum Optimum Maximum, qui nouit imbecillitatem hominum, & vagam eorum voluntatem non ægrè ferre, sicuti ægrè ferunt Principes diuersiones secum alloquentium; ipsi etenim considerant præcisè externum cultum, & ea, quæ ab hominibus seruantur; Deus autem ea, quæ sunt Dei, & pendent ex ipsius lege, & Ecclesiæ, nec ex aliquo actu sordido Physico coram se patrato læditur, sicuti læduntur Reges, & Principes; vndè non valet argumentum à Principe ad Deum.

10 *Non valet argumentum à Principe ad Deum.*

Non valet argumentum ab interruptione notabili in Choro ac extra Chorum.

Quartum desumitur ex eo, quod notabilis interruptio in recitatione diuini officij facta à Choro secundum communem opinionem, vt asserit *Marchinus loc. cit.*, sit peccaminosa læthalitèr, ergo etiam interruptio notabilis facta extra Chorum, & priuatim, cum militat eadem ratio. Sed contra in primis dispar omninò est ratio, quia illa interruptio in recitatione solemni in Choro ingereret scandalum in populo, quod considerari non potest in recitatione priuata. Deindè illa notabilis interruptio in primo casu aduersaretur ritibus Ecclesiæ, & consuetudini receptæ, non sic in secundo. Tandem cessante scandalo, & contemptu non est ita certum, quod illa interruptio etiam in Choro sit peccaminosa læthalitèr.

Sed hic oritur difficultas duplex. Prima est, an, si quis interrumperet officium animo repetendi iam recitata, satisfaciat, si postea non repetat, sed solum sequentia adiungat. Secunda, an, si non solum interrumperet per longum tempus, sed vlteriùs post partem incæptam, sed interruptam recitaret alias horas, & postea partem omissam diceret, peccaret læthalitèr, & non satisfaceret.

11 In ordine ad primam *Ioannes Medina, C. de Orat. quæst. 16. art. 3.*, *Nauarrus de Oratione cap. 16. num. 73.*, existimant non satisfacere, nisi priora repetat. Rationem ex eo deducunt, quia ex eo, quod interrumpat cum animo repetendi partem, quam recitauit, iam habet animum per illam partem recitatam non satisfaciendi, ergo per illam non satisfacit, sed tenetur ad satisfaciendum illam repetere. Consequentia probatur, quia non satisfit oneri per operationem, per quam operans non intendit satisfacere eidem oneri; sic si quis mihi debeat centum nummos aureos non liberatur à tali onere, si mihi donet animo liberali centum gratis, & absque animo soluendi mihi debitum?

Qui interrupit cū animo repetendi, si non repetit secundū Medinā, non satisfacit.

Lessius lib. 2. de iust. & iure cap. 37. dub. 10. num. 59. vers. sed veriùs est, sentit satisfacere, quantumuis recitata non repetat, cum sufficiat, vt propositum mutet. Rationem ex eo desumit, quod adimplere præceptum est horas recitare simplicitèr, non determinatè cum animo adimplendi illud; vndè per recitationem simplicitèr horarum satisfit intentioni Ecclesię quoad rem præceptam. Addit tamen, quod ne videatur præceptum contemnere, debeat vel explicitè, vel implicitè intendere eidē Ecclesiæ obedire; adeò vt, si expressè intendat non satisfacere per illam præcedentem dimidiatam recitationem, non repetendo postea illam peccet contra ipsum præceptum non omissione operis externi, sed interno contemptu. 12

Secundū Lessium satisfacit.

Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. c. 8. quæst. 7., procedit cum distinctione; vel etenim ille, qui incæpit recitare, & interrupit habuit animum in incæptione, vel interruptione postea totum repetere, & tunc asserit in hoc locum habere sententiam primam Medinæ, & Nauarri statuentium, si non repetat, grauitèr peccare; nec satisfacere propter rationem ab eisdem adductam; vel tunc non habuit animum repetendi iam recitatum, sed prosequendi pro alio tempore horam incohatam, & tunc adhuc sub distinctione procedit, vel enim postea mutato proposito primo continuandi statuit, velle iterum totum repetere, & deindè adhuc mutato hoc secundo proposito decreuit continuare, & rediuit ad primum propositum, & tunc sentit continuando non peccare læthalitèr, & satisfacere; vel post primum propositum non iterandi, sed continuandi statuit in corde suo velle omnia iterare, & hanc secundam voluntatem non retractauit, & tunc videtur asserere non iterando peccare læthalitèr. Retenta quoad primum membrum distinctionis primæ sententia Medinæ, & Nauarri propter rationem ab eisdem adductam, probat primum membrum distinctionis secundæ, seu subdistinctionis sic. Illa prima pars recitata, & postea interrupta cum illa intentione expressa non iterandi valet, & licet subsequatur alia intentio totum repetendi etiam recitatum non desinit esse valida in sua origine, ergo retractata illa secunda intentione totum repetendi, si per nouam intentionem relatam ad primam continuetur omissum non repetito iam recitato, satisfiet, nec vllum peccatum læthale contrahetur, & ex hoc patet discrimen, quod intercedit inter hunc casum primi membri subdistinctionis, & primum mem- 13

Exponitur sententia Azorij, cum suis distinctionibus.

membrum distinctionis primæ; nam in isto illa recitatio dimidiata cum animo totum repetendi in sua origine non valet, vndè per aliam intentionem non potest conualescere, in illo verò, cum illa recitatio teneat in sua origine, potest per aliam posteriorem intentionem instaurari. Probat tandem secundum membrum subdistinctionis; ex eo, quod non retractauerit secundam intentionem repetendi totum hæc videtur continuata, adeoque non potest coniungere omissum cum iam recitato.

14 *Interrumpés cũ animo repetendi, & non repetens non satisfacit.* Ego in omnibus adherendum arbitror Azorio, præterquam in vltimo membro distinctionis secundæ, seu subdistinctionis. Prima pars, in qua Azorius conuenit cum Medina, & Nauarro pro prima sententia allegatis sic euincitur. Non potest validè satisfieri præcepto cum expressa intentione positiua contraria satisfactioni, sed qui incohauit officium, & interrupit cum animo repetendi intentionem habuit per illam dimidiatam recitationem non satisfaciendi, cum intenderit repetere, vt satisfaciat, ergo non satisfecit præcepto.

15 *Non sufficit merum opus externum sine animo satisfaciendi.* Dices cum *Lessio loc. cit.* Præcepto satisfit per executionem operis externi præcepti; non enim cadit sub præcepto animus illi satisfaciendi, sed opus ipsum externum, sed qui recitauit officium dimidiatè, & postea prosecutus est omissum, executus est opus externum præceptum, ergo illi satisfecit; hinc exemplificando procedit, quod audiens in die festo sacrum animo per illud non satisfaciendi Ecclesiæ præcepto, sed aliud audiendi in executionem eiusdem præcepti mutata voluntate possit per primam satisfacere, quantumuis aliud non audiat. Sed contra, quia per positionem præcisè operis externi præcepti gratis dicitur, quod eidem præcepto satisfiat, vt videre est in plerisque; sic præcepto communionis Paschalis non satisfit per merum opus externum sumptionis Eucharisticæ, sed opus illud debet esse coniunctum cum debitis modis, & qualitatibus; vndè meritò Innocentius XI., semper glor. record. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ Inquis. habita feria V. die secunda Martij 1679., damnauit propositionem illam, quæ est in numero quinquagesima quinta, qua dicebatur. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem, & Alexander VII. in simili Congregationem habita feria V. die 24. Septembris 1665. damnauit item propositionem, quæ est inter cæteras ab ipso damnatas 14., qua dicebatur. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui facit confessionem voluntariè nullam. Ex his vides non esse sufficiens ad satisfaciendum præcepto merum opus externum. Quod, si satisfactioni præcepti obstat aliquæ qualitates afficientes ipsum opus externum; non video quod magis, possit obstare, quam voluntas per illud non satisfaciendi. Vim huius rationis videtur perpendisse ipse Lessius, dum quodamodo limitando dictum suum subiunxit, quod debeat, vel explicitè, vel implicitè intendere obedire Ecclesiæ, & satisfacere per hoc opus, vel per aliud; dum enim dicit, quod per hoc, vel per aliud opus debeat intendere satisfacere, iam concedit, quod ad satisfaciendum præcepto requiratur intentio saltem implicita satisfaciendi. Deindè, dum dicit, vel per hoc, vel per aliud opus, non ponit voluntatem contrariam satisfaciendi per hoc.

Secunda pars, in qua quodamodo Azorius videtur dissentiri à Lessio, sic euincitur. Opus secundum se validum in sua origine, quamuis per subsequentem intentionem quodamodo suspendatur potest tamen retractata eadem secunda intentione suspensiua per nouum actum excitatiuum primi actus, quo positum est illud opus, conualescere, quia, quod ab initio validum est, potest reuiuiscere, sed illa recitatio dimidiata cum intentione illam non iterandi, valida est, licet quodamodo suspendatur per secundam intentionem contrariam, ergo reuocata hac secunda intentione contraria per nouam intentionem relatam ad primam conualescet. 16 *Interruptio, cũ animo non repetendi, & suspensio per animum repetendi non officit, si reuocetur hic secũdus animus.*

Tertia pars, in qua ego dissentio ab eodem Azorio, sic probatur. Per ipsum Azorium opus secundum se ab origine validum, quantumuis suspensum per aliam intentionem contrariam, potest per nouam intentionem retractatiuam huius secundæ, vt mox ex mente ipsius dicebamus, conualescere, ergo etiam opus in suo ortu validum, licet per contrariam intentionem suspendatur, quæ secunda intentio formalitèr, & positiuè non retractetur, si adiungatur eidem operi, quod deest, erit validum, seu conualescet, ergo, si incohetur recitatio diuini officij, & interrumpatur cum intentione illam non repetendi, si postea superaddatur noua intentio totum repetendi, quæ formalitèr non retractetur, & deindè non facta repetitione partis iam recitatæ, & reliquo omisso satisfiat, erit valida satisfactio. Hæc vltima consequentia probatur, quia in tantum in casu antecedentis dicitur satisfieri, in quantum secunda intentio cõtraria retractatur per tertiam, 17 *Facta interruptione cum animo non repetendi, si postea accesserit animus repetendi, si non repetit, probabilius est, quod satisfecerit.*

sed

sed etiam in casu consequentiæ illa secunda intentio contraria retractatur implicitè per continuationem partis omissæ, cum per illam intendat satisfacere, ergo &c.

18 In ordine ad secundam ratio dubitandi ex eo potissimum consurgit, quod, cum post recitationem partis vnius Horæ Canonicæ, aliæ horæ fuerint recitatæ, antequam pars omissa prioris horæ recitaretur, videtur per hoc illa pars prima illius horæ discontinuata, & physicè, & moralitèr à parte omissa per interpositionem inter vtramque aliarum horarum recitatarum, quinimmò videtur renuntiatum illi priori parti, adeoque non videtur posse vtraque pars continuari ad constituendam vnam horam, & prima pars propter implicitam renuntiationem nullum ius videtur habere, perindè, ac si non esset posita. Nihilominus supposito, quod illa prior pars fuerit recitata, non cum animo illam repetendi probabiliùs arbitror, satisfieri præcepto, nec contrahi labem læthalem. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypothesi non interuenit, nisi interruptio, & quodamodo inuersio ordinis, sed per neutram inducitur noxa læthalis, nec fit, vt præceptum non adimpleatur, vt latè probatum est in præcedentibus, ergo &c.

Interrupta vna parte horæ sine animo repetendi, si interim aliæ horæ recitentur antequã pars omissa recitetur, si postea, hæc recitetur nõ committitur grauis culpa.

Soluuntur rationes oppositæ

Dices primò, non solum interuenire interruptionem, & inuersionem ordinis, sed vlteriùs confusionem, & permixtionem partis vnius horæ cum alijs horis per interpositionem istarum cum partibus illius prioris, quandoquidem inter vnam partem istius, & alteram eiusdem mediarent aliæ horæ. Sed contra, quia illa interpositio aliarum horarum inter vnam, & alteram partem eiusdem horæ ex genere suo non tollit, quin per recitationem vtriusque partis illius horæ, quantumuis interruptè, & commixtè non satisfiat præcepto quoad illam horam, vt contingit in eo, qui ad Chorum accederet incæpta iam vna hora, puta sexta; hic etenim prosequens cum Choro reliquum eiusdem sextæ, & successiuè nonam, (si vsus ibi inualuerit, vt sexta cum nona simul recitetur) quibus finitis reassumat partem sextæ, quam omisit propter moram in Chorum ingrediendo nemine disceptante satisfacit præcepto illius horæ, nec peccat, & tamen interuenit illa permixtio opposita in instantia. Quod, si vrgeas, in hoc casu interuenire iustam causam deseruiendi, & se accommodandi, cum Choro, quæ ratio cessat in priuatim recitante, statim impugnaberis, quia semel dato, quod illa permixtio non irritet ex genere suo, quod fiat cum causa, vel sine causa ad summum efficit, quod, quando fit cum causa sit sine vlla prorsus labe, quando verò fit sine causa ad summum inducat labem venialem.

Dices secundò, quod, quamuis interruptio, & inuersio ordinis seorsim sumptæ non reddant inualidam recitationem, nec inducant culpam læthalem; irritent tamen, & inducant, si simul concurrant, vt euenit in præsenti hypothesi, quandoquidem, quæ diuisa non tenent, nec aliquid efficiunt, collecta in vnum operantur. Sed contra, quia ad summum, quæ dicuntur, valent, quando illa, quæ simul adunantur se adinuicem adiuuant, & corroborant, vt videre est in duobus trahentibus nauim, qui, quamuis separatim non possint trahere, vniti trahunt, quia mutuò se adiuuant, non autem, quando se mutuò non adiuuant, cum vnum quodque agat in suo genere, nec vnum in aliud influat, vt in casu præsenti.

Ex eo autem, quod dixerimus, quod interruptio, quantumuis magna, non inducat culpam læthalem etiam si fuerit sine causa, sequitur, quod non obstante eadem satisfiat oneri, & præcepto, adeoque, si sit beneficiarius, non teneatur fructus beneficij restituere. 19

Ex lõga interruptione non tollitur, quin satisfiat.

ARTICVLVS XXVI.

Ex quanam, & quali omissione inducatur culpa lathalis in recitatione Horarum Canonicarum.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa præsentem titulum. 1.

Præceptum de diuino officio recitando est vnicum. 2.

Non est eadem ratio de omissione omnium horarum, ac de actu interno omittendi repetito. 3.

Qui vna voluntate totum officium omittit, vnum dumtaxat peccatum lathale committit. 4.

Omissio vnius horæ est peccaminosa lathalitèr. 5.

Qui omitteret partem vnius horæ exiguæ infrà dimidium non peccaret lathalitèr, secus si vltrà dimidium. 6.

Si hora esset magna puta Matutinum cum laudibus induceret peccatum lathale non solum omissio medietatis, sed etiam tertia, & quarta partis. 7.

Si per plures actus voluntatis intermissos, & repetitos omnes Horæ Canonicæ omittantur septem peccata lathalia committuntur, 8.

1 *Rationes dubitandi circa præsentē titulum* SVb hoc titulo comprehendentur plures difficultates, quarum decisio per vtilis erit ad pleraque dubia dissoluenda, quæ in hoc genere oriri possunt, tam comparando partes vnius horæ ad inuicem, quam comparando singulas horas ad totum officium. Prima erit, an, & qualis omissio partis singulæ horæ inducat hanc culpam. Secunda, an omissio vnius horæ comparatiuè ad totum officium sit læthalis. Tertia, an omissio omnium septem Horarum Canonicarum inducat septem peccata læthalia, an vnum tantum licet grauiùs. Pro quarum difficultatum resolutione.

2 *Præceptum de officio recitādo est vnū.* Aduertendum est primò, an præceptum de septem Horis Canonicis singulis diebus recitandis sit vnicum tantum, an verò multiplex iuxtà earundem horarum numerum. In quo *Lessius de iust., & iure lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 53. vers. singulorum recitatio, Caietanus verb. Horæ Canonicæ, & alij*, asserunt esse saltem virtualitèr septem præcepta iuxta horarum numerum, eo modo, quo præceptum ieiunij quadragesimalis resoluitur in tot præcepta, quot sunt dies quadragesimæ. E conuerso vnicum tantum esse præceptum de Diuino Officium recitando singulis diebus tradunt *Marchinus tract. 2. de ordine in particulari part. 6. cap. 12. difficult. 3. num. 5., & alij plures*, quorum opinio videtur communior, cum sit de vno officio recitando conflato ex pluribus horis tanquam partibus, nec valet argumentum desumptum à præcepto ieiunij quadragesimalis, quia tot sunt ieiunia, quot dies quadragesimæ, non autem tot sunt officia, quot sunt horæ, vt optimè notat *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. c. 7. quæst. 4. in fine*.

3 *Non est eadem ratio de omissione omniū horarum ac de actu interno omittēdi repetito, & quare.* Aduertendum secundò, non esse pariformitèr discurrendum de omissione omnium, & singularum Horarum Canonicarum in eadem die, ac de actu interno voluntatis repetito sæpiùs eadem die eas omittendi, vel quoad omnes, vel quoad singulas, quandoquidem omnium horarum omissio pro eadem die est vna; voluntas autem omittendi easdem sæpiùs repetita est multiplex, siue referatur ad omnes, siue ad singulas in particulari; vndè, qui vna voluntate simplici omnes septem horas omitteret, videtur vnum dumtaxat peccatum læthale committere, licet grauiùs, ac si vnam dumtaxat omitteret; qui verò scientèr vnam horam voluntariè omitteret, & deindè adueniente tempore recitationis alteriùs repetita voluntate ipsam quoque omitteret, propter iteratas voluntates non vnum dumtaxat, sed duo contraheret peccata. Hæc attentè consideranda sunt, cum valdè prosint ad plura dissoluenda.

Aduertendum tertiò, vel omissionem posse esse alicuius partis alicuius horæ determinatæ, & in ordine ad ipsam horam, vel alicuius horæ integræ in ordine ad totum officium; quamuis etenim sit vnum, & idem officium respectu totius diei, horæ tamen secundum se sunt distinctæ; vndè hic quærendum venit, an si in vna, & eadem hora omittatur aliqua pars, quæ sit notabilis respectu eiusdem horæ, non tamen respectu totius officij contrahatur noxa læthalis, & an si omittatur integra hora respectu totius officij, tale peccatum committatur. His sic prænotatis. *Nōnullæ considerationes habendæ in ordine ad horas & partes ipsarum.*

Dico primò, qui vna simplici voluntate totum officium diei omittit, nonnisi vnum peccatum læthale committit, & item, qui eadem voluntate omittit vnam horam integram, licet leuiùs. In hoc quoad primam partem consentiunt *Azorius parte prima lib. 4. cap. 2. quæst. 6., Nauarrus de Orat. cap. 7. num. 6., Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. c. 12. difficult. 3. num. 4., Henriquez lib. 2. de pænitentia cap. 5., & 6., & de matrimonio lib. 12. cap. 10. §. 3. litt. O., Garzias de benef. part. 3. c. 1. num. 125., idem Azorius part. 1. lib. 10. cap. 7. quæst. 4.*, aduersus *Lessium lib. 2. de iust., & iur. cap. 37. dub. 9. num. 54., Tabienam verb. hora quæst. 18.* Quoad secundam partem *Nauarrus de oratione cap. 7. num. 44., Azorius d. lib. 10. cap. 7. quæst. 3., Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 52., & alij*, contra *Marchinum loc. cit. num. 1.* 4 *Omissio totius officij per vnā voluntatem importat vnū peccatū læthale.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in hac hypothesi multiplicatio peccatorum nec oriri potest ex iteratis, & distinctis actibus voluntatis, nec ex multiplicatione præceptorum, nec ex pluralitate obiectorum, ergo ex nullo capite potest oriri, cum non sit aliud assignabile, ex quo possit prouenire. Antecedens quoad primam partem probatur, quia supponitur, quod per vnum, & eundem actum voluntatis fuerit decreta omissio omnium septem horarum, & vbi etiam fuissent plures actus continuati, non tamen interrupti haberentur moralitèr pro vno, ergo ratione eiusdem non potest oriri multiplicatio peccatorum. Quoad secundam etiam euincitur ex eo, quod pro recitatione totius officij pro vno die vnicum dumtaxat est præceptum, sicuti pro ieiunio vnius diei vnica tantum est lex, & vbi etiam plura essent præcepta, ex multiplicatione eorundem non oritur multiplicatio peccati, vt in similibus fatentur communitèr quotquot sustinent, quod, *Ex nullo capite oritur multiplicatio peccatorum.*

quod, si frangatur ieiunium in die quadragesimæ, in quo occurrit peruigilium alicuius Sancti de præcepto, non duo, sed vnum dumtaxat peccatum committatur. Hinc patet discrimen, quod intercedit inter præceptum ieiunij quadragesimalis respiciens totum tempus quadragesimæ, & præceptum recitandi officium pro vna die, quod illud multiplicatur ad multiplicationem dierum, sicuti multiplicatur præceptum officij ad singulos dies, non tamen hoc multiplicatur pro eadem die, vndè in hoc valet paritas, quod, sicuti, si frangatur in quadragesima ieiunium pluribus diebus, ad mensuram singulorum dierum multiplicetur peccatum, quia multiplicatur præceptum, ità si officium omittatur pro pluribus diebus multiplicatur peccatum, quia pro singulis multiplicatur præceptum, non tamen quod pro eadem die per omissionem officij multiplicatur peccatum ad multiplicationem singularum horarum, cum sit vnum pro omnibus præceptum. Quoad tertiam partem ex eo euincitur, quia omnes horæ conflant vnum integrum officium, tanquam partes integrantes, ergo cum sit vnicum officium pro singulis diebus, vnicum erit tantum obiectum cadens sub tali præcepto, adeoque ex multiplicatione obiectorum non consurgit multiplicatio peccatorum.

5 *Omissio vnius horæ est peccaminosa læthaliter.*

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod defectus in parte notabili rei præceptæ sub graui inducit grauem culpam, vt clarè patebit inducenti per plures res præceptas iure positiuo, sic defectus notabilis in auditione sacri in die festo est læthaliter peccaminosus, sic opera seruilia exercita in diebus festis per notabile tempus sunt similis grauitatis, & sic de cæteris; sed omisio vnius horæ est defectus in parte notabili officij diuini pro illa die recitandi, ergo &c. Minor probatur, tum quia grauitas defectus non solum desumitur a quantitate materiali rei deficientis, sed etiam à fine significationis, ad quem res illa deficiens instituta est, cum autem singulæ horæ institutæ sint ab Ecclesia ad mysterium, nempè significationem mysteriorum Passionis Christi Domini, vel mistici numeri relati, vel ad septenas laudes, quas Dauid Deo singulis diebus canebat, & per omissionem vnius horæ deficiat ille finis, procul dubio interuenit defectus notabilis; tum quia non solum deficeret ordo ab Ecclesia institutus, sed etiam substantia, in qua fundatur talis ordo, quæ substantia certè est considerabilis, cum Ecclesia serio eam præscripserit sub eodem onere, quo cæteras omnes horas singillatim, & tanquam membrum integrale substantiale integrans officium, vndè eandem segregauit à cæteris, pro eadem tempus distinctum designauit &c.

Obiectio & solutio.

Dices, has rationes nihil penitus euincere, quandoquidem vtsupra dicebamus, ille finis rapresentationis mysteriorum Dei est solummodò finis extrinsecus, & secundarius, per cuius desinentiam non videtur contrahi peccatum læthale, sicuti non contrahitur iuxtà superiùs dicta ex eo, quod omnes horæ simul recitentur, vel interrumpantur, in quo casu non haberetur illa rapresentatio. Sed contra, quia ea, quæ supradiximus, procedunt solum, quando non absolutè tollitur ille finis extrinsecus, sed solùmodò quoad ordinem peruertitur; nam ibi loquebamur de interruptione, quæ non tollit substantiam, sed solum ordinem variat. Cæterum, cum Ecclesia ordinauerit illas horas ad illa mysteria rapræsentanda, quotiescumque illæ horæ ponuntur semper rapræsentant eo modo, quo ponuntur; si ordinatim rapræsentant cum suo ordine, si cum variatione ordinis, etiam variant ordinem in rapræsentando, cæterum quoad substantiam rapræsentant; variatio autem in ordine non inducit grauem noxam. In casu autem præsenti, cum simpliciter omittatur illa hora, & quoad substantiam tollitur simpliciter significatio, ad quam Ecclesia ordinauit, & instituit illam horam, adeoque in hoc resultat illa culpa læthalis.

6 *Omissio partis vnius horæ exiguæ, infra dimidiũ non est peccaminosa læthaliter.*

Dico secundò, qui omitteret partem vnius horæ exiguæ infrà dimidium non peccaret læthaliter, secus, si vltra dimidium. Prima pars est contra *Monetam tract. de quotid. distrib. part. 2. quæst. 3. n. 33.* volentem decimam partem vnius Horæ Canonicæ etiam minimæ omissam constituere materiam sufficientem peccati læthalis. Item contra *Nauarrum de Orat. cap. 7. num. 44.* volentem in prima, tertia, sexta, vel nona omissionem principij cum vno Psalmo esse peccaminosam læthaliter. Item contra *D. Antoninum apud eundem Nauarrum loco citato* volentem omissionem tertiæ partis in parua hora constituere peccatum læthale. Secunda pars est contra *Marchinum tract. 11. de ordinibus in particulari part. 6. de Subdiaconatus cap. 12. difficult. 3. num. 5.* volentem omissionem, ne dum mediæ partis horæ, sed nec etiam vnius integræ horæ constituere materiam sufficientem ad peccatum læthale. Tota tamen nostra sententia est *Bartholomæi à Sancto Fausto tract. de Horis Canonicis lib. 2. quæst. 78.*, & *aliorum communiter.*

Secus, si sit vltra dimidiũ

Dixi *vnius horæ exiguæ*, nam, si hora

esset magna, cuiusmodi est Matutinum cum laudibus, quæ iuxtà superiùs dicta vnam dumtaxat horam constituunt, ne dum medietas, immò nec tertia pars, nec quarta eximeret à culpa læthali, si omitteretur, quandoquidem tertia, vel quarta pars eiusdem est pars pluribus constans, & per consequens secundum se notabilis, vt videre est in pluribus. Sic dies festus constat viginti quatuor horis à media ad mediam noctem; tertia pars eiusdem festi sunt octo horæ; certè, si quis in die festo opus seruile haberet, ne dum per octo horas, sed per quatuor, vel quinque non eximeretur à peccato læthali.

7 *Si hora esset magna omissio tertiæ, vel quartæ partis induceret noxā læthalē.*

Probatur iam prima pars nostri dicti. Præceptū de recitandis Horis Canonicis vnoquoque die vnum est respectu singularum, vt supra probauimus, ergo per omissionem partis vnius horæ exiguæ infrà medietatem grauitèr non læditur idē præceptum, adeoque non committitur peccatum læthale, quia transgressio in modico non est grauitèr peccaminosa; Neque dicas, quod transgressio in omissione vnius horæ paruæ integra in ordine ad totum officium non sit notabilis, & tamen per eandem contrahitur noxa læthalis, ergo etiam in omissione partis vnius horæ exiguæ, quantumuis infrà medietatem, & non notabilis contrahetur eadem noxa, potissimum ex eo, quod licet non sit notabilis in ordine ad totum officium, sit notabilis in ordine ad illam horam, quæ ex supradictis obligat sub læthali; contra enim impugnaberis, quia, cum præceptum sit vnum pro toto officio, & pro partibus, grauitas transgressionis consideranda est in ordine ad totum, non simplicitèr ad partem.

Cur pars exigua horæ infrà dimidiā non sit peccaminosa læthalitèr.

Vrgebis in ordine ad totum etiam hora integra parua est modica pars, nam tertia verbi gratia comparatiuè ad totum officium vix erit decima pars. Quod, si dicatur, quod vna hora licet sit exigua in quantitate materiali est tamen considerabilis in formali significationis, vrgebitur etiam, quod, cum illa pars illius horæ etiam conferat ad illam significationem, cum sine illa non possit dici hora, nisi mutila, illa deficiente videatur etiam quoquo modo deficere illa significatio, si non in toto, saltem in parte. Sed contra retentis ijs, quæ suprà dicebamus, quod scilicet vna hora parua licet in quantitate materiali non videatur notabilis in ordine ad totum, sit tamen notabilis quoad formale significationis, dico, quod remanente parte vltra medietatem vnius paruæ horæ, adhuc remanet significatio sufficiens ad id, quod intendit Ecclesia, licet non ità perfectè, quæ nullo modo remanet, quando deficit tota hora.

Probatur secunda pars, quia, quando deficit pars vnius horæ vltra dimidium non dicitur hora permanere, sed nec dimidium horæ, cum maior pars deficiat; sic deficientibus duobus nocturnis à Matutinis precationibus non dicitur existere Matutinum, ergo, sicuti omissa hora integra graue peccatum contrahitur, etiam contrahetur deficiente maiori parte horæ, vndè illa pars minor, quæ recitatur, habebit potius rationem particularis precis, quam Horæ Canonicæ, vndè in illa non saluabitur formale significationis, quòd intendit Ecclesia in ordinatione Horarum Canonicarum.

Cur sit peccaminosa lethalitèr si sit vltra dimidiā.

Dico tertiò, si per plures actus voluntatis intermissos, & repetitos omnes Horæ Canonicæ omittantur, committūtur septem peccata læthalia. Hoc contingeret in casu, quo quis in manè decerneret omittere totum officium, deindè omisso Matutino cum laudibus, illud propositum reuocaret, & statueret reliquum recitare; deindè relicto hoc secundò proposito per nouum actum voluntatis decerneret non recitare primam, quā non recitata, decerneret per nouum actum recitare tertiam, & hoc item reuocato non recitaret tertiam, & sic de cæteris. In hoc consentit *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 7. quæst. 4. vers. animaduertendum est*. Ratio est, quia in hoc interueniunt plures actus omninò distincti, & non continuati, cum fuerint per contrariam intentionem reuocati, & quidem omnes cadentes super materiam peccaminosam læthalitèr, ergo constituunt diuersa, & distincta numero peccata, cum peccatum iuxtà D. Augustinum sit dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei, seu Ecclesiæ, ergo, cum sint plura concupita per distinctos, & non continuatos, actus erunt plura peccata; Nec valet argumentum de omissione diuini officij, ac de actu interno voluntatis; voluntas enim omittendi sæpiùs repetitur, cum intermissa reuocetur, vel sæpiùs interrupta renouetur, at omissio septem horarum per diem non iteratur, sed vna tantum existit. 8

Si per plures actus voluntatis intermissos, & repetitos omnes horæ canonicæ omittātur septē peccata læthalitèr contrahuntur.

AR-

ARTICVLVS XXVII.

De recitatione priuata Horarum Canonicarum adbibito socio.

SVMMARIVM.

A quonam ortu habuit hic mos recitandi diuinum officium per duos alternis vicibus. 1.
An hic mos fuerit solum inductus per consuetudinem, an verò per legem scriptam remissiuè. 2.
Si quatuor recitent simul, & vnus vnum; alter alterum, alter alterum separatim versiculos recitent, non satisfaciunt. 3.
Si ex illis quatuor vnus recitet vnum versiculum, & alij tres simul alterum satisfaciunt. 4.
Non est necesse, quod Lectiones ab omnibus simul recitentur, sed sufficit, quod vnus recitet alijs audientibus. 5.
Potest in recitatione officij adhiberi socius, qui non obligetur ad officium recitandum. 6.
Recitante vno vnum versiculum, & tres simul alium, non est necesse, quod ille vnus omnes tres audiat. 7.
Et sufficit, quod vnus versiculos ab illis tribus recitatos modo ab vno, modo ab alio audiat. 8.

1 *A quonam inceperit hic vsus.* VSus ferè vbique receptus iam inualuit, vt sine vlla conscientiæ synderesi officium diuinum alternis versibus à duobus, vel tribus recitetur. Hunc vsum in Ecclesia orientali ortum habuisse à D. Ignatio scribunt *Socrates lib.6.c.8., Cassiodorus lib. 10. tripart. Historiæ cap. 9., Nicephorus lib. 13. cap. 8.*, quem ad hanc institutionem asserunt motum fuisse à quadam visione, qua Angelos vidit alternis versibus laudes Sanctissimæ Triadi concinentes, quamuis *Theodoretus lib. 1. Histor. c. 24.* referat originem huius vsus ad Flauianum, & Diodorum Monachos Antiochenos. In Ecclesia verò occidentali hunc morem inductum fuisse à D. Ambrosio in Mediolanensem Ecclesiam referunt *D. Augustinus lib. 9. confession. cap. 6., & 7., D. Isidorus lib. 1. de Eccles. offic. cap. 7., Rabanus lib. 2. de institutione Cler. cap. 50.*, qui mos deindè in omnes Ecclesias occidentales emanauit.

Rationes dubitandi circa titulum. Supposito iam hoc vsu legitimè inducto plura circa ipsum contingunt dubitari; primum, an solum habuerit originem à consuetudine, an verò etiam à iure scripto positiuo. Secundò, an possint adhiberi plures, quam vnus socius, & quomodo isti se gerere debeant. Tertiò, an Clericus obligatus ad officium possit adhibere socium, qui non sit obligatus ad ipsum, & per hoc satisfacere suæ obligationi. Quartò, an si plures simul recitent diuinum officium, ità vt vnus recitet versiculum, & alij simul alium versiculum, teneatur ille, qui solus recitat versiculum, aures, & animum ad singulos proferentes applicare.

2 *Non constat, an hic mos fuerit inductus per legē scriptā, an tantū nō scriptam.* In ordine ad primum sensus difficultatis est, an iuris Canonici sit, vt Clericus per se ipsum teneatur integras Horas Canonicas explere, & solum consuetudine inductum sit, vt alternatim possint recitari, an verò absolutè iuris Canonici sit, quod possint alternis versibus recitari. *Lessius lib. 2. de iust., & iur. cap. 37. dub. 9. num. 52. vers. hic tamen aduerte in fine*, asserit, quod antiquitùs ante D. Ignatium in Ecclesia orientali, & D. Ambrosium in occidentali non alternatim canerētur, sed, si plures simul recitabant, omnes simul totas explebant, & sic vnus omnes per se ipsum recitabat. Sed, an postea per solam consuetudinem inductum fuerit, vt alternatis versibus, possit recitari, an verò per ius positiuum scriptum nōn explicat. Sed ex eo, quod dicat hunc morem inductum esse à D. Ignatio in orientali Ecclesia, & à D. Ambrosio in occidentali, videtur ex eius mente posse dici, quod ex iure scripto possit alternatim hoc fieri, quod etiam videtur expressè indicasse *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 7. quæst. 5.* Alij voluerunt solum consuetudine hoc inductum esse. Sed parum refert ad rem præsentem, quod lege, vel consuetudine hoc sit inductum, cum ipsa solum consuetudo potuerit licitam, & honestam reddere illam recitationem alternatim.

3 *Quatuor recitātes vnusquisque distinctū versiculum non satisfaciunt.* In ordine ad secundum multa veniunt examinanda, & primo, si plures adhibeantur socij, quam vnus, puta tres, vel quatuor possent singuli distinctè, & separatim versiculos recitare, puta vnus vnū versiculum, alter alterum, alter tertium, alter quartum, adeò vt primus non reassumeret, nisi postquam alij tres distinctim suos versus expleuerint. Ad hoc absolutè respondeo, nō posse, nam si possent quatuor hoc præstare, cur non decem? Et si decem cur non viginti? Et sic posset fieri, vt quis per recitationem paucorum versuum expleret obligationem integri officij. Consuetudine igitur, vel etiam iure inductūm est, vt solum alternis vicibus per duas partes hoc munus compleatur.

4 *Si ex illis quatuor vnus recitet vnum versiculum, & tres alij simul alium satisfaciunt.* Secundò, an si fuerint quatuor, an possit vnus vnum versiculum per se recitare, & alij tres alterum simul? Affirmatiuè respondendum est, cum in hoc verificetur, quod alternis vicibus per duas partes officium expleant, nec consuetudo induxit, vt

vt duæ partes sint pares in alternandis versiculis. Tertiò, an quando recitantur Lectiones, & Orationes debeant omnes ipsas recitare, an sufficiat, quod vnus recitet alijs audientibus. Sentiendum est sufficere, si vnus recitet alijs audientibus. Hoc vsus obtinuit, tam in recitantibus publicè in Choro, quam priuatim extra Chorum. Quartò, an saltem singuli teneantur alternatim lectiones legere, itàvt vnus vnam, alter alteram, alter alteram recitare, an verò possit vnus omnes alijs

5 audientibus legere? *Azorius instit. mor. part. 1. lib. 10. cap. 7. quæst. 9.*, refert aliquorum sententiam, qui asserunt ex consuetudine inductum esse, vt ex tribus lectionibus vnus primam proferat, secundus secundam, tertius tertiam. Sed melius vsus inualuit, vt quando tria nocturna recitantur tres primæ lectiones siue in Choro, siue extra Chorum ab vno recitentur; tres verò lectiones secundi nocturni ab altero; tres tandem tertiæ ab altero. Sed, an omnes, dum plures simul extra Chorum recitant, possint ab vno, & eodem recitari cæteris audientibus, non dubitarem affirmare. Quid enim refert, quod ab vno omnes audiantur, vel à duobus, vel tribus?

Non est necesse, quod Lectiones ab omnibus simul recitentur sed quod vnus recitet alijs audientibus.

6 In ordine ad tertium absolutè assero, posse adhiberi in recitatione officij socium, qui non sit obligatus ad officium recitandum. Consentit *Azorius loc. cit. quæst. 6.*, nec arbitror in hoc aliquem dissentiri; non enim hæc consuetudo, siue sit lex positiua inducta est cum hac conditione, vt solum ab obligatis possit alternatim officium expleri, sed quod Clericus possit oneri satisfacere partim recitando, partim audiendo.

Potest adhiberi socius, qui non teneatur ad officium

7 In ordine ad quartum dicendum est, quod, si vnus recitet versiculum, & alij tres simul alium, non sit necesse, quod ille vnus audiat omnes, & singulos proferentes versiculum, sed sufficiat, quod vnum ex illis proferentem audiat. Ratio est, quod ad explendum præceptum satis est, vt Clericus ad officium obstrictus partim recitet, partim audiat, & æquè adhibere potest vnum, vel plures socios, quod, si adhibeat plures, non est ex necessitate, sed ex arbitrio. Sed quid, si ex altera parte plures recitarent ipso solum ex vna recitante, & versiculos modo ab vno audiret, modo ab altero, non semper ab eodem, an tunc satisfaceret? Difficultas in hoc videtur vrgere, quod, si plures seorsim admitterentur cum Clerico ad recitandum officium, ita vt ipse vnum versiculum recitaret, & alter alterum deindè ipse reassumeret alterum versiculum, & alter à primo alterum, & sic admissis pluribus successiuè vno post alterum in versiculis alternatis, tunc non videretur satisfacere, adeoque, nec in præsenti casu. Sentiendum adhuc est, satisfacere; nam re vera ipse partim recitat, & partim audit, nec refert, quod modo ab vno audiat, modo ab altero; autem quia, cum omnes illi, qui ex altera parte recitant se habeant per modum vnius, sufficit auditus ab vno, qualiscunque ille sit, tum, quia non requiritur, vt ab vno determinatè audiat.

Recitante vno vnum versiculum, & tres alij alium non est necesse, quod ille vnus alios omnes audiat.

8 *Et sufficit, quod modo ab vno modo ab alio audiat.*

ARTICVLVS XXVIII.

An obligatus ad Diuinum Officium iuxtà Breuiarium Romanum obligetur etiam ad Officium Deiparæ Virginis, & ad Psalmos Graduales, & Pœnitentiales in ferijs præscriptis, & ad Officium Defunctorum in secundis ferijs, Aduentus, & Quadragesimæ, & in prima cuiuslibet Mensis.

SVMMARIVM.

Antiquitùs vrgebat hoc onus recitandi Officium Deiparæ, & Defunctorum. 1.

Modo quoad priuatim recitantes sublatum est hoc onus à Pio V. 2.

Non tamen sublatæ sunt laudabiles consuetudines, Ibidem.

Vbi sunt huiusmodi laudabiles consuetudines recitandi hæc officia in Choro certis diebus, si quis addictus Ecclesiæ, in qua hæ vigent recitet officium extra Chorum, non tenetur illa recitare. 3.

Clerici addicti ritui Ambrosiano, si recitent extra Chorum, tenentur recitare illa officia, & quare. 4.

Si ante Constitutionem Pij V. erat consuetudo recitandi in Choro huiusmodi officia, hæc non intelligitur sublata. 5.

Quoad recitationem priuatam intelligitur sublata quoad Officium Defunctorum, non autem quoad Officium Deiparæ. 6.

Obligatio recitandi priuatim Officium Deiparæ restringitur ad illos dies, qui præscribuntur in Breuiario nouo. 7.

Sententia asserens Pium V. abstulisse obligationem recitandi priuatè etiam officium Defunctorum in commemoratione eorundem. 8.

Pro illa die verè non abstulit. 9.

Satisfit rationibus oppositis. 10.

Qui in die commemorationis omnium Defunctorum omitteret tum officium diei, tum illud Defunctorum, duplex peccatum lethale committeret. 11.

Sententia asserens Pium V. per suam Constitutionem eximere priuatim recitantes ab onere

onere recitandi priuatim Litanias Maiores, & rogationum. 12.
Probabilius non exemit. 13.

1 *Antiquitùs hoc onus vigebat*

ANtiquitùs ante Breuiarium Pij V. teste *D. Antonino part. 2. tit. 16. cap. 1. §. 23., Durando in rationali diuin. offic. lib. 6. cap. 2. num. 7., & Rodulpho in libel. canon. obseruat. propositione* 20. Vrbanus II. in Concil. Claram. in Auernis anno 1096. instituit preces Horarias Deiparæ Virginis, & præcepisse dicitur, vt à Clericis recitarentur, quod idem inductum fuit de Officio Mortuorum, de Psalmis Gradualibus, & Pænitentialibus vel per consuetudinem, vel per legem scriptam. Sed deindè in aliquibus Ecclesijs penitus hic mos euanuit per non vsũ; in alijs moderatus est, & pro certis diebus seruatus. Modo Pius V. in sua Constitutione apposita in principio Breuiarij statuit, vt qui priuatim Horas Canonicas recitant, non teneantur ad Officium Deiparæ Virginis, nec ad Officium Defunctorum, nec ad Psalmos Graduales, siue Pænitentiales; non sustulit tamen laudabiles consuetudines Ecclesiarum eas in Choro cantantium.

2 *Modo quoad priuatim recitantes sublatũ est hoc onus à Pio V.*

Ex his modo insurgunt plures rationes dubitandi. Prima est, an, si quis sit addictus Choro in Ecclesijs, in quibus seruantur huiusmodi laudabiles consuetudines, & recitet officium extra Chorum illis diebus, pro quibus in obseruantiam huiusmodi consuetudinum recitãtur in Choro, vel Officium Deiparæ, vel Defunctorum, vel Psalmi siue Graduales, siue Pænitentiales, teneatur eadem recitare? Nonnulli suppresso nomine apud *Azorium institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 16. quæst. 3.,* sentiunt, teneri eadem recitare, eo quia tenetur mori suæ Ecclesiæ se conformare, præcipuè, si sit Canonicus eiusdem Ecclesiæ. Sed congruentiùs idem *Azorius loc. cit.,* arbitratur, non teneri, cum Pius V. in enuntiata Constitutione Beneficiarios, & Clericos recitantes extra Chorum illos eximat à tali onere, nec obesse potest, si afferatur, quod antiquitùs illa consuetudo recitandi huiusmodi officia obligabat, ne dum in Choro publicè canentes, sed etiam priuatim extra Chorum. Non inquam, obesse potest, quia obligatio, si quæ aderat, consurgens ex illa consuetudine quoad priuatim recitantes, sublata est per Pium V. in præfata sua Constitutione. Quamuis autem Pius V. abstulerit illam obligationem quoad priuatim recitantes; eos tamen præmouet ad recitationem huiusmodi officiorum pro diebus, quibus in Romano Breuiario præscribitur indulgendo respectu recitantiũ

3 *Recitãs extra Chorum vbi sunt hæ laudabiles consuetudines, non tenetur illa recitare.*

Officium Deiparæ, & Defunctorum de centum diebus de iniunctis pænitentijs, respectu verò recitantium Psalmos Graduales, & Pænitentiales de diebus quinquaginta ex eisdem iniunctis pænitentijs, & hoc toties, quoties &c. Pro confirmatione huius nostræ opinionis aduerte, quod consuetudo illa recitandi præscriptis diebus officium, vel Deiparæ, vel Defunctorum, vel Psalmos Pænitentiales &c. afficit solum Collegium, vel Capitulum in Choro, non autem particulares, ergo, si particulares priuatim extra Chorum recitant, non tenentur ex illa consuetudine.

4 *Clericus Ambrosianus recitãs extra Chorum tenetur officia recitare, quæ ex consuetudine recitantur in Choro*

Secunda ratio dubitandi est, an Beneficiarius, seu Canonicus Mediolanensis seruans Breuiarium Ambrosianum, si officium recitet extra Chorum pro diebus, quibus ex consuetudine suæ Ecclesiæ recitantur, vel Officium Deiparæ, vel Defunctorum, teneatur ad huiusmodi officia recitanda. Absolutè affirmandum est, prout affirmant *Nauarrus de Oratione cap. 10. num. 3., & seqq., Filliutius tract. 23. cap. 6. quæst. 10, & cap. 7. quæst. 8., Bonacina de ijs, quæ ad priu. diuin. offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 12., & alij magis communitèr,* quibus etiam adhæreat *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 25. num. 7., Moisesius tract. 5. c. 2. num. 54., Lessius de iustit., & iur. cap. 37. dub. 12. num. 76.* Ratio ex eo deducitur, quia ante Constitutionem Pij V. Clerici addicti ritui Ambrosiano, etiamsi officium recitarent priuatim extra Chorum, tenebantur ad illa officia persoluenda, sicuti tenebantur etiam addicti ritui Romano, ergo nunc quoque tenentur. Consequentia probatur, quia Pius V. in illa sua Constitutione indulsit in hoc quoad priuatim recitantes, qui amplexi sunt Breuiarium Romanum, non quoad alios, qui ex consuetudine bis centenaria sequuntur, & retinent suos ritus; sicuti etenim isti non assumpserunt onus Breuiarij Romani, ità non debent gaudere commodo, & honore illius, vt colligitur ex eadem Constitutione Piana.

5 *Consuetudo, quæ vigebat ante Piũ V. recitandi officium Deiparæ in Choro non intelligitur sublata.*

Tertia ratio dubitandi est, an, si in aliqua Ecclesia ante Constitutionem prædictam Pij V. erat iam consuetudo recitandi Officium Deiparæ Virginis in Choro, intelligatur per præfatam Constitutionem reuocata, an adhuc in suo robore permaneat. Sentiendum est in suo robore permanere, prout expressè colligitur ex dicta Constitutione Pij V. Ibi *Hoc autem concedimus sine præiudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium paruum Beatæ Mariæ semper Virginis in Choro dici consueuerat, ità vt in prædictis*

Ecclesijs

Ecclesijs seruetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solitis prædictum officium. Hoc speciale est in ordine ad Officium Deiparæ, non autem extenditur ad Officium Defunctorum, nec ad Psalmos siue Graduales, siue Pænitentiales. Circa hanc consuetudinem de Officio Deiparæ recitando seruandam duo hic dubia insurgunt. Primum est, an hoc intelligendum sit de recitatione publica in Choro, an verò etiam de priuata extra Chorum. Secundum, an intelligendum sit de recitatione pro illis omnibus diebus pro quibus erat consuetudo præcedens in illis Ecclesijs, an verò solum taxatiuè quoad illos dies, quibus secundum rubricas Breuiarij noui est recitandum; quibus duobus dubijs aliud addi potest, an modo illa consuetudo obliget sub læthali.

6 *Quoad primatim recitantes intelligitur sublata quoad Officium Defunctorum, non quoad illud Deiparæ.*

Quoad primum, cum illa consuetudo antecedenter ad Constitutionem Pij V. obligaret tam recitantes in Choro, quam extra Chorum, vt magis communiter fateri videntur Doctores, non solum in ordine ad Officium Deiparæ, sed etiam in ordine ad illud Defunctorum, & Pontifex in ordine ad illud Deiparæ confirmauerit, seu voluerit in suo robore permanere, & quoad alia obligationem sub peccato abstulerit, censendum videtur, quod obligatio recitandi illud Deiparæ ex illa præcedenti consuetudine vigeat tam quoad recitantes publicè in Choro, quam quoad recitantes priuatim extra Chorum; cæterum in suo robore plenè non permaneret.

7 *Obligatio recitandi Officium Deiparæ restringitur ad dies Breuiarÿ noui.*

Quoad secundum *Lessius de iust., & iur. lib. 2. cap. 37. dub. 12. nu. 76., Arragonius secunda secundæ qu. 83. art. 11.*, sentiunt illam consuetudinem reducendam esse ad illos dies, in quibus secundum rubricas Breuiarij noui Officium Deiparæ est recitandum, vt rubricæ proprij Breuiarij seruentur. Quoad tertium respondendum est, quod, si illa consuetudo in illis Ecclesijs recepta erat ad instar legis obligantis sub peccato, etiam nunc post nouum Breuiarium taliter obliget; nam Pontifex circa hoc nihil innouauit, quin potius voluit, quod illa consuetudo in suo robore permaneret.

8 *Sententia asserens Piū V. abstulisse obligationē recitandi Officiū Defunctorum etiam in die commemorationis eorundē*

Quarta ratio dubitandi est, an cum Pontifex Pius V. in præfata Constitutione abstulerit obligationem sub peccato quoad recitationem Officij Defunctorum pro diebus in rubrica Breuiarij præscriptis intelligatur etiam abstulisse obligationem sub eodem peccato recitandi Officij Defunctorum in die commemorationis eiusdem? *Molfesius tom. 1. tract. 5. cap. 1. num. 57., Zecchius in summa tom. 2. c. 83. num. 16*, & alij plures, sentiunt Pontificem abstulisse obligationem etiam quoad illud officium in die commemorationis omnium defunctorum, ad quod pluribus rationibus mouentur; primò, quia Pius V. sine vlla restrictione dicit suam intentionem non esse obligandi ad recitationem Officij Defunctorum in diebus præscriptis in Breuiario. Secundò, quia in rubrica illius diei non imponitur onus illud recitandi per verba peculiaria, & præscriptiua, sed solum habentur verba communia cum illis, quibus dicitur in alijs diebus Officium Defunctorum esse dicendum; ibi etenim dicitur, quod post *Benedicamus Domino*, dicuntur Vesperæ Defunctorum, quod idem habetur in rubrica feriæ secundæ post primam Dominicam Quadragesimæ, ergo eodem modo intelligitur sublata obligatio in illa die, ac in alijs omnibus, in quibus rubricæ dicunt recitandum esse Officium Defunctorum. Tertiò, quia illud Officium Defunctorum pro illa die commemorationis eorundem non potest dici officium illius diei, cum pro illa die officium de octaua omnium Sanctorum ex præcepto sit recitandum, tanquam onus illius diei, quod ex pluribus alijs capitibus etiam euincitur, tum quia regula est, quod officium diei sequentis non sit inchoandū antequam absolutum illud diei præcedentis, & tamen rubricæ statuunt, quod finitis secundis Vesperis diei omnium Sanctorum, ante Completorium recitentur Vesperæ Defunctorum, tum quia etiam regula est, vt Matutinum, cum Laudibus diei subsequentis, possit recitari vespertino tempore diei præcedentis post absolutum officium illius diei, & tamen ex decreto Sacræ Rituum Congregationis Matutinum, & Laudes Defunctorum pro illa die non possunt siue in Choro, siue extra Chorum recitari in sero, ergo cum non sit officium illius diei non est ex necessitate præcepti recitandum. *Rationes pro hac sententia.* Quartò, quia in diebus Litaniarum Maiorum, & Rogationum, qui non intersunt processionibus, non tenentur illas priuatim recitare, quia illæ sunt partes septem Psalmorum Pænitentialium, a quorum recitatione ex indulto Pontificis eximuntur priuatim recitantes officium, prout tradit *Vasquez in opusc. de benef. c. 4. §. 1. art. 2. dub. 2. num. 58.*, & tamen in rubricis illorum dierum per verba præceptiua videtur obligatio indicari, ergo neque tenebuntur ad Officium Defunctorum pro illa die, qui priuatim recitant officium, cum hoc verbis præceptiuis non præcipiatur.

His tamen non obstantibus asserendum est, Pontificem non intendisse pro illa die priuatim recitantes eximere ab obligatione

gatione recitandi Officium Defunctorum, & vtique sub graui, vndè, qui pro illa

9 *Pro illa die verè non abstulit.*

die illud officium omitteret, constitueretur reus culpæ læthalis. In hoc communitèr consentiunt, & *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 12. vers. dixi in resp.* testatur, hanc esse communem Ecclesiæ praxim. Probant aliqui hoc dictum per hoc, quod Officium Defunctorum pro illa die sit pars officij illius diei. Sed non libentèr adhærerem huic probationi, quandoquidem officium diei constat septem Horis Canonicis, quæ plenè habentur in illo die independentèr ab Officio Defunctorum. Rationem in alio non statuo, nisi in præcepto positiuo, vel consuetudinario. De præcepto positiuo scripto mihi non constat; scribentes tamen in vniuersum illud supponunt, sed quamuis non esset hoc præceptum positiuum scriptum; consuetudinarium adhoc sufficeret; non etenim hæsitandum est, quod hæc consuetudo vbique vigeat, & fuerit recepta sub graui onere, cum sit de re graui, & communitèr seruetur, & viri timorati de contrauentoribus malè sentiant, & populus communitèr scandalizetur, quæ sunt rationes indicantes vsum inductum esse, & acceptatum sub illo onere, vt tradit *Diana part. 6. tract. 5. resol. 11.*

Rationes pro hac sententia.

10 *Satisfit rationibus oppositis.*

Ad rationes pro contraria sententia iam respondendum est. Ad primam dicendum est, Constitutionem Pij V. referri ad Officia Defunctorum singulis mensibus recitandis, non ad illud diei commemorationis Defunctorum, quod colligitur, tum ex ratione in eadem adducta; exemit etenim ibidem ab obligatione recitandi Officia Defunctorum, Psalmos Graduales, & Pænitentiales &c., propter varia humanæ vitæ negotia, quibus homines distrahuntur, & detinentur, quæ ratio non videtur militare pro vnico tantum officio in anno determinato diei assignato; tum ex interpretatione communitèr recepta in Ecclesia. Ad secundum dicendum est, obligationem ex præcepto non desumi solum ex modo, quo officium assignatur, tanquam proprium alicuius diei, sed ex lege generali, qua præcipitur omnibus diebus recitatio illius officij, quod in singulis præscribitur, vel per legem positiuam, vel per consuetudinem receptam ad instar legis obligantis, vt in casu nostro. Ad tertium asserendum est, nos non asserere, quod sit obligatio illud officium recitandi, quia sit officium, vel pars officij illius diei, sed ex eò, quod sit præceptum, vel scriptum, vel consuetudinarium de illo recitando. Ad quartum patebit ex infrà dicendis quid respondendum.

Quinta ratio dubitandi est, & hæc corolariè ad mox positam, an, si quis obstrictus diuino officio pro die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum omitteret, ne dum officium eorundem, sed etiam officium illius diei committeret duplex, an vnum dumtaxat peccatum læthale. Qui sustinent Officium Defunctorum esse partem officij illius diei, non incongruè statuunt vnum dumtaxat esse peccatum, licet grauiùs, quia tunc non omitteretur, nisi vnicum officium; atque sic sentit *Diana part. 11. tract. 4. resol. 43.*, vbi allegat Pellizarium, & Tannedo. Nos, qui statuimus, non esse partem officij illius diei, sed ex nouo præcepto siue scripto, siue consuetudinario oriri illam obligationem, probabiliùs sentimus esse duplex peccatum ex dualitate obiecti omninò distincti. 11

Qui in die Defunctorũ vtrumq; officium omitteret duplex peccatũ committeret.

Sexta ratio dubitandi est, an per illam Constitutionem Pij eximantur recitantes priuatim diuinum officium, & non interessentes illis processionibus solemnibus, quæ tunc fiunt, ab onere sub graui recitandi Litanias Maiores, & Rogationum, *Vasquez in opusc. de benef. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 2. num. 58.*, *Marchinus tract. 2. de ord. in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 12. difficult. 12. n. 3.*, *Macignus de Horis Canonicis cap. 19. num. 18.*, sentiunt eximi sic omittentes ab onere saltem sub læthali, cum in hoc nullum reperiatur præceptum. Quod, si afferatur textus *in cap. Rogationes de Consecrat. distinct. 3.*, dicunt, eum intelligendum esse de debito congruitatis, non necessitatis præcepti, nec rubricæ quoad hoc aliquid euincunt, quia rubricæ ferè omnes sunt directiuæ, non præceptiuæ. Ex aduerso *Filliutius mor. qq. tract. 23. cap. 7. num. 24.*, *Bartholomæus à Sancto Fausto tract. de Horis Canonicis lib. 2. quæst. 305.*, *Gauantus in rub. Miss. tom. 2. sect. 6. cap. 16. num. 3.*, sentiunt, non eximi à tali onere sub graui. 12

Sententia de obligãs priuatim recitantes ab onere recitãdi Litanias Maiores

Ratio potissima istorum est, quia arbitrantur huiusmodi Litanias esse partem officij illorum dierum. His secundis adhæreo quoad sententiam, non quoad rationem, quia nequeunt considerari, vt partes officij, licet sint onus illius diei, & potius sint partes Psalmorum Pænitentialium, vt considerauit *Vasquez loco quo supra*, quam officij. Moueor igitur, quia hoc onus in ordine ad particulares fines distinctos ab illo officij inductum est, vel ex iure scripto *in dicto cap. Rogationes de Consecrat. distinct. 3.*, quod incongruè refertur ad congruitatem, cum verbum, *debet*, potius importet necessitatem, 13

Contraria sententia præfertur.

Tt quando

quando per aliud non limitatur, vel ex iure consuetudinario non scripto recepto communitèr sub tali onere à viris timoratis, & in hoc videtur valere argumentum ab Officio Defunctorum in die commemorationis eorundem ad easdem Litanias, potissimum cum in rubricis hæ præcipiantur terminis strictioribus.

ARTICVLVS XXIX.

An, & quomodo studiosè recitandæ sint Horæ Canonicæ.

SVMMARIVM.

Refertur dispositio Concilij sub Innocentio III. 1.
Studiositas refertur ad recitationem externam. 2.
Si fiat recitatio etiam priuata per syncopem magnam, & considerabilem inducit grauem culpam. 3.
Intellige, si fuerit voluntaria. Ibidem.
Truncatio sillabarum non est grauitèr peccaminosa, nisi sit magna, & considerabilis. 4.
Recitatio debet esse sine interruptione remissiuè. 5.
Si officium ab vno tantum recitetur, ità debet secundum aliquos recitari, vt audiri possit ab alio, si fuerit præsens, vel saltem à se ipso. 6.
Sufficit, si ità proferat, vt possit dici ore, & voce orare. 7.
Si vnus constituat vnam partem, & duo aliam, sed vnus ex istis ità submisse recitet, vt ab alijs non audiatur, illi alij satisfaciunt. 8.
Ille, qui ità sumisse recitat, vt ab alijs non audiatur, secundum aliquos non satisfacit. 9.
Secundum alios satisfacit. 10.
Probabilius non satisfacit. 11.
Recitans beneficiarius cum alijs in Choro, ità submisse, vt ab alijs non audiatur, secundum Bonacinam satisfacit obligationi diuini officij non obligationi Chori. 12.
Veriùs, nec satisfacit diuino officio. 13.

1 *Dispositio Concilij.* IN Concilio Generali sub Innocentio III. circa recitationem diuini officij hæc expresè habentur. *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum paritèr, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent* 2 *Studiositas refertur ad recitationē externā.* *paritèr, & deuotè*, quæ verba intelligenda sunt æquè de recitatione priuata, ac de publica. Hoc idem videtur statui *in cap. dolentes de celebrat. Miss.* De studio, quo recitandæ sunt, agemus sub hoc titulo, de attentione verò, & deuotione in sequenti. Studiositas autem, qua diuinum officiū est recitandum, iuxtà *Glosam in cap. 1. de celebratione Missarum* ad pronuntiationem exteriorem refertur.

Hinc circa talem exteriorem pronuntiationem plura requiruntur; primò, vt absque syncope idest absque verborum omissione. Secundò, vt verba non mutilentur, aut truncatim proferantur abscissis aliquibus sillabis præsertim vltimis. Tertiò, vt fiat recitatio sine interruptione. Quartò, vt non solum mente oretur, sed etiam verbis, & lingua.

Circa has omnes conditiones nonnullæ insurgunt rationes dubitandi currenti calamo dissoluendæ. Circa primam idest circa syncopem dubitatur, an inducat aliquam noxam, & quamnam. Respondendum est, quod, si fuerit magna, & considerabilis, vtique inducat culpam læthalem, si fuerit voluntaria, & hoc siue in recitatione publica, siue in priuata; Concilium etenim Generale sub Innocentio III., hoc districtè præcipit per ly *studiosè* sine vlla restrictione, vel ad publicam, vel ad priuatam recitationem, & vtique in virtute sanctæ obedientiæ, quod præceptum sub tali forma importat rem grauem. Dixi, *si fuerit voluntaria*; si enim inuoluntaria fuerit, nullum erit peccatum, cum sine voluntate hoc esse non possit, hocque contingeret, si procederet ex linguæ præcipitantia, balbutiè, inolita consuetudine, quæ corrigi nequeat, vt notat *Lessius lib. 2. de iust., & iur. lib. 2. cap. 37. dub. 10. num. 56.* 3 *Recitatio etiā priuata per syncopem considerabilem est grauitèr peccaminosa; Si fuerit voluntaria.*

Circa secundam regularitèr loquendo per illam syllabarum truncationem non committitur peccatum læthale, sed ad summum veniale, si voluntariè fiat; non enim potest esse talis omissio, vt notabilem omissionem, & sufficientem ad læthale constituat, nec tollit integram precum substantiam, ità vt intelligi nequeat. Dixi *regularitèr loquendo*, nam, si esset valdè frequens, & ità mutilaret verba, vt tolleret eorundem significationem, certè non eximerem sic truncantem à culpa læthali; tunc etenim non saluaretur sensus verborum, & recitatio non esset conformis menti Ecclesiæ. 4 *Truncatio syllabarum non est grauitèr peccaminosa, nisi fuerit magna.*

Circa tertiam vix aliquid addendum remanet cum de tali interruptione latè egerimus, in præcedentibus, ad quæ vos remitto. 5 *Non debet esse interruptio.*

Circa quartam potissima difficultas in eo versatur, an vox eius, qui recitat priuatim, possit esse ità submissa, vt à nemine audiatur, & per hoc satisfiat præcepto. Priuata recitatio potest esse ab vno tantum, quatenus idem ex se recitat, vel à duobus, vel tribus, quatenus isti alter-

natim

6 *Recitatio ab vno tātū facta, an talis esse debeat, vt ab alio audiri possit, vel ab ipso proferente.*

natim recitent Horas Canonicas. Si ab vno solum recitetur; tunc *Caietanus secundâ secundæ quæst. 83. art. 12.*, asserit talem requiri, & sufficere pronuntiationem, vt vel ab alio, si ibi esset præsens, vel à se ipso possit audiri, in quo consentit etiam *Medina, C. de Orat. quæst. 7.* Verum *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 4.*, existimat sufficere, si sic recitet, & proferat, vt verè dici queat ore, & voce preces fundere siue ab alio, siue à se audiri possit, siue non; & rationem ex eo deducit, quod, si linguam, & labia moueat, non solum mente dicitur orare, sed etiam voce. Ecclesia autem, dum præcipit studiosè preces horarias fundere, solum præcipit, vt voce, & mente recitentur. In hoc adhæreo potius Azorio, dummodò verè verba ore proferantur, quamuis ab ipso proferente non audiantur propter rationem ab ipso adductam.

7 *Sufficit, si ore verba proferat*

Si à duobus alternatim fiat recitatio; tunc asserendum est, itâ debere fieri, vt vnus ab alio distinctè audiatur, & in hoc consentiunt communitèr, & signantèr *Medina, C. de Orat. quæst. 7.*, *Nauarrus item de Oratione cap. 20. num. 14., & c. 19. num. 86.*; *Azorius, & Caietanus loc. cit.* Ratio est manifesta, quia, si vnus alterum recitantem non audiret, in ordine ad ipsum perindè est, ac si non recitaret, & cum ipso non constitueret continuatam precationem. Si verò fieret recitatio à tribus, & duo constituerent vnam partem, & alter solus alteram, & tunc vnus ex duobus constituentibus vnam partem ita submissè recitaret, vt ab altero alterius partis non audiretur, an tunc ipse satisfaceret? Alios satisfacere certum est, quia ille vnus, qui vnam partem constituit audiret alterum clarè recitantem ex altera parte, & hic ex altera parte audiret alterum alterius partis, & sic ad inuicem constituerent vnam continuatam precationem. Solum igitur difficultas est de illo, qui itâ submisse recitat, vt nec à socio, cum quo constituit vnam partem, nec ab alio, qui constituit alteram partem, audiri possit. Ex vna parte videtur, dicendum, non satisfacere, eo quia, cum constituat vnam partem cum alio debet cum isto conformari, &, sicuti beneficiarij addicti Choro, si submisse recitent versiculos, qui à sua parte canuntur, itâ vt ab alijs non audiantur, non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, vt tradunt *Nauarrus de Orat. cap. 22. miscel. 79., & c. 10. num. 47., & cap. 11. num. 42., & alij*, ita, qui, cum alio quodammodo partem Chori constituit, si itâ submisse recitet, vt non audiatur ab alijs, nec à se ipso, non videtur satisfacere; addito etiam, quod iura, quæ permittunt in recitatione priuata socium, vel socios, itâ vt singuli satisfaciant, hoc ideò permittant, quia ipsi præstant ab vna parte munus, quod audiri debeat ab altera, nec alitèr, nec alio modo, nec vnus gaudere debet beneficio recitationis alteriùs ex altera parte, nisi & ipse præstet munus communicabile alteri; quod certè non præstat, quando itâ submisse recitat, vt ab illo altero non audiatur. Ex altera parte videtur satisfacere, quia ipse recitat ore, & mente, quod ex prædictis patet sufficere, & sufficientèr audit, quod ab altero recitatur. Quod, si dicas, quod, si vult gaudere beneficio societatis, debet de suo societati conferre; nihil autem in hac hypothesi conferret; statim auctores huius secundæ sententiæ respondent, sufficientèr conferre ex eo, quod ore, & mente simul cum illis recitat, & quod ipse debeat audiri, non est in ordine ad se, sed ad socios, qui, si non audirent non satisfacerent, cum autem in hac hypothesi vnus audiret alterum ex altera parte, & iste alter illum, iam & ipsi satisfacerent nihilo referente, quod tertium non audiant. Quid iam in hac controuersia sentiendum. Probabiliùs arbitror, non satisfacere propter allatam rationem, qua quis non potest gaudere de communione, & societate, nisi de suo communicet communioni, & societati, & licet ipse recitans per se solum submisse per superiùs dicta satisfaciat, non valet tamen, quando submisse recitat cum alijs, itâ vt ab ipsis non audiatur, quia in primo casu sufficit, quod ore, & mente recitet; in secundò autem vlteriùs requiritur, quod, cum alijs communicet, vt gaudeat beneficio recitationis aliorum; primus enim totum recitat; secundus verò, qui submisse recitat, non recitat, nisi partem, quam debet conferre cum alijs, vt pars aliorum possit sibi prodesse.

8 *Si recitetur à duobus itâ debet esse, vt vnus ab alio distinctè audiatur.*

9 *Ille, qui ita submisse recitat, vt ab alijs non audiatur secundum aliquos non satisfacit.*

10 *Secundū alios satisfacit.*

11 *Probabilius non satisfacit.*

Ex occasione eorum, quæ supra attigimus de Beneficiarijs addictis Choro, qui ex sua parte recitant submisse versiculos ad illam partem pertinentes, oritur hic difficultas, an isti satisfaciant præcepto. *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. diuin. offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 16*, cum distinctione procedit, vel etenim ille, qui submisse recitat suos versiculos, audit suos socios canentes suam partem, & tunc asserit satisfacere præcepto, vel qui sic submisse recitat, & alios alteriùs Chori attentè audit, & tunc asserit non satisfacere debito officio Chori, quamuis obligationi diuini officij recitandi satisfaciat. Sed neutri parti possum

12 *Beneficiarius recitans cū alijs in Choro itâ submisse, vt ab alijs non audiatur secundum Bonacinam satisfacit officio, non Choro.*

acquiescere; non primæ, quia ratio per ipsum adducta non satisfacit; asserit enim ipse, quod, quando quis submissè recitat cum alijs altè psallentibus, communicet in parte sociorum communicantium sibi suam partem, licet ipse submissè recitando non communicet suam partem socijs; hæc autem ratio nullo modo potest subsistere, quia ipsi alijs non communicanti nequeunt alij ipsi suam partem communicare, cæteroqui possent etiam eidem communicare, quantumuis ipse non recitaret; non secundæ; nam, licet verum dicat in eo, quod non satisfaciat debito Officio Chori, nec possit percipere distributiones, cum iura requirant, vt beneficiarij conueniant in Chorum ad psallendum, non verùm tamen dicit in eo, quod satisfaciat recitationi Diuini Officij, nam licet totum recitando ex se submissè satisfaciat, non tamen satisfacit recitando partem submissè, aliamque audiendo, quia hoc proprium est recitantium simul, vt gaudeant beneficio aliorum simul recitantium, vt de suo conferat societati; vndè congruè *Nauarrus de Oratione cap. 22., Miscel. 79., & cap. 16. num. 47., & cap. 11. n. 42., Azorius instit. mor. part. 1. lib. 10. cap. 11. qu. 5.*, asserunt non satisfacere. Sed de ijs vberiùs agemus infrà, dum de recitatione solemni in Choro, & de distributionibus.

13 *Verius non satisfacit, nec diuino officio.*

ARTICVLVS XXX.

An, & quomodo attentè, & deuotè recitandæ sint Horæ Canonicæ.

SVMMARIVM.

Ad deuotam recitationem requiritur attentio, intentio, & reuerentia. 1.
Attentio relata ad recitantem vel potest esse externa, vel interna. 2.
Relata ad obiectum vel potest esse ad verba, vel ad sensum verborum, vel ad Deum. Ibidem.
Intentio item potest esse relata ad recitantem, vel ad obiectum, & quomodo. 3.
Reuerentia duplex interna, & externa. 4.
Ad recitationem deuotam, non sufficit mera externa, sed requiritur etiam interna, siue qua non satisfit præcepto. 5.
Varijs scripturæ locis euincitur. 6.
Recitatio horarum est per modum Orationis. 7.
Præcipitur, vt actus humanus. 8.
Externa sine interna non est deuota recitatio. 9.
Ecclesia potest præcipere actus internos indirectè, & quomodo. 10.
Attentio interna actualis ad totum Officium non est necessaria, imò nec moralitèr possibilis, virtualis est necessaria, & sufficiens, habitualis non est sufficiens. 11.
Attentio est sufficiens relata ad verba, perfectior relata ad sensum verborum, perfectissima relata ad Deum. 12.
Intentio positiua, & explicita satisfaciendi præcepto non est necessaria, implicita sufficit, negatiua, quamuis coniungatur cum actuali recitatione, non sufficit. 13.
Per recitationem factam per metum satisfit, secus, si facta sit per vim. 14.
Sufficit intentio virtualis satisfaciendi. 15.
Qualis reuerentia sit necessaria. 16.

IN Concilio Generali sub Innocentio III. relato *in c. dolentes de celebratione Missarum*, hæc expressè habentur. *Hæc, & similia sub pæna suspensionis penitus inhibemus districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt Diuinum Officium nocturnum paritèr, & diurnum; quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, paritèr & deuotè.* Quid importet ly *studiosè* in præcedenti articulo satis explicuimus. Modo examinandùm venit, quid importet ly *deuotè*.

Ad deuotam recitationem plura videntur requiri. Primò, attentio. Secundò, intentio. Tertiò, reuerentia. Porrò attentio vel potest esse relata ad actus recitantis, vel ad obiectum, vel ad effectum, quem recitans consequi intendit à Deo; vt relata ad ipsum recitantem, vel potest esse interna, vel externa; externa est, quæ versatur circa externam pronuntiationem, & corporis compositionem, qua quis exteriùs se gerit in speciem orantis; interna est, qua quis animo, & mente ad Deum dirigitur, rebusque Diuinas, vt relata ad obiectum; vel potest esse ad verba, quatenùs quis ad ea reflectat, vt ritè, & debito ordine pronuntientur, vel ad verborum sensum, vt mente præcipiatur, & affectus eidem applicentur, vel ad Deum; quatenus verba precum ad ipsum, tanquam ad vltimum finem dirigantur; vt relata ad effectum, quem recitans intendit, tunc est, quando illæ præces ordinantur, vel ad Deum, vel ad Sanctos, vt bonum ab orante intentum medijs illis precibus acquiratur, vel malum auertatur. Item hæc attentio, vel potest esse actualis, vel virtualis, vel habitualis, de quibus alibi egimus.

1 *Ad deuotam recitationem quænam requirantur.*

2 *Ad quenam debeat esse directa attentio*

Intentio item potest referri, vel ad recitantem, vel ad obiectum; ad primum, quatenus debet habere, vel actum formalem, in quo consistit actualis intentio, vel actum præcedentem, & non retractatum, in quo consistit virtualis, vel vsum, secun-

3 *Intentio qualis esse possit.*

secundum quem recitare consueuit, in quo consistit habitualis. Ad secundum, quatenus debeat referri ad finem

4 *Et qualis reuerentia.*

adimplendi præceptum, vel explicitè, vel implicitè saltem. Porrò reuerentia, vel potest esse exterior, vel interior; Exterior consistit in exteriori cultu, quo quis in exterioribus actionibus ità se componat, vt videatur cum Deo velle colloqui, ipsumque laudare; Interior consistit in actibus internis intellectus, & voluntatis, quibus in Dei cultum referat preces, quas fundit. His pro notitia suppositis sit.

5 *Requiritur attentio non dum externa, sed etiã interna.*

Assertio I. Ad recitationem deuotam Officij Diuini, prout præscribitur *in d. cap. dolentes de celebratione Missarum*, non sufficit mera externa attentio, sed requiritur etiam interna, sine qua non adimpletur præceptum. In hoc magis communiter consentiunt Doctores, quorum Catalogum refert *Bonacina de ijs, quæ ad priuatam Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 2. num. 4.* Est tamen contra *Durandum in 4. distinct. 15. quæst. 12. num. 6., Siluestrum verb. Hora quæst. 11., Medinam de Oratione quæst. 16., Paludanum in 4. distinct. 15. quæst. 5. art. 2., D. Antoninum tertia part. tit. 13. cap. 4. §. 8., Comitolum in suis resp. mor. lib. 1. de Sacram. quæst. 62.*, aliosque plures volentes interiorem attentionem non requiri ex necessitate, cum Ecclesia nequeat præcipere, & obligare ad actus merè internos.

6 *Varijs scripturæ locis euincitur.*

Probatur primò, varijs scripturæ locis, quibus inanis oratio demonstratur, quæ non est cum interna attentione; & primò illo Isaiæ 29. *Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me*, cui consonat vulgatum adagium. *Si cor non orat, in vanum lingua laborat.* Secundò ex illo Matthæi 15., vbi verba Isaiæ repetuntur *Hypocritæ benè prophetauit de vobis Isaias Populus hic labijs me honorat &c.* Tertiò ex illo *Apost. 1. ad Corinth. 14. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est*, quem textum explicantes Theofilatus, & Primasius dicunt per ly spiritus meus orat, non intelligi spiritum intellectualem, sed vitalem, qui ore profertur, quasi, quod Apostolus dicat. Quando oro lingua, & halitu solo, tunc mens mea sine fructu est, vbi vides, quod distinguit spiritum à mente; spiritus autem, prout est intellectualis idem est cum mente. Quod clariùs explicans Apostolus dicit: *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.*

Dices hæc optimè procedere quoad acquirendum meritum apud Deum, quia in omni Oratione iure Diuino naturali requiritur attentio, & reuerentia interna, nam, qui cum Deo colloquitur, à Deo aliquid petit, & Deum laudare intendit, conueniente modo id facere debet non autem procedere in ordine ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, quæ non iudicat de internis. Sed contra, quia

7 *Recitatio horarum præscribitur per modũ Orationis.*

Ecclesia præcipit recitationem Horarum Canonicarum per modum Orationis, & in laudem Dei; oratio autem, cum sit colloquium cum Deo, debet esse cũ debita, & conuenienti attentione, & reuerentia, & vtique interna, cum Deus non solum ad externa attendat, sed intueatur cor. Quod deindè non sit de iure Diuino, sed tantum Ecclesiastico, vt recitentur Horæ Canonicæ, non euacuat difficultatem, quia Ecclesia præcipiens recitationem intelligitur præcipere modo conuenienti, & per modum Orationis, quæ ex genere suo exigit internam attentionem.

8 *Recitatio præcipitur, vt actus humanus.*

Probatur secundò ratione, quia recitatio Horarum Canonicarum præcipitur, tanquam actus humanus, sed actus humanus non potest esse sine interna attentione, ergo recitatio huiusmodi debet esse cum interna attentione. Maior ex se patet, quia præcipitur cum directione medij ad finem; minor probatur, quia simplex prolatio verborum remota interna intentione est tanquam vox Psithaci.

9 *Externa sine interna, non est deuota recitatio.*

Probatur tertiò, quia ad validam recitationem Horarum Canonicarum requiritur in recitante deuotio, vt colligitur *ex d. cap. dolentes de celebratione Missarum*, sed nequit esse deuotio sine interna attentione, ergo ad validam recitationem requiritur interna attentio. Neque dicas, deuotionem duplicem quodamodo esse, alteram externam, internam alteram; in allegato autem textu externam præcipi, quæ cadit sub potestate Ecclesiæ, non sic internam, quæ non cadit sub tali potestate; contra enim impugnaberis, quia data huiusmodi distinctione deuotionis externa sine interna non est deuotio propriè, sed simulatio deuotionis; opus enim externum, quantumuis magnum sine bona voluntate interna est veluti cadauer, seu corpus sine vita, & nullius momenti ad finem Christiani.

10 *Ecclesia potest præcipere actus internos indirectè.*

Ad rationem contrariæ sententiæ; admisso, quod Ecclesia non possit præcipere actus purè internos per se, & solitariè acceptos, quod tamen plerique negant, in aliquibus casibus, dico tamen posse præcipere actum internum indirectè, quatenus hic est necessarius ad actum perfectum externum constituendum; sic, cum possit percipere Orationem, & auditionem sacri Christiano modo, potest etiam

præ-

præcipere actum internum, sine quo externus non esset perfectus tali modo.

Assertio II. Attentio hæc interna actualis ad totum Officium non est necessaria, quinimmò nec moralitèr possibilis, virtualis est necessaria, & sufficiens, habitualis non est sufficiens. Sic in vniuersum consentit *Azorius inst. tut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 12. quæst. 1., & communitèr consentiunt Doctores.*

11 *Actualis attētio ad totum officium non est necessaria.* Ratio primæ partis est, quia ex vna parte attentio actualis non est necessaria ad modum operandi humanum, nec ad orandum, nec ad merendum &c. ex alia non est moralitèr possibilis, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 8.* ad tertium, vbi hæc habet, *Hoc non esse totalitèr positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit aliud cogitare; secundum illud Psal. 39. Cor meum dereliquit me.* Probabile autem non est Deum, seu Ecclesiam voluisse alligare validam recitationem actioni moralitèr impossibili.

Virtualis est sufficiens, & necessaria. Ratio secundæ partis est, quia præceptum latum de attenta recitatione intelligi debet accommodatum ad humanum imbecillitatem; humanæ autem fragilitati accomoda videtur attentio virtualis, quæ secundum *Azorium institut. mor. part. 1. lib. 10. c. 12. qu. 1.*, sufficientèr habetur per hoc, quod incipiat psalmum recitare, & in animo habeat attendere, sed nolens varijs cogitationibus huc, & illuc distrahitur, tunc etenim totus psalmus dicetur attentè recitari vi & virtute illius voluntatis, qua voluit attento animo psalmum recitare, in ea etenim voluntate persistit, quia non sua sponte distrahitur, nec ab ea per actum contrarium recedit, quod idem sub alijs terminis affirmat *Anacletus Siccus de Eccl. Himnod. lib. 2. cap. 2. vers. hac autem attentio*, dum dicit, quod præceptum Ecclesiæ potius est de proposito, & voluntate firma attendendi, quam de ipsa actuali attentione; satis namque est ad himnodiam accedere proposito isto, & voluntate attendendi ad Orationem, si deindè contingat animum diuertere nobis inuitis, aut saltem non aduertentibus, nihil vitiatur executio præcepti, quia durat adhuc propositum ab initio elicitum, manet, inquam, nisi actuale, saltem virtuale, Quibus positis ad rem nostram sic argumentor. Perseuerante actu in virtute ad aliquod opus exercendum requisito validè illud opus exercetur in eiusdem virtute, sed incæpto psalmo cum attentione, & intentione in illo perseuerandi, quantumuis recitans ab illa attentione inuoluntarijs cogitationibus distrahatur, intentio intelligitur moralitèr, seu virtualitèr perseuerare, ergo per illam, seu in virtute illius validè fit recitatio. Sed quid erit dicendum, si voluntariè distrahatur? Tunc dico, quod, si illa distractio fuerit grauis, & considerabilis, tunc inducat grauem culpam, si verò leuis, leuem.

In quo consistat hæc virtualis attentio

Hic tamen aduertendum est, quod, nedum ex voluntaria euagatione, seu distractione oriatur culpa, sed etiam ex euagatione ex negligentia, quæ oritur, quando quis aduertit se distrahi, & non reddit ad se ipsum, nec renouat attentionem; nam tunc, quod erat inuoluntarium, fit voluntarium, & culpabile, quandoquidem euagatio ex negligentia æquiparatur euagationi voluntariæ.

Ratio tertiæ partis est, quia habitualis attentio merè concomitantèr, non causalitèr se habet ad effectum; datur enim in dormientibus, & ebrijs, non inducit per se modum operandi humanum; vndè *Azorius loc. cit.*, explicat hanc attentionem per hoc, quod quis preces recitet vsu, quo recitare consueuit, nihil cogitando de eis, nec ad eas animum aduertendo, quam attentionem asserit posse esse in dormientibus. *Habitualis non est sufficiēs.*

Assertio III. Attentio relata ad obiectum est sufficiens, si referatur ad verba, perfectior, si referatur ad verborum sensum, perfectissima, si referatur ad Deum. In hac consentit *Anacletus Siccus de Eccles. bimnod. lib. 2. cap. 2. in princip.*, *Diuus Thomas secunda secundæ quæst. 83. art. 13.*, vbi tres gradus attentionis assignat; nempè primum relatum ad verba, secundum ad sensum verborum, tertium ad Deum. Primus gradus est communis omnibus linguam latinam pollentibus, vel saltem scientibus legere. Secundus, non ità communis omnibus, sed tantum doctis, ac Theologis. Tertius est communis omnibus. Primus gradus, nedum est sufficiens, sed necessarius, vt præceptum recitandi impleatur, quod exigit integram recitationem sine defectu. *Tres gradus attentionis relatæ ad obiectum.*

12 Probatur prima pars, quia illa attentio debet esse sufficiens, quæ potest ab omnibus obstrictis Diuino Officio exerceri, sed talis est attentio, quæ refertur ad verba ordinatè, ergo ista erit sufficiens. Maior probatur discurrendo per omnes preces, quæ ex præcepto sunt Deo fundendæ; non enim præceptum obligare potest omnes ad id, quod ab aliquibus nequit exerceri. Minor probatur, quia ad Orationem Dominicam, ad quam omnes tenentur, satis est, quod attentio sit ad verba, cum verborum sensus non sit omnibus notus, & si hoc valet in ordine ad alias *Attentio relata ad verba, vt sufficiens.*

ad alias preces, non video; cur nequeat valere in ordine ad Horas Canonicas.

Relata ad sensũ verborum, est perfectior. Probatur secunda pars, quia denegari non potest, quod attentio ad sensum verborum non sit accomodatior, tum ad eleuandam mentem in Deum, tum ad excitandos affectus pietatis, tum ad condignum cum Deo colloquium, præcipuè cum sensus, qui in psalmis continentur, pleni sint Mysterijs, & indicent singularia Passionis Christi Domini. Verũ tamen est, quod hæc attentio, quamuis sit maximè proficua, non sit tamen necessaria etiam in personis doctis, & Theologis ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico; cæteroqui, qui in recitatione sensui verborum non insisteret, neutiquam satisfaceret, & sic, ò quam pauci explerent præceptum!

Relata ad Deũ est perfectissima. Probatur tertia, quia cum recitatio Diuini Officij contineatur in specie Orationis, sicuti hæc non potest esse sine aliqua ad Deum eleuatione, vti consors est omnium Theologorum sententia, qui communi calculo approbant traditam à D. Ioanne Damasceno definitionem orationis, qua dicitur: *Eleuatio, seu ascensus mentis in Deum*, ità, nec potest esse recitatio mentis Horarum Canonicarum sine aliqua eleuatione &c., atque hæc saltem implicitè debet inuolui etiam in primo gradu attentionis, quem licet dixerimus esse sufficientem, hoc tamen intelligẽdum est cum implicita relatione ad Deum, sine qua non potest esse oratio. Hunc autem ordinem ad Deum potest habere quilibet, quamuis idiota, cum quilibet ordinatam recitationem possit referre, vel ad Dei gloriam, vel eidem offerre omnia verba, quæ profert, vel intendere petere, & obtinere à Deo, quæ ab Ecclesia tunc desiderantur.

Assertio IV. Non est necessaria intentio positiua, & explicita satisfaciendi præcepto Ecclesiastico, vt eidem satisfiat, implicita sufficit; negatiua, quantumuis coniungatur cum actuali recitatione, non sufficit. In hoc arbitror communitèr conuenire.

13 *Intentio positiua, & explicita satisfaciendi præcepto non est necessaria.* Prima pars probatur, quia supposita obligatione recitandi Officium singulis diebus, & habita in singulos dies intentione virtuali illud recitandi satisfit, quamuis explicitè, & positiuè non dicatur: *Volo præcepto satisfacere*; nullus enim, vel ferè nullus præmittit illum actum, nec elicit, dum recitat, ergo positiua, & explicita intentio satisfaciendi non est necessaria. Confirmatur; quis dicitur adimplere legem, quamuis, dum actu adimplet, non eliciat actum, quo dicitur volo satisfacere legi, ergo etiam &c.

Implicita sufficit. Secunda pars ex eo euincitur, quod virtualis intentio recitandi Diuinum Officium supposita lege adhoc obligante secundum se non solum inuoluit intentionem recitandi, sed etiam implicitè intentionem satisfaciendi; vbi hæc per contrariam voluntatem non excluditur, non enim recitaret, nec eliceret illam intentionem recitandi, nisi implicitè vellet complementum legis, cum ipsa recitatio sit complementum.

Negatiua non sufficit. Tertia pars ex eo euincitur, quod non possit esse valida satisfactio cum positiua, & expressa intentione non satisfaciendi, quantumuis ponat actionem præceptam, sic, si quis debeat alteri centum ex onere iustitiæ, & eidem tribuat centum cum expressa intentione per illa non satisfaciendi debito, sed animo liberali, & gratuito, certè debito non satisfacit, sic etiam, qui voto se obstrinxit ad aliquam actionem exercendam, & dum illam exercet, absolutè per illam non intendit satisfacere voto, vtique illi non satisfacit, ergo etiam, qui Officium recitat cum expressa, & positiua intentione non satisfaciendi, non satisfaciet, atque in hoc consentiunt *Medina, C. de Oratione quæst. 7.*, *Nauarrus de Oratione cap. 16. num. 74.*, *Ledesma 4. part. 2. quæst. 16. art. 6. dub. 6.*, *Azorius instit. mor. part. 1. lib. 10. c. 12. quæst. 8.*, Quod, si aliqui contrarium sentire videantur, intelligendi sunt, quatenus velint satisfacere, si voluntatem expressam non habeat satisfaciendi, non autem, si voluntatem positiuam, & expressam habeant non satisfaciendi.

Hic oritur difficultas, an, si quis per metum, vel per violentiam recitet Horas 14
Canonicas satisfaciat præcepto? *Recitatio facta per metum satisfacit, non sic facta per vim.* Recitatio, vt suum effectum consequatur, & sit satisfactoria, debet esse voluntaria; quando autem fit, vel per metum, vel per vim non videtur voluntaria. Sed respondendum est, quod, si fuerit per metum, per illam satisfiat, secus, si fuerit per vim. Consentiunt *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertinent disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 2. n. 3. vers. hinc sequitur*, *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 12. quæst. 9.*, *Macignus cap. 89. nu. 42.* Ratio primæ partis est, quia metus ex genere suo non tollit voluntarium, quamuis quoquo modo illud minuat; ad recitationem autem non requiritur omnimoda voluntarietas. Ratio secundæ partis est, quia violentia absolutè demit voluntarietatem, & qui recitat per violentiam habet voluntatem omninò contrariam recitationi, nam, si voluntatem aliquam haberet, non diceretur violentiam pati, cum violentia

inferat

inferat vim nihil conferente passo; conferret autem passum aliquid, si voluntatem haberet.

15 *Sufficit voluntas virtualis satisfaciendi.* Assertio V. Intentio recitandi, seu satisfaciendi, quantum est ex parte recitantis, non est necesse, quod sit actualis, habitualis non est sufficiens, virtualis necessaria est, & sufficiens. In hoc non immoror, cum fusè egerim, *tum in qq. de Sacramentis in genere, tum in qq. de Sacrificio Missæ.*

16 *Qualis reuerentia sit necessaria.* Assertio. Exterior reuerentia, prout consistit in corporali dispositione, qua quis per exteriora signa ostendat se velle cum Deo colloqui, est valdè conueniens, non tamen necessaria, supposito, quod debito ordine verba pronuntiat. Interior verò est necessaria, vel non necessaria ad normam attentionis, prout hæc necessaria, vel non necessaria est. In hoc arbitror omnes conuenire.

Prima pars ex eo liquet, quod ad validam recitationem, nec prærequiritur externus habitus precantis, nec genuflexiones, nec oculorum dimissio, nec quod recitans genuflexus recitet, nec stans, cum recitando possit sedere, ergo exterior reuerentia non est necessaria. *Est necessaria exclusio positiuæ irreuerentiæ.* Verumtamen est, quod licet non requiratur externa reuerentia iuxtà modum expositum est tamen necessaria exclusio positiuæ irreuerentiæ; vndè, si quis, vel loco indecenti, vel irrisoriè, actusque indecentes exercendo recitaret, vtique peccaret, vel leuitèr, vel grauitèr iuxtà qualitatem irreuerentiæ. Si tamen adesset debita attentio interna cum recta verborũ prolatione verè præcepto satisfaceret.

Secunda pars, cum hæc commensuretur cum deuotione, & attentione interna, talis erit necessaria reuerentia, qualis attentio, & talis non erit necessaria, qualis attentio non est necessaria; vndè recolenda sunt, quæ dicta sunt de attentione, & applicanda reuerentiæ interiori.

ARTICVLVS XXXI.

Cum quibusnam actionibus compati possit, vel non compati attentio requisita ad validè Horas Canonicas recitandas.

SVMMARIVM.

Eumerantur varia operationum genera. 1.

Probabilius non satisfacit præcepto, qui dum recitat Diuinum Officium exercet aliquod opus externum, quod ex genere suo exigit grauem mentis applicationem. 2.

Si verò exerceat opus externum non exigens illam mentis applicationem satisfacit. 3.

Applicatio in recitatione Diuini Officij ad aliquod opus spirituale etiam debitum ex præcepto, quod habeat aliquam conformitatem cum eodem Officio, compatitur cum eodem Officio. 4.

Nequit coniungi validè Officij recitatio cum exercitio alicuius operis intellectualis, quod non habeat conformabilitatem cum eodem, nec referatur ad Deum. 5.

CVm voluntarijs euagationibus, & diutinis, vel etiam ex negligentia, quatenus quis reflectens mentem diuagari ad alia eam non reuocat non compati attentionem debitam sentiunt communitèr Doctores omnes, qui volunt non sufficere attentionem merè exteriorem, & hoc signantèr tradit *D. Thomas secunda secundæ quæst. 83. art. 13.*, vndè sic euagantes in recitatione Diuini Officij possumus sic alloqui cum *D. Cypriano*. *Quomodo te audiri postulas, cum tu ipse non audias. Vis esse Deum memorem tui, cum rogas, quando ipse memor tui non sis?* Hæc tamen attentio non ità strictè, vtsuprà asserebam, exigitur, vt quamcunque mentis euagationem excludat, cum moralitèr impossibile sit, ipsam euitare.

In hoc igitur articulo solum inquiremus, an si in recitatione Diuini Officij aliqua opera exerceantur, quæ ad ipsum Officium non pertineant, impediatur attentio requisita ad validam recitationem, adeo vt præcepto non satisfiat. Pro quo aduerte opera, quæ in recitatione Officij exerceri possunt, & de quibus dubitari potest, an talem attentionem impediant, alia esse exteriora, & manualia, quæ corpore fiunt, cuiusmodi sunt manus, & faciam lauare, comas nutrire, pedes abluere, aliquod opus artificiale conficere, domos verere, & similia; alia interna, & merè spiritualia, qualia sunt cogitationes de rebus Theologicis dictandis, vel de concionibus habendis. Rursus opera externa possunt esse in duplici differentia, alia, quæ in eorum exercitio exigunt animi grauem applicationem, cum debeant fieri iuxtà regulas artis, cuiusmodi est pingere, acu texturam formare lectiones, vel conciones componere &c., alia, quæ non exigunt talem applicationem, vt manus, & faciem abluere, cæsariem componere, verere &c. Item opera interna, & spiritualia, alia vel possunt habere aliquam conformitatem cum recitatione Officij, vel ratione finis, vel ratione mysteriorum, cuiusmodi est audire concionem, vel sacro interesse etiam ex obligatione præcepti, adeò vt possit esse aliqualis attentio ad vtrumque

(I *Enumerantur varia operationum genera.*)

que

que, nempè ad illud opus, & simul ad recitationem Officij, alia, quæ non habent talem conformitatem, cuiusmodi est speculatio aliqua Phylosophica, & de rebus naturalibus, vel quamuis ex obiecto habeant aliquam conformabilitatem, quia tamen est speculatiua, nec ad Deum orandum, vel colloquendum inseruit, sed ad studendum, vel sciendum, non videtur coniungi cum attentione ad Diuinum Officium requisita, cuiusmodi est aliqua speculatio Theologica ad lectionem efformandam, vel concionem habendam. Quibus pro notitia suppositis sit.

Assertio I. Probabilius non satisfaceret præcepto, qui, dum recitat Officium Diuinum, aliquod opus externum, & manuale exerceret, quod ex genere suo exigit grauem mentis applicationem, cuiusmodi sunt opera enuntiata in primo membro distinctionis operum manualium. In hoc arbitror communitèr Doctores conuenire.

2 *Cum exercitio operis externi exigētis grauem mentis applicationem non stat valida officij recitatio.*

Ratio ex eo deducitur, quod ex supradictis recitatio cum voluntaria distractione non est satisfactoria præcepti, ergo neque erit satisfactoria coniuncta cum exercitio operis externi, quod exigit grauem applicationem. Consequentia probatur, quia in tantum cum illa voluntaria mentis euagatione, seu distractione non satisfit præcepto Diuini Officij recitandi, in quantum illa mentis euagatio non compatitur cum attentione interna ad Officium requisita, sed etiam talis attentio non potest compati cum exercitio illius operis externi exigentis grauem mentis applicationem, ergo, si cum illa non satisfit præcepto, nec cum isto. Minor probatur, quia illa applicatio est totalitèr distinctiua mentis, seu attentionis ad recitationem Diuini Officij, cum illa sint omninò disparata, nec aliquam seruent inter se connexionem; vndè in hoc locum habet Phylosophicum adagium *pluribus intentus minor est ad singula sensus*, vbi alij pro ly *minor* explicant pro moralitèr impossibili, vel etiam legale dictum. *Qui binos lepores vna insectabitur hora, vnum quandoque, quandoque amittit vtrumque*, quæ potissimum verificantur in disparatis, & omninò dissimilibus. Sic, cum mens nostra limitata sit, experientia compertum habemus, quod, dum reflectimus attentè ad rem aliquam, nihil cogitare possimus ad aliam omninò dissimilem non habentem connexionem cum prima.

Assertio II. Si quis recitando Diuinum Officium exerceret aliquod opus manuale externum, quod non exigit mentis applicationem, puta lotionem manuum, & faciei, comam nutriret, vereret, & similia, probabilius satisfaceret præcepto, dummodò aliundè non haberet voluntariam distractionem. In hoc consentire videntur *Sotus lib. 10. de iustit. quæst. 5. art. 5., Nauarrus de Oratione c. 13. n. 47., & seqq., Caietanus secunda secundæ q. 83. art. 13., Azorius institut. mor. part. 1. cap. 12. quæst. 7., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 2. num. 12.*, quidquid ex aduerso dixerint *D. Antoninus part. 2. tit. 9. cap. 3. §. 3., & alij*.

3 *Si verò exerceat opus externū nō exigens hanc mentis applicationem satisfacit.*

Ratio ex eo deducitur, quia huiusmodi actiones compati possunt cum attentione interna, non enim exigunt mentis applicationem, quæ distrahere valeat, & eandem attentionem impedire, quinimmò, nec externam ordinatam, & integram pronuntiationem, ergo recitans simul, & huiusmodi opera exercens satisfacit præcepto, cum sit recitatio cum attentione interna, & externa sufficienti. Neque dicas, in horum operum exercitio, dum Diuinum Officium recitatur, non posse considerari reuerentiam debitam, & congruam colloquio cum Deo; statim impugnaberis, quia Deus potius respicit internam mentis attentionem, quam externam corporis dispositionem, quæ, si non sit cum inordinata verborum prolatione, licet inferat aliquam externam irreuerentiam, hæc tamen non est talis, vt irritet recitationem factam cum attentione interna, & debita verborum pronuntiatione, nec inducit grauem culpam.

Assertio III. Si in recitatione Diuini Officij sit simul applicatio ad aliquod opus spirituale etiam debitum ex præcepto, quod habeat aliquam conformitatem vel ratione finis, vel ratione Mysteriorum cum eodem Officio, probabilius satisfit, & illi operi debito, & præcepto Officij. Hoc contingeret in casu, quo quis pro eodem tempore recitaret Diuinum Officium, & simul sacrum audiret in die festo. In hoc consentiunt *Caietanus secunda secundæ quæst. 83. art. 13., Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. quomodo sit recitandum vers. sequitur hinc Nauarrus de Orat. cap. 13. num. 35., Azorius institut. mor. lib. 10. cap. 12. qu. 10., Toletus lib. 12. cap. 12. num. 12.*

4 *Potest simul recitari officium & sacrū audiri.*

Ratio ex eo deducitur, quod defectus satisfactionis, nec oriri potest ex incompossibilitate satisfaciendi duplici præcepto vno, & eodem tempore, nec ex repugnantia vnius actionis cum altera, nec ex defectu attentionis ad vtramque, ergo non est, cur vtrique non satisfiat. Antecedens quoad primam partem probatur,

quia, sicuti non repugnat, quod vno, & eodem actu satisfiat duplici præcepto, ita non repugnat, quod pro vno, & eodem tempore vtrique possit satisfieri. Quod, si dicas, non repugnare quidem, quod vno, & eodem actu satisfiat duplici præcepto, quando præcepta illa sunt de eadem re, vt contingeret in casu ieiunij pro illa die, qua duplex præceptum concurreret, non autem, quando præcepta essent de actionibus diuersis, vt in præsenti hypothesi; statim impugnaberis, quia ex eo, quod illæ duæ actiones, quæ per duplex præceptum imperantur, non possint vno, & eodem actu adimpleri, non sequitur tamen, quod nō possint simul pro eodem tempore adimpleri per duplicem actionem, quando illæ actiones habent conformitatem in fine, & in Mysterijs repræsentatis, quod in probatione secundæ partis antecedentis magis elucescet. Probatur igitur antecedens quoad secundam partem; duæ actiones duarum potentiarum non repugnant simul coniungi in eodem tempore, sic potest quis audire aliquam colloquentem, & simul legere, & verba lecta ore proferre, ergo nec repugnat pro eodem tempore audire sacrum, & simul recitare Diuinum Officium. Probatur tandem quoad tertiam partem, in qua videtur tota difficultas consistere. Attentio ad sacrum non impedit secundum se attentionem ad Diuinum Officium, ergo &c. Antecedens probatur, quia ex supradictis attentio, quæ requiritur in recitatione Diuini Officij, vel est ad verba, vel ad sensum verborum, vel ad Deum, & quælibet ex his sufficit iuxtà modum suprà explicatum, & supposita prima relata ad hanc tertiam habetur perfectus gradus attentionis, sed hæc eadem attentio relata ad Deum requiritur, & sufficit in auditione sacri, ergo attentio ad sacrum non impedit &c. Confirmatur, quia in Missa repræsentantur Mysteria principaliora Passionis Christi Domini, quæ passim etiam exponuntur in psalmis, qui constituunt Diuinum Officium, ergo propter hanc conformabilitatem, quam ad inuicem seruant, poterunt vniri etiam in attentione. Confirmatur secundò per recitationem Coronæ Deiparæ Virginis non impeditur attentio sufficiens ad auditionem sacri. Quis enim diceret, quod recitans coronam, dum sacrum celebratur, non satisfaciat præcepto audiendi sacrum in die festo? Ergo nec per auditionem sacri non impeditur attentio sufficiens, vt recitatio officij sit satisfactoria, vel meritoria &c.

Rationes pro asserto.

His eisdem rationibus arbitror satisfacere præcepto Diuini Officij, si quis illud recitaret audiens sacram concionem, cum simul possit compati attentio interna ad vtrumque, & vtrumque sit relatum ad Deum.

Assertio IV. Si recitans Diuinum Officium exerceret aliquod opus intellectuale, quod non haberet conformabilitatem cum eodem, nec per modum Orationis seu colloquij referretur ad Deum, non satisfaceret præcepto Diuini Officij. Hoc contingeret, quando quis, dum recitat Officium, in aliqua speculatione Phylosophica, & de rebus naturalibus immoraretur, vel etiam Theologica, sed non relata per modum Orationis, vel colloquij ad Deum, sed ad instructionem propriam &c. 5

Non compatitur cū opere intellectuali, quod nō sit conforme, nec referratur ad Deū.

Ratio ex eo deducitur, quod huiusmodi speculationes sunt penitus distractiuæ ab attentione requisita ad validam recitationem Diuini Officij, cum neque ex fine, neque ex modo, quo fiunt, habeant cum eodem conformitatem; non ex fine, cum non referantur ad Deum, vel orandum, vel laudandum; non ex modo, cum non habeant rationem colloquij, seu Orationis, sed præcisè propriæ instructionis, & licet, quando speculatio Theologica est, habeat ex obiecto aliquam relationem ad Deum, quia tamen illa est merè speculatiua, & non per modum tendentiæ deprecatoriæ, sed merè speculatoriæ, non habet sufficientem conformitatem cum psalmodia, quæ est per modum depræcationis, seu laudis.

Non habet hoc opus rationē Orationis.

ARTICVLVS XXXII.

An, & quomodo Beneficiarius ex vi beneficij teneatur ad Horas Canonicas.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa hunc titulum. 1.
Beneficiarij iuxta Canonistas, tenentur ad Officium ex iure diuino naturali. 2.
Veriùs tenentur ex iure positiuo, siue scripto, siue consuetudinario. 3.
Habentes beneficium siue Curatum, siue simplex reddens congruos fructus ad sustentationem tenentur officium recitare. 4.
Item habentes Capellaniam collatiuam. 5.
Habentes Capellaniam manualem, & amouibilem sola fundatoris auctoritate erectam ex vi eiusdem non tenentur. 6.
Habens beneficium non in titulum, sed merè in commendationem tenetur. 7.
Etiam si commendatio esset solum ad tempus. 8.
Discrimen inster habentem Capellaniam manualem, & habentem beneficium in commendam. 9.

Sen-

EX occasione oneris, quod consurgit ex vi Ordinis in Subdiaconatu aperitur nobis via ad indagandum, an ex aliquo alio titulo oriatur huiusmodi onus, quod, quamuis non videatur pertinere ad praesens institutum, quia tamen pertinet ad notitiam eorum, quæ spectant ad Horas Canonicas, non disiungendum duximus. Hoc igitur onus consurgit etiam in beneficiario regularitèr loquendo, & in solemnitèr professo in Religione approbata. Primò igitur agimus de onere beneficiarij. Secundò in subsequentibus de illo professi in Religione.

I Sub hoc titulo plura veniunt examinanda; & primò, quisnam veniat nomine beneficiarij, & quid nomine beneficij quoad hunc effectum obligandi ad Horas Canonicas. Secundò, an quodcunque beneficium ad hoc obliget. Tertiò, an, si electus Canonicus pro primo anno fructus non percipiat, teneatur pro illo anno horas recitare. Quartò, an beneficiarius teneatur ad easdem à die collati beneficij, an verò à die adeptæ possessionis. Quintò, an, si duo litigent *Articuli examinandi*

 super

super eodem beneficio singuli teneantur ad Horas Canonicas, & alia his similia.

2 *Secundũ Canonistas beneficiarij tenẽtur ex iure naturali.* Sed antequam ad resolutionem horum dubiorum deueniam, placet primò examinare, quonam iure beneficiarij illi, qui adhoc obstringuntur, teneantur illas horas persoluere, qua in difficultate Canonistæ magis cõmunitèr statuunt, ad hoc teneri iure Diuino naturali. Sic procedunt *Abbas Zabarella, Turrecremata, Ancharanus in cap. dolentes de celebratione Missarum, & in cap. 1. distinct. 91.* Fundantur primo in eo, quod Laici institutores beneficiorum eadem instituerint, vt Clerici Deum pro ipsis precentur, adeòque videntur ad hoc obligari ex lege Iustitiæ. Secundo in eo, quod beneficium datur pro officio per textum *in c. vlt. de rescript. in 6.* Tertiò, quia, qui ex Altari viuit, debet Altari deseruire. Sed ex ijs argumentis euincitur quidem, quod, vel debeant aliquas preces fundere, vel Ecclesiæ deseruire, iuxtà quod beneficij institutio postulat, non autem, quod teneantur determinatè Horas Canonicas persoluere.

3 *Veriùs tenẽtur ex iure positiuo.* Quamobrem asserendum existimo, ad Horas Canonicas teneri, vel ex iure positiuo non scripto idest consuetudinario, vel fortè etiam scripto *ex Concil. Lateranensi sub Leone X. sess. 9., & ex Bulla Pij V. relata à Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuini Officij recit. pertin. disp. 1. quæst. 2. punct. 4., & à Nauarro cap. 25. num. 122.*

4 *Habentes beneficium siue Curatum, siue simplex reddens cõgruos fructus tenẽtur.* Iam singula proposita expendo. In ordine ad primum certa ab incertis secernendo dico primo, certum esse habentes beneficium siue Curatum, siue simplex, quod reddat congruos fructus ad sustentationem beneficiariorum teneri Horas Canonicas persoluere, & in hoc omnes conueniunt, & euincitur ex allegatis iuribus, & vlteriùs *ex c. cum secundum Apostolum de præbendis, & cap. quia per ambitiosam de rescript. in 6.*

5 *Item habẽtes Capellaniam collatiuam.* Certum est secundò, habentes Capellaniam collatiuam ad pensum Diuini Officij teneri, cum propriè habeatur pro beneficio, & in hoc consentiunt *Medina tract. de Orat. quæst. 7., Nauarrus de Orat. cap. 20. num. 17., Ledesma in quarto part. 2. quæst. 16. art. 4. dub. 5. ad fin., Azorius instit. mor. part. 1. lib. 10. cap. 3. quæst. 5., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 6., & 7.*

6 *Non tamen habentes Capellaniam amouibilem.* Dubiæ quæstionis est primò, an habens Capellaniam non collatiuam, nec auctoritate Episcopi erectam, sed quodamodo manualem, & amouibilem, & sola fundatoris voluntate erectam teneatur ad pensum Horarum Canonicarum ex vi eiusdem persoluendum. Dixi *ex vi eiusdem*, nam, si esset sacris ordinibus initiatus, iam ex hoc titulo teneretur. Negatiuè respondendum est *Medina de Oratione quæst. 7., Nauarrus de Oratione cap. 20. num. 17., Reginaldus lib. 30. cap. 40., Garzias de benef. prima part. cap. 2. num. 81., Arragonius secunda secundæ quæst. 83. art. 12., Azorius institut. mor. lib. 10. cap. 3. quæst. 5., Vasquez de benef. cap. 4. art. 1. dub. 3. n. 10., Barbosa in cap. dolentes de celebratione Missarum, & alijs magis communitèr.* Ratio est, quia quosque non est auctoritate Episcopi erecta, vel approbata, non est propriè beneficium Ecclesiasticum, & propterea potest conferri etiam pueris prima Tonsura non initiatis.

Dubiæ quæstionis est secundò, an habens beneficium, non in titulum, nec per collationem, sed merè in commendationem, teneatur ad easdem Horas Canonicas recitandas. 7 *Habens beneficium in commẽdationẽ tenetur.* Sentiendum est teneri *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. n. 2., Azorius instit. moralium part. 1. lib. 10. cap. 3. quæst. 6., Garzias de benef. tertia part. cap. 1. num. 105., Graffius lib. 2. c. 50. num. 22., Medina de Oratione quæst. 7., Glosa in cap. nemo de elect. in 6., Nauarrus de Oratione cap. 20. num. 16., Ledesma in quarto part. 2. quæst. 16. art. 4., & 5.* Ratio ex eo deducitur, quia ipse verè gaudet fructibus beneficij, cuius licet non habeat titulum, habet tamen administrationem, quod sufficit ad obligandum ad pensum officij, quod potissimum verificatur in sententia eorum, qui asserunt onus officij oriri ratione fructuum, qui ex beneficio percipiuntur de qua sententia infrà agemus vberiùs; atque hoc verificatur, quantumuis beneficium esset solum ad tempus commendatum, vt statuunt *Suarez de Religione lib. 4. cap. 22. num. 14., & 16., Filliutius tom. 2. tract. 23. cap. 5. num. 175., & seqq., Paulus Squillas de obligat. Cleric. prima part. num. 9., & 12., Vasquez de benef. c. 4. art. 1. dub. 3., Malderus tract. 15. cap. 2. dub. 3. quæst. 4., Lessius lib. 2. de iust., & iur. cap. 34. dub. 30., Azorius institut. mor. lib. 10. cap. 3. qu. 6.,* vbi, quamuis videatur sibi contradicere, 8 dum priùs dixit, quod habens beneficium in commendam siue ad tempus, siue in perpetuum teneatur ad pensum Horarum Canonicarum, in fine tamen habet, quod habens tantum administrationem temporalem in beneficio non teneatur; *Etiam si commẽdatio esset solum ad tempus.* attamen re vera sibi non contradicit; dum etenim vltimo loco dicit habentem administrationem tantum temporalem non teneri, sumit ly *temporalem*, prout contradistinguitur à spirituali, non prout contradistinguitur à perpetua; vndè

vult,

vult, & quidem meritò, quod ad hoc, vt teneatur soluere pensum harum horarum, debeat habere administrationem tam spiritualem, quam temporalem beneficij.

9 *Discrimen in hoc, & primum dubium.* Neque hæc obstant ijs, quæ in præcedenti dubio diximus, nempè habentem Capellaniam manualem, & amouibilem non teneri ad hoc onus. Non obstant, inquam, quia ea, quæ ibi diximus, procedunt solum de Capellania manuali, amouibili, & non erecta auctoritate Episcopi, sub qua ratione est merè temporalis, prout contradistinguitur à spirituali; hic autem agimus de beneficio erecto Episcopi auctoritate, & commendato, vel ad tempus, vel in perpetuum, quod quomodocunque sumatur, est cum administratione tum temporali, tum spirituali, cum sit simplicitèr Ecclesiasticum.

10 *Sententia asserens onus officij oriri ratione tituli.* Tertiò dubiæ quæstionis est, an habens beneficium tenue, & modicos reddens fructus teneatur ad Horas Canonicas quotidiè recitandas. Decisio huius quæstionis meo videri potissimum pendet ab illa, an onus recitandi Diuinum Officium in beneficiario oriatur ratione tituli, an verò ratione fructuum, qui ex illo percipiuntur. Communior opinio fert, quod oriatur ratione tituli, & iuris, quod habet in beneficio, de qua *Azorius institut. moralium part. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 6.*, & his rationibus innititur, quia scilicet eo ipso, quo habet titulum, & possessionem beneficii, dominium, vel quasi dominium in ipso habet, locum item in Choro, & suffragium in Collegio Clericorum, & pluribus gaudet priuilegijs; tum quia, quantumuis ex aliqua causa priuetur fructibus beneficij, obligatur tamen ad pensum horarum. Non desunt tamen graues Doctores, qui statuunt teneri dumtaxat ratione fructuum, ad quod pluribus rationibus mouentur; primò, quia, qui Altari seruit, de Altari viuere debet, ergo, qui ex fructibus beneficij non viuit, iure non cogitur horarias preces persoluere. Secundò, quia, qui nihil habet ex beneficio, ad nihil tenetur, ergo qui parum accipit, ad parum, non ad totum tenebitur. Tertiò, quia beneficium

11 *Veriùs oritur ratione fructuũ.* tenue in iure habetur pro non beneficio per textum *in cap. is, cui de præbend. in 6.*, & notat *Caietanus in summa verb. Beneficiorum multiplicatio*. Probabiliùs arbitror ex genere suo hoc onus oriri ratione fructuum, qui ex beneficio percipiuntur. In hoc consentire videntur expresè *Lessius lib. 2. de iust., & iur. c. 34. dub. 31. n. 169.*, *Sotus lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 3.*, & omnes, qui sustinent beneficium, quod non fert fructus, non obligare ad pensum huiusmodi horarum. Rationes pro hac parte adductæ videntur plenè hanc nostram opinionem euincere. Nec obstant, quæ pro contraria parte afferebantur; non primum, quia licet habeat dominiũ, & possessionem in illo beneficio, & per consequens quendam honorem, & præeminentiam, non propterea grauatur onere Horarum Canonicarum; cum hoc non imponatur propter honorem, sed propter redditus, qui percipiuntur; dantur enim quædam beneficia, de quibus *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 5.*, quæ, 12 *Satisfit rationibus oppositæ sententiæ.*
quia fructus non reddunt, non obligant ad Officium. Non secundum, quia, vt benè notat *Azorius institut. moralium punct. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 6. vers. vna est omnium opinio* considerandum est, an quando beneficiarius priuetur fructibus beneficij, ex sua culpa priuetur, an verò sine sua culpa; si enim sua culpa priuatur, puta, quia sua voluntate in irregularitatem incurrat, vel ob delictum suum excommunicatione suspensione, vel interdicto feriatur, vel, si spontè sua in Ecclesia non commoretur, aut Ecclesiæ non seruiat, tunc certè non eximitur ab onere officij; si verò priuetur sine sua culpa, vt, si per vim spolietur, vel facto Principis, tunc certè exemptus remanet à tali onere. Nec videtur obstare, quod ab alijs circumfertur *ex cap. Clericus distinct. 91.*, nempè Clericum, qui ab Ecclesia sibi commissa commodè non sustentatur, debere sibi quærere victum, & vestitum ex artificio, vel agricoltura post sui muneris, & officij pensum persolutum; ex quibus infertur, quod, quantumuis ex beneficio non percipiat alimenta, non teneatur tamen adhuc ad onus officij. Non, inquam, obstare videtur, quandoquidem in allegato textu est sermo de presbitero, qui ex vi ordinationis tenetur Officium Diuinum recitare, vndè dicitur, quod persoluto hoc penso debeat sibi artificio victum quærere.

Rationes pro nostra sententia. Confirmatur hæc nostra opinio, quia, si beneficiarius omittat Diuinum Officium recitare, tenetur ex infrà dicendis fructus restituere, ergo, quia fructus dantur propter Officium, & quia debitum Officij consurgit ex fructibus. Confirmatur secundò, quia talis, ac tanta est sollicitudo Ecclesiæ ad adstringendos onere Diuini Officij, vt nolit eos obligari, nisi habeant, quo commodè, & congruè viuere possint, sic præcipit non initiari quemquam Ordine Subdiaconatus, ex quo consurgit tale onus, nisi habeat vel beneficium, vel patrimonium, nec quemquam

quam

quam obligat non ordinatum sine beneficio ex quo fructus possit percipere, ergo tale onus est ratione fructuum, quos potest percipere.

13 *Habens beneficiũ tenue non tenetur integrè horas persoluere.* Hinc directè respondendo ad quæstionem dubiam excitatam dico habentem tenue beneficium non teneri ad integrè Horas Canonicas persoluendas. In hoc consentiunt *Sotus de iustit. lib. 10. q. 5. art. 3.*, *Riccius decis. 383. num. 3.*, *D. Thomas secunda secundæ quæst. 83. art. 12.*, *Rodriquez cap. 140. num. 3.*, hancque opinionem probabilem indicant *Lessius lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 31. num. 169.*, *Rodriquez in summa tom. 1. cap. 140. num. 3.*, *Petrus de Ledesma in summa part. secunda tract. 9. cap. 4. conclus. 6. difficult. 4.* Ratio ex ijs deducitur, quæ mox dicebamus, nempè, quod recitatio Horarum Canonicarum est debita ratione fructuum, qui exiguntur ex beneficio, ergo, sicuti, si nulli sint fructus, nullum onus oritur, ita, si modici sunt fructus, non integrè onus orietur.

Soluitur instantia opposita Neque dicas, quod debeat beneficiarius ipse sibi imputare, quod acceptarit illud beneficium tenue; nam, sicuti maritus debet sibi imputare, quod duxerit vxorem inopem, quam propterea tenetur alere secundam decentiam proprij status, ità & beneficiarius tenebitur onera beneficio annexa sustinere, quantumuis illud sit tenue; Contra enim impugnaberis, quia hæc instantia inxtà nostra principia nullam vim habet, cum beneficium non habeat annexum onus officij, nisi ratione redditũum, dum ergo beneficiarius illud acceptauit, acceptauit secundum onus, quod annexum habet, adeoque cum onere ad mensuram, & ratam reddituum; nec valet argumentum deductum ab vxore inope, quandoquidem independentèr à dote maritus, qui eam indotatam duxit, vel cum modica dote tenetur ex vi coniugij eam alere secundam decentiam proprij status.

14 *Variæ opiniones circa quãtitatem fructuũ ad obligandum* Si autem quæratur, quanta debeat esse quantitas reddituum, vt quis obligetur ad integram, & quotidianam recitationem Diuini Officij? *Sotus lib. 10. de iustit. quæst. 5. art. 3.*, dicit eum non teneri ad quotidianum pensum Horarum Canonicarum, cuius beneficium non attingit redditus octo aureorum; vndè videtur sentire, quod, si attingat octo aureos, obligetur. *Lessius lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 31. num. 169.*, sentit, quod vbi beneficium non reddit sexdecim aureos, beneficiarius non teneatur ad integrè satisfaciendum Officio. *Ledesma part. 2. tract. 9. cap. 4. conclus. 5.*, vult, quod, si beneficium reddat infrà viginti aureos non obliget. *Malderus secunda secundæ tract. 10. cap. 2. dub. 3.*, sentit, quod beneficiarius, vt obligetur ad integrè satisfaciendum, debeat ex beneficio percipere tertiam partem sustentationis congruæ Clerici ordinarij. Quid iam in hoc concludendum? Moneo in primis ad obligandum ad integrum, & quotidianum Officium non requiri, vt beneficium tot præstet redditus, quot sufficiant ad integram sustentationem beneficiarij, nam sustentatio non debet solum exigi ex beneficio, quod personam non ita detinet, vt impediatur ab alijs operibus compatibilibus cum beneficio, nec in hoc currit paritas de eo, qui promoueri debet ad Subdiaconatum, qui exigit habere, vel beneficium, vel patrimonium sufficiens ad congruam sustentationem; nam in hoc militat diuersa ratio, cum ideò in hoc requirantur redditus sufficientes ad congruam sustentationem, quia, cum ordinatus constituatur irreuocabilitèr in statu Ecclesiastico ordinato ad Sacerdotium, in quo consistit maxima dignitas, exigit habere congrua alimenta, ne teneatur cum dedecore status mendicare, vel sordidam artem exercere, quod non militat in simplici beneficiario, cuius status non est irreuocabilis, nec affert tantam dignitatem. 15 *Non requiruntur tot redditus, quot sufficiãt ad congruam sustentationẽ.* Hinc dico ad quæsitum, opinionem Soti requirentis octo aureos ad obligandum ad Officium nimis rigidam esse, nisi fortè, vt notat *Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 57. num. 5.*, intelligatur pro eo tempore, quo scripsit Sotus, valor monetæ fuisse maior, & rerum minor; opinionem verò Ledesmæ requirentis viginti aureos, & vltrà nimis amplam esse. 16 *Requiruntur redditus quindecim aureorum.* Quamobrem æquiorem puto opinionem Lessij requirentis quindecim, vel sexdecim aureos, Æquitatem huius opinionis in eo consi lero, quod communitèr Doctores, tam ad obligandum ad Officium Diuinum, simul, & Missam quotidianam constituunt summam quinquaginta scutorum Romanorum, vel imperialium; ex congruitate autem minus videtur requiri ad obligandum ad Officium Diuinum, quam ad Missam quotidianam; cum autem quindecim aurei ascendant ad valorem plusquam viginti quinque scutorum imperialium, videntur sufficere ad obligandum.

17 *Ad quid teneatur habens tenue beneficium* Quamuis autem, qui habet tenue beneficium, non teneatur ad Officium integrè persoluendum non eximitur tamen ab aliquo onere. Quamobrem *Lessius loc. cit.*, arbitratur teneri saltem ad recitandum festis, & Dominicis diebus. Alij sentiunt obligari ad Officium Deiparæ. Alij ad effundendas alias preces. Sed ego cum

cum *Maldero secunda secundæ tract.* 10. *c.* 2. *dub.* 3., arbitror, ex iure Ecclesiastico non teneri ad aliquod determinatum, sed tantum ex iure naturali, quod compensari potest alijs Orationibus, & cultu Dei; vndè ad taxandum id, quod pro tali beneficio debetur, arbitrarer decernendum esse à viro prudenti, qui pensatis qualitatibus, & redditibus beneficij, alijsque statuat secundum æquitatem, & proportionem eorundem redditum.

18 Hic alia suboritur difficultas, an, si habens tenue beneficium omittat opera, quæ ex iure naturali tenetur exercere, teneatur fructus beneficij restituere. Ex eo, quod infra dicemus, quod habens beneficium pingue teneatur fructus eiusdem restituere, si omittat Officium Diuinum recitare, videtur etiam sequi, quod habens beneficium tenue, si omittat illa opera, ad quæ ex iure naturali obligatur, teneatur fructus illius restituere; sicuti enim pingue obligat ad fructus pingues restituendos, ita & tenue ad tenues persoluendos. Contrarium tamen sustinet *Diana part.* 2. *tract.* 2. *resol.* 9. *in fine*, & quidem congrua ratione, quia, vt benè notat *Lessius lib.* 2. *de iustit. cap.* 34. *dub.* 32. *à num.* 178. *ad finem*, onus restituendi fructus pingues ex beneficio pingui non oritur à iure naturali, sed dumtaxat à iure Canonico *ex Concil. Lateran. sub Leone X. sess.* 9., *& ex Constitut. Pij V.*, quam refert *Nauarrus cap.* 25. *nu.* 122., cum autem ius Canonicum nihil disponat de fructibus beneficij tenuis, qui non obligant integrè ad Officium Diuinum, ideò reducitur hoc ad ius naturale, quod non obligat.

Habens beneficium tenue omittés preces non tenetur ad restitutioné.

Rursus alia suboritur difficultas, an, si quis obtinuerit beneficium pingue, quod deinde processu temporis factum fuerit tenue, à tempore, quo factum est tenue, eximatur ab onere persoluendi pensum Horarum Canonicarum. Negat absolutè *Azorius part.* 1. *institut. moralium lib.* 10. *cap.* 3. *quæst.* 3. *vers. quærat quispiam*, ea ductus ratione, quod, cum à principio onus assumpserit, non potest, postea idem deponere ex superuenienti deterioratione eiusdem beneficij, ea proportionali ratione, qua, si maritus vxorem diuitem duxerit, non eximitur ab onere eam decenter alendi ex eo, quod postea pauper facta fuerit. Sed ego in hoc cum distinctione procedendum existimo; vel enim beneficium deteriùs factum est ex culpa, seu causa beneficiarij, vel sine eius culpa ex aliquo extrinseco accidente, vel facto Principis, vel inopinato fato. Si ex culpa eiusdem; certè non videtur eximi à tali onere, cum debeat sibi imputare, quod ex propria culpa deteriùs factum fuerit, nec eius culpa potest ipsum eximere ab onere suscepto, & in hoc videntur consentire *Nauarrus cap.* 7. *de Oratione num.* 29., *Caietanus verb. Horarum Canonicarum omissio*, *& alij Doctores communitèr*, cum dicant excusari à tali onere, si per ipsos non steterit, quo minus fructus percipiant, ergo, si per ipsos steterit, non erit, cur eximantur à tali onere. Si sine sua culpa absolutè asse ro eximi à tali onere. In hoc video Azorium sibi absolutè contrarium, dum *loc. cit.* asserit ex superueniente tenuitate beneficij non eximi ab illo onere, & postea *cap.* 4. *quæst.* 6. *vers. vna est omnium opinio*, dixit hæc formalia verba. *Compertum quoque est quoties per beneficiarium minimè stat, quominus sibi fructus acquirat tunc eum solutum, & liberum esse à lege, & præcepto de Horarijs precibus perorandis*. Si ergo ipse vult, vt, si per beneficiarium non stet, quominus percipiat fructus beneficij, eximatur ab onere officij, quod exemplificat in eo, qui per vim impeditur à perceptione fructuum, & ab eo, qui impeditur ex facto Principis, quomodo nunc asserit, quod, si, vel per factum Principis, vel aliquo alio casu sine culpa beneficiarij beneficium attenuetur, obligetur lege officij recitandi? Parum refert, quod vel vno, vel altero modo impediatur à consecutione fructuum, quando ex sua culpa hoc non prouenit.

19 *Si beneficium pingue deteriùs factum sit ex culpa beneficiarij non eximitur hic ab onere integrè satisfaciendi.*

20 *Secus, si deteriùs factum fuerit sine sua culpa.*

Dicere deindè hæc valere, quando beneficium est tenue in ipsa collatione, secus verò, quando in collatione est pingue, & deindè in prosecutione factum est tenue, quia in primo casu supponitur acceptatum solum cum onere, quod secum affert, vt tenue; in secundo verò acceptatum cum pleno onere, cum, vt pingue ad hoc obliget, ratione cuius propterea tenetur, quoties beneficium, quantumuis attenuatum apud ipsum permanet; non videtur quidquam euincere, nam semel dato, quod onus officij oriatur ratione fructuum, siue isti non dentur à principio, siue deficiant processu temporis, semper deficit id, ratione cuius est obligatio officij, adeoque hæc etiam deficit. Nec paritas de eo, qui duxit vxorem diuitem, quæ postea in paupertatem decidit, intentum Azorij euincit, quandoquidem dispar omninò est, nam coniugium ex se obligat maritum ad alendam vxorem, siue hæc fuerit diues, siue pauper, cum importet indiuiduam vitæ societatem, & indecorum omninò sit, vt maritus lautè viuat, & vxor mendicet, & turpem vitam agat; beneficium autem non secum trahit onus officij, nisi tot

Soluitur ratio oppositæ sententiæ.

tot afferat redditus, quot sufficiant saltem ad partialem beneficiarij sustentationem; vndè quotiescunque isti deficiant, deficit quoque tale onus, cum ipsi sint ratio formalis, ex qua oritur illud onus.

21 *Adolescentes, qui receperũt beneficiũ pingue non eximũtur ab hoc onere ex eo, quod redditus erogent supplentori.*

Ex his infertur primò, non esse excusandos ab onere officij adolescentes, quibus collatum est beneficium etiam pingue, qui, cum pro tempore adolescentiæ inepti sint ad munera eiusdem obeunda tenentur maiorem partem prouentuum in substitutum, vt munera beneficij obeat, expendere. Non moueor ad hoc ea ratione, qua mouetur *Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 31. num. 172.*, quia scilicet reprobandus sit abusus, quo talia beneficia dantur adolescentibus, nec præsumatur mens Ecclesiæ esse, vt excusentur; non, inquam, ex hoc moueor, quia, cum talis mos inductus fuerit sciente Ecclesia, & approbante, non potest censeri abusus, præcipuè, cum vt plurimum talis mos sit iuxta mentem Institutorum beneficiorum. Moueor igitur solum ex ratione superiùs adducta, quod scilicet stet per ipsos, quominus possint percipere integros fructus, cum ipsi pro eo tempore sint inepti ad munera exercenda, ex quibus proueniunt tales redditus.

22 *Nec item beneficiarij, qui fructus non percipiunt, quia non resident.*

Infertur secundò non esse excusandos eos beneficiarios, qui ideò nullos, vel modicos fructus ex beneficio percipiunt, quia non resident, cum possint residere; tunc enim per ipsos stat, vt non percipiant; excusandos verò esse, si non resideant, eo quia à residentia impediantur, vel periculis hostium, vel alia causa, quam ipsi nequeant tollere. In hoc consentit *Lessius d. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 31. num. 173. vers. sexto non excusantur.*

Quartò dubiæ quæstionis est, an habens præstimonia teneatur ad pensum Horarum Canonicarum. Nomine præstimoniorum veniunt quædam portiones, quæ olim assignabantur in subsidium adolescentium, qui studijs literarum vacabant, vel in subsidium eorum, qui contra hostes Christianæ Religionis bella gerebant, vel in subsidium Canonicorum, qui tenues fructus percipiebant; modo inualuit, vt Ecclesiasticis conferantur, non quomodocunque, sed prout sunt coniuncta cum aliquo titulo spirituali; vndè *Suarez lib. 4. de Simonia cap. 25. n. 3.*, dixit, vt propriè sint præstimonia, debere coniungi cum aliquo titulo spirituali, qui constituitur ex obligatione, quam assumunt illi, quibus talia præstimonia præstantur, & D. Thomas asserit, quod præstimonia dantur habenti Clericale officium, quod importat quid magis, ac importet Clericalis Tonsura. Quibus suppositis absolutè assero, præstimonia secundum modum, quo de præsenti conferuntur, obligare possessorem eorundem ad Horas Canonicas recitandas. Consentiunt in hoc *Nauarrus de Oratione c. 21. num. 9.*, *Sotus lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 3.*, *Abbas cons. 47. part. 2. num. 1.*, *Azorius institut. mor. part. 1. lib. 10. cap. 3. quæst. 4*, & consonat eum ijs, quæ nos tradidimus *tom. 3. sub tit. Contractus VIII. de Simonia prænot. 9 num. 7.* Ratio ex eo deducitur, quod huiusmodi præstimonia iuxtà sensum expositum accepta sunt simplicitèr beneficia *Hostiensis in c. postulasti de rescript. num. 9., & 10.*, *Oldradus cons. 81.*, *Suarez lib. 4. de Simonia cap. 25. num. 2., & seqq.*, & clariùs ex eo deducitur, quod habent omnia munera, & qualitates, quæ competunt beneficijs; nequeunt enim conferri, nisi ab Episcopis, seu ab alijs Ecclesiæ Præfectis, nec conferri possunt, nisi Clericis, & dantur in titulum, item dantur in perpetuum, nec morte illa possidentis extinguuntur, sed vacant, & Altari conferantur; & si conferantur pro pretio, vel cum aliquo pacto inducunt simoniacam prauitatem, vt latè tradidimus *d. tom. 3. d. prænot. 9. n. 7.* Adde, quod *in cap. quoniam de præbendis in 6.* inter Ecclesiastica beneficia recensentur. Tandem euincitur ex Constitutione Pij V. Incipiente. *Ex proximo Lateranensi Concilio*, vbi habetur, quod omnes Clerici, qui Beneficia habent, Diuinum Officium persoluant, & postea ibidem subiungitur. *Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia nullum omninò seruitium habentia possidentes in prædictis contineri.* 23 *Habẽtes præstimonia coniuncta cum officio spirituali tenentur.*

24 *Procedit secũdum rationem, qua modo sumantur præstimonia.*

Nec obstat, quod contrarium docuerint *Medina de Oratione quæst. 7.*, *Palacios in 4. distinct. 15. disp. 9.*, *Ioannes Andreas in cap. 1. de rer. permutatione in 6.*, *Oldradus in cons. 134.*, *Ioannes Silua de benef. part. 1. quæst. 3. num. 10.*, *Gigas de pension. quæst. 28. num. 5.*, vel ex eo, quod sint instituta ad subueniendum adolescentibus, vt studijs vacent, vel ex eo, quod non requirant, vt possidentes illa in Ecclesijs suis commorentur, nec vt in illis deseruiant vel per se ipsos, vel per alios in sui locum substitutos, vel ex eo, quod talia non sint, vt simul cum alijs beneficijs haberi nequeant, sicuti hæc requiruntur in habentibus beneficia propriè sumpta. Non obstat, inquam, quia huiusmodi Doctores, & rationes procedunt dumtaxat, secundum quod primitùs hæc præstimonia fuerunt instituta, non secundum id, quod modo habent.

Quintò dubiæ quæstionis est, an Coadiutores beneficiariorum teneantur Horas

ras Canonicas recitare? Huiusmodi Coadiutores sunt in duplici differentia; Alij,

25 *Coadiutores beneficiariorũ in multiplici differentia.*

qui dantur præcisè ad supplenda munera beneficiarij principalis; alij, qui dantur ad supplenda quidem eiusdem munera, sed cum futura successione in beneficio, seu cum iure succedendi in eodem. Rursus Coadiutores primi generis, vel dantur ad supplendum ex toto munus beneficiarij, quatenus ipse impotens est, vel ob amentiam, vel ob ingrauescentem, & decrepitam ætatem, vel aliud quodlibet impedimentum perpetuum, vel dantur solum ad supplendum pro parte, quando beneficiarius est impeditus, vel ad tempus, vel aliquo alio negotio &c. Quibus suppositis distinctionibus dico primo, Coadiutores, si assumantur ad omnia onera beneficiarij obeunda assignato eidem stipendio ad congruam sustentationem teneri quidem ad pensum Horarum Canonicarum non ex vi Coadiutoriæ præcisè, sed ex vi conuentionis

26 *Coadiutores cũ stipendio ad omnia onera beneficiarij tenetur ad horas ex vi conuentionis.*

cum illo stipendio *Nauarrus de Oratione cap. 20. num. 18., Molfesius cap. 2. num. 44., Suarez lib. 4. cap. 22. nu. 19., Azorius institut. moralium part. 1. libro 10. cap. 4. quæst. 1.* Ratio primæ partis, quia onus recitandi Diuinum Officium respectu beneficiarij principalis est personale, quod ab ipso auferri nequit, & in alium transferre, ergo ex vi Coadiutoriæ præcisè non obligatur coadiutor ad illas persoluendas cum ex vi eiusdem præcisè nequeant duo obligari ad Officium Diuinum persoluendum. Intellige hoc quoad onus præcisè recitandi priuatim Diuinum Officium; nam quoad onus recitandi illud in Choro vtique obligaretur, ità tamen, vt si in Choro non recitaret, non teneretur priuatim recitare, vt notat *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 2. punct. 14. num. 13. vers. Respondeo non teneri in fine*, & ratio est, quia licet onus simplicitèr recitandi Diuinum Officium respectu beneficiarij sit personale, onus tamen recitandi in Choro est alijs communicabile maximè superioris accedente auctoritate. Ratio secundæ partis est, quia nulla est repugnantia, quin quis possit conduci ex speciali conuentione non solum ad omnia onera, quæ spectare possunt ad beneficiarium, sed etiam ad onus recitandi Diuinum Officium, ergo ex vi conuentionis specialitèr, & expresse habitæ tenebitur ad illud persoluendum; non tamen per hoc eximetur principalis beneficiarius ab onere illud persoluendi, cum sit personale, nisi ex aliqua impotentia excusetur. Sed, an in hac hypothesi, si beneficiarius ipse omittat recitare, teneatur fructus pro rata omissionis restituere? Probabilitèr sentio quidem peccare, sed non teneri restituere, cum debitum illud fuerit per Coadiutorem persolutum. Ratio est, quia, cum obligatio sit personalis, eiusdem transgressio non potest esse, nisi peccaminosa;

27 *Si beneficiarius in hac hypothesi nõ recitet, non tenetur ad restitutionem.*

ex alia parte cum onus restitutionis non sit ex iure naturæ, vt suprà innuebamus, sed dumtaxat ex iure Ecclesiastico, hoc non videtur obligare, quando id, quo facienda esset restitutio, iam persolutum est ad eum effectum, vt per alium pensum Diuini Officij per beneficiarium omissi compleatur.

Dico secundò. Coadiutores, si assumantur ad complendum in parte munera principalium beneficiariorum, non tenentur ex vi eiusdem ad priuatim Horas Canonicas recitandas.

28 *Coadiutores tantum in parte onerum, non tenentur ad officium.*

Consentiunt *Azorius institut. moralium part. 1. lib. 10. c. 4. q. 1., Bonacina de ijs, quæ ad priu. Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. n. 13.* Dixi *ad priuatam*, nam, si principalis esset obstrictus Choro, vel tanquam Canonicus, vel tanquam Mansionarius, tunc præsumeretur conductus ad supplendas vices principalis in Choro. Ratio nostri dicti ea est, quia nec tenetur, vt beneficiarius, quia coadiutor, qua talis non est beneficiarius, nec ex vi assumptionis ad tale munus, quia non est conductus ad omnia, sed ad aliqua dumtaxat munera, nec est præsumendum, quod inter onera assumpta computetur illud Officij Diuini priuatim recitandi, cum hoc sit personale respectu beneficiarij, ergo ad tale onus non obligatur.

Dico tertiò. Si coadiutor datus fuerit cum iure futuræ successionis in beneficio,

29 *Nec etiam tenẽtur, si dati fuerint cũ iure futuræ successionis.*

probabiliùs ex vi illius Coadiutoriæ non tenetur ad priuatam Diuini Officij recitationem. Consentiunt *Bonacina de ijs quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 15., Suarez lib. 4. cap. 22. num. 19., Malderus tract. 10. c. 2. dub. 3. quæst. 2., Laiman lib. 4. tract. 2. c. 5. num 9.* Ratio est, quia huiusmodi coadiutor non est propriè beneficiarius, licet habeat ius ad successionem; futurus enim successor in Canonicatu non est Canonicus; successor futurus Imperatoris non est Imperator, nec considerari potest in coadiutore alius titulus, quo obligari possit ad pensum Horarum Canonicarum, nisi fortè tali Coadiutoriæ sint certi redditus assignati, seu ius ad illos, ratione cuius possit ad Sacros Ordines promoueri, quia tunc haberet rationem propriam beneficij. Adde, quod ex eodem beneficio non possunt duo obligari ad integra onera eiusdem persoluenda, sic ad duplicatã sacrificia, nec ad alia; cum autem

beneficiarius ipse teneatur ad onus Diuini Officij non potest ad hoc eius coadiutor obligari. Quod, si supponas, quod principalis beneficiarius ad se eximendum ab oneribus beneficij maiorem partem redditûum profundat in eundem coadiutorem, adeo vt modici, seu tenues redditus pro se ipso remaneant, & tales, quales non sufficerent in beneficio tenui ad obligandum ad idem Officium, & inquiras, an tunc ipse eximatur ab onere eiusdem, illudque transferat in Coadiutorem. Negatiuè respondendum arbitror, cum per ipsum stet, quominus integrè percipiat fructus sufficientes; ipse etenim ex se assumpsit illum coadiutorem cum prouentibus eidem assignatis ad se eximendum ab oneribus eiusdem beneficij.

Rationes pro hoc dicto.

30 *Pensionarius, vt talis non tenetur ad Horas Canonicas.*

Sextò dubiæ quæstionis est, an pensionarius veniat nomine beneficiarij quoad obligationem recitandi Horas Canonicas. Negatiuè respondendum est, si sit simpliciter pensionarius *Sotus lib. 10. de iustit. quæst. 5. art. 3., Medina de Oratione quæst. 7., Nauarrus de Oratione cap. 7. nu. 25., Ledesma in quarto part. 2. quæst. 16. art. 4., Azorius institution. moralium part. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 3., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 2 punct. 4. num. 8.* Dixi, *si sit simpliciter pensionarius*, nam, si haberet pensionem erectam in titulum vtique teneretur ad pensum Horarum Canonicarum, quia tunc haberet rationem beneficiarij. Ratio huius responsionis ea est, quia pensionarius, vt talis non est propriè beneficiarius, sicuti pensio non est propriè beneficium *Nauarrus cap. 23. num. 111., & cons. 60., & 63. de Simonia, Vgolinus tab. 4. cap. 5., Suarez cap. 57. num. 45., Filliutius tract. 45. cap. 13. quæst. 8. nu. 23. vers. quinto, vt locum habeat*, ergo ex vi eiusdem non obligatur pensionarius ad Horas Canonicas.

31 *Secus, si haberet pensionē erectam in titulū*

Dices beneficium est ius perpetuum percipiendi fructus ex rebus Ecclesiasticis, sed pensionarius habet huiusmodi ius, ergo pensionarius est verè beneficiarius, adeoque ex vi pensionis obligatur ad Horas Canonicas recitandas. Sed contra Auctores huius instantiæ mutilam afferunt definitionem beneficij Ecclesiastici; non enim solum est beneficium ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, sed etiam requirit, vt illud ius proueniat ex officio spirituali, seu sit ob ministerium sacrum, seu Ecclesiasticum, quod non euenit in simplici pensione collata.

Soluuntur rationes oppositæ

Instabis etiam pensiones sunt ob officium, seu ministerium sacrum, & Ecclesiasticum, quandoquidem per Constit. Pij V. pensionarius tenetur Officium Deiparæ Virginis quotidiè celebrare; sicuti igitur, quia beneficiarius propter ministerium Diuini Officij celebrandi habet omnes conditiones ad rationem beneficij requisitas, ita, quia pensionarius habet officium consistens in onere recitandi officium Deiparæ habebit omnes conditiones &c. Sed contra, quia pensio non imponitur ob Officium Deiparæ, tanquam ob causam finalem, sicuti fructus beneficij percipiuntur ob officium sacrum, tanquam ob causam finalem, sed pensio confertur in vitæ subsidium, vt pensionarius habeat alimenta, cui postea per Pium V. fuit addictum illud onus recitandi Officium Deiparæ.

Rogabis, an quilibet pensionarius teneatur Officium Deiparæ recitare? Respondeo. Pensionarius, cui collata est pensio, vt Clerico, tenetur quidem Officium Deiparæ recitare, non autem ille, cui non vt Clerico collata est pensio. Hoc expressè deducitur *ex dict. Constitutione Pij V.* Incipit. *Ex proximo Lateranensi Concilio*. Sed hic remanet explicandum. Quandonam intelligatur pensio collata alicui, vt Clerico, & quando non; hoc explicat *Azorius institution. moralium part. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 3.*, tunc scilicet censeri collatam, vt Clerico, quando in collationario requiritur prima saltem tonsura; tunc non conferatur, vt Clerico, quando non confertur propter statum Clericalem, seu Ecclesiasticum, sed ob inopiam collationarij, vel propter eiusdem senectam, vel ob benemerita siue collata, siue conferenda Ecclesiæ, vel ob aliquod exercitium temporale præstandum in Ecclesia, puta ad pulsandas Campanas, ad aperiendas fores Ecclesiæ, & similia. Aduerte hic tamen, posse etiam Clerico conferri pensiones absque eo, quod teneatur ad recitationem Officij Deiparæ, vt si conferrantur ob onera corporalia, quæ æquè exerceri possint a Laicis, vel ob benemerita erga Ecclesiam; sed tunc non conferrentur eidem, vt Clerico, cum status Clericalis in illa hypothesi merè materialitèr se haberet.

32 *Pensionarius, cui collata est pensio, vt Clerico tenetur Officium Deiparæ persoluere.*

33 *Quandonam pensio dicatur collata, vt Clerico.*

Hic duplex oritur difficultas. Prima est, an, si pensio fuerit collata Clerico, vt Clerico, ratione cuius ex mox dictis obligatur ad Officium Deiparæ Virginis, & hic sit sacris ordinibus initiatus teneatur ratione sacrorum ordinum ad officium magnum, & simul ratione pensionis ad officium paruum Deiparæ recitandum. Secunda est, an, si pensio fuerit reseruata in capite, & in persona vnius in commodum, & vtilitatem alterius, vterque ad Officium Deiparæ teneatur.

Ad

34 Ad primam respondeo, probabiliùs esse non teneri, nisi ad Horas Canonicas recitandas, & per hoc satisfacere vtrique muneri. Ita *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 22., Filliutius tract. 42. de pension. cap. 9., Thyliarchus lib. 1. cap. 8., Garzias tertia part. de benef. cap. 1. num. 116., Azorius institution. moralium part. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 3., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 10.* Ratio ex eo deducitur, quod dispositio Pij V. in allegata Constitutione non est restrictiua ad Officium Deiparæ, & exclusiua Horarum Canonicarum, sed accumulatiua, quatenus ad minus obliget ad Officium eiusdem Deiparæ, ergo per recitationem Horarum Canonicarum satisfit eidem Pianæ dispositioni, nec ex eo, quod ad Horas Canonicas teneatur ex vi sacrorum ordinum, tollitur, quin per easdem satisfiat etiam oneri ex vi pensionis; nam, sicuti habens plura beneficia per recitationem vnius integri officij satisfacit pro omnibus; ità habens beneficium simul cum pensione per recitationem eiusdem vtrique oneri satisfacit, supposito, quod per recitationem Horarum Canonicarum satisfaciat pensioni.

Si pensio fuerit alicui collata, vt Clerico, qui sit in sacris, tenetur hic solũ ad Horas Canonicas.

35 Ad secundam probabiliùs assero, eum dumtaxat teneri ad Officium Deiparæ recitandum, in cuius commodum pensio constituta est *Bonacina de ijs, quæ ad priu. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 7. vers. mihi tamen dicendum videtur.* Ratio deducitur ex verbis dictæ Constitutionis Pianæ, vbi obligatio recitandi huiusmodi officium indicatur illi, qui *vt Clericus percipit pensiones*, sed ille, qui percipit pensiones, est in cuius commodum constitutæ sunt, non ille, in cuius capite positæ sunt, ergo ille, non iste tenetur huiusmodi officium recitare. Confirmatur, si beneficiarius nullos fructus percipiat ex beneficio sine sua culpa ex superiùs probatis non tenetur ad Horas Canonicas recitandas, ergo etiam, qui nullos fructus ex pensione percipit, non tenebitur ad Officium Deiparæ, sed ille, in cuius capite posita est pensio, nullos fructus percipit, ergo non tenebitur. Neque dicas fructus in beneficio percipi propter Diuinum Officium, tanquam ob causam finalem, non sic fructus ex pensione percipi propter Officium Deiparæ, tanquam ob causam finalem, vt suprà innuebamus, adeoque, nec currere paritatem; Contra enim impugnaberis, quia, quamuis pensiones non dentur ob Officium Deiparæ, tanquam ob causam finalem, eisdem tamen adnectitur tale onus ex iuris dispositione consecutiuum, quod propterea cessare videtur, quando fructus ex pensione non percipiuntur.

Quid sentiendum est, quando pensio est reseruata in capite vnius, sed in fauorem alterius

Dices primò. Non minùs dicitur pensionarius ille, in cuius commodum pensio constituta est, ac ille, in cuius capite reseruata est, ergo non minus ille, ac iste tenebitur ad Officium Deiparæ. Sed contra, quia ille, in cuius capite reseruata est pensio, & nihil de illa percipit, nonnisi impropriè, & determinatiuè potest dici pensionarius, vel ad summum potest dici Procurator irreuocabilitèr constitutus pensionarij, vbi alter, qui percipit fructus, propriè dicitur pensionarius iure vtili, & fructuoso.

Dices secundò. Pensio non solum extinguitur morte eius, in cuius commodum constituta est, sed etiam morte eius, in cuius capite reseruata est, ergo non minus ille, quam iste tenebitur ad officium huiusmodi. Sed contra quidquid sit, quod morte, vel vnius, vel alteriùs extinguatur, nil facit ad rem præsentem, nempè ad deobligandum pensionarium, in cuius commodum facta est pensio, vel ad obligandum eum, in cuius capite reseruata est; respicit enim solummodò terminum eiusdem pensionis, non autem onera, quæ eidem in consistentia adnectuntur. Cæterum, si quid valeret instantia, valeret ad eximendum vtrumque ab obligatione.

Soluuntur rationes opposita

In ordine ad secundum dubium in principio articuli propositum *Lessius de iustit. lib. 2. cap. 34. dub. 30. num. 166. vers. dixi regularitèr, Bonacina de ijs, quæ ad priu. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 5.*, sentiunt dari aliqua beneficia, quæ ex sua institutione non obligant ad Horas Canonicas, sed ad aliquas alias preces, puta ad Officium Deiparæ, vel ad recitationem determinatis vicibus Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, vt sunt quædam Præpositurae, & personatus. Imò *Emanuel Sà verb. Hora Canonicæ nu. 4., & Fumus eodem verb. n. 3.* asserunt dari aliqua beneficia, quæ ad nullas preces ex se obligant, vt sunt beneficia, quæ dantur, vt beneficiarius teneatur pulsare Organa, docere Theologiam, vel aliud officium exercere, quod non sit Ecclesiasticum. 36

Sed ego in ijs, vel non agnosco rationem propriam beneficij Ecclesiastici, vel non video, quomodo eximant ab onere Horarum Canonicarum; cum etenim beneficium propriè sumptum sit ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale auctoritate Ecclesiæ institutum, vbi non est officium spirituale, non videtur posse esse beneficium Ecclesiasticum propriè

Beneficia, quæ non obligant vel ad Horas Canonicas, vel ad alias preces, non sunt propriè beneficia

sumptum. Quamobrem discurrendo per omnia allegata dico quoad primũ de illis Præposituris, & Personatibus, si sint ob Officium Deiparæ, vel alias preces tanquam ob causam finalem cum auctoritate Ecclesiæ, possint verè habere rationem beneficij, & in hoc conuenio cum Lessio, & Bonacina; si verò non sint ob illud officium, & preces tanquam causas finales, non sint propriè beneficia Ecclesiastica, vndè in hoc imitantur potius naturam pensionum, & sunt veluti quædam onera adiecta. Quoad secundum, quando ad nullas preces obligantur, sed dantur dumtaxat ad quædam onera, vel pulsandi Organa, vel fores Ecclesiæ claudendi, & aperiendi, vel Theologiam legendi &c. dico, non esse propriè beneficia Ecclesiastica, sed veluti stipendia talium operum. Cæterùm, si supponamus, esse propriè beneficium Ecclesiasticum, conferantur tamen cum onere legendi Theologiam, vel docendi pueros, vel quid simile peragendi, incongruè asserunt non obligare ad Diuinum Officium, vt benè notant *Siluester verb. Hora quæst. 2., Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 22. num. 2.*

37 In ordine ad tertium, an scilicet cooptatus inter Canonicos pro primo anno, pro quo non percipit fructus Canonicatus, teneatur Horas Canonicas recitare, considerandum est ex quanam causa pro illo primo anno fructus Canonicatus non percipiat, vel etenim non percipit, quia ex consuetudine, vel statuto illius Ecclesiæ fructus ex primo anno reseruantur Canonici defuncti hæredibus, aut illius creditoribus, vel quia eiusdem Ecclesiæ more, & statuto reseruantur alijs Canonicis antiquioribus, inter quos distribuuntur, vel quia reseruantur pro expensis funeris, & exequiarum, quando morietur, vel quia ex consuetudine talis Ecclesiæ expenduntur in alios pios vsus. Si non percipiat ex tribus primis causis assignatis, certum omninò videtur, quod pro illo primo anno non eximatur ab onere Diuini Officij recitandi. In hoc consentiunt *Azorius institution. moralium part. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 4., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 22.* Ratio autem ex eo deducitur, quod in hypothesi trium assignatarum causarum dici non potest, quod absolutè non percipiat fructus, nam licet pro tunc non percipiat, acquirit tamen ius ad eosdem percipiendos, cum in eius sortem cedant pro tempore mortis, vel antiquitatis, quandoquidem iuxta primam causam percipient eius hæredes, vel creditores ex redditibus illius, qui in Canonicatu ipsi succedet, nam pro primo anno ille tenebitur hæredibus, vel creditoribus suis cedere; iuxta secundam ipse quoque, si non percipit modo, percipiet, cum factus fuerit ex antiquioribus accedentibus alijs iunioribus, vt notant *Lessius lib. 2. de iustit. cap. 3. num. 170., Azorius lib. 10. cap. 4. quæst. 4., Garzias de benef. 3. part. cap. 1. nu. 62.*, & alij magis communitèr. Iuxtà tertiam præmittit ex fructibus illius primi anni id, quod esset expendendum ex eius alijs bonis pro tempore mortis.

Electus Canonicus pro primo anno, pro quo non percipit fructus, quandoque non eximitur ab onere Horarũ Canonicarum.

Si non percipiat ex quarta causa, tunc probabilius arbitror non teneri, quandoquidem non est ex vi beneficij pro illo anno Horas Canonicas recitare. *Garzias tertia part. de benef. cap. 1. num. 70., Nauarrus de Oratione cap. 7. num. 30., Paulus Laiman lib. 4. tract. 8. cap. 1. n. 4.* Ratio ex superiùs dictis deducitur, quia onus officij consurgit ratione fructuum, qui percipiuntur; sed in hac hypothesi pro illo primo anno Canonicus nullos fructus perciperet, nec esset percepturus, ergo nec teneretur Horas Canonicas recitare. Deindè, qui Altari seruit de Altari viuere debet, ergo si non viuit de fructibus beneficij, nec beneficio deseruire debet per recitationem Horarum Canonicarum. Nec obesse potest, si dicatur, quod sibi imputare debeat, quod illud beneficium acceptauerit sciens pro primo anno fructus sibi non deberi; Non, inquam, obesse potest, quià sciens sibi non deberi pro primo illo anno fructus, sciebat etiam pro illo non teneri ad Horas Canonicas recitandas, cum illud onus sine fructibus, non vigeat. 38

Quandoque eximitur, & quãdo

In ordine ad quartum, probabilius est, non teneri beneficiarium ad Horas Canonicas, nisi à die captæ possessionis. In hanc consentit *Flaminius Parisius Romanus lib. 1. de resignatione benef. quæst. 9. n. 15.*, vbi dicit hanc opinionem esse veriorem, & in praxi obseruari; hanc etiam probabilem existimant *Lessius lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 30. num. 167., Azorius institution. moralium part. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 7.* Hæc tamen intelligenda est cum limitatione, dummodò beneficiarius per industriam non differat possessionem, ne Horas Canonicas recitet. Ratio nostri dicti ea est, quia beneficiarius ante captam possessionem tutus non est de beneficio, cum sæpè numero post collationem in capienda possessione multæ insurgant exceptiones, per quas excluditur à beneficio, quandoque enim reperitur ab alijs antecedentèr impetratum, quandoque ab Episcopo obtinetur, cum collatio pertineat ad Pontificem, quandoque est de iure 39

Beneficiarius non tenetur, nisi à die captæ possessionis.

iure

iure patronatus, cum tamen sit collatum antecedentèr ad nominationem, & præsentationem durante tamen tempore earundem, vndè idem Flaminius Parisius subdit, hoc ex stilo Curiæ Romanæ seruari.

40 *Nec obstat, quod ipsi debeantur fructus pendentes à die collationis.*

Quod, si dicas fructus beneficij pendentes tempore collationis deberi ipsi beneficiario, ipsum illos percipere non solum præsentes, sed etiam præteritos à die collationis, adeoque ratione eorundem teneri ad Horas Canonicas; tunc dicam primo, illos fructus à tempore collationis esse incertos, nam, si per exceptionem à beneficio expellatur, non facit illos suos; nemo autem tenetur ratione fructuum incertorum, & ratione beneficij, à quo in possessione potest expelli. Secundò, quod illi fructus à die collationis maturescant beneficiario est ex speciali iuris dispositione, non ob obligationem recitandi huiusmodi horas; nam si absenti conferretur beneficium post longum tempus à vacatione eiusdem, eidem non deberētur fructus, nisi postquam ad ipsum deuenerit notitia collationis, & tamen debentur à die collationis, signum euidens, quod pro illo tempore non assignentur ob officium, sed ex speciali iuris dispositione. Accedit, quod secundum communiorem sententiam fructus debentur successori à die obitus præcedentis beneficiarij, pro quo tempore certum omninò est successorem non teneri ad Horas Canonicas, cum tunc non fuerit eidem collatum beneficium.

41 *Si duo litigant super eodem beneficio, & neuter sit in possessione neuter tenetur ad Horas Canonicas.*

In ordine ad quintum de duobus, vel pluribus collitigantibus circa idem beneficium plura veniunt consideranda; primò, an nullus ex illis sit in possessione, an verò aliquis incæperit pacificam possessionem. Secundò, an ille, qui incæpit pacificam possessionem, in eadem permaneat, an verò sit spoliatus ità vt nullos fructus percipiat. Tertiò, an omnes bona fide litigent, & habeant bonum fumum iuris; quibus consideratis dico primò, si nullus ex illis sit in possessione beneficij nullus tenetur Horas Canonicas recitare *Azorius part. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 9. in fin., Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 19., Reginaldus lib. 30. nu. 40., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. n. 26.* Ratio est, quia nullus habet ius certum in eodem beneficio, vndè ipsum beneficium pro eo statu considerari potest, vt vacans, nec quis obligatur ad onus certum ex iure incerto. Dico secundò, si vnus ex collitigantibus incæperit pacificè possessionem, & deindè Auctore Iudice fuerit spoliatus, ita vt ad petitorium causa fuerit traducta, hic non tenetur ad Horas Canonicas recitandas. In hoc arbitror consentire Doctores mox allegati. 42 Ratio ex eo deducitur, quia, quando quis legitimè, & Auctore Iudice est spoliatus possessione, non potest iuuari titulo eiusdem possessionis, & perindè est, ac si possessionem non habuerit, nam, si postea in petitorio cederet, ad nihilum posset conferre illa habita possessio, ergo, sicuti, quando non fuit in possessione, & lis orta est super beneficio, non tenetur Horas Canonicas recitare, ità nec tenetur, postquam legitimè eadem possessione est spoliatus, cum non habere simplicitèr, & habuisse, & modò legitimè non habere paria sint. Dico tertiò, si pacificè vnus ex collitigantibus incæperit possessionem, & non fuerit eadem spoliatus, sed dumtaxat fructus fuerint depositi nomine sequestri auctoritate Iudicis; tunc plura veniunt examinanda, an lis fuerit super proprietate, an verò super possessione, an iura alterius collitigantis sint talia, vt constituant exitum litis incertum, an sint cauilosa, & rationibus sophisticis innixa, & quidem, si lis fuerit super proprietate, & exitus eiusdem fuerit incertus, probabiliùs est, non teneri propter rationes superiùs adductas, quia ex vno capite non gaudet fructibus, nec certam habere potest spem eos acquirendi, cum ius sit incertum, nec possessio reddit certiorem exitum, cum de illa non habeatur ratio in petitorio; vndè in hoc casu litis incertæ, quamuis speret se futurum victorem, non tamen tenetur ad horas, quandoquidem existente lite incerta, opinio, quam animo conceptam habet de victoria, ius maius illi non dat in beneficio, & in hoc consentiunt *Petrus Ledesma tract. 9. cap. 4. concl. 6. different. 10., Azorius institution. moralium part. 1. lib. 10. c. 4. quæst. 9. in fine*. Si verò lis fuerit super possessione, & exitus incerti, adhuc arbitror, non teneri ad Horas Canonicas recitandas propter easdem rationes, supposito, quod fructus ad ipsum non perueniant, sed positi fuerint sub sequestro. Dico quartò, si lis fuerit super possessione ab vno acquisita pacificè, & iura alterius collitigantis fuerint cauilosa, nec iustis rationibus innixa, probabiliùs possessor non eximitur ab onere Horarum Canonicarum, quantumuis fructus de facto fuerint sub sequestro, quia hic videtur habere ius certum ad illos, & quamuis illos actu non acquirat, acquiret tamen lata sententia à die contestatæ litis, atque iuxtà hunc sensum arbitror dumtaxat procedere *Nauarrum de Orat. c. 7. nu. 28., Ledesmam quarta part. quæst. 16. art. 4. dub. 5.*

42 Si vnus incæperit possessione, & auctore Iudice fuerit spoliatus non tenetur.

43 Quid sentiendum sit, quando quis possessionem habuit, nec fuerit eadem spoliatus, si lis fuerit incerti exitus.

AR-

ARTICVLVS XXXIII.

An beneficiarij omittentes Horas Canonicas teneantur ad restitutionem fructuum.

SVMMARIVM.

Beneficiarius non recitans Horas Canonicas tenetur ad restitutionem fructuum. 1.
An teneatur de iure Diuino naturali, an tantum humano. 2.
Probabiliùs prouenit tantum de iure Ecclesiastico. 3.
Si esset iuris naturalis, immediatè à die suscepti beneficij obligaret ad restitutionem, quod tamen non est dispositum per Concilium Lateranense. 4.
Doctores asserentes non esse onus iustitiæ, sed tantum Religionis, vel obedientiæ. 5.
Ecclesia ad hoc obligat in vim legis pœnalis, vel per modum conditionis. 6.
Beneficiarius non tenetur ad restitutionem, si omittat per sex primos menses. 7.
Peccaret tamen lethaliter omittendo. 8.
Rationes suadentes non peccare lethaliter. 9.
Satisfit huiusmodi rationibus. 10.
Finis Concilij eximentis ab onere restitutionis per illos sex primos menses non fuit, vt beneficiarius differet Horas Canonicas, sed proprius assignatur. 11.
Si beneficiarius vltra sex primos menses omittaret recitare, sententia asserens teneri ad restitutionem fructuum correspondentium, non solum tempori post sex menses, sed etiam tempori sex mensium. 12.
Probabiliùs tenetur solum ad fructus correspondentes tempori post illos sex menses. 13.
Si beneficium habeat annexa alia onera, quæ beneficiarius adimpleuit, non recitato officio secundum aliquos tenetur omnes fructus beneficij restituere. 14.
Probabiliùs non tenetur, nisi fructus correspondentes officio omisso restituere. 15.
Si quis habuerit duo beneficia, vnum acquisitum intra sex menses, aliud ante sex menses omittens officium, tenetur restituere fructus quoad beneficium acquisitum ante sex menses, non quoad illud acquisitum intra eosdem. 16.
Si habuerit officia æqualia in oneribus, & inæqualia in redditibus tenetur vniformitèr difformitèr restituere, & quomodò. 17.
Si beneficia fuerint inæqualia in oneribus, & redditibus restitutio facienda est ad normam onerum. 18.
Taxa restituendorum ob officium omissum tam quoad totum, quam quoad partes inducta per Pium V. 19.
Ob modicam omissionem regularitèr non est facienda restitutio. 20.
Si quis addictus Choro accederet post recitatum primum Psalmum, & deindè aliquid aliud omitteret, vel confabulando, vel dormiendo non satisfaceret. 21.
Qui in singulis horis aliquos versiculos omitteret, qui seorsim non esset materia grauis, simul tamen sumpti grauem materiam constituerent, non satisfaceret, & teneretur ad restitutionem. 22.
Qui in anno omitteret quatuor, vel quinque diebus Horas Canonicas, non eximeretur ab onere restitutionis fructuum. 23.
Sententia asserens, quod qui omitteret absque culpa Horas Canonicas puta ex obliuione, non eximatur ab onere restitutionis. 24.
Restitutio, quando facienda est, siue in vim pœnæ, siue per modum conditionis, facienda etiam est ante sententiam. 25.
Si beneficiarius, qui post sex primos menses, in quibus Horas Canonicas non recitauerit, adhuc contumacitèr omittat, priuandus est beneficio. 26.
Debet tamen ad hoc præcedere simplex monitio. 27.
Et requiritur sententia. 28.
Restitutio facienda est vel fabricæ beneficij, vel pauperibus. 29.
Quod veniat nomine fabricæ. 30.
Quid nomine pauperum. 31.
Si ipse beneficiarius sit pauper seclusa fraude, & dolo potest illos fructus sibi applicare. 32.

BEneficiarios teneri ad restitutionem fructuum, si omittant Horas Canonicas recitare, certum est, sed an semper, & pro quocunque tempore teneantur, & an statim, ac beneficium receperint, si omittant, teneantur ad eandem, magna ex parte dependet ab illa controuersia, an teneantur de iure Diuino naturali, an tantum de iure positiuo Canonico; si etenim teneantur de iure Diuino naturali, videntur primò obligari statim ac beneficium receperint, & fuerint in pacifica possessione illius, ac recitationem omiserint, ad talem restitutionem; hoc enim ius Diuinum naturale fundatur in eo, quod fructus dentur loco mercedis operæ, & laboris iuxta illud *Numer. cap.* 18. Ibi- *Filijs Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in Tabernaculo fœderis*, & qui non laborat, non manducat 2. *ad Thesalon.* 3., & sic vbi non est labor, pro quo erogantur fructus, isti non debentur, & propterea, si fuerint accepti sunt restituendi. Videtur secundò, quod non possint habere locum decretum *Concil. Lateranensis vlt. sub Leone X.*, nec Constitutio *Pij V. edita sub*

1 Beneficiarius, qui non recitat tenetur ad restitutionē.

2 An teneatur ad hoc de iure Diuino naturali, an tantum humano

sub die 12. Kalend. Octobris 1571., statuentium non teneri ad huiusmodi restitutionem, si omittant per sex menses à die obtenti beneficij; si enim obligantur immediatè ex iure Diuino naturali, non videtur nec Concilium, nec Pontifex posse in illo dispensare. Si verò teneantur solummodò de iure positiuo Canonico, tunc locum habebunt dispositiones Concilij Lateranensis, & Pij V., sed tunc erit quærendum, in quo fundentur illæ dispositiones, vt obligent post sex menses, & non intra illos. Secundò quantum sit restituendum. Tertiò, cui facienda sit restitutio.

Incipiendo iam à dubio, an tale onus
3 restitutionis pro tali omissione proueniat à iure Diuino naturali, an verò à iure positiuo Canonico, probabiliùs arbitror, esse dumtaxat de iure positiuo Canonico *Siluester verb. Clericus* 4. *num.* 16., vbi plures Canonistas allegat, *Panormitanus in cap.* 1. *de celebratione Miss.*, hancque communem esse testatur *Coaruuias lib.* 3. *var. cap.* 13. *nu.* 10., *Azorius institution. moralium part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 14. *quæst.* 3. *vers. quidam alij*, quod idem repetit *ibidem quæst.* 4. *in responsione ad obiectionem*, & in hoc magis propendere videtur *Lessius lib.* 2. *de iustitia cap.* 34. *dub.* 32. *num.* 179., dum asserit in omissione, subesse quidem ex natura rei sufficientem rationem, vt stipendium possit repeti, & beneficiarij possint cogi ad restitutionem, tamen isti non teneantur spontè restituere, nisi Ecclesia significet, se velle; si etenim non tenentur, nisi Ecclesia præcipiat, ergo non ex natura rei, sed tantum ex iure Canonico obligantur. Probatur iam primo. Beneficiarium teneri ad Horas Canonicas recitandas est tantum de iure Canonico, & item solum est de iure Canonico, quod beneficium detur propter officium, ergo, quod prætermisso officio beneficiarius teneatur fructus restituere, erit tantum de iure Canonico, non Diuino, & naturali. Consequentia probatur, quia dato, quod solum de iure Ecclesiastico beneficium conferatur propter officium, iam onus officij est solum ex iure Ecclesiastico, & non de iure naturæ, ergo de iure naturali Diuino ob omissionem non tenetur ad restitutionem. Neque dicas, datum ob causam, ea non secuta non subsistere, quod non solum locum habet de iure positiuo Ecclesiastico, sed etiam de iure naturæ; contra enim impugnaberis, quia illud dictum, *datum ob causam, ea non secuta repetitur*, intelligendum est secundum voluntatem eius, qui onus illud ex causa imposuit, hoc est secundum mentem præsumptam Ecclesiæ, quæ potest obligare pro tali tempore, & non pro alio, vt infrà dicetur. Deindè dici potest cum *Lessio lib.* 2. *de iustitia cap.* 34. *dub.* 32. *num.* 180. *vers. tertiò, quia fructus*, fructus non dari immediatè pro officio Diuino, sicuti datur mercenario, & famulo, sed pro sustentatione ministri Ecclesiæ sub onere recitandi Horas Canonicas; officium etenim Diuinum non est pretio æstimabile; vndè meritò *Fernandez tertia part. cap.* 12. §. 8. *num.* 1., asserit obligationem restitutionis, si omittantur Horæ Canonicæ, esse solum ex Religione, vel obedientia ortum habente à lege Ecclesiastica.

Probabiliùs prouenit tantum à iure Ecclesiastico.

Rationes pro iure positiuo.

Probatur secundò, quia, si talis obligatio restitutionis oriretur à iure Diuino naturali, non esset, cur beneficiarius eximeretur à tali obligatione solum post sex menses à die suscepti beneficij, cum ratio obligandi æquè militaret pro primis sex mensibus, ac pro subsequentibus; vndè incongruè, & contra dispositionem iuris naturalis Diuini Concilium Lateranense, & Pius V. statuissent, quod non nisi post sex menses à suscepto beneficio teneatur beneficiarius ad huiusmodi restitutionem. Confirmatur, quia, si à lege naturali Diuina proueniret hæc obligatio restitutionis ex eo, quod datum ob causam cessante causa repeti posset, æquè facienda esset huiusmodi restitutio siue omissio fuerit ex culpa beneficiarij, siue sine culpa, quod tamen non sequitur, ergo &c. 4

Si esset iuris naturalis immediatè obligaret à die suscepti beneficij.

Quod, si dicas, quod onus in beneficiario recitandi Officium Diuinum sit debitum iustitiæ commutatiuæ, quod obligat ex natura sua ad seruandam æqualitatem, cum sit contractus *Do, vt facias*, vndè, si non facis ex regulis iustitiæ debes reddere, quod accepisti; statim impugnaberis, quia in primis, vt innuebam ex *Fernandez loc. cit.*, onus recitandi officium non est debitum iustitiæ, sed Religionis dumtaxat, & obedientiæ, qui fortassis ea mouetur ratione, quod officium Diuinum, vtpotè pretio non æstimabile non possit venire sub commertium pro pretio. Deindè iuxtà *Lessium d. lib.* 2. *de iustitia cap.* 34. *dub.* 32. *num.* 180. *vers. tertio, quia fructus*, dato, quod beneficiarius teneatur ex iustitia Horas Canonicas recitare, sicuti Parochus lege iustitiæ tenetur Sacramenta ministrare, si tamen omiserit, non tenetur iure naturæ fructus refundere, quia non censetur aliquod pretio æstimabile omisisse. 5

Non est onus iustitiæ, sed Religionis.

Quamobrem satis communitèr docent quod nisi Ecclesia constituerit, vt restitutio fiat, ista non sit necessaria. Duobus autem modis potuit Ecclesia constituere, vt illa fiat; primo per modum legis pœnalis 6

Ecclesi obligat in vim pænæ, vel conditionis.

nalis priuando eos, qui omiserint in pœnam peccati. Secundò per modum oneris, seu conditionis appositæ beneficijs, vt qui illa habet non possit fructus absolutè suos facere, si ex culpa preces Canonicas omittat.

7 *Beneficiarius non tenetur ad restitutionē per sex primos menses.* Prosequēdo iam difficultates supra propositas, supposito, quod onus restitutionis in omissione Horarum Canonicarum sit tantum de iure Ecclesiastico, indubitatum videtur, quod beneficiarius non teneatur ad huiusmodi restitutionem, si omittat per sex menses Diuinum Officium recitare, quandoquidem hoc cautum est, tum ex decreto Concilij Lateranensis, tum ex Constitutione Pij V. Sed, an peccet læthalitèr intra illos sex menses non recitando, quamuis pro eo tempore non teneatur Horas Canonicas omittens restituere fructus perceptos; Sentiendum est læthalitèr peccare, nisi legitima causa excusetur. *Nauarrus in manuali cap. 25. num. 122., & seqq., & de Oratione, & Horis Canonicis cap. 7. num. 31., & in cons. 22. de celebratione Missarum, Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 5. punct. 2. num. 8.*, & alij magis communitèr, & quotquot sustinent onus beneficiarij ad Horas Canonicas recitandas incipere vel à die collationis, vel à die captæ possessionis eiusdem beneficij. Ratio ex eo deducitur, quod iura imponunt onus huiusmodi beneficiarijs ratione beneficij, & vtique sub graui sine vlla temporis dilatione, ergo intelligendum est tale onus impositum, statim ac receptum est beneficium, adeoque, si recepto beneficio immediatè non adimpleatur, grauis culpa contrahatur.

8 *Peccaret tamen læthalitèr omittendo.*

9 *Rationes suadentes non peccare læthalitèr.* Neque dicas, iura imponentia beneficiarijs onus recitandi Officium Diuinum intelligenda esse ad normam oneris restituendi fructus, si idem officium omittatur; sicuti igitur ex supra allegatis beneficiarius omittens horas per primos sex menses à recepto beneficio, non tenetur fructus illis primis sex mensibus correspōdentes restituere, ita nec grauitèr peccare censendus est, si per illos sex primos menses Officium Diuinum non recitet, nec incongruis sanè rationibus ex negatione oneris ad restituendum per sex menses, si omittantur Horæ Canonicæ, deducitur negatio peccati in omissione illarum per eosdem sex primos menses; nam primo, cum dixerimus supra onus recitandi esse ratione fructuum, vbicunque conceduntur fructus sine recitatione, videntur etiam concedi sine peccato, cum peccatum consurgat ex omissione oneris consurgentis ex fructibus; si ergo per illos primos sex menses cessat onus restituendi fructus, videtur etiam cessare peccatum. Secundò, quia vt benè notat *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 14. quæst. 3. vers. quidem alij propè medium*, Ecclesia indulsit, vt per illud semestre tempus eximatur ab onere restitutionis fructuum beneficiarius, vt per illas inducias Diuinum Officium benè, & conuenientèr posset ediscere; hæc autem causa benè ediscendi, quæ excusat à restitutione, videtur etiam excusare à recitatione, seu à culpa, si non recitetur; Contra enim impugnaberis; negandum absolutè est onus recitandi metiendum esse ab onere restituendi fructus, cum hæc duo onera sint omninò distincta, & vnum possit esse sine altero, & Ecclesia, à qua, seu cuius dispositione dependet vtrumque onus, obligationem recitandi immediatè à recepto beneficio imposuit, onus autem restitutionis, nonnisi post sex primos menses, nec rationes in instantia ponderatæ aliquid euincunt, non prima, quia licet onus recitandi sit ratione fructuum, cum tamen ille beneficiarius per illos sex menses primos fructus percipiat, non est, cur non teneatur officium recitare. Quod deindè eximatur à restitutione eorundem, si per sex primos menses non recitet, est ex simplici Ecclesiæ indulgentia ex qua non benè infertur indulgentia etiam quoad exemptionem à culpa, cum priuilegia vtpotè stricti iuris non extendantur ab vno ad aliud onus, & quoad vnum Ecclesia expresserit suam mentem, non quoad alterum, imò potius contrarium, vt infra. Non secunda, quia recitando, benè, & conuenientèr ediscitur Diuinum Officium; vndè potuit, vel voluit insistere recitationi sub pæna culpæ læthalis, noluit tamen insistere sub pæna amissionis fructuum, eidem recitationi ex indulgentia intra illos sex menses parcens imperitiæ, quæ potest præsumi, non incuriæ in ediscendo. Cæterum, quod Ecclesia instituerit recitationi sub pæna peccati pro illis primis sex mensibus colligitur ex dicta Constitutione Pij V. Ibi- *Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum eum excusauerit, graue peccatum se intelligat admisisse.* Quod verò non insisterit sub pæna amissionis fructuum in non recitatione pro illis sex primis mensibus colligitur, tum ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* Ibi- *Statuimus, vt nemo beneficium Curatum, seu simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consecutione sine legitimo impedimento Officium Diuinum recitare omiserit, pro tempore, quo non recitauit fructus suos faciat*, vbi, cum excludat perceptionem fructuum solum post elapsos sex menses, videtur

10 *Satisfit huiusmodi rationibus.*

detur includere intra illos sex primos menses; tum ex Constitutione Pij V., vbi eadem fermè verba repetuntur.

11 Deindè ratio, propter quam Concilium Lateranense, & Pius V. indulserunt, vt Beneficiarius intra illos primos sex menses ex omissione Diuini Officij non teneatur fructus perceptos restituere, non est præcisè, quia illud semestre concedatur ad benè, & competentèr ediscendum Diuinum Officium, nam potius debuissent sub illa pæna compellere ad recitandum, quia per recitationem edisceret, quam relaxare, nam relaxando non recitaret, & per consequens non edisceret. Ratio igitur, cui innituntur huiusmodi dispositiones, ea est, quia, cum onus restituendi fructus ob non recitationem non sit ex iure naturæ, & Diuino vtsuprà probauimus, sed solum ex iure Ecclesiastico, Ecclesia in imponendo hoc onere, quod est quodamodo pænale supposita culpa voluit mitiùs agere protrahendo hanc pænam ad sex menses post acceptum beneficium, & hoc ad effectum, vt hæc pæna intelligatur contra contumaces, & perseuerantes in culpa, quæ contumacia præsumitur ex inobedientia per sex menses; vndè in eodem decreto Concilij Lateranensis subditur. *Si verò vltra dictum tempus in simili negligentia contumacitèr perseuerarent &c.*

Assignatur finis pro prius Concilij eximentis à restitutione per sex primos mēses.

Modo circa dispositiones huiusmodi Concilij Lateranensis, & Pij V. multa consurgunt dubia hic diluenda. Primum est, an, si quis elapsis sex mensibus à consecutione beneficij omiserit Horas Canonicas recitare, teneatur non solum fructus correspondentes omissioni post dictos sex menses restituere, sed etiam correspondentes illis primis sex mensibus, si in illis omiserit. *Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. circa octauum*, sentire videtur teneri omnes restituere tam correspondentes omissioni post sex menses, quam correspondentes omissioni ante illos, quod videtur colligere ex tenore decreti dicti Concilij Lateranensis. Ibi *Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officij, & temporis, sed eos tanquam iniustè perceptos &c.*, vbi nota illas particulas *pro rata omissionis recitationis officij, & temporis*, quæ denotant totum tempus omissionis, nec releuat, quod allegata iura Concil. Lateranensis, & Constitutionis Pij V. eximant beneficiarium ab onere restitutionis omittentem Horas Canonicas per primos sex menses, quia hoc verificatur solummodò, quando omissio durat dumtaxat per illud tempus, in quo non consideratur contumacia, secus, quando vltra illud tempus

12 *Omissio vltra sex mēses secūdum aliquos obligat etiā ad fructus correspōdētes eisdem primis mensibus.*

perseuerat, quia tunc talis contumacia consideratur, quæ non conflatur ex omissione præcisa illius semestris, sed totius temporis, pro quo est illa omissio, & sic, cum pro toto illo tempore contumacia constituatur, ad totum illud tempus extenditur pæna priuationis fructuum.

Nihilominus, probabiliùs sentiendum est, non teneri, nisi pro omissione temporis subsequentis ad illud semestre. In hoc consentiunt *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 9. ad finem*, *Filliutius cap. 10. quæst. 3. num. 31.*, *Bonacina de ijs, quæ ad priu. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 5 punct. 2. num. 10.* Ratio est, quia allegata iura eximunt ab obligatione restitutionis per sex primos menses à consecutione beneficij, ergo non est, cur nos debeamus sic omittentem obligare ad restitutionem pro illis sex primis mensibus; nec obstant superiùs ponderata pro sententia Valentiæ, quod scilicet pæna restitutionis constituatur pro contumacia, quæ conflatur tam ex omissione præcedenti, quam pro consequenti, adeoque sit pro toto tempore contumaciæ. Non obstant, inquam, quia nos non debemus extendere iura pænalia vltra verborum, quibus concipiuntur, significationem, cùm igitur verba, quibus talia iura concipiuntur, referantur solum ad omissionem post sex menses, nos non debemus ampliare, ità vt extendatur ad omissionem pro primis sex mensibus, cum pænalia sint restringenda, non extendenda vltrà verborum formam. 13

Probabilius obligat solū ad fructus post sex menses.

Secundum dubium est, an, si beneficium habeat annexa alia onera præter recitationem Diuini Officij, teneatur elapsis primis sex mensibus, si illam omittat, restituere omnes fructus beneficij non obstante, quod alia onera adimpleuerit, an solummodò ad ratam omissionis officij retentis fructibus correspondentibus alijs muneribus, quæ adimpleuit. Pro clariori notitia huius dubij casum efformamus in particulari. Electus quis est ad beneficium cum cura animarum, quod ex genere suo habet annexa onera Missam celebrandi, ministrandi gregi Sacramenta, instruendi pueros in misterijs Fidei, & alia similia munera Parochialia exercendi. Hic elapsis sex mensibus à consecutione dicti beneficij omnia prædicta munera adamussim exercuit, sed omisit recitationem Diuini Officij nullo legitimo impedimento excusante. Difficultas modo insurgit, an ad ratam temporis, quo officium omisit, teneatur solum fructus correspondentes dicto officio restituere, an verò omnes fructus correspondentes beneficio, quantumuis alia munera exer- 14

Si beneficium habeat annexa alia onera, & ista adimpleuerit non recitato officio secūdum aliquos amittit omnes fructus.

exercuerit. *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 14. qu. 5.*, quamuis afferat ante Concilium Lateranense, & Constitutionem Pij V., potuisse tuta conscientia retinere fructus correspondentes alijs muneribus exercitis restitutis dumtaxat ijs, quæ correspondent Diuino Officio prætermisso, afferit tamen post dictum Concilium, & Constitutionem teneri restituere omnes fructus tam correspondentes officio omisso, quam muneribus exercitis pro rata temporis, quo officium fuit omissum, ad quod afferendum his rationibus mouetur primo, quia iure Canonico statutum est, vt omittens Officium Diuinum debeat ad ratam restituere fructus beneficij sine vlla restrictione, ergo omnes debet restituere; quod enim lex indefinitè præcipit, nec distinguit, nec nos distinguere debemus. Secundò, quia huiusmodi restitutio est potius conditio apposita implicitè in collatione beneficij, quam pæna, vt scilicet conferatur beneficium, & fructus eius, vt officium recitetur, ergo, si hoc non recitetur, non adimpleta conditione tenetur omnes fructus beneficij restituere, cum illos non faciat suos. Tertiò, quia hoc expressè habetur in dicta Constitutione Pij V., vbi dicitur, quod quicunque habet beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses a consecutione illius Diuinum Officium prætermiserit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissi officij restituat.

Rationes pro hac sententia.

15 His tamen non obstantibus probabiliùs existimo, non teneri, nisi fructus correspondentes officio prætermisso restituere. Ratio ex eo deducitur, quia de onere restituendi omnes fructus, nec constat ex verbis Concilij, nec ex mente eiusdem, & ex alio capite ratio suadet, quod fructus correspōdentes alijs muneribus adimpletis faciat suos, ergo fructus dumtaxat correspondentes officio prætermisso sunt restituendi. Antecedens quoad primam partem de tenore verborum Concilij ex eo euincitur, quod licet indefinitè dicatur *beneficiorum suorum fructus suos non faciat*, hæc tamen verba limitantur per subsequentia *pro rata omissionis recitationis officij, & temporis*, quæ verba non solum referuntur ad limitandum tempus omissionis, sed etiam ad limitandos fructus correspondentes omissioni, cum vtrumque distinctè exprimatur, nempè ratam omissionis officij, & ratam omissionis temporis; vnde rata omissionis recitationis officij, vtpote relata ad fructus limitat eosdem, prout eidem correspondent; rata verò temporis limitat ad fructus correspondentes tempori, pro quo est omisso.

Probabilius nō tenetur, nisi fructus correspondentes officio restituere.

Confirmatur, quia Pius V. in enuntiata sua Constitutione limitat omissionem fructuum ad ratam omissionis officij, adeovt, si omittat beneficiarius solum matutinum, & non reliquas horas, amittat dumtaxat medietatem fructuum, si recitato matutino reliquas omnes horas omittat etiam medietatem, si vnam dumtaxat horam omittat, amittat sextam fructuum partem, ergo etiam limitare censendus est eandem amissionem comparatiuè ad fructus correspondentes eidem officio, non alijs muneribus adnexis beneficio. Consequentia probatur, quia ideo in casu antecedentis limitat ad ratam omissionis officij, quia vult, vt fructus correspondeant proportionalitèr oneri, & commoda, & incommoda sibi correspondeant, ergo etiam in casu consequentiæ præsumendus est, quod velit, quod commoda, & incommoda, & onera iuribus sibi correspondeant, adeoque, quod retentis commodis, seu fructibus, quæ seu, qui correspondent alijs muneribus, quæ exercuit, teneatur dumtaxat illos restituere, quæ correspondent omissioni Diuini Officij.

Rationes pro hac nostra sententia.

Confirmatur vlteriùs ex ijs, quæ habet Pius V. in eadem sua Constitutione, vbi, cum dixerit, quod circa inteligentiam Concilij Lateranensis multorum animi suspensione tenerentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio esset habenda, ipse se extendit in distributione fructuum, qui correspondent oneribus Diuini Officij, nulla habita ratione eorum, qui correspondent alijs muneribus; vndè dicit, quod, qui matutinum omittit, teneatur dimidium fructuum restituere, qui vnam ex alijs horis omittit, teneatur sextam partem fructuum reddere. Neque obstat, si dicatur, quod ibi Pontifex dicat, quod, qui omnes Horas Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus teneatur restituere, qui illi, vel illis diebus correspondent, vbi nota illam particulam *omnes*, quæ omnes comprehendit nullo excluso. Non obstat, inquam, quia illa particula *omnes* refertur ad partiales, qui correspondent horis singulatim, adeo vt sensus sit, vt si omittat partem officij, teneatur partem fructuum restituere, si verò totum officium omittat, teneatur omnes fructus correspondentes officio restituere, non omnes correspondentes alijs muneribus, si illa beneficiarius exercuerit.

Pius V. solum loquitur de fructibus correspondentibus officio.

Probatur iam idē antecedens quoad secundam partem de mente eiusdem Concilij Lateranensis, & Pij V., quia non est præsumendum, quod Concilium, & Pon-

Non est præsumendum quod Pontifex voluerit priuare labores mercede

Pontifex voluerint priuare beneficiarium mercede suorum laborum sine expressa mentione eiusdem mercedis, & solummodò per clausulas generales, quæ ad alium statum referri possunt, nempè ad priuationem fructuum correspondentium solummodò officio Diuino, quod omittitur; hæc etenim regula generalis est, quod pænalia intelligenda sint in mitiorem partem, & minùs grauosam, quando verba expressa aliud non importent, ergo cum verba illa possit referri solum ad fructus correspondentes officio, quod omittitur, ad illud solummodò ex mente legislatoris sunt referenda.

Probatur iam idem antecedens quoad tertiam partem, quia omnia iura clamant, quod merces correspondens debeatur labori, cum omnis labor optet præmium, ergo, cum beneficiarius impenderit laborem in administratione Sacramentorum, in instructione populi, in prædicatione verbi Dei, & similibus proprijs habentium curam animarum, debet fructus eisdem muneribus correspondentes acquirere, & multo magis, si percepit, detinere cum faciliùs concedatur detentio, quam acquisitio. Neque arbitrandum est, quod in pænam omissionis Diuini officij priuetur etiam fructibus correspondentibus alijs muneribus exercitis. Non inquam, arbitrandum est, nam, sicuti iura allegata non priuant omittentem partem officij in pænam fructibus correspondentibus alteri parti eiusdem officij recitatæ, ita non priuant omittentem totum officium fructibus correspondentibus alijs muneribus exercitis, licet priuent illis, qui correspondent diuino officio.

Hinc nonnulli cognoscentes vim horum argumentorum, quamuis sustineant ex vi præcitatorum iurium Concilij Lateranensis, & Constitutionis Pij V. beneficiarium priuari omnibus fructibus etiam correspondentibus muneribus exercitis, afferunt tamen non esse in eo rigore recepta huiusmodi iura, vndè *Henriquez cap. 13. de excommunicatione*, refert ex praxi cum sapientum Consilio receptam rigorem huiusmodi iurium ad hunc sensum reduxisse, vt Parochus quintam partem restituat pro rata, reliquas quatuor partes ratione tituli, & aliorum onerum sibi retineat, Canonicus quartam partem restituat, reliquas tres sibi adscribat. Sed ego hanc restitutionem, & respectiuè retentionem metiendam esse arbitror iuxtà onerum proportionem.

Praxis modificauit rigorem iurium.

Tertium dubium est, an, si quis plura habeat beneficia, & omittat officium Diuinum teneatur fructus omnium beneficiorum ad ratam omissionis restituere, adeo vt, si habeat beneficium vnum reddens centum in anno, & aliud quinquaginta, si omittat pro vno die officium, teneatur, verbi gratia pro primo beneficio restituere viginti, & pro secundo decem. In hoc plura sunt consideranda, primò, an vnum ex illis beneficijs sit recentèr receptum, & omissio Diuini officij sit intrà sex menses à die consecutionis illius, & aliud sit receptum iam ante sex menses, & omissio illius officij sit post eosdem. Secundò, an illa beneficia sint æqualia in muneribus, quantumuis vnum plus fructuum afferat, quam aliud, an verò inæqualia, adeovt vnum habeat annexa munera celebrandi Missam, ministrandi Sacramenta, prædicandi verbum Dei, populos instruendi vltrà munus recitandi Horas Canonicas, aliud vtpotè simplex non habeat, nisi onus celebrandi Missam, & recitandi Diuinum Officium. Quibus præhabitis.

Plura dubia circa habētes plura beneficia

16 Respondeo primò, si omissio officij Diuini respectu vnius beneficij fuerit post sex menses à die consecutionis illius, & respectu alterius fuerit intra sex menses tenetur ad restitutionem fructuum respectu illius, non respectu istius. Congruit cum dictis in præcedentibus ex Concil. Lateranensi, & Constitutione Pij V., vbi obligatio restitutionis non consurgit, nisi ex omissione post sex menses, cum autem respectu vnius omissio sit post sex menses, & respectu alterius intra illos, respectu istius non erit obligatio restitutionis, benè tamen respectu illius. Neque officit, quod illa duo beneficia coniungantur in vno, & eodem subiecto, quasi, quod obligatio orta respectu vnius trahat etiam obligationem respectu alterius, maximè, quod in hoc casu non potest considerari illa ratio ponderata supra ab Azorio, quod scilicet illud tempus semestre concedatur beneficiario, vt benè, & conuenientèr edīscat, nec possit excusari à contumacia, (quæ est ratio à nobis ponderata,) nam contumax in vno præsumitur etiam contumax in altero in eodem genere. Non officit, inquam, quia illa adunatio duorum beneficiorum in eodem subiecto non confundit illa, ita vt onus vnius reguletur ad normam oneris alterius, cum vnum quandoque retineat suas qualitates proprias, & licet per vnum eiusdem officium recitatum pro eadem die satisfiat oneri vtriusque, non tamen colligitur, quod vtrumque habeat suum onus distinctum regulabile ad normam collationis, & temporis eiusdem, nec officiunt illæ duæ rationes ponderatæ ab Azorio, & à nobis concessionis scilicet ad effectum edīscendi, & contumaciæ,

Habens duo beneficia vnum acquisitum intra sex menses aliud ante tenetur fructus istius nō illius restituere.

Rationes pro hoc dicto, & confutatio obiectorum.

quia vbi verba dispositionis sunt clara, non admittunt interpretationem, nec voluntatis coniecturam per textum *in l. licet Imperator, ff. de leg. 1.*, *Socinus conf. 13. num. 39. lib. 1.*, *Rolandus à Valle conf. 79. n. 55. lib. 3.*, in hoc autem verba deobligantia à restitutione intra sex menses, & obligantia post illos, sunt clara, ac proindè &c. Deindè, vt suprà innuebamus, ratio motiua illius exemptionis ab onere restitutionis intra illos sex menses, non est præcisè ad finem ediscendi, nam hac ratione iura debuissent etiam eximere intra illud tempus ab onere peccati, quod non præstiterunt, sed ad finem non infligendi hanc pænam, nisi posita contumacia, quæ consideratur post illos sex primos menses. Quod verò subditur de contumacia dicendum est, hanc in ordine ad pænalia sumendam esse, prout verba sonant, nec faciendam esse extensionem ab vno ad alterum beneficium, quando in vtroque non sunt eædem qualitates, vt in casu nostro.

17 *Habens beneficia æqualia in oneribus, & inæqualia in redditibus tenetur restituere fructus vniformitèr difformitèr.*

Respondeo secundò, si beneficia fuerint æqualia in oneribus, inæqualia tamen in redditibus, pro omissione officij restitutionem faciendam esse pariformitèr difformitèr secundum hunc sensum, vt comparentur onera ad redditus, vt si verbi gratia redditus vnius beneficij sint centum, & alterius tantum quinquaginta, & onera respectu vtriusque exigant quatuor partes reddituum, & oneri officij correspondeat quinta dumtaxat pars, tunc restitutio ratione beneficij pinguioris reddentis centum ob omissionem officij debeat esse de viginti, qui constituunt quintam partem illorum centum, restitutio verò ratione beneficij minus pinguis debet esse tantum de decem, quæ constituunt quintam partem illorum quinquaginta. Hæc distributio cohæret cum dispositione, quam supra recensuimus cum consilio sapientum communitèr receptam, prout testantur *Henriquez c. 13. de excommunicatione*, *Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 32. num. 177. vers. quarto merito*, secundum quam Parochus omittens officium quintam dumtaxat partem restituit. Quod dicitur de duobus beneficijs Parochialibus dicendum est pariformitèr de duobus alijs beneficijs æqualibus in oneribus, & inæqualibus in redditibus, adeo vt, si in illis ratione officij prætermissi sit detrahenda quarta, vel tertia pars reddituum, pariformitèr difformitèr iuxtà sensum mox positum detrahatur.

Respondeo tertiò, si duo beneficia sint inæqualia tam in oneribus, quam in redditibus tunc in vnoquoque restitutio sit facienda comparando officium ad alia onera, adeo vt si in vno onera sint modica vltra officium maior pars fructuum correspondens eidem officio, vtpotè afferenti maius onus, sit restituenda, si verò in altero sint magna onera, & longè excedentia onus officij; minor pars fructuum sit restituenda. Vno verbo restitutio facienda est ad normam, & mensuram onerum, quæ sustinentur, vel omittuntur comparando officium ad eadem onera. 18 *Si beneficia fuerint inæqualia in oneribus, & redditibus restitutio facienda est ad normam onerum.*

Quartum dubium est, quomodo computanda sit rata omissionis officij, & temporis in ordine ad fructus restituendos? Pius V. in allegata sua Constitutione præmisso, quod multorum animi suspensione tenerentur cuiusmodi ratæ a Concilio Lateranensi præscriptæ ratio esset habenda, ad eandem suspensionem tollendam hæc expresse statuit. *Nos huius rei euidentiùs, atque expressiùs prouidere volentes statuimus, vt qui Horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè diuiderentur, qui verò matutinum tantum, dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.* Quamuis autem in hac dispositione Piana sit locutio de omnibus fructibus beneficij, seu beneficiorum, velim tamē intelligas iuxta superiùs dicta de omnibus, & partialibus fructibus iuxta ratam omissionis correspondentibus eidem officio, non alijs oneribus, prout iuxtà præsentem tenorem intelligunt præfatam Constitutionem Pianam *Henriquez lib. 13. cap. 13. num. 2.*, *Lopez secunda part. cap. 95.*, *Emanuel Sà verb. beneficium num. 58.*, *Lessius lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 32.*, *Arragonius secunda secundæ quæst. 83. art. 13.*, *Toletus lib. 2. cap. 12. num. 5.*, *Rodriquez prima part. cap. 164. num. 4.*, *Molfesius in summa tract. 5. cap. 5. num 8.*, *Ludouicus Beia cas. 55. part. 1.*, *Carolus Macignus cap. 28. num. 7.*, *Naldus verb. Diurnum num. 12.*, *Vasquez in opusc. de benef. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 7. num. 38.*, *Paulus Laiman lib. 4. Theologiæ moralis tract. 2. cap. 5. num. 1. ad finem, & num. 2.*, quos omnes allegat *Bonacina de ijs, quæ ad priu. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. qu. 5. punct. 3. num. 2.*, & eorum opinionem valdè probabilem existimat. 19 *Taxa restituendorū ob officium omissum tam quoad totum, quam quoad partes.*

Quintum dubium est, an solummodò restitutio facienda sit iuxtà taxam Pianam mox expositam, quando omissio facta est, vel totius officij, vel alicuius integræ horæ, an verò etiam ad ratam, quando omissio est tantum alicuius partis vnius horæ. Ex genere suo, qui omitteret 20 *Ob modicam omissionem regularitèr non est facienda restitutio.*

ret leuem officij partem, vel paucos versiculos, vel etiam vnum psalmum, non teneretur ad aliquam restitutionem *Toletus lib. 2. cap. 12. num. 6.*, *Petrus Nauarra lib. 2. c. 2. dub. 3. n. 202.*, *Macignus c. 56. num. 38.*, *Nauarrus de Oratione cap. 9. in fine, & cap. 10. num. 42.*, *Petrus Moneta de distribut. 2. part. quæst. 3. num. 42.*, *Molfesius tract. 5. cap. 5. num. 8.*, *Raginaldus lib. 30. num. 44.*, cum etenim illa pars non sit considerabilis non videntur iura pro illa velle pænas extendere; neque dicas, illam omissionem, & si non valdè considerabilem inducere noxam saltem venialem, adeoque inducere obligationem restitutionis saltem sub veniali; contra enim impugnaberis, quia non est mensurandum onus restitutionis ab onere peccati, potissimum, quando illud onus restitutionis est pænale, vt videre est in eo, qui omittit recitationem officij intra sex menses a die consecutionis beneficij, qui ex supradictis læthaliter peccat, quamuis non teneatur ad restitutionem; pænæ etenim mitiùs sunt interpretandæ, nec præsumendum est, Ecclesiam pro modica omissione velle pænas iniungere.

Hic tamen duplex oritur difficultas. Prima est, an, si quis addictus Choro accedit post primum psalmum, & postea aliquam leuem partem, vel confabulando omittit, vel dormiendo &c., teneatur ad restitutionem. Secunda, an teneatur ad restitutionem, qui eadem die in singulis horis paucos versiculos omisit, qui licet secundum se singillatim non constituant grauem materiam, simul tamen sumpti eandem constituunt. Ad primam *Moneta in dicta secunda parte de distributionibus d. quæst. 3. num. 42.*, loquens de obligatione restitutionis distributionum sic omittentem eximit ab onere talis restitutionis, adducta etiam ratione, quia omissio illius primæ partis impunè permittitur, alia verò subsequens pars, quam confabulando, vel dormiendo prætermisit est modica, & per consequens non obligat ad restitutionem. In hoc non

21 *Addictus Choro si aliquod omitteret eo quia serò veniret, & aliquod confabulando non satisfaceret.*

immoror, cum hic agamus dumtaxat de ijs, quæ pertinent ad priuatam Diuini Officij recitationem, ea autem, de quibus agit Moneta pertinent ad solemnem, & publicam recitationem in Choro, de quibus propterea erat sermo infrà. Hoc solum hic moneo, quod licet illa pars, quam confabulando, vel dormiendo prætermisit, sit secundum se modica, prout tamen coniungitur cum prima omissione, possit constituere materiam talem, vt dici non possit satisfactum illi horæ, maximè, si hæc sit ex breuioribus. Ad secundam *Moneta de distributionibus part. 2. quæst. 3. num. 21.*, *Filliutius cap. 10. quæst. 7.*, & *alij*, sentiunt non teneri ad restitutionem, ea ducti ratione, quod Pius V. in allegata sua Constitutione definit obligationem restituendi pro singularum omissione non pro qualibet parte horarum, quod autem lex non definit, nec nos definire debemus. Contrarium tamen alij probabiliùs statuunt, nempè teneri, & in specie *Reginaldus lib. 30. nu. 44. vers. quartum est in fin.*, *Bonacina de ijs, quæ ad priu. Offic. Diuin. recit. pertinent disp. 1. quæst. 5. punct. 2. num. 15.* Ratio est, quia compu- 22

Omittens plures versiculos in singulis horis qui simul sumpti constituerent grauem materiã non satisfacit.

tatis omnibus omissionibus constituitur grauis, & notabilis materia, vt suppono, & talis, vt inducat culpam læthalem; ergo inducit obligationem restitutionis, ea proportionali ratione, qua quis committens plurima modica furta, quæ, quamuis singillatim accepta non constituant grauem culpam, nec obligent ad restitutionem, sumpta tamen simul constituunt materiam aptam ad læthale inducendum, & onus restitutionis, tenetur ad eandem restitutionem, vt definiuit Innocentius XI. semper gloriosæ, & recolendæ memoriæ in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquisitionis habita feria V. die 2. Martij 1679., in qua damnauit propositionem illam, quæ est in numero trigesima octaua, qua dicebatur: *Non tenetur quis sub pæna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

Solutio argumẽti deducti ex Bulla Pij V.

Nec quidquam euincit ratio ponderata a Moneta, & Filliutio, quod scilicet lex definiuerit obligationem restituendi pro singularum horarum omissione, non pro qualibet parte horarum. Non, inquam, quidquam euincit, quia Pontifex voluit quidem assignare quantitatem fructuum restituendorum ratione omissionis singularum horarum, non autem præsumendus est voluisse eximere à tali onere, si in singulis horis omittatur modica pars, quæ simul cum alijs modicis omissionibus in eisdem constituat tantam quantitatem, quæ nedum adæquat, sed longè excedat quantitatem vnius integræ horæ, vndè in hac hypothesi obligatio restitutionis metienda erit ad normam quantitatis horarum prætermissarum.

Sextum dubium est, an, si quis in anno omittat quandoque Officium Diuinum, puta sex, vel octo diebus teneatur pro illa omissione fructus eidem correspondentes restituere, an verò eximatur ratione modicitatis comparatiuè ad annum ab onere talis restitutionis. *Sotus lib. 10. de iustitia quæst. 5. art. 6. in concl. 4.*, videtur sentire non teneri, quem arbitror, ea

ratione

ratione motum, quia illa omissio comparatiuè ad annum integrum habetur pro modica. Sed absolutè obaudiendus est Sotus, & in hac parte excusandus, quia scripsit ante Concilium Lateranense, & Constitutionem Pij V. Cæterum, cum Pius V. expressè statuerit, vt qui horas omnes Canonicas, vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, vel beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, amittat, non relinquit ampliùs locum dubitandi, quin sic omittens teneatur ad restitutionem.

23 *Qui in anno omitteret quatuor, vel quinque diebus Horas Canonicas teneretur ad restitutioné.*

Septimum dubium est, an teneatur solum beneficiarius fructus restituere, quando culpabilitèr, & mala fide omittit Horarum Canonicarum recitationem, an verò etiam, quando inculpabilitèr, vel ex obliuione, vel bona fide putans se nullo iure teneri. Solutio huius dubij in parte dependet ab illa quæstione, an illud onus restitutionis ob omissionem officij sit impositum in pænam, an verò per modum conditionis, nam si sit appositum per modum conditionis ad effectum percipiendi fructus, vbi illa ex quacunque causa non est adimpleta, non videtur ius consurgere ad eosdem fructus, & ad hoc confirmandum plura adducuntur exempla, & primo de Canonico, qui, quantumuis bona fide, & absque culpa absit à Choro pro tempore Horarum Canonicarum, distributiones tamen nō facit suas. Secundò de vxore, cui, si à marito factum fuerit legatum, si castè vixerit, non debetur legatum, si castè non vixerit. Tertiò de beneficiario, cui, si ex lege debeantur certi redditus sub conditione, si in tali Ecclesia præsens sit, illi non debentur, si fuerit absens etiam ex causa, & bona fide. Ratio fundamentalis huius asserti ea videtur esse, quia sensus iurium priuantium fructibus beneficij ex omissione officij non est hic *puniam te, si non recitaueris,* sed iste *Tibi do beneficij fructus, si recitaueris, non tibi do, si non recitaueris,* ergo non posita recitatione ex quacunque causa non debentur illi fructus.

24 *Sententia asserens omittétem Horas Canonicas sine culpa adhuc teneri ad restitutioné.*

His tamen non obstantibus sentiendum est, quod, siue illud onus restituendi fructus correspondentes omissioni sit appositum, vel per modum pænæ, vel per modum conditionis, non habeat locum, si omissio fuerit sine culpa, vel per obliuionem, vel per probabilem præsumptionem, quod non teneretur. Et quidem, si fuerit per modum pænæ consentiunt *Reginaldus in summa tract. 5. c. 5. num. 14.*, *Naldus verb. Diuinum Officium num. 15.*, *Garzias tom. 1. de benef. part. 3. cap. 1. num. 26.*, *Paulus Squillas prima part. dub. 32. num. 67.*, si verò fuerit per modum conditionis *Azorius prima part. lib. 10. cap. 14. quæst. 7. in fine*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod pæna non debetur, nisi ex culpa, vbi autem omissio est ex obliuione, & cum bona fide, & prudenti credulitate non existentis obligationis, culpa non est in tali omissione, ergo nec potest esse pæna. Ratio secundæ partis ex eo desumitur, quod illa conditio non est absolutè, & simplicitèr apposita, sed cum limitatione, aliaque conditione, si cessante legitimo impedimento non dixerit officium, vt colligitur ex dicta Constitutione Pij V. Ibi- *cessante legitimo impedimento officium non dixerit*; obliuio autem, & prudens credulitas de non existentia obligationis æquiualent legitimo impedimento.

25 *Probabilius eximitur à tali onere.*

Nec rationes, & exempla supra pro contraria sententia adductæ, seu adducta aliquid euincunt, quandoquidem conditiones in his omnibus appositæ sunt simplices, & absolutæ, nec cadentes sub alia conditione, nec limitatæ.

Octauum dubium est, an, quando omissio fuit culpabilis, & post sex menses, restitutio fructuum facienda sit etiam ante Iudicis sententiam, an verò solummodò post eandem. Maior ratio dubitandi est in sententia asserente tale onus restitutionis esse iniunctum, tanquam pænam culpabilis omissionis, cum pænæ regularitèr irrogentur, & executioni non mandentur, nisi supposita sententia, nisi in iure imponente pænam expressè dicatur etiam nulla expectata sententia; in dispositione autem talis oneris pænalis de restitutione facienda ob omissionem Diuini Officij non exprimitur, quod sit exequendum etiam ante sententiam.

Cur restitutio facienda sit ante sententiam.

Nihilominus siue sumatur per modum pænæ, siue per modum conditionis, talis restitutio supposita culpabili omissione facienda est etiam ante sententiam *Nauarrus cap. 25. num. 22.*, *Arragonius secunda secundæ qu. 83. art. 13.*, *Filliutius cap. 10. num. 311.*, *Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 5. punct. 2. num. 7.*, & quidem, si sumatur per modum conditionis ex eo euincitur, quod concessum sub conditione, conditione non seruata absolute non acquiritur, ergo nec potest detineri, sed est restituendum; si verò sumatur per modum pænæ, hæc intelligenda est secundum mentem legislatoris incurri; mens autem legislatoris expressè constat, respicere immediatè restitutionem, dum vult, quod non acquirat, dicit enim, quod *fructus non faciat suos*, & quod eos iniustè percipiat, quod autem suum non est, vel est iniustè perceptum, est ipso iure restituendum; vndè aduer-

26 *Probabilius facienda est ante sententiam.*

aduerte, quod pœnæ aliæ sunt de non acquirendo, aliæ de acquisito restituendo; primæ non exigunt Iudicis sententiam, cum supposito delicto cesset immediatè ius; secundæ quandoque exigunt talem sententiam, quandoque non, secundum quod legislator disponit. Ex eo autem, quod Concilium Lateranense, & Pius V. dicant, quod omittens officium non faciat fructus suos, videntur per talem legem impedire acquisitionem, seu esse de non quærendo, adeoque nec exigere sententiam.

Rationes pro hoc dicto.

Hoc nostrum assertum manifestè euincitur ex declaratione Alexandri VII., qui die 24. Septembris 1665. damnauit propositionem illam. Restitutio à Pio V. imposita beneficiarijs non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit pœna.

27 Nonum dubium est, an, si post sex menses à suscepto beneficio beneficiarius omiserit recitationem Diuini Officij in aliquam aliam pœnam incidat? Concilium prædictum Lateranense statuit, vt si post dictos sex menses in simili negligentia contumacitèr permanserit legitima monitione præcedente beneficio ipso priuetur; ad hoc autem, vt beneficio priuari possit ob talem contumacem omissionem, declarat idem Concilium requiri, vt beneficiarius elapsis illis sex mensibus per quindecim dies illud saltem bis non dixerit. Circa hanc pœnam plura veniunt consideranda;

Beneficiarius contumacitèr omittẽs post sex menses priuandus est beneficio

28 primò, quod debeat præcedere legitima monitio; vtrum autem, vt dicatur legitima monitio, debeat esse trina affirmandum videtur secundum *Tuschum litt. M. conclus. 355., & 356., & Sabellium verbo monitorium num. 2.*, cum hic agatur de pœna priuationis argumento textus *in cap. contingit 45. de sententia excommun.*

Debet præcedere triplex monitio.

29 Secundò ad hanc pœnam incurrendam post legitimam monitionem requiri etiam Iudicis sententiam, cum non dicatur sit priuatus, sed priuetur, quod requirit hominis ministerium. Tertiò, quod beneficiarius, qui elapsis sex mensibus intra quindecim dies bis officium recitauerit non sit mulctandus tali pœna priuationis.

Et requiritur sentẽtia

Deueniendo tandem ad vltimum punctum, cui scilicet facienda sit illa restitutio,

30 Concilium Lateranense, & Pius V. statuunt, quod debeat fieri, vel fabricæ beneficiorum, vel pauperibus. Hic aduertendum est primo, esse in optione beneficiarij, vel erogare pauperibus, vel fabricæ. Nomine autem fabricæ non venit præcisè fabrica Ecclesiæ, in qua fundatum est beneficium, sed etiam fabrica domus beneficij, in qua habitat beneficiarius, aut etiam melioratio, seu emptio agrorum in vtilitatem eiusdem beneficij, quod colligitur ex eo, quod in præcitatis iuribus non dicitur fabricæ Ecclesiæ beneficij, seu beneficiorum, sed fabricæ beneficij, vt notant *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 30. num. 19., Molfesius cap. 5. num. 24.* 31

Restitutio facienda est vel fabricæ, vel pauperibus.

Quid veniat nomine fabricæ.

Nomine autem pauperum non veniant solummodò illi, qui habitant in loco beneficij, sed omnes etiam degentes extra locum beneficij, cum Concilium, & Pontifex loquantur de pauperibus indefinitè, non restrictè ad degentes in loco beneficij. 32 Sed, an nomine pauperum quoad hunc effectum possit venire ipse beneficiarius, si sit pauper. Videtur negatiuè respondendum ex duplici ratione; primò, quia non dicitur quis restituere id, quod sibi retinet. Secundò, quia hoc posset cedere, & crebrò cederet in fraudem mentis Concilij, & Pontificis; posset enim, qui pauper est, & tenue habet beneficium omittere recitationem Diuini Officij sub prætextu, quod titulo paupertatis propriæ posset sibi fructus beneficij retinere.

Quinam veniant nomine pauperũ

Nihilominus regularitèr loquendo, si dolus, & fraus absit, probabile valdè est, posse beneficiarium, si vere sit pauper, sibi retinere. *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 30. num. 21., Emanuel Sà verb. beneficium num. 51., Toletus lib. 2. cap. 12. num. 5., Laiman lib. 4. tract. 2. cap. 5. num. 1.* Dixi *regularitèr loquendo*, nam, si ex consuetudine, vel ex aliquo statuto particulari receptum fuerit, vt restitutio sit facienda in aliquod certum, & determinatum opus, aut distribuenda sit in alios Canonicos, certum est, quod talis consuetudo, & statutum esset seruanda, vel seruandum, nec ipse beneficiarius posset illos fructus retinere; nam Concilium, & Pontifex præscribendo restitutionem faciendam esse fabricæ beneficij, vel pauperibus non præsumuntur voluisse derogare consuetudini legitimè præscriptæ, aut locorum statutis sine expressa ipsorum derogatione; hanc limitationem statuunt *Arragonius secunda secundæ quæst. 83. art. 13. vers. solet à quibusdam, Toletus lib. 2. cap. 12., Rodriquez prima part. cap. 146. num. 3.* Dixi, *si dolus, & fraus absit*, nam, si ideò omitteret recitationem Diuini Officij, quia cogitaret sibi titulo paupertatis posse retinere fructus beneficij, certè non esset eximendus ab onere restitutionis, cum fraus, & dolus nequeant ipsi suffragari, nec præsumendum sit, Concilium, & Pontificem velle in hac fraude eidem fauere.

Probatur iam nostrum dictum, quia dispo-

dispositio Concilij, & Pontificis est de erogatione illorum fructuum in pauperes sine vlla restrictione, nec cum exclusione eiusdem beneficiarij, si sit pauper verè, ergo non est, cur non possit sibi, vt pauperi erogare. Neque obesse potest primò, quod ex proprio delicto eosdem amiserit; secundò, quod sibi retinendo non dicatur restituere, prout intendunt Concilium, & Pius V. Non, inquam, obesse potest; non primum, quia licet delictum non recitationis voluntariæ ipsum priuet eisdem fructibus, paupertas tamen ipsum reddit habilem ad eosdem recipiendos titulo eleemosinæ, non enim peccatum reddit pauperem incapacem eiusdem, nec releuat, quod ex propria culpa illos amiserit, quos propterea non videtur congruè posse recipere. Non releuat, inquam, quia non est repugnantia, quod ex vno titulo culpæ amittat, & ex alio eleemosinæ recipiat. Non secundum, quia, dum Concilium, & Pontifex dicunt Beneficiarium debere restituere, intelligunt pro ly *restituere*, non facere fructus suos; seu non retinere; non retinere autem non supponit, quod prius debeat in alium transferre, sicuti importat restituere propriè, & in rigore sumptum; vndè potest non facere suos, nec habere ius ad non detinendum ob culpam commissam in non recitando, & deindè acquirere titulo eleemosinæ ob paupertatem, qua premitur, potissimum cum possit dici recipere ex præsumpta voluntate Pontificis.

Soluuntur rationes opposita

ARTICVLVS XXXIV.

An Beneficiarius conscius negligentiæ culpabilis pensionarij in recitando Officium Deiparæ Virginis, possit fructus ad ratam sibi detinere.

SVMMARIVM.

Pensionarius, qui recepit pensionem, vt Clericus ex Constitutione Pij V. tenetur Officium Deiparæ recitare. 1.

Rationes suadentes, beneficiarium posse sibi retinere illos fructus. 2.

Rationes suadentes erogandos esse fabricæ, vel pauperibus. 3.

Probabilius sunt erogandi fabricæ, vel pauperibus. 4.

Pensionarij ob talem omissionem componunt cum Pontifice. 5.

Certùm est iuxtà prædicta pensionarium, qui pensionem recipit, vt Clericus, ex Constitutione Pij V. supra relata teneri Officium Deiparæ recitare. Certum item est ex alia eiusdem Pij V. Constitutione incipiente. *Ex proximo Lateranensi Concilio* edita die 12. Kalend. Octobris 1571., quod, si Pensionarius, vt Clericus idem Officium Deiparæ non recitet, teneatur ad restitutionem fructuum eidem omissioni correspondentium, quibus certitudinibus suppositis inquirimus, an beneficiarius, qui pensiones deberet soluere, possit ob omissionem præstitam à pensionario pensiones, quæ eidem cæteroqui deberentur, retinere.

1 *Pensionarius tenetur Officium Deipara recitare.*

2 Ratio dubitandi ex eo consistit, quod pensiones sunt fructus beneficij, qui cæteroqui deberentur beneficiario, nisi ab eodem beneficio esset quodamodo segregatæ à Pontifice, & applicatæ pensionario; eo autem ipso, quo in pensionarium non possunt deuenire, videntur debere redire ad suum principium; ad quod confirmandum plurimum facere videtur id, quod à pluribus circumfertur, quod scilicet, si pensionarius fuerit excommunicatus, eidem pensiones non sint soluendæ, sed beneficiarius possit eas sibi retinere, & hoc non ob aliam rationem, nisi, quia, vbi non sunt soluendæ pensionario, debeant remanere apud eum, à quo procedunt, cum ab eo solummodò segregentur ob fauorem pensionarij.

Rationes suadentes beneficiarium posse illos fructus sibi detinere.

3 Ex alia parte, cum Pius V. in eadem sua Constitutione incipiente *ex proximo Lateranensi Concilio* statuerit, vt *quicunque pensionem, fructus, seu alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit eum modo prædicto ad dicendum Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum fructuum rerumque ipsarum amissioni obnoxium*, videtur sequi, quod, sicuti ipse beneficiarius tenetur fructus erogare in fabricam beneficij, vel in eleemosinas pauperum, ità & ipse pensionarius; nota etenim illas particulas *eodem modo*, quæ, cum referantur tam ad obligationem recitandi, quam ad onus restituendi, important identitatem omnimodam tam obligationis, quam restitutionis scilicet in eandem causam, & personas. Quid iam in hoc concludendum?

Rationes suadentes erogandos esse fabricæ, vel pauperibus.

4 Assertio. Probabilius, est beneficiarium non posse easdem pensiones, & fructus in hac hypothesi sibi retinere, sed teneri, vel erogare in fabricam beneficij, vel in vtilitatem pauperum. In hanc consentiunt *Garzias de benef. tertia part. cap. 1. num. 37., Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 30. num. 22., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pertin. disp. 1. quæst. 5. punct. 4. num. 5.*

Erogandi sunt fabricæ, vel pauperibus.

Ratio ex eo deducitur primò, quia in ipsa impositione pensionis eadem pensio intelligitur segregata à beneficio quoad

vtili-

vtilitatem beneficiarij, quæ segregatio perseuerat, quousque pensionarius vixerit, vel super ea fuerit compositum, ergo ex eo, quod pensionarius fructus eiusdem pensionis amittat ob non recitationem Deiparæ Virginis Officij, non propterea cedunt beneficiario, sed transire debent in causam, cui ob omissionem eiusdem officij facta fuit applicatio, cum autem per Pium V. facta fuerit in casu omissionis huiusmodi officij applicatio fabricæ beneficij, vel vsibus pauperum, eidem fabricæ, vel pauperibus huiusmodi fructus erunt erogandi, non iam beneficiario.

Secundò ratio ex eo deducitur, quod,
5 si huiusmodi fructus amissi ob non recitationem Officij Deiparæ à pensionario cederent ex genere suo beneficiario, Pontifex non componeret super eadem omissione cum pensionario, cum non sit præsumendum, quod Pontifex per talem compositionem velit iuri alterius præiudicare; ex praxi autem habetur, quod crebrò pensionarij cum Pontifice componant ob omissam officij recitationem, vt notat *Bonacina loc. cit. nu. 6.*, ergo huiusmodi fructus non cedunt beneficiario.

Pensionarij ob talem omissionem cōponunt cū Pontifice.

Ad rationes, quæ in contrarium afferebantur in prima parte rationis dubitandi, iam respondendum est. Ad primam dico, quod, quamuis ante segregationem factam in ipsa impositione pensionis fructus illi sint debiti beneficiario, post segregationem tamen pleno iure debentur pensionario, quibus, si postea sua culpa priuetur, ad beneficiarium non redeunt, cum durante vita pensionarij ipse beneficiarius nullum ius ad illos habeat, nec culpa pensionarij aliquod ius beneficiario conferat. Quamobrem in hoc pensionarius beneficiario quasi comparatur, sicuti vsufructuarius proprietario, & sicuti ex culpa vsufructuarij nullum ius ad fructus, quod amittit, conferretur proprietario, ità ex culpa pensionarij, ex qua amittit fructus pensionis, nullum ius quoad illos additur beneficiario.

Ad secundam dici potest non currere paritatem de pensionario priuato fructibus pensionis ob excommunicationem, ac de eodem priuato eiusdem fructibus ob non recitationem Officij Deiparæ Virginis; nam in primo casu excommunicatus computatur, vt mortuus; in secundo non item; atque hac responsione vtuntur *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 30. num. 22.*, *Gigas de pensionibus quæst. 36. num. 5.* Dici etiam potest, quod antecedens potest verum habere, quia per excommunicationem priuatur quidem pensionarius pensione, cuius tamen non fit alteri assignatio; per omissionem verò Officij Deiparæ non solum priuatur fructibus pensionis, sed etiam fit applicatio eorundem fabricæ beneficij, vel pauperibus.

Soluuntur rationes oppositæ

ARTICVLVS XXXV.

An Religiosi professi Clerici teneantur Horas Canonicas recitare.

SVMMARIVM.

Auctoritatibus euincitur Religiosos professos Clericos teneri. 1.
Sententia asserens hoc onus respectu Religiosorum professorum procedere ex iure naturali Diuino. 2.
Sententia asserens procedere ex consuetudine vbique recepta. 3.
Procedit radicalitèr ex iure naturali, determinatiuè à consuetudine. 4.
Ad suscipiendos ordines sacros Ecclesia æquiparat beneficium, patrimonium, & titulum Religionis. 5.
Conuersi secundum aliquos tenentur sub læthali ad pluries recitandam Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. 6.
Secundum alios tenentur sub læthali ad sua ministeria exteriora. 7.
Nouitij non habent ius irreuocabilitèr ad sustentationem à Religionem. 8.
Clericus Professus in Religione habet omnes ferè conditiones beneficiarij. 9.
Si Clericus Professus à Religione effugiat tenetur adhuc ad Horas Canonicas. 10.
Reijcitur Bonacina cum suis rationibus. 11.
Eiectus à Religione secundum aliquos non tenetur ad Horas Canonicas. 12.
Congruentiùs tenetur. 13.
Clericus Professus condemnatus ad triremes excusatur non ratione condemnationis, sed ratione moralis impotentiæ. 14.
Professus ex concessione Pontificis degens extra Monasterium, tenetur ad Horas Canonicas. 15.
Professus suppressa Religione probabilius non tenetur ad Horas Canonicas. 16.
Prælati Regulares, quà præcisè tales non possunt dispensare. 17.
Possunt tamen declarare esse causam sufficientem, ex qua professus deobligatur. Ibidem.

Difficultatem aggredimur, quæ licet ex communi Doctorum cōsensu obligantium sub graui huiusmodi Religiosos professos ad recitationem Horarum Canonicarum explanata videatur, quia tamen nonnullorum minus piè, & minus rectè sententium opinione in dubium reuocatur, & fortè etiam communis sen-

tentia reprobatur, placet eandem sedulò examinare, firmis iuribus, & rationibus confirmare, & ab aduersis quibuscunque vindicare.

Et primò ab auctoritatibus incipiendo, quæ probationem extrinsecam inducunt eandem obligationem recitandi in Religiosis professis Clericis, firmant ex Canonistis *Innocentius in cap. 1. de celebratione Missarum*, *& ibi Hostiensis*, *Ioannes Andreas*, *Abbas*; *& fermè cæteri omnes*, *Turrecremata in cap. 1. distinct. 91. quæst. 15.* Ex Theologicis *D. Antoninus tertia part. tit. 13. cap. 4.*, *Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia quæst. 5. art. 3.*, vbi asserit non esse, qui contrarium asserere audeat *Vasquez in opusc. de benef. c. 4. §. 1. art. 1. dub. 1.*, *Reginaldus lib. 18. num. 140.*, *Filliutius tract. 23. cap. 4.*, *Azorius part. 1. lib. 10. cap. 5. quæst. 1.*, *Suarez tom. 2. de Religione tract. 4. lib. 4. cap. 16.*, *Toletus lib. 2. cap. 13. num. 1.*, *& seqq.*, *Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 49.*, vbi testatur esse communem Doctorum opinionem *Nauarrus de Oratione cap. 7. num. 21.*, *Paludanus in quarto distinct. 15. quæst. 1. art. 1.*, *Valentia secunda secundæ tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. vers. tertia conclusio*, *Malderus de virt. tract. 10. cap. 2. dub. 3. quæst. 8.*, *Medina in instruct. cap. 19.*, *Molfesius tract. 5. cap. 3. nu. 9.*, *Macignus de Horis Canonicis cap. 13.*, *Rodriquez tom. 2. qq. Reg. quæst. 100. art. 8.*, *Paulus Laiman lib. 6.*, *Theol. mor. tract. 1. cap 4. num. 2.* Ex summistis *Caietanus in summa verb. Horæ Canonicæ*, *Siluester verb. Hora quæst. 2. vers. sextum*, *Tabiena verb. Horæ Canonicæ num. 4.*, *Ghetius verb. Hora Canonicæ cap. 2. vers. tertium genus eorum*, qui ferè omnes testantur de communi, cum ex alia parte pauci, vel ferè nulli sint Doctores, qui contrariam sustineant sententiam, qui tamen pauci non absolute tollunt talem obligationem, sed dumtaxat limitant, quatenus non sit sub læthali, vt *Caietanus*, *& Medina*, vel quandoque excusant, vt *Arragonius secunda secunda quæst. 83. art. 11. dub. 2.*, *Angelus verb. hora num. 10.*, qui dicunt Religiosum bis, vel ter omittentem priuatim officium non peccare læthalitèr.

1 *Auctoritatibus euincitur teneri.*

Ex his vides, quanti facienda sit sententia deobligans Religiosos professos Clericos ab obligatione recitandi Diuinum Officium, dum vel nullos, vel paucos habet patronos, vbi sententia ad hoc obligans tot auctoritatibus munitur, tot Doctoribus comprobatur. Quamuis autem communitèr conueniant in confirmanda huiusmodi obligatione differunt tamen in assignando iure, ex quo talis consurgit obligatio. Alij etenim volunt obligari ex iure naturali Diuino, quatenus tenetur perfectionem assequi, & ideò recipiunt alimenta ex pijs eleemosynis, vt teneantur pro offerentibus preces effundere, inter quos *Paludanus in quarto distinct. 15. quæst. 5. art. 1.* Alij asserunt teneri dumtaxat ex consuetudine vbique recepta, vt ferè cæteri omnes supra allegati. *Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure quæst. 5. art. 3.*, sentit quidem, obligationem consurgere ex consuetudine non nuda, sed celeberrima, laudabili vno antiquorum PP. consensu approbata vim præcepti habente. Ego autem sentio probabilius procedere radicalitèr ex iure naturali, determinatiuè verò à tali consuetudine, quatenus consuetudo obligationem in genere ad orandum ratione manutentionis, quam habet professus à Religione, determinat ad orandum tali pacto, nempè per recitationem Horarum Canonicarum. Quod sic euincitur.

2 *Sententia asserens hoc onus procedere ex iure naturali Diuino.*

3 *Sententia asserens procedere ex consuetudine ferè vbique recepta.*

Et secundò communis opinio probatur, quia denegari non potest, quod manutentio Religiosi professi, & Choro addicti, quæ habetur ex pijs eleemosynis, conferatur, ex quo dedicati sunt perpetuo Dei seruitio; hoc autem Dei seruitium, licet etiam in alijs consistat, habetur tamen potissimum in Diuinis laudibus persoluendis, sicuti etiam beneficium potissimum, si sit cum cura animarum, licet ingerat plura alia munera, tamen habet annexum munus diuinas laudes celebrandi; ergo ex iure naturali tenetur Religiosus Clericus professus laudes aliquas Deo persoluere; cum igitur nec iure Diuino, nec iure positiuo scripto statuatur quænam laudes in particulari sint persoluendæ, ex consuetudine legitimè præscripta tales laudes fuerunt præscriptæ in recitatione Horarum Canonicarum, ergo radicalitèr tale onus prouenit a iure naturali, determinatiuè a iure consuetudinario. Res eodem modo componitur, quo debitum seruandi dies festos, quod radicalitèr est de iure Diuino, quatenus Deus præcipit festa seruari, modus autem seruandis tali, vel tali modo est de iure Ecclesiastico, quatenus Ecclesia præcipit abstinentiam ab omnibus seruilibus, & auditionem sacri; ita etiam debitum Diuinas laudes persoluendi est radicalitèr de iure naturæ ratione bonorum, quibus alitur professus, determinatiuè verò a iure positiuo non scripto.

4 *Procedit radicalitèr est iure naturali determinatiuè à consuetudine.*

Explicatur quomodo se res habeat.

Tertiò probatur, quia Ecclesia, quæ enixè exigit in initiandis sacris ordinibus, vel beneficium, vel patrimonium pro titulo, contenta remanet titulo Religionis, vndè omnes hos titulos æquiparat, qua-

tenus

5 *Ecclesia aequiparat in ordine ad ordines sacros recipiendos titulum Religionis, beneficij & patrimonij*

tenus norit per hos omnes ordinandum habere ius ad congruam sustentationem, ergo, sicuti titulo Religionis potest promoueri ad sacros Ordines, ad quos non potest promoueri sine congrua sustentatione, etiam titulo eiusdem poterit obligari ad onera, quæ consequuntur, vel consequi possunt ad beneficium, vel ad eandem ordinationem, & cum consuetudo viguerit in Religionibus, vt Clerici professi Horas Canonicas recitent, asserendum est ex tali consuetudine determinata ius naturæ obligare.

Dices primò, si hoc onus recitandi Horas Canonicas radicalitèr prouenîret à iure naturæ propter illam congruam sustentationem, & determinatiuè solum à iure consuetudinario, æquè afficeret omnes professos, qui gaudent tali sustentatione, quinimmò etiam Nouitios, cum eadem perfruantur; hoc autem nemo asserit, ergo nec radicalitèr hoc prouenit à iure naturæ. Quod, si dicas, conuersos non deputari ad Chorum, adeoque, nec ad recitandum Diuinum Officium; statim erit impugnatio, quod licet ex eo, quod non sint ad Chorum deputati, non obligentur ad Diuinum Officium, quia tamen, & ipsi gaudent congrua sustentatione, debent idcircò obligari ad aliquod æquiualens eidem officio, ad quod teneantur sub læthali, sicuti tenentur sub læthali Clerici professi ad recitandum Officium, quod tamen non videtur admittendum. Sed contra, quia, cum ius naturę determinetur per cõsuetudinem; per hanc ad diuinũ Officiũ fuit posita obligatio in ordine ad Clericos professos Choro destinatos, non quoad conuersos, cum isti ad exteriora, & manualia munera sint destinati; neque vrgent, quæ subduntur de aliquo alio onere ab ipsos conuersis subeundo loco officij, cum onus naturæ ratione congruæ sustentationis in ipsis vrgeat; non vrgent, inquam, quia, si

6 *Conuersi secundũ aliquos tenetur ad certa oratronũ genera.*

diceremus conuersos obligari sub læthali ad recitandas tot Dominicales Orationes, & Salutationes Angelicas, quot correspondeant Horis Canonicis, nil diceremus, quod à grauibus Doctoribus non sustineatur. Hoc docent *Paludanus in quarto distinct.* 15. *quæst.* 5., *Tabiena verb. Hora*, §. 8., *Diuus Antoninus in quarta parte summæ tit.* 3. *cap.* 8., *& tit.* 13. *c.* 4., *Iacobus de Graffis lib.* 2. *decis. aur. cap.* 50. *num.* 7. Deindè, si diceremus eos non excusari à graui culpa, si in exterioribus ministerijs ex negligentia deficerent a proprio munere, ad quod sunt vocati a Deo, dum sine labore manducant, diceremus id, quod alij graues Doctores statuunt, & inter cæteros *Siluester verb. Hora Canonica*, §. 3., *Summa Corona eodem tit.*, *Marchinus tract.* 2. *de ordin. in particulari part.* 6. *de Subdiaconatu cap.* 12. *difficul.* 10. *n.* 3. Tandem conuersi comparantur Laicis deseruientibus Ecclesijs, & Ecclesiasticis ministerijs accepto ab eisdem Ecclesijs stipendio pro ipsorum sustentatione, qui, sicuti non tenentur, nisi ad corporalia ministeria, non ad Horas Canonicas; ità nec tenentur ipsi conuersi. 7 *Secundũ alios ad exteriora ministeria.*

Ad illud, quod subditur de Nouitijs, dicendum est, quod licet pro anno probationis gaudeant victu, & congrua sustentatione, quia tamen non gaudent cum iure habendi in perpetuum, nec sint irreuocabilitèr addicti statui Religioso, cùm possint pro libertate illum deserere, quoad hoc non subdantur tali oneri, & consuetudo est recepta quoad professos, non quoad Nouitios. 8 *Cur Nouitij non teneantur.*

Dices secundò, non constare de tali consuetudine præsertim obligante sub læthali, & si fuit, videtur plurimorum vsu abolita. Sed contra. Non video, quomodo reuocari possit in dubium hæc consuetudo, dum Doctores ferè omnes tum antiquiores, tum moderni eandem agnoscunt, & de eadem testantur, nec ex eo, quod nonnulli minus timoratæ conscientiæ super ea contendunt, eamque per vsum non seruent, vis eiusdem minuitur, tam per vniuersas ferè Religiones fuerit recepta, nec paucorum priuatorum contrarius vsus possit eidem derogare. In Congregatione nostra adest decretum in Concilijs Generalibus editum, quo sub grauibus pænis edicitur, ne quis audeat insinuare, vel contrarium sententiam edocere, quod manifestè indicat pro constanti haberi, & receptam esse illam consuetudinem.

Quartò probatur, quia Clericus professus in Religione legitimè approbata habet omnes ferè conditiones saltem æquiualenter, quas habet beneficiarius; ipse enim percipit a Religione congruam sustentationem, sicuti percipit beneficiarius ex fructibus beneficij; ipse eandem percipit ob munera Ecclesiastica, & spiritualia ab Ecclesia, vel instituta, vel approbata; ipse ius habet ad illam in perpetuum, ergo maximè accedente consuetudine, & ipse obligabitur ad Horas Canonicas, sicuti obligatur beneficiarius; nam, sicuti beneficijs primitus non erat annexum onus Diuini Officij, quod postea fuit additum per Ecclesiam, ità professioni Religionis quoad Clericum Choro destinatum hoc onus fuit postea per consuetudinem annexum, efficiente id eadem consuetudine, quod efficit Ecclesiæ præceptum, seu ius Ecclesiasticum. Neque obstat, quod professioni Religio- 9 *Clericus professus in Religione habet omnes ferè conditiones beneficiarij.*

ſæ ſit plurima alia onera annexa, ratione quorum recipiat profeſſus alimenta abſq; eo, quod in compenſationem iſtorum teneatur Canonicas Horas perſoluere. Non obſtat, inquam, quia etiam in beneficio, maximè, ſi ſit cum cura animarum, plura alia extant onera à recitatione Diuini Officij, & tamen his non obſtantibus non eximitur beneficiarius ab onere Diuini Officij ſic Eccleſia præcipiente, ergo ex eo, quod Religioſo profeſſo ſint annexa alia plura onera non benè infertur, quod eximatur ab onere eiuſdem officij illud imperante conſuetudine, quæ vim legis habet.

10 *Clericus profeſſus fugiens à Religione tenetur ad Horas Canonicas.* Suppoſito iam hoc onere in Religioſis profeſſis Choro addictis recitandi Horas Canonicas pleræque circa ipſum hic oriūtur rationes dubitandi. Prima eſt, an Clericus profeſſus Choro addictus, ſi à Religione effugiat, teneatur Horas Canonicas recitare? Affirmandum eſt, prout etiam affirmant *Nauarrus de Oratione c. 7. num. 19., & ſeqq., Azorius inſtitution. moralium part. 1. lib. 10. cap. 6. quæſt. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia ex ſua culpa eſt extra Religionem, & aliundè, quod recipiat alimenta, nihil refert, cum per ſe ipſum ſtet, quod non recipiat, vndè, ſicuti in præcedentibus de beneficiario docuimus, quod quoties per ipſum ſtat, quo minus fructus ex ſuo beneficio percipiat, vt ſi ſua voluntate in irregularitatem incurrat, vel ob delictum ſuum excommunicatione, aliauè cenſura feriatur, non eximatur ab onere Diuini Officij recitandi, ita in præſenti dicimus, quod cum per profeſſum ſtet ratione ſcilicet apoſtaſiæ, ſeu fugæ, quominus percipiat congruam ſuſtentationem non eximatur ab eodem onere Officij Diuini recitandi.

11 *Reijcitur Bonacina cum ſuis rationibus.* Neque in hoc audiendum eſſe arbitror *Bonacinam de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. num 6.,* dum aſſerit fugitiuum non teneri ad hoc Officium, quia conſtituitur in ſtatu, in quo non eſt conſuetudo illud recitandi, &, quamuis redire poſſit ad Monaſterium, tamen deſinit eſſe regularis. Non inquam, audiendum arbitror, quia, cum fugitiuus in tali ſtatu ſe conſtituat iniuſtè, liberè, & culpabilitèr, non poteſt ſe eximere ab oneribus, quæ ſunt annexa proprio ſtatui iuſto, & legitimo, quinimmò proprius ſtatus iuſtus eum ſequitur quocunque tranſierit, & ſicuti, ſi in alium locum iuſtè tranſeat cum ſuorum ſuperiorum facultate, in quo non eſt conſuetudo recitandi Canonicas Horas, non eximitur ab onere illarum, cum onus ex orta conſuetudine ipſum ſequatur, ità multominùs à tali onere eximetur, ſi iniuſtè, & culpabilitèr ad illum tranſeat, neque poteſt dici, quod tunc deſinat eſſe regularis; nam licet ex ſua culpa, & prauitate regulas non ſeruet, onus tamen ſeruandi ipſum afficit, quod ſatis eſt ad obligandum. Ideò aduerſus eandem Bonaciuam noſtram ſententiam ſuſtinent præter præcitatos *Leſſius lib. 2. de iuſtitia, & iur. cap. 37. dub. 9. num. 50., Malderus tract. 10. cap. 2. dub. 3. p. 649., Suarez tom. 2. de Religione tract. 4. lib. 4. cap. 17. num. 9., Filliutius tract. 23. cap. 5. quæſt. 2. tom. 2. num. 155., Laiman lib. 6. Theol. mor. tract. 1. cap. 4.*

Secunda ratio dubitandi eſt, an legitimè eiectus per ſententiam à Religione teneatur Horas Canonicas recitare. 12 *Eiectus à Religione ſecundum aliquos non tenetur ad Horas Canonicas.* *Sotus lib. 10. de iuſtitia quæſt. 5. art. 3., Angelus verb. Hora num. 10., & ſeqq., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. num 6.,* ſentiunt eximi à tali onere, eo quia nec naturali, nec Diuino iure eſt obſtrictus tali onere, ſed tantum conſuetudine, quatenus eſt adſtrictus ad Chorum; quatenus autem eſt per ſententiam eiectus, non eſt amplius Choro adſtrictus, & propterea ad Diuinum Officium non eſt obligatus. E contra *Nauarrus de Oratione cap. 7. num. 20., Leſſius lib. 2. de iuſtitia, & iure cap. 37. num. 50., Azorius inſtitution. moralium part. 1. lib. 10. cap. 6. quæſt. 7., & alij,* ſuſtinent adhuc teneri, quia ex ſua culpa eſt eiectus, cum cauſam dederit eiectioni; vndè non debet ex ſuo delicto commodum reportare; quinimmò tenetur, quantum eſt ex ſe curare, vt ſe habilem reddat, vt iterum recipiatur, adeoque debet ſe conformare conſuetudinibus, & oneribus Religionis. Adhæreo huic ſecundæ opinioni, tanquam probabiliori, cum ex ſua voluntate culpabili præcedente ſe conſtituerit in illo ſtatu, quo non recipit à Religione alimenta, & debeat ſe diſponere, vt iterum recipiatur; vndè, ſi non recipitur, hoc prouenit ex continuata ſua culpa, & ſicuti, 13 *Congruentiùs ad illas tenetur.* vt ſuprà aſſerebam, ſi beneficiarius ſua culpa ſe conſtituerit in ſtatu, quo ob irregularitatem, vel excommunicationem contractam non poſſit recipere fructus beneficij, donec ſe diſpoſuerit ad relaxationem irregularitatis, & excommunicationis, non eximitur ab onere Horas Canonicas recitandi, ità Religioſus profeſſus, ſi ſua culpa, & prauitate ſe conſtituerit in ſtatu, vt fuerit a Religione eiectus, & non recipiat à Religione alimenta, non eximetur ab onere eaſdem Horas Canonicas recitandi &c.

Tertia eſt, an ſi Religioſus profeſſus, &

& Choro addictus fuerit ad triremes condemnatus teneatur Horas Canonicas recitare. Affirmat *Nauarrus de Oratione dicto cap. 7. num. 20., & seqq.* propter eandem rationem, quod sua culpa, & peruersitate se coniecerit in illum statum. Sed quamuis verum dicat attento præcisè iure, quo obligatur, non verum tamen videtur attento statu, in quo constituitur, cum non videatur in illo posse commodè recitare; vndè quodamodo excusatur ratione moralis impotentiæ.

14 *Cōdemnatus ad triremes quomodo excusetur.*

15 *Professus ex concessione Pontificis degens extra Monasteriū tenetur.*

Quarta est, an, si Religiosus professus, & Choro addictus obtinuerit facultatem à Romano Pontifice permanendi extra Monasterium, intelligatur eximi ab onere Diuini Officij recitandi, si non fuerit in sacris constitutus. Respondendum est probabilius non eximi à tali onere, quia Pontifex dispensans, vt possit extra Monasterium permanere, non præsumitur dispensare super onere Diuini Officij, nec à cæteris regulis, quæ seruari possunt extra Monasterium; neque obstare potest, quod extra Monasterium non vigeat consuetudo recitandi Diuinum Officium, & cum eximatur per talem permissionem à Choro, intelligitur etiam eximi ab obligatione Diuini Officij recitandi, quæ oritur ex eo, quod sit Choro addictus. Non, inquam, obstare potest, quia consuetudo, quæ obligat, non est de recitando in Monasterio, & non extra illud, nec de recitando in Choro respectu eius, qui est obstrictus Choro, sed est de obligando eo, qui, vt Clericus professus est, adeoque adscriptus Choro, prout distinguitur à conuerso, ad recitandum; nam hic facta professione ex tali consuetudine obligatur, siue sit in Monasterio, siue extra, in quo allucinantur plurimi, qui, ex quo dicitur Clericum adscriptum Choro, & professum obligari ad Horas Canonicas recitandas intelligunt eum solum obligari, qui debet Choro interesse, qualis non est ille, qui viuit extra Monasterium. Debet igitur intelligi per ly adscriptum Choro professus, prout contradistinguitur à conuerso, & prout est destinatus ad sacros ordines suscipiendos.

Soluitur instantia opposita

Dices, ex ijs omnibus, quæ dicta sunt in resolutionibus præmissarum rationum dubitandi, destrui id, quod nos supra dicebamus, scilicet onus recitandi Horas Canonicas radicalitèr prouenire à iure naturæ in eo, qui professus est in Religione approbata, & est Choro adscriptus ratione alimentorum, & congruæ sustentationis, quam recipit à Religione, quandoquidem in his omnibus casibus nec alimenta, nec sustentationem recipit à Religione. Sed contra, quia, quod non recipiat stat per ipsum, quòd non recipiat, cum vel se subtraxerit à Religione, vel causam voluntariam, & culpabilem dederit, vt ab ipsa fuerit substractus, eo modo, quo euenit in beneficiario, qui fructus beneficij non recipit ex eo, quod ob delictum proprium factus fuerit irregularis, vel in censuram inciderit, ratione cuius fructibus beneficij sit priuatus, qui tamen non eximitur ab onere Officij, cum per ipsum stet, quo minus fructus beneficij non recipiat.

16 *Suppressa Religione professus non tenetur.*

Quinta ratio dubitandi est, an suppressa auctoritate Pontificis Religione, qui fuerat in eadem professus, vt Clericus, teneatur adhuc Horas Canonicas recitare? Probabilius arbitror, non teneri, tum quia non vrget amplius status Religionis, tum quia per ipsum non stat, quominus possit redire, tum quia non potest amplius dici regularis. Nec obstat, quod eidem assignentur annui redditus, donec vixerit, quia isti etiam assignantur conuersis, qui tamen non tenentur, nec tenebantur ad onus officij, & isti assignantur in subsidium vitæ sine aliquo onere, præterquam votorum &c.

17 *Prælati Regulares quatales nequeunt propriè dispensare.*

Sexta ratio dubitandi est, an Prælati Regulares possint cum suis subditis dispensare ratione studiorum, aut negotiorum super tali onere recitandi Horas Canonicas. Affirmant *Lessius d. lib. 2. c. 37. dubit. 9. num. 51., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 9.*, qui tamen secundus limitat, vt non ad quemcunque superiorem pertineat, sed dumtaxat ad supremum, nempè ad Generalem. Sed ego probabilius arbitror, non posse, nisi interueniente tali causa, quæ secundum se excuset, in quo casu superior declarabit causam sufficientem sub esse non recitandi, non propriè dispensabit. Nobiscum sentiunt *Suarez tom. 2. de Religione tract. 4. lib. 4. cap. 28. num. 41. ad finem, Reginaldus lib. 18. num. 141., & n. 186., Vasquez in opusc. de benef. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 12., Graffius prima part. lib. 2. c. 54. num. 9., Macignus cap. 21. num 8., Filliucius cap. 9. quæst. 10. ad finem.* Ratio deducitur primo, quia talis consuetudo, vtpotè fundata in quodam iure naturali habet vim legis communis; in lege autem communi non potest quis dispensare, nisi qui est supra omnes ius commune, cuiusmodi est Pontifex. Secundò ex eo deducitur, quod emanarint priuilegia à Romano Pontifice, vt superiores possint cum Lectoribus, quorum labor improbus est, dispensare, vt recitatis certis Psalmis cum tot Orationibus Dominicis, & totidem Salutationibus Angelicis satisfaciant oneri

Possunt tamen declarare esse causam sufficientem ad obligandum

ri

ri Diuini Officij. Frustrà autem essent huiusmodi priuilegia concessa, si superiores ex se haberent facultatem super officio dispensandi.

ARTICVLVS XXXVI.

An Regulares professi Choro adscripti grauitèr peccent, si sine legitima causa non recitant Diuinum Officium in Choro.

SVMMARIVM.

Opinio Marchini asserentis non interessentes sine legitima causa peccare lethalitèr. 1.
Contraria sententia Suarez exponitur. 2.
Si in limine fundationis, vel ex internallo adiectum fuerit expressum pactum, vt degentes in tali Monasterio teneantur ad recitationem in Choro, & Chorus non fuerit habitus, nedum superior ex illa omissione grauitèr peccaret, sed etiam alij, ex quorum culpa recitatio in Choro non est habita. 3.
Conuentio videtur obligare solum corpus, non singula membra. 4.
Testator præscribens recitationem in Choro non obligat tot personas determinatè, sed tot, quot debito modo possint Deo laudes persoluere. 5.
Regularitèr omnes Communitates ex vi proprij status obligantur sub graui in Choro recitare. 6.
Excipe in ijs Monasterijs, quæ alijs muneribus tenentur, vel modicus Religiosorum numerus residet. 7.
Vbi viget obligatio Chori omnes ibi degentes tenentur in actu signato, non in actu exercito. 8.
Non semper verificatur axioma. Quod dicitur de toto, dicitur de partibus. 9.
Non valet argumentum de Canonicis in Cathedrali, ac de Monacis in Monasterio. 10.
Superiores pro aliqua vice ex honesta causa permittentes omissionem Chori non grauitèr peccarent. 11.
Religiosi, qui causam dederunt omissioni Chori ex sua absentia sine causa, non eximuntur à graui culpa. 12.
Assueti ab esse sine causa non eximuntur à graui culpa. 13.

1 *Sententia asserens peccare lethalitèr.* Acritèr, multisque rationibus contendit *Marchinus tract. 2. de ordinibus in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 12. difficult. 11. per totum*, non excusari a graui culpa Religiosos professos sine legitima causa Chorum non frequentantes; non tamen ita rigorosè procedit quin admittat, quod, si quis semel, aut iterum, aut tertiò abesset, excusaretur à culpa læthali ratione prauitatis materiæ. Ex aduerso *Suarez tom. 2. de Religione lib. 8. de Oratione vocali cap. 10. num. 15., Bonacina de ijs, quæ ad priuat. Diuin. Offic. recit. pert. disp. 1. quæst. 2. punct. 9. num. 8., Bartholomæus à S. Fausto tract. de Oratione, & Horis Canonicis lib. 2. quæst. 186.*, sentiunt non grauitèr peccare, si Chorum non frequentent saltem regularitèr. 2 *Contraria sententia exponitur.*

Vt clariùs, & distinctius in hoc procedamus, debemus aduertere, an titulus procedat considerato simplicitèr statu Religioso in abstracto nulla alia extante obligatione; an verò considerato onere adiecto, vel in limine fundationis, vel ex interuallo, quatenus, vel hæreditas; vel legatum fuerit relicta, seu relictum sub expressa conditione, seu conuentione, quod Religiosi degentes in tali Monasterio teneantur in Choro Horas Canonicas persoluere; ex hac etenim animaduersione oriri possunt diuersæ rationes decidendi. *Consideratio pro resolutione.*

Et primò Incipiendo à secunda consideratione, quando scilicet adiectum est onus in limine fundationis, vel ex interuallo, ex expressa illa conditione, vel conuentione, certum est Monasterium, seu corpus Religiosorum Choro adscriptorum degentium in tali Monasterio teneri ad recitationem in Choro, adeo vt, si Chorus pro aliquo tempore ex incuria non haberetur, grauis culpa contraheretur nedum à superiore, qui curare debet adimplementū conditionis, sed etiam à subditis, ex quorum culpa recitatio in Choro non est habita; & ratio est manifesta, quia ille cultus in Choro præstandus est debitum iustitiæ, cum interuenerit contractus innominatus *Do, vt facias*, ideoque, si hic non adimpleatur, graue contra iustitiam peccatum committatur. Sed, an ex hac conuentione obligetur solum corpus in vniuersum, an verò omnia, & singula membra etiam, adeo vt singuli Religiosi Choro addicti, nisi legitima causa excusentur, teneantur sub graui Choro interesse. Ego ex hoc capite arbitrarer, non obligari singula membra in particulari, nisi in casibus, quibus sine ipsis non possent adimpleri conuenta, vel ex eorum absentia notabile damnum inferretur cultui Diuino. Rationem ex eo deduco, quod illa conditio, seu conuentio dirigatur ad totum corpus, non ad singula membra in particulari; non enim præsumendum est, quod relinquens sua bona sub illa conditione voluerit obligationem singulorum, sed solummodò, quod singulis diebus debitus cultus Deo persolueretur 3 *Obligati ad Chorum ex conuentione omittētes grauitèr peccent.* 4 *Conuentio non obligat singula membra in particulari, sed corpus.*

in

in illa Ecclesia, seu Monasterio; hoc autem potest præstari vno, vel altero deficiente, ergo, vbi vnus, vel alter deficiat, & ex defectu ipsorum non oriatur omissio eiusdem cultus, vel hic notabilitèr non minuatur, non erit respectu deficientis grauis culpa, cum non tollatur adimplementum conuentionis a testatore intentum, & in hoc videtur consentire *Bonacina de ijs, quæ ad Diuinum Officium in Choro publicè recitandum pert. disp. 2. quæst. 1. punct. 1. num. 9.*, vbi asserit obligationem strictam recitandi in Choro per se, & directè non afficere singulares personas in particulari, sed totam Communitatem.

5 *Testator non obligat numerum determinatū.* Confirmari potest ex eo, quod testator obligans Monasterium ad persoluendum pensum Horarum Canonicarum in Choro non obligat tot determinatas personas, sed ad summum tot, quot debito modo possint laudes Deo persoluere, vndè siue sint plures, siue pauciores in tali Monasterio, dummodo debito modo Deo cultus persoluatur, intelligitur conuentio sufficientèr adimpleta, ergo, quamuis ex degentibus in tali Monasterio vnus, vel alter à Choro deficiat, si tamen per alios debitè cultus Deo persoluatur, nec notabilitèr dimminuatur, non læditur eadem conuentio, nec voluntas testatoris.

Ex vi præcisè status Religiosi an teneantur adChorū Prosequendo iam examen tituli quoad primam considerationem, nempè quoad statum Religiosorum præcisè nulla alia existente, seu precedente obligatione plura etiam veniunt consideranda, & primo, an ex vi eiusdem status aliquo iure obligante sub graui obligentur omnes Communitates Religiosorum ad recitandas Horas Canonicas in Choro. Secundò ex suppositione, quod eædem Communitates sic obligentur, an omnes, & singuli Religiosi adscripti Choro, quando legitima causa non excusantur, teneantur sub graui eidem Choro assistere. Tertiò retenta eadem suppositione, an superiores, qui absque graui causa permitterent pro aliquo tempore in propria Ecclesia omitti recitationem Diuini Officij, peccarent læthalitèr. Quartò ex suppositione, quod singuli teneantur sub graui, an tali culpa afficerentur, si non sæpiùs, sed solum quandoque omitterent cum alijs in Choro decantare.

Ad primum probabilius arbitror in Religionibus, quæ sunt Choro deputatæ ex vi earundem institutionis, omnes Communitates obligari sub graui ad Horas Canonicas in Choro recitandas, nisi eædem Cōmunitates ex alijs muneribus, quæ adimplere teneantur, vel ex modico Religiosorum numero, excusentur. In hoc videntur consentire *Bonifacius de Vitalinis in Clement. 1. de celebratione Missarum num. 64.*, vbi cognoscit eandem obligationem recitandi in Choro in Ecclesijs Regularibus, ac in Cathedralibus *Geminianus in cap. Eleutherius distinct. 91.*, *Felinus in cap. licet num. 8. de Offic. deleg.*, *Iacobus de Graffijs tom. 2. consil. tit. de Missarum celebratione cons. 1. difficult. 1. num. 14*, & in hoc consentit etiam *Suarez tom. 2. de Religione lib. 8. de Oratione vocali cap. 10. n. 7.*, qui, quamuis asserat particulares Religiosos non obligari sub graui ad recitandum in Choro, agnoscit tamen hanc obligationem sub graui in toto corpore conuentus, & si regula sub læthali non obliget. 6 *Omnes Communitates; Religiosorum regularitèr obligantur.*

Ratio ex eo deducitur, quia iura Canonica eandem obligationem agnoscunt recitandi in Choro in Ecclesijs Regularibus ac in Ecclesijs Collegiatis, vt videre est *in Clement. 1. de celebratione Missarum* Ibi *Nec non, vt in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis, Ecclesijs horis debitis deuotè psallatur*, vbi Bonifacius de Vitalinis subdit *Nota 22.*, *quod idem est iudicium de Ecclesijs Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis*. Sed in Cathedralibus, & Collegiatis est obligatio sub graui recitandi Horas Canonicas in Choro, adeo vt grauitèr peccent Prælati, & Superiores earundem, si permittant omitti hanc recitationem, vt est in confesso apud omnes, ergo etiam in Ecclesijs Regularibus. *Rationes pro asserto.*

Quod, si dicas, Pontificem *in eadem Clement. 1. de celebratione Missarum*, non inducere nouam obligationem, sed supponere eo modo, quo inest; respectu autem Cathedralium Ecclesiarum, & Collegiatarum inest obligatio ex iure Canonico, quod obligat sub læthali; respectu verò Ecclesiarum Regularium inest solum ex vi regulæ, quæ sub tali onere non obligat; statim impugnaberis, quia obligatio Communitatum Religiosorum non est ex vi regulæ nudè sumptæ, sed ex vi eiusdem in quantum conformis est iuri Canonico; vndè regula deputat ad Chorum, qua posita deputatione subintrat postea ius Canonicum obligans sub graui *in d. Clementina 1. de celebratione Missarum*, & sic in transgressione Chori non tam violatur regula, quam ipsum ius Canonicum, & status ipse Religionis in materia graui.

Dixi, *nisi eædem Communitates ex alijs muneribus, quæ adimplere tenentur, vel ex modico Religiosorum numero excusentur*. Quod potissimum dixerim pro ijs locis, & Collegijs, in quibus solummodò degunt Lectores publicis ministerijs addicti, in 7 *Nonnullæ exceptiones ad prædicta.*

quibus

quibus non est compatibilis assistentia ad Chorum propter munera publica, quæ exercent, & vbi modicus est Religiosorum numerus non potest Chorus efformari.

8 *Vbi est obligatio Chori ibi omnes & singuli tenentur in actu signato non in actu exercito* Ad secundum dicendum est, omnes quidem obligari radicaliter, sed non singulos actualiter. In hoc arbitror consentire, quotquot sustinent Communitates Religiosorum in singulis Conuentibus obligari, non singulæ personæ in particulari; & inter cæteros sunt *Suarez d. tom. 2. de Religione lib. 8. de Oratione vocali c. 10.*, *Bonacina loc. cit.*, quod est id, quod alij dicunt obligari omnes in actu signato, non in actu exercito. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod, cum obligatio afficiat ipsam Communitatem, ita vt ipsa teneatur habere Chorum, qui congruè possit Diuinas laudes profundere, debet habere obligatos constituentes eandem Communitatem, qui teneantur eundem Chorum competentem efformare, & cum non sit maior ratio de vno, quam de altero, omnes in hoc debet habere subiectos, ergo omnes radicaliter, & in actu signato intelliguntur obligari; cæteroqui inanis esset obligatio Communitatis, si omnes Religiosi nō possent ad hoc munus compelli. Ratio secundæ partis est, quia ita consuetudine receptum est, vt completo sufficienter Choro, adeo vt ex aliquorum absentia Diuinus cultus non patiatur notabile detrimentum, quale esset, si non decantarentur Diuina Officia, vel nec cum solita, & requisita solemnitate, ijs, qui ita absunt saltem interueniente aliqua causa non imputetur

Rationes pro asserto. graue peccatum, vt notat *Angelus verb. Hora Canonica num. 25.*, quod idem repetit in similibus fermè verbis *Albertus Specius opusc. de Horis Canonicis rub. in quo loco sint recitandæ fol. 28.*, vbi ad incurrendum peccatum læthale requirit contemptum, & ne ex eorum absentia Diuinus cultus patiatur notabile damnum, quod idem habet *Caietanus in summa verbo Hora rubr. Diuinum Officium quocunque in loco*, vbi inter cætera hæc expresse habet. *Vbi tamen contemptus deest, & propter meam absentiam non notabiliter læditur Diuini cultus Officij, & Prælati dissimulant parum de ys, quæ Dei sunt curantes, non incurro mortale peccatum ex hoc, quod desum Horis Canonicis in Ecclesia mea*; nec obstare possunt textus, si qui afferantur, puta *ex Clem. 1. de celebratione Missarum*, quia, vel illi non fuerunt recepti respectu particularium Religiosorum cum illo onere, vel contraria consuetudine fuerunt aboliti.

Dices primò, quod dicitur de toto, intelligendum est de singulis membris illius totius *Sotus de iustitia lib. 10. quæst. 3. art. 4. col. 1. circa fin.*, vt illustrari potest exemplis; sic populus Christianus tenetur seruare leges Ecclesiæ, ergo quilibet de 9 *Non semper verificatur axioma quod dicitur de toto intelligitur de partibus.*
populo Christiano tenetur easdem seruare, & sic de similibus, ergo, quod dicitur de Communitate Religiosorū quoad obligationem psallendi in Choro, intelligendum est de singulis Religiosis talis Communitatis. Sed contra; hoc argumentum nimis probat; probat etenim, quod omnes obligationes, quæ tangunt totum Monasterium, tangant etiam singulos Monachos, quod ex se patet esse falsum; sic totum Monasterium tenetur soluere debitum contractum, non tamen singuli ex Monasterio, sic totum Monasterium potest per censuras compelli ad accedendum ad processiones solemnes, quæ fiunt per clerum Laicalem, non tamen singuli Religiosi. Quamobrem dico, quod illud axioma. Quæ dicuntur de toto, intelligenda sunt de singulis membris, intelligendum sit solummodò, quando eadem ratio, eademque consuetudo recepta est æque de toto, ac de partibus; consuetudo autem viget, quod horæ in singulis Monasterijs quotidiè in Choro persoluantur; non autem, quod semper singuli Religiosi intersint, adeoque ius quoad totum viget *d. Clement. 1. de celebratione Missarum*, non autem quoad singulas partes, nisi quatenus ex illarum defectu deficeret, vel notabiliter diminuetur cultus Diuinus in psalmodia in tali Ecclesia.

10 *Nō valet argumentum de Canonicis in Cathedrali ac de Religiosis in Monasterio.* Dices secundò. Si Canonici in Cathedrali, vel Collegiata absint a Choro non solum amittunt distributiones, & fructus correspondentes tempori, pro quo absunt, sed etiam contrahunt grauem culpam, si absint sine legitima causa, ergo Regulares Choro addicti, si absint sine graui, & legitima causa, quamuis non amittant aliquas distributiones, & fructus, cum nullas, & nullos percipiant, contrahent tamen grauem culpam ob talem absentiam. Sed contra admisso antecedente, cum hoc expresse habeatur declaratum à Pio V. in sæpius allegata ipsius Constitutione Incipiente *ex proximo Lateranensi Concil.* Ibi *Subtrahenti se à Choro, vltra amissionem distributionum, & fructuum, graue se intelligat peccatum admittere*, neganda est consequentia propter rationem mox adductam, quia ex consuetudine receptum est, vt ita obligentur Canonici Cathedralium, & Collegiatarum, non autem, vt Religiosi ita compellantur; quinimmò ex eo, quod Pius V. hoc expressa renouatione dixerit de Canonicis addictis Cathedralibus, & Collegiatis, & non de Regularibus Choro

addictis

addictis arguitur, quod onus quoad illos fuerit renouatum, non quoad istos.

Ad tertium Marchinus, qui in omnibus quoad hanc obligationem æquiparat Communitates Religiosorum ad singulos Religiosos, quinimmò ab onere illarum arguit ad onus istorum *d. tract. 2. de ordinibus in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 12. difficult. 11. num. 15.*, cum docuisset *hoc eodem in loco num. 2.* excusari particulares, si semel, iterum, aut tertio absint à Choro, modo *ibidem n. 17.*

11 non excusat à læthali Prælatum Religionis, vel Monasterij, qui absque grauissima causa permittit in propria Ecclesia omitti primam, aut aliam Horam Canonicam assuetam in Choro decantari. Certè videtur in hoc agnoscere maius onus Communitatis, ac singulorum Religiosorum, vel sibi contradicere. Non ita rigidè ego procederem, quin aliquando ob multiplices Religiosorum functiones, vel in alijs sacris ministerijs, vel Sacramentis populis ministrandis occupatorum, vel ob honestum animorum corporumque subleuamen possint huiusmodi Prælati indulgere; cautè tamen in hoc aduerterem producendum, ne abusus ab exemplo inducantur.

Superiores ex honesta causa permittentes pro vna vel altera vice omissionem in Choro non grauitèr peccarent.

12 Ad vltimum, cum dixerimus radicalitèr obligari, certum videtur, quod quotiescunque ex ipsorum absentia prætermitteretur Diuinum Officium recitari in Choro, vel notabilitèr dimminueretur cultus Diuinus, grauitèr peccarent; cum etenim omissio recitationis in Choro respectu Communitatis sit grauitèr peccaminosa, ipsi, qui causam darent talis omissionis, non possent à graui culpa excusari. Non excusarem etiam à graui culpa eos, si ex tali absentia ingererent in alijs scandalum, & fortè etiam exemplo remouerent alios à Choro. Non excusant etiam à graui *Angelus verb. Hora Canonica n. 25.*,

Religiosi, qui causam dederat omissioni Chori ex sua absentia grauitèr peccant.

13 *Albertus Speccius opusc. de Horis Canonicis rub. in quo loco sint recitanda fol. 28.*, quando ex consuetudine non interessent sine causa, quod, an verum sit, alij iudicent; ego probabilius affirmarem saltem ratione adiacentium; cum vix possit concipi talis voluntaria, diutina, & consuetudinaria absentia sine cæterorum admiratione, & scandalo, & sine notabili iactura Diuini cultus contra proprium statum Religiosorum, qui exigit vacare Deo &c.

Item assueti abesse sine causa.

ARTICVLVS XXXVII.

Expenduntur nonnulla de publica recitatione in Choro.

SVMMARIVM.

Adest in Ecclesia Dei obligatio recitandi Diuinum Officium in Choro. 1.

Hæc obligatio tangit Communitates Religiosorum, & radicalitèr ipsos Religiosos. 2.

Item Collegiatas, & Cathedrales, & respectiuè Clericos eisdem addictos. Ibidem.

Intellige, nisi alitèr ferat consuetudo. 3.

Non est necesse, quod hæc consuetudo sit immemorabilis, sed sufficit quadragenaria. 4.

Intellige item, nisi alitèr ferat institutio talis Ecclesiæ. 5.

Clerici Choro addicti, quantum abesse possint ex dispositione Concil. Trid. 6.

Absentes vltra tempus à Concilio præscriptum sine causa grauitèr peccant. 7.

Opinio Suarez asserentis absentiam vnius diei vltra præscriptum à Concilio esse peccaminosam læthalitèr. 8.

Probabilius non est notabilis, nec peccaminosa læthalitèr absentia trium, vel quatuor dierum. Ibid.

Recitans submissa voce in Choro alijs altè psallentibus non satisfacit oneri Diuini Officij. 9.

Multo minùs satisfacit recitationi publicæ. 10.

Nec acquirit distributiones. 11.

Consuetudine potest induci, vt Canonici præcisè assistentes, & non canentes acquirant distributiones. 12.

Et hoc etiam post Concil. Trident. 13.

Licitum est in recitatione Officij in Choro adhibere instrumenta Musica inter psalmum, & psalmum, & inter alias partes eiusdem Officij. 14.

Non licitum est recitare vnum versiculum in Choro, & loco alterius adhibere sonitum Organi. 15.

Si dum Organum pulsatur loco vnius versiculi vnus ex Choro alta voce recitet versiculum secundum Suarez satisfit. 16.

Secundum alios requiritur, vt omnes ex illa parte, qui recitare deberent, recitent submissa voce. 17.

Præfertur opinio Suarez. 18.

Qui, dum cantatur Officium solemnitèr, ex officio, vel iussu superioris Organa pulsat, vel thus defert, si non recitet partem, quæ tunc cantatur satisfacit recitationi formalitèr, vt publicæ. 19.

Non tamen satisfacit oneri Officij, nisi postea priuatim partem omissam recitet. 20.

HActenus, vt plurimum egimus de ijs, quæ pertinent ad priuatam recitationem Diuini Officij, licet ex occasione aliqua etiam attigerimus, quæ publicam concernunt recitationem. Nunc ex professo de hac agemus breuiori tamen, qua poterimus, methodo, quod præstabimus per subsequentes dubitationes, & earum respectiuè resolutiones.

Dubitatur primò, vtrum extet in Ecclesia obligatio recitandi Diuinum Officium in Choro publicè, & quosnam talis obligatio afficiat.

1 *Obligatio psallendi in Choro viget in Ecclesia Dei.*

Respondeo primò, talem obligationem in Ecclesia Dei adesse. Consentiunt communitèr, & signantèr *Suarez tom. 2. de Religione lib. 409., Filliutius tom. 2. tract. 23. cap. 4. quæst. 4., Molfesius in summa de Horis Canonicis tract. 5. cap. 2. num. 64., & seqq., Bonacina de ijs, quæ ad Diuin. Offic. publ. in Choro recitandum disp. 2. quæst. 1. punct. 1. prop. 1. num. 1., & Summistæ communitèr in verb. Horæ*. Probatur, quia æquum fuit, vt hæc obligatio in Ecclesia Dei induceretur, & de facto fuit inducta. Antecedens probatur quoad primam partem tum ratione Ecclesiæ, tum ratione Clericorum, tum ratione populi; ratione Ecclesiæ, quia, cum ipsa sit deputata ad Diuinum cultum, maximè decet, vt in eadem tanquam æmula, seu pedissequa triumphantis Ecclesiæ resonent psallentiũ cantus, & Diuinæ laudes; ratione Clericorum eisdem Ecclesijs deputatorum, qui, cum ratione proprij status debeāt vacare Deo, rebusque, seu functionibus Ecclesiasticis in ædificationem populorum excepto Sacramentorum ministerio, & instructione populorum in Mysterijs Fidei in alio non videntur congruentiùs versari posse, quam in Diuina psalmodia; ratione populorum, quia interessendo maximè excitantur ad pietatem, & ad eleuationem mentis in Deum. Probatur idem antecedens quoad secundam partem *ex cap. fin. distinct. 92.*, vbi decernitur deponendos esse Clericos, qui ad decantandum Diuinum Officium in Choro non conueniunt; item *ex Clem. 1. de celebratione Missarum*, vbi hæc habentur. *Nec non, vt in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesijs horis debitis deuotè psallatur*, & postea subditur. *Si Dei, & Apostolicæ sedis indignationem euitare voluerint*.

2 *Quosnã afficiat hæc obligatio.*

Respondeo secundò. Hæc obligatio afficit Communitates Religiosorum, & radicalitèr ipsos Religiosos; Collegiatas, & Cathedrales, & respectiuè Clericos earundem, seu eisdem addictos. In hoc consentiunt communitèr scribentes *in d. c. fin. distinct. 92. item Suarez lib. 2. de Relig. lib. 4. cap. 10. num. 3., Paulus Laiman lib. 4. tract. 2. cap. 7. quæst. 7. n. 7., Carolus Macignus de Horis Canonicis c. 56.*, & alij plures apud eosdem. Colligitur *ex d. cap. fin. distinct. 92., item ex Clement. 1. de celebratione Missarum, & cap. 1. eodem tit.*, & quidem de Collegiatis, & Cathedralibus nulla videtur posse esse ratio dubitandi, cum de ijs expressè loquantur præcitata iura; de Clericis verò, & Canonicis, in quibus potest esse maior difficultas, cum enim videantur obligari ratione distributionum, videntur se posse eximere cedendo eisdem distributionibus; nihilominus sentiendum est, directè obligari stante Constitutione Pij V. incipiente *Ex proximo Lateranensi Concilio* Ibi *Ise etiam præter fructuum, & distributionum amissionem graue peccatum intelligatur admisisse*.

Excipiendum tamen esse in casibus, quibus aliter fert consuetudo, vel Ecclesiæ institutio, cum etenim obligatio oriatur dumtaxat ex iure positiuo, consuetudo legitimè inducta potest eidem derogare. Sed, an requiratur ad deobligandum, vt talis consuetudo sit immemorabilis; *Suarez d. tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 10. num. 5., & cap. 12. num. 13.*, quem postea secutus est *Bonacina d. disp. 2. quæst. 1. punct. 1. num. 4.*, sentit non esse necesse, vt sit immemorabilis. *Caietanus verò verb. Hora, Nauarrus de Oratione cap. 22. n. 101., Carolus Macignus de Horis Canonicis cap. 63. num. 9.*, requirunt, vt sit immemorabilis. In hoc ego arbitror probabilius esse, non requiri immemorabilem, sed sufficere consuetudinem quadraginta annorum, vt præter citatum Suarez sustinent *Bonacina non solum loc. cit., sed etiam de legibus disp. 1. quæst. 1. punct. vltim. §. 3. num. 32., Salas disp. 19. sect. 4. num. 42., Reginaldus lib. 13. num. 247.*, & ratio est, quia in iure Canonico non dicitur consuetudo legitimè præscripta, nisi spacio quadraginta annorum, & per tale spacium præscribuntur etiam res Ecclesiasticæ. 3 *Intellige, nisi alitèr ferat consuetudo.* 4 *Etiam si non sit immemorabilis.*

Dixi, *nisi alitèr ferat institutio talis Ecclesiæ*, nam, si in institutione, seu fundatione talis Ecclesiæ statutum sit, vt Clerici eiusdem Ecclesiæ ad alia munera incumbant, puta ad Sacramentorum administrationem, ad docendos populos in Mysterijs Fidei, & legibus Diuinis, & Ecclesiasticis, vel inseruiendum infirmis, & peregrinis sine vllo onere recitandi Horas Canonicas in Choro, tunc certè non vrgebit hæc obligatio, vel si in institutione statutum fuerit, vt non quotidiè, sed certis diebus horæ huiusmodi in Choro recitentur, vel solum etiam Vesperæ, nonnisi Horis Canonicis pro diebus statutis, vel Vesperis tenebuntur Clerici, 5 *Intellige item nisi alitèr ferat institutio talis Ecclesiæ*

& Ca-

& Canonici illius, vel illarum Ecclesiarum, nam non obligantur, nisi iuxtà Ecclesiæ fundationem, seu institutionem.

6 *Canonici Choro addicti quantū abesse possint ex Cōcil. Trid.*

Dubitatur secundò, an Clerici, & Canonici addicti Choro in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali itá teneantur interesse, vt, si sine graui causa non intersint pro aliquo, & quonam tempore, contrahant noxam læthalem. *Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12.*, statuit, vt *obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis vltra tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse saluis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus*, ex qua dispositione inferunt *Carolus Macignus de Horis Canonicis cap. 64. num. 19.*, *Bonacina de Horis Canonicis disp. 2. quæst. 1. punct. 2. num. 2.*, quod, qui extra illos tres menses à Concilio præscriptos abesset à Choro, quamuis amitteret distributiones, non peccaret, argumento deducto ab ijs, quæ communiter dicuntur de onere, & obligatione ad residendum. Difficultas igitur versatur circa absentiam vltra tres illos menses à Concilio præscriptos.

7 *Absentes vltra tempus à Concilio præscriptū grauitèr peccant.*

Respondeo, si notabilitèr vltra illud tempus à Concilio præscriptum abessent sine graui causa, vtique grauitèr peccarent *Suarez de Religione tom. 2. lib. 4. c. 10. num. 17., & cap. 13. nu. 5., & seqq.*, *Garzias de benef. tertia part. cap. 2. num. 321. dub. 5.*, *Vasquez de benef. art. 2. dub. primo n. 182.*, *Macignus de Horis Canonicis c. 62.*; contra *Caietanum verb. Hora, §. 5.*, *Valentiam tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. in quo loco, & alios volentes, quod si priuatim recitent, non peccent, nisi venialitèr*. Ratio ex eo deducitur, quod Canonicus, seu Clericus beneficiatus addictus Ecclesiæ ex vi proprij beneficij non solum obligatur ad recitationem priuatam Diuini Officij, sed etiam ad publicam in Choro, ergo, si non recitet, & per tempus notabile à Choro deficiat, à proprio munere, & per consequens quodamodo contra iustitiā deficiet, quod ex genere suo est peccatū graue, propter quod Pius V. in præfata sua Constitut. incipiente *ex proximo Lateranensi* declarat sic deficientem præter amissionem fructuum, & distributionum peccare læthalitèr. Ad hoc comprobandum *Garzias de beneficijs p. 3. cap. 2. num. 323.*, refert plures Sacræ Congregationis declarationes.

Sed difficultas modo est in explicando, quænam absentia possit dici notabilis, vt inducat noxam læthalem. *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 13.*, existimat notabilem, & sufficientem ad inducendum peccatum læthale illam absentiam, quæ excedit vnum diem; sed hanc restrictionem ad vnum dumtaxat diem nimis rigorosam arbitrantur alij communitèr. 8 *Quanā absentia requiratur ad talem culpam.* *Bonacina d. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. num. 2. vers. Dixi notabilitèr absunt*, arbitratur absentiam per tres, vel quatuor dies vltra tempus præscriptum à Concilio Tridentino, non esse notabilem, nec sufficientem ad peccatum læthale. Hanc secundam opinionem vtpotè mitiorem amplectendam arbitror, cum hæc absentia respectu ad totum annum pro leui materia reputetur.

Absentia triū, vel quatuor dierum non est peccaminosa lethalitèr.

Quod, si dicas, quod, si non peccat grauitèr per absentiam trium, vel quatuor dierum à Choro, nec etiam peccabit grauitèr per absentiam quinti, sexti, & aliorum dierum, quandoquidem illæ omissiones non continuantur, sed sunt plures distinctæ, quæ singulis diebus prætereunt, cum sint affixæ eisdem diebus, & sicuti officia ipsa, quæ sunt affixa singulis diebus, non continuantur, ita & omissiones eorundem, & propterea, si absentia per vnum diem non est peccaminosa læthalitèr, nec absentia per alterum erit talis; & sic successiuè, & quamuis daremus absentiam vnius diei esse venialitèr peccaminosam, absentia item alterius diei non esset, nisi peccaminosa venialitèr, & sic nunquam constitueretur peccatum læthale, cum ex multiplicatione venialium nunquam læthale consurgat. Si, inquam, hoc dicas; statim impugnaberis, quia non facienda est extensio ab obligatione recitandi Diuinum Officium ad obligationem residendi in Choro; quandoquidem prima obligatio ex mente legislatoris est affixa singulis diebus, adeoque tot sunt obligationes, quot sunt dies; Secunda autem obligatio ex præsumpta mente eiusdem respicit Ecclesiæ officiaturam continuatam, & decus, quæ propterea regulanda est secundum præsumptam mentem eiusdem legislatoris ad normam decoris eiusdem Ecclesiæ, quod excepto illo trimestri à Tridentino permisso magis læditur ex absentia plurium, quam paucorum dierum.

Recitantes in Choro submissa voce, an satisfaciant.

Dubitatur tertiò, an Clerici Choro addicti teneantur alta voce canere, an sufficiat, quod alijs canentibus versiculos ex sua parte submissa voce recitent, & per hoc satisfaciant. *Caietanus in summa verb. Hora Canonica, §. 4.*, videtur sentire sic submissa voce recitantes in Choro alijs canentibus satisfacere suo muneri, & officio, sed postea *in opusculis tom. 1. tract. vltim. in resp. 8.*, videtur à prædicta opinione recessisse. Sed in hoc distinguendum ego

arbitror, vel enim sensus dubij excitati eo dirigitur, vt resoluatur, an sic recitantes satisfaciant oneri Diuini Officij, adeovt non teneantur amplius priuatim repetere, vel sensus sit, an satisfaciant oneri, quod habent publicè recitandi in Choro, vel sensus sit, an per illam recitationem submissa voce ita satisfaciant, vt possint recipere quotidianas distributiones. Ratio dubitandi quoad primum sensum est, quod non videtur posse gaudere de beneficio Communitatis, qui nihil confert Communitati; qui autem alijs canentibus submissa voce versiculos ex sua parte recitat, nil Communitati confert; ergo nec de illius beneficio potest gaudere; hoc etenim vsu inductum est, vt in alternatim psallentibus intelligatur ab omnibus plenè satisfactum, quamuis omnes non integrè recitent, sed pro parte tantum, quia omnes sibi communicant ad inuicem recitationem propriam; cum autem hic, qui submissa voce recitat, non communicet cum alijs altè psallentibus, non videtur iustè gaudere eorũ beneficio.

Duplex sensus difficultatis.

9 Respondeo primò, probabiliùs esse, nec satisfacere oneri Diuini Officij. Consonat cum ijs, quæ tradidimus *in hac eadem quæst. art. 29. vers. ex occasione eorum,* vbi rationem adduximus, quam modo in ratione dubitandi attulimus, quod scilicet quis non gaudeat beneficio Communitatis, qui nil confert Communitati, & ibi pro hac eadem sententia allegauimus *Nauarrum de Oratione cap. 32. miscel. 79., & cap. 10. num. 47., Azorium institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 11. §. 5.;* qui, quamuis ab alijs intelligantur de negatione satisfactionis in ordine ad officium publicum, non autem de negatione satisfactionis in ordine ad priuatam recitationem; re tamen vera intelligendi sunt quoad priuatam recitationem etiam, quandoquidem signantèr *Azorius ibidem*, duo dicit, primum, quod sic recitantes non satisfaciant suo muneri, & Ecclesiæ; alterum, quod non acquirant distributiones; hoc autem secundum frustraneè dixisset, si intelligendus esset solummodò de negatione satisfactionis in ordine ad recitationem publicam; siquidem eo ipso, quod non satisfecerit officio publico, non acquireret distributiones, dum ergo vnum ab altero secernit, videtur per primum innuere non satisfacere etiam quoad recitationem priuatam. Deindè ratio à nobis adducta sufficientèr etiam euincit de negatione satisfactionis in ordine ad priuatam etiam recitationem, non enim potest gaudere beneficio Communitatis, qui Communitati non communicat.

Recitãs submissa voce in Choro alijs altè psallentibus nõ satisfacit officio.

Dices, si Canonicus Choro addictus alijs altè psallentibus submissa voce totum officium recitaret, vtique satisfaceret oneri recitationis priuatæ, quamuis non satisfaceret oneri recitationis publicæ, ergo etiam satisfacere censendus est, si priuatim suos versiculos recitet, audiendo alios recitantes, & psallentes ex altera parte. Sed contra; neganda est consequentia. Ratio est, quia qui priuatim totum officium recitet, licet hoc præstet in Choro alijs altè psallentibus, totum ex se præstat, quod pertinet ad priuatam recitationem, nec aliquid ab alijs participat; qui verò submisse recitat ex sua parte, alijs ex altera altè canentibus non totum recitat, nec potest gaudere beneficio aliorum ex altera parte canentium, cum nihil de suo illis conferat, adeoque &c.

Instãtia proposita, & dissoluta.

Respondeo secundò, magis certum est, quod sic submisse recitando non satisfaciat recitationi publicæ. In hoc fine dubio consentiunt *Nauarrus, & Azorius locis quibus supra.* Ratio est primò, quia, si non satisfacit recitationi priuatæ, vt mox probauimus, multo minùs recitationi publicæ. Deindè quomodo dici potest satisfacere publicæ recitationi; si ipse publicè non recitat? Tandem *in cap. fin. distinct. 92.*, dicitur Clericos Choro deputatos debere in Ecclesia conuenire ad quotidianum psallendi officium; Non dicitur autem psallere, qui Diuinum Officium submissa voce recitat. 10

Nec satisfacit recitationi publicæ.

Respondeo tertiò, sic submissa voce recitantes in Choro non acquirunt quotidianas distributiones. In hoc communitèr consentiunt. Ratio est clara, quia huiusmodi distributiones dantur non ratione præsentiæ, sed etiam, & principalitèr ratione cantus in Choro, ergo, vbi quis deficit in cantu, deficit in ea, ratione cuius lucraretur huiusmodi distributiones, adeoque non est, cur debeat easdem lucrari. Accedit Constitutio Pij V. sæpiùs enuntiata incipiens. *Ex proximo Lateranensi Concil.*, in qua decernitur, vt Canonicus, qui non canit in Choro, licet præsens adsit, amittat fructus, quos alioqui lucrifecisset, si cantasset. 11

Nec acquirit distributiones

Dubitatur quartò, an consuetudine possit induci, vt Canonici alicuius Cathedralis, seu Collegiatæ solum præsentes sint Diuinis Officijs, quæ recitantur in Choro, & non canant, & tamen lucrentur distributiones. Nonnulli absolutè asserunt tali consuetudine hoc non posse induci; nam hoc est cautum de iure naturæ, vt datum ob causam non acquiratur causa non adimpleta; cum igitur distributiones dantur ob psalmodiam, &

cantum

cantum in Choro, ipsa psalmodia, & cantu non posito non debent iuxtà ius naturali conferri. Nihilominus

12 *Consuetudine potest induci, vt Canonici præcisè assistentes, & non canentes acquirant distributiones.*

Respondeo, hoc consuetudine legitimè præscripta induci. Consentit *Azorius institut. moralium part. 1. lib. 10. c. 11. quæst. sexta*. Ratio ex eo deducitur, quod in hoc non violatur ius naturæ, sed præcisè ius Canonicum, quod statuit, vt, si Canonici, & Clerici Choro addicti non canant, non lucrentur huiusmodi distributiones; cum autem ius Ecclesiasticum possit præscribi per consuetudinem contrariam legitimè præscriptam, non est, cur hac legitimè inducta non possit conferre ius ad easdem distributiones acquirendas per solam in Choro assistentiam, etiam si Canonici, seu Clerici huiusmodi non canant supplentibus tamen alijs substitutis defectum cantus ipsorum. Ad illud, quod ex contraria sententia afferebatur, quod de lege naturæ datum ob causam eadem causa non secuta non debeatur, dicendum est, distributiones Chori tum ob præsentiam, tum ob cantum, & sic seruata præsentia non videtur, cur obligatio cantus non possit præscribi potissimum, si per alios suppleatur. In multis igitur Ecclesijs inductum est, vt Canonici suppleant cantum per Clericos sibi substitutos, quos alicubi Mansionarij, alibi Capellani, alibi assisij appellantur, qui regularitèr percipiunt fructus detractos à beneficijs ipsorum Canonicorum.

13 *Et hoc etiã post Concil. Trident*

Sed, an modo habeat locum hæc consuetudo post dispositionem *Concilij Tridentini sess. 24. de reformatione cap. 12., & Constitutionem Pij V.* incipiente *ex proximo Lateranensi Concilio*? Affirmatiuè respondendum, quandoquidem huiusmodi iura non derogant consuetudini legitimè præscriptæ; vndè huiusmodi consuetudo locum habebit siue fuerit præscripta ante edita huiusmodi iura, siue incæperit ante ipsa, & post ipsa per legitimum tempus perseuerauerit, siue incæperit, & perseuerauerit post ipsa.

Dubitatur quintò, an licitum in recitatione Diuini Officij adhibere Musica instrumenta. Hoc dubium potest dupliciter intelligi; primò, quatenus adhibeantur huiusmodi instrumenta inter psalmum, & psalmum, vel inter alias partes eiusdem officij, ità tamen, vt totum officium persoluatur à Choro, vel quatenus Chorus ex vna parte canat vnum versiculum, & ex alia alium versiculum suppleant Organum, vel alia Musica instrumenta, adeo vt alternatim procedat Chorus, & Organum, seu alia Musica instrumenta.

Respondeo, iuxtà primum sensum licere adhibere eadem Musica instrumenta *Caietanus in summa verb. Organorum vsus, Suarez tom. primo de Religione lib. 4. cap. 8. num. 5., & seqq., Molfesius in summa tract. 5. cap. 2. num. 65., Filliutius tract. 23. c. 3. ad fin. num. 120., Carolus Macignus cap. 61. num. 9.* Hoc probatur ex communi Ecclesiæ praxi, secundum quam huiusmodi instrumenta adhibentur scientibus Ecclesiæ Prælatis, & approbantibus. Secundò, quia huiusmodi instrumenta plurimum conferunt ad excitandam pietatem, tum in ipsis canentibus, tum in audientibus, & licet in hoc videatur obstare *Diuus Thomas secunda secundæ quæst. 91. art. 2. ad quartum*; ipse tamen intelligendus est, solummodò de modulatione indecora, quæ scilicet inseruit ad prauos animi motus commouendos; vel quatenus asserat huiusmodi instrumenta non esse necessaria, non tamen illicita, nec obstat, quod in sacello Pontificis huiusmodi instrumenta non adhibeantur; Non obstat, inquam, quia ex hoc inferri nequit, quod licitè non possint adhiberi, quia alibi adhibentur scientibus Pontificibus, nec reprobantibus. Quod postea in eorundem sacello non adhibeantur, ideò est, quia ibi non adhibentur, nisi quæ summam præferant grauitatem. *Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. cap. 8. num. 5.* 14

Inter psalmũ, & psalmum licitum est adhibere instrumẽta musica.

Respondeo secundò ad secundum, probabilius esse non satisfieri oneri Diuini Officij, si versiculus vnus à Choro recitetur alta voce cum cantu, & pro altero versiculo pulsetur Organum, & sic successiuè in reliquis versiculis. In hoc consentit *Bonacina de ijs, quæ ad Diuinum Officium in Choro recitandum &c. disp. 2. quæst. 1. punct. 3. num. 4. vers. respondeo hinc non colligi*. Ratio est, quia sonus ille Organi non habet rationem Orationis vocalis; recitatio autem Diuini Officij est oratio vocalis, ergo per illum Organi sonum non satisfit oneri Diuini Officij cum hoc debeat esse per modum vocalium precum. Sed, an saltem tali oneri satisfiat, si recitato per Chorum vno versiculo, dum pulsatur pro alio versiculo Organum, vnus Clericus, vel Canonicus distinctè, & alta voce pronuntiat versiculum, qui deberet decantari, dum ipsum Organum pulsatur, ità vt ille versiculus ab alijs in Choro existentibus audiatur. Videtur affirmare *Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. cap. 8. nu. 7.*, cum tunc dici posset totum officium vocalitèr pronuntiari. Sed in hoc vim aliquam facere videntur ea, quæ in præcedentibus dicebamus, quod scilicet, si ab vna parte in Choro aliquis submissa voce recitet, ità vt non audiatur ab alijs, non satisfaciat oneri Diuini 15 16

Non est licitum recitare vnũ versiculum in Choro & loco alterius adhibere Organũ.

Si dum pulsatur Organũ vnus alta voce proferat versiculum satisfit.

uini

uini Officij; cum igitur, dum Organum pulsatur, vnus tantum pronuntiet illum versiculum alijs non recitantibus, non videntur isti alij satisfacere. Oh hoc aliqui dixerunt, quod omnes è Choro debeant submissa voce illum versiculum, qui correspondet sono Organi, recitare, & non sufficiat, quod vnus alta voce pronuntiet, sicut non sufficit, quod omnes ex vna parte alta voce canant respectu illius, qui submissè recitet. Sed retenta opinione Suarez, quod sufficiat, quod vnus alta voce pronuntiet, ità vt ab alijs extantibus percipiatur, potest dici hoc vsum, & consuetudinem obtinuisse, vt in hac hypothesi vnus vicem omnium in illa pronuntiatione sustineat sic exigente illo modo canendi admisso Organo, nec in hoc valet paritas de eo, qui submissa voce versiculos ex sua parte recitat alijs ex eadem alta voce psallentibus; tum quia hoc vsus non obtinuit; tum, quia in hac hypothesi omnes de suo conferant Communitati, cum omnes suos versiculos canant, iste verò submissè recitans nihil de suo eidem conferat Communitati.

17 *Secundũ alios requiritur, vt omnes ex alia parte submissa voce recitent.*

18 *Praefertur opinio Suarez.*

Dubitatur sextò, an si quis ex officio, vel iussu Superioris, dum officium recitatur ab alijs in Choro pulsat Organa, vel thus defert, vel libros ab vna ad alteram partem defert, si non recitat per se ipsum illam partem, quae per alios persoluitur, dum ipse praestat talia munera, satisfaciat oneri Diuini Officij. In hoc duplex difficultas potest considerari. Prima est, an satisfaciat oneri recitationis formalitèr, vt publicae, prout dicit assistentiam, & obligationem Chori, adeo vt possit percipere distributiones, perindè ac si Choro assisteret. Secunda, an satisfaciat simplicitèr obligationi officij, adeo vt non teneatur, postea priuatim illam partem recitare.

Respondeo primò, ad primam, quantum pertinet ad recitationem formalitèr, vt publicam, prout importat assistentiam, & obligationem Chori, vt possit distributiones percipere, vtique satisfaciat. In hoc procul dubio consentiunt *Reginaldus lib. 19. nu. 160. ad finem*, *Molfesius tract. 5. cap. 2. num. 21., & seqq.*, *Arragonius secunda secundae quaest. 83. art. 12. in fin.*, *Naldus verb. Diuinum Officium num. 7.*, *Nauarrus cap. 21. num. 15.*, qui omnes, dum indefinitè statuunt, satisfacere sine vlla distinctione oneris, vel recitationis publicae, vel priuatae, vtique sentire debent satisfacere oneri assistentiae, & obligationis in Choro. Ratio responsionis est, quia, cum tunc adimpleant munera, quae spectant ad Diuinum cultum in ijs, quae pertinent ad publicam Diuini Officij recitationem, intelliguntur Diuino Officio cooperari, & per alios ipsius defectus suppleri.

19 *Qui alia munera ex officio praestet, satisfacit recitationi publicae etiam si eã partem non recitet.*

Respondeo secundò, ad secundam non plenè satisfacere oneri Diuini Officij simplicitèr, sed tenere partem, quam omisit, priuatim recitare. In hoc consentiunt *Nauarrus cap. 1. de Oratione num. 37.*, *Moneta de distributionibus part. 2. quaest. 2. num. 4.*, *Naldus verb. Diuinum Officium num. 14.*, *Emanuel Sà verb. Horae Canonicae nu. 8.* Ratio ex eo deducitur, quod quis non dicitur recitare Diuinum Officium, qui verba eiusdem non profert, qui autem talia munera exercet, verè non profert verba officij, ergo non recitat, ergo ad adimplendum onus recitationis debet postea priuatim verba recitare, quae non protulit, dum illa munera exercuit.

20 *Non tamen satisfacit oneri officij, nisi priuatim partem omissam recitet.*

ARTICVLVS XXXVIII.

De causis excusantibus à recitatione Diuini Officij.

PLerasque causas Doctores assignant, ex quibus consurgere potest deobligatio ab onere recitandi Horas Canonicas. Prima est infirmitas. Secunda grauis aliqua occupatio. Tertiò carentia Codicis, in quo Diuinum Officium continetur. Quartò priuilegium, seu dispensatio Pontificis. Quintò metus grauis. Sextò ignorantia, & aliae similes. De ijs omnibus ex professo agemus inquirentes, an, & quando deobligent, & quando non. Sed, quia, si de omnibus simul ageremus, articulus in immensum protraheretur, ideò placet eundem in plures sectiones diuidere, in quibus singulis singillatim vnamquamque causam examinabimus.

SECTIO I.

An, & qualis infirmitas excuset ab onere recitandi Diuinum Officium.

SVMMARIVM.

Varia genera infirmitatum. 1.
Si infirmitas sit grauis, & continua consistens in intemperie humorum excusat ab onere recitationis Officij. 2.
In dubio probabili, quod infirmitas sit grauis, excusatur. 3.
Quando iudicio Medici potest sine periculo maioris mali recitare vnam partem, & non totum Officium, tenetur illam partem recitare secundum aliquos. 4.
Secundum alios, si pars, quam potest recitare, sit

1 INfirmitates aliæ sunt graues, aliæ leues, aliæ continuæ, aliæ intermittentes, aliæ, quæ consistunt in carentia sensuum, puta visus, & auditus. Nomine infirmitatis grauis, prout pertinet ad præsens institutum, eam intelligo, quæ Medicorum, & peritorum iudicio grauitèr esset nocitura, si illa extante officium Diuinum recitaretur. De ijs omnibus in præsenti sectione est peragendum.

Plures infirmitates recensentur.

Assertio I. Si infirmitas sit grauis, & continua consistens in intemperie humorum, & perseuerans sine intermissione, vel cum intermissione breui in singulos dies procul dubio excusat ab onere recitationis Horarum Canonicarum. In hoc communitèr consentiunt. 2

Infirmitas grauis, & cõtinua excusat

Ratio clara est, quia obligatio recitandi Diuinum officium prouenit ex præcepto Ecclesiæ, quæ certis hominum statibus hoc onus præscripsit, vt supra sparsim probauimus. Non est autem præsumendum, quod Ecclesia pia, & clemens mater voluerit cum tanto incommodo obligare. Hoc etiam satis expressè colligitur definitum *in cap. Clericus victum distinct. 91.*, vbi dicitur, quod *Clericus absque sui corpusculi inæqualitate*, idest infirmitate, *vigilijs deest*, *stipendio priuatus excommunicetur*, ergo, si deest ob periculum infirmitatis ingrauescendæ, eximetur ab onere interessendi, & recitandi; Neque obstat, si dicatur, quod non obstante etiam tali infirmitate potest cum amicis sine læsione conuersari, & confabulari, ergo etiam poterit cum Deo alloqui Horas Canonicas recitando; Non obstat, inquam, quia in primis hic supponitur, quod possit sine periculo maioris mali recitare; nostra autem assertio procedit ex supposito, quod ex recitatione maius malum immineat. Deindè collocutio, & conuersatio cum amicis potius animum diuertit, officium verò diuinum applicat, quod idem considerauit *Diana part. 2. tract. 12. resol. 53. §. immo.*

Nec obstat, quod tunc possit cũ amicis colloqui.

Assertio II. In dubio, quod infirmitas sit grauis, vel quod grauitèr sit nocitura, & tale dubium sit probabile etiam apud Medicum, probabilius est, quod non teneatur infirmus ad Horas Canonicas recitandas. Consentiunt *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 1. num. 5.*, *& alij* quidquid ex aduerso dixerint *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 28. num. 21.*, *Malderus secunda secundæ tract. 10. cap. 2. dub. 5.*, volentes in tali dubio petendam esse dispensationem.

Ratio ex eo deducitur, quod pericula sunt vitanda, & nemo tenetur se exponere periculo grauis damni; non enim præsumendum est, quod Ecclesia voluerit obligare in dubio probabili talis periculi; neque obstare potest, si dicatur, in dubio possessionem stare pro præcepto, adeoque teneri eo non obstante infirmum cæteroqui obligatum illud adimplere. Non, inquam, obstare potest, quia, licet in abstracto verum sit, quod possessio stet pro præcepto, non tamen verum est, quando ex adimplemento eiusdem timeri possunt grauia damna, quia tunc ius ad 3

In dubio probabili de graui infirmitate excusatur.

se

obligatione ex eo oritur, quod, cum præceptum recitandi Diuinum Officium sit strictissimum, obligat ad adimplementum pro quocunque tempore, pro quo validè, & licitè potest recitari; cum ergo validè, & licitè Matutinum cum Laudibus possit recitari in Vesperis diei præcedentis, vtique videtur in eisdem Vesperis obligari, quando præuidetur, quod die sequenti ratione febris superuenturæ non poterit recitari. Probabiliùs crederem non obligari. Ratio ex eo deducitur, quia non adest obligatio recitandi Matutinum cum Laudibus in Vesperis præcedentis diei, quinimmò talis recitatio est præter ordinem permissa solummodò, non imperata, ergo non tenetur in illis Vesperis præcedentis diei recitare.

14 *Durāte quartana per totum diem nō tenetur die præcedenti recitare Matutinum.*

Instātia opposita, & dissoluta.

Dices primò; nec etiam teneri recitare eadem diei anticipatè, quando febris accedit Vespere, quinimmò hoc etiam si totum officium recitetur, recitatur præter ordinem, & tamen iuxta superius dicta tenetur anticipare, ergo etiam in præsenti hypothesi, quamuis non teneatur recitare præcedenti die in Vesperis Matutinum cum Laudibus, quando febris pro tota die sequenti eum occupat; & quamuis talis anticipatio foret præter ordinem, tenebitur tamen anticipare. Sed contrà, quia omninò dispar est ratio de anticipatione pro eadem die, ac de anticipatione pro die antecedenti; nam in ordine ad eandem diem præceptum vrget pro tota die, ac pro omnibus partibus eiusdem diei incipiendo à media ad mediam noctem; in ordine verò ad diem præcedentem præceptum non vrget, quamuis vigeat permissio, vt possit recitari, adeoque &c.

Dices secundò, quamuis præceptum simplicitèr non vrgeat, vt in Vesperis præcedentis diei recitetur Matutinum cum Laudibus diei subsequentis, vrgere tamen potest, quando rationabilitèr præsumi potest, vt in die subsequenti non possit recitari, sicuti vrget recitandi anticipatè eodem die, quando præuidetur non posse in reliquo diei recitari. Sed contrà, cum præceptum vrgeat pro tota die incipiente à media nocte ad mediam noctem; & obliget pro quacunque parte diei, certè, cum præuideatur in reliquo diei non posse adimpleri, obligat pro illa parte diei, pro qua potest adimpleri; cum autem non vrgeat pro die præcedenti, quantumuis præuideatur non posse solui pro die sequenti, neque pro illa die præcedenti potest obligare, cum dies præcedens etiam in Vesperis non cadat sub præcepto.

Assertio V. Si infirmitas sit talis, vt esset nocitura infirmo, si per se solum recitaret, non esset nocitura, si adhiberetur socius, probabiliùs non excusaret, si commodè socius haberi posset, secus, si nisi cum maxima difficultate, & stipendio. Quoad primam partem *Valentia tom. 2. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 7.*, *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 17.* Quoad secundam *Garzias de benefic. part. 3. c. 1. n. 215.*, *Bonarcius de Horis Canonicis lib. 2. cap. 28. num. 12.* 15

Si potest recitare cū socio tenetur.

Ratio primæ partis est, quia obligatio recitandi Diuini Officij respectu beneficiarij, vel in sacris constituti, vel professi in Religione, est strictissima, quam non præsumendum est Ecclesiam relaxare, nisi ex graui incommodo, ergo, si infirmus recitans cum socio non timet se graue damnum subiturum, & socium commodè habere potest, tenebitur recitare, & hoc à fortiori verificabitur, si, cum esset sanus, consueuerit cum socio recitare. Neque dicas, quod adhibere socium in recitatione Diuini Officij sit omninò liberum, neque cadat sub vllo præcepto, ergo non tenetur illum adhibere, quo non adhibito potest abstinere ab eadem recitatione, cum hæc præuideatur illi grauitèr nocitura; contrà enim impugnaberis, quia, licet præceptum non cadat supra socium secundum se, vt scilicet adhibeatur, cadit tamen supra recitationem, & indirectè super ea, quæ de facili, & commodè possunt influere in eandem recitationem; nam, qui præcipit aliquam operationem præcipit implicitè media, quæ commodè possunt ad illam conducere, & sine quibus haberi non possunt.

Ratio secundæ partis est, quia supposita impotentia morali in parte, quatenus infirmus non potest totum recitare sine periculo grauis damni, sed solummodò partem, si adsit etiam incommoditas grauis pro alia parte, quatenus nonnisi cum graui incommodo, & stipendio, possit habere socius, qui cum ipso recitet, recitatio redditur ex omni parte incommodis, & vtique grauibus obnoxia, ergo non cadit sub obligatione, seu sub præcepto, cum Ecclesia non intelligatur obligare cum tot incommodis. Confirmatur, quia ad adimplendum præceptum auditionis sacri in die festo, quando alitèr adimpleri nequit, non obligatur quis cōducere Sacerdotem erogato eidem stipendio *Bonarcius loco quo suprà*, ergo neque ad adimplendum præceptum recitationis Diuini Officij, quando alitèr adimpleri non potest, nisi cum periculo grauis damni, tenetur quis socium conducere erogando eidem stipendium; quinimmò docet *Lessius lib. 2. c. 37. dub. 9. num. 54.* 16

Secus, si nō possit commodè sociū habere, vel non nisi cum dispēdio.

num. 54., quod, si in sanitate non consueuerit recitare cum socio, non teneatur illum adhibere in infirmitate, & *Garzias de benef. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 215., quod solitus adhibere socium gratis, dum est sanus, non teneatur, dum est ægrotus illum stipendio conducere, quod etiam notauit *Diana part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 221., *& part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 43. §. *immò*.

17 Assertio IV. Si infirmitas consistat in carentia visus, & non teneat memoritèr Officium Diuinum, excusat à recitatione eiusdem, & in hoc consentire debent omnes, quandoquidem est impossibilis recitatio, & Ecclesia ad impossibile non obligat.

Cæcus nō tenēs memoritèr officium excusatur.

Circa hanc visus carentiam plures insurgunt rationes dubitandi. Prima est, an saltem cæcus teneatur officium ab alio audire? Referunt Siluester, & Nauarrus quendam Gerardum, qui pleno ore asserebat, teneri ab alio audire, si commodè posset habere, à quo audiat; sed quo fundamento hoc asserat, non aperit; nullam aliam videtur posse habere rationem, nisi fundatam in propria imaginatione, cum nullus sit assignabilis textus, nullaque ratio, quæ hoc suadeat. Quamobrem communitèr sentiunt ad hoc non teneri, vt signantèr tradunt *Nauarrus de Oratione cap.* 11. *num.* 6., *Siluester verb. hora quæst.* 4., vbi etiam allegat *Innocentium*, *Abbatem*, *& alios Canonistas in cap. dolentes*, *& cap.* 1. *de celebratione Missarum*.

18 *Nec tenetur ab alio audire.*

Secunda est, an saltem pro officio teneantur alias Orationes, quas memoritèr tenent, effundere. Communiùs negant, & inter cæteros *Siluester verb. hora qu.* 4., *Azorius institutionum moralium part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæst.* 8., qui eo nituntur fundamento, quod obligantur dumtaxat ex iure Canonico, à quo, cum liberentur ratione impotentiæ, intelliguntur etiam liberi à quocumque alio onere. Nos autem, qui, licet docuerimus in præcedentibus tale onus formalitèr oriri de iure Canonico, docuimus tamen quoquo modo maximè in beneficiario habere originem à iure naturæ non quidem determinatè quoad Horas Canonicas, sed quoad alias preces, vel munera spiritualia ob eam rationem, quod, sicuti gaudet ex bonis Ecclesiæ profusis ex pijs fidelium largitionibus, quod deindè onus indefinitū fuit per Ecclesiam determinatum ad preces Canonicas, non incongruè modo asserimus, teneri ad aliquas preces fundendas, vel opera spiritualia exercenda, quia illud onus recitandi Horas Canonicas, ratione impotentiæ ad illas resoluitur in primæuum ius naturæ, quod etiam videtur considerasse *Nauarrus de Oratione cap.* 11. *nu.* 19., vbi distinguens sic procedit, asserens, quod quoad ius præcisè Canonicum non teneatur cæcus tali lege, quoad Diuinum naturali verò ius pertinet, vtique teneatur.

19 *Tenetur tamen aliquas preces fundere*

Tertia est, an, si memoritèr aliquam partem officij teneat, teneatur illam recitare omissa ea parte, quam non tenet. In hoc communitèr DD. distinguunt, vel etenim pars, quam tenet, est maior, vel minor; si maior, sentiunt teneri eam recitare, non verò, si sit minor; consentiunt signantèr in hoc *Lessius lib.* 2. *de iust. & iure cap.* 37. *num.* 54., *Azorius institutionum moralium part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *qu.* 4., *Nauarrus de Oratione cap.* 11. *num.* 16., *& seqq.* Sed retenta prima parte huius distinctionis, quam vtique admittimus, negamus secundam partem, si illa pars minor, quam memoritèr tenet, sit tanta, vt correspondeat vni integræ, vel pluribus horis. Ratio est, quia præceptum obligat ad non omittendam quamlibet horam, & omissio cuiuscunque horæ est peccaminosa læthalitèr, ergo, quantumuis sic cæcus excusetur à recitatione aliarum horarum, quas mente non tenet, non excusabitur tamen à recitatione illius, vel illarum, quam, vel quas memoritèr tenet, cum onus vigeat non solum respectu omnium, sed etiam respectu singularum, nec ex eo, quod cæcus eximatur ratione impotentiæ ab aliquibus etiam in maiori parte, eximitur etiam ab alijs licet minoribus, ad quas non habet impotentiam. 20

Partem quam memoritèr tenet tenetur recitare.

Quarta est, an si cæcus teneat memoritèr magnam partem officij, & reliquam, quod non tenet, possit supplere per socium, teneatur illum adhibere ad complendum totum officium. Eodem modo respondendum est, quo supra respondimus de infirmo, qui cum non possit per se solum persoluere totum debitum Horarum Canonicarum tenetur adhibere socium, si commodè potest, non autem, si non possit, nisi cum maximo incommodo, & dispendio; cum eadem currat ratio retenta eadem distinctione. 21

An teneatur partem, quam nō tenet supplere per socium.

Assertio VI. Si infirmitas consistat in carentia auditus non eximitur surdus ab onere Diuini Officij recitandi ex hoc capite. Ab hoc arbitror neminem dissentiri. 22

Surdus tenetur recitare.

Ratio est, quia nullum potest assignari impedimentum, ratione cuius excusetur à tali onere, cum organa requisita ad recitandum habeat, linguam scilicet solutam, qua potest verba proferre, & vocalitèr orare, & oculos apertos, quibus potest legere, & percipere; neque obstare potest, quod ratione carentiæ auditus non

quibus non est compatibilis assistentia ad Chorum propter munera publica, quæ exercent, & vbi modicus est Religiosorum numerus non potest Chorus efformari.

8 Ad secundum dicendum est, omnes quidem obligari radicalitèr, sed non singulos actualitèr. In hoc arbitror consentire, quotquot sustinent Communitates Religiosorum in singulis Conuentibus obligari, non singulæ personæ in particulari; & inter cæteros sunt *Suarez d. tom. 2. de Religione lib. 8. de Oratione vocali c. 10., Bonacina loc. cit.*, quod est id, quod alij dicunt obligari omnes in actu signato, non in actu exercito. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod, cum obligatio afficiat ipsam Communitatem, ità vt ipsa teneatur habere Chorum, qui congruè possit Diuinas laudes profundere, debet habere obligatos constituentes eandem Communitatem, qui teneantur eundem Chorum competentem efformare, & cum non sit maior ratio de vno, quam de altero, omnes in hoc debet habere subiectos; ergo omnes radicalitèr, & in actu signato intelliguntur obligari; cæteroqui inanis esset obligatio Communitatis, si omnes Religiosi nō possent ad hoc munus compelli. Ratio secundæ partis est, quia ita consuetudine receptum est, vt completo sufficientèr Choro, adeo vt ex aliquorum absentia Diuinus cultus non patiatur notabile detrimentum, quale esset, si non decantarentur Diuina Officia, vel nec cum solita, & requisita solemnitate, ijs, qui ità absunt saltem interueniente aliqua causa non imputetur graue peccatum, vt notat *Angelus verb. Hora Canonica num. 25.*, quod idem repetit in similibus fermè verbis *Albertus Specius opusc. de Horis Canonicis rub. in quo loco sint recitandæ fol. 28.*, vbi ad incurrendum peccatum læthale requirit contemptum, & ne ex eorum absentia Diuinus cultus patiatur notabile damnum, quod idem habet *Caietanus in summa verbo Hora rubr. Diuinum Officium quocunque in loco*, vbi inter cætera hæc expressè habet. *Vbi tamen contemptus deest, & propter meam absentiam non notabilitèr læditur Diuini cultus Officij, & Prælati dissimulant parum de ijs, quæ Dei sunt curantes, non incurro mortale peccatum ex hoc, quod desum Horis Canonicis in Ecclesia mea*; nec obstare possunt textus, si qui afferantur, puta *ex Clem. 1. de celebratione Missarum*, quia, vel illi non fuerunt recepti respectu particularium Religiosorum cum illo onere, vel contraria consuetudine fuerunt aboliti.

Vbi est obligatio Chori ibi omnes & singuli tenētur in actu signato non in actu exercito

Rationes pro asserto.

Dices primò, quod dicitur de toto, intelligendum est de singulis membris illius totius *Sotus de iustitia lib. 10. quæst. 3. art. 4. col. 1. circa fin.*, vt illustrari potest exemplis; sic populus Christianus tenetur seruare leges Ecclesiæ, ergo quilibet de populo Christiano tenetur easdem seruare, & sic de similibus, ergo, quod dicitur de Communitate Religiosorū quoad obligationem psallendi in Choro, intelligendum est de singulis Religiosis talis Communitatis. Sed contra, hoc argumentum nimis probat; probat etenim, quod omnes obligationes, quæ tangunt totum Monasterium, tangant etiam singulos Monachos, quod ex se patet esse falsum; sic totum Monasterium tenetur soluere debitum contractum, non tamen singuli ex Monasterio, sic totum Monasterium potest per censuras compelli ad accedendum ad processiones solemnes, quæ fiunt per clerum Laicalem, non tamen singuli Religiosi. Quamobrem dico, quod illud axioma. Quæ dicuntur de toto, intelligenda sunt de singulis membris, intelligendum sit solummodò, quando eadem ratio, eademque consuetudo recepta est æque de toto, ac de partibus; consuetudo autem viget, quod horæ in singulis Monasterijs quotidiè in Choro persoluantur; non autem, quod semper singuli Religiosi intersint, adeoque ius quoad totum viget *d. Clement. 1. de celebratione Missarum*, non autem quoad singulas partes, nisi quatenus ex illarum defectu deficeret, vel notabilitèr diminuetur cultus Diuinus in psalmodia in tali Ecclesia. 9

Non semper verificatur axioma quod dicitur de toto intelligitur de partibus.

Dices secundò. Si Canonici in Cathedrali, vel Collegiata absint a Choro non solum amittunt distributiones, & fructus correspondentes tempori, pro quo absunt, sed etiam contrahunt grauem culpam, si absint sine legitima causa, ergo Regulares Choro addicti, si absint sine graui, & legitima causa, quamuis non amittant aliquas distributiones, & fructus, cum nullas, & nullos percipiant, contrahent tamen grauem culpam ob talem absentiam. Sed contra admisso antecedente, cum hoc expresse habeatur declaratum a Pio V. in sæpius allegata ipsius Constitutione Incipiente *ex proximo Lateranensi Concil.* Ibi *Subtrahenti se à Choro, vltra amissionem distributionum, & fructuum, graue se intelligas peccatum admittere*, neganda est consequentia propter rationem mox adductam, quia ex consuetudine receptum est, vt ità obligentur Canonici Cathedralium, & Collegiatarum, non autem, vt Religiosi ità compellantur; quinimmò ex eo, quod Pius V. hoc expressa renouatione dixerit de Canonicis addictis Cathedralibus, & Collegiatis, & non de Regularibus Choro 10

Nō valet argumentum de Canonicis in Cathedrali ac de Religiosis in Monasterio.

addictis

addictis arguitur, quod onus quoad illos fuerit renouatum, non quoad istos.

Ad tertium Marchinus, qui in omnibus quoad hanc obligationem æquiparat Communitates Religiosorum ad singulos Religiosos, quinimmò ab onere illarum arguit ad onus istorum *d. tract. 2. de ordinibus in particulari part. 6. de Subdiaconatu cap. 12. difficult. 11. num. 15.*, cum docuisset *hoc eodem in loco num. 2.* excusari particulares, si semel, iterum, aut tertio absint à Choro, modo *ibidem n. 17.*

11 *Superiores ex honesta causa permittentes pro vna vel altera vice omissionem in Choro non grauiter peccarent.*

non excusat à læthali Prælatum Religionis, vel Monasterij, qui absque grauissima causa permittit in propria Ecclesia omitti primam, aut aliam Horam Canonicam assuetam in Choro decantari. Certè videtur in hoc agnoscere maius onus Communitatis, ac singulorum Religiosorum, vel sibi contradicere. Non ita rigidè ego procederem, quin aliquando ob multiplices Religiosorum functiones, vel in alijs sacris ministerijs, vel Sacramentis populis ministrandis occupatorum, vel ob honestum animorum corporumque subleuamen possint huiusmodi Prælati indulgere; cautè tamen in hoc aduerterem producendum, ne abusus ab exemplo inducantur.

12 *Religiosi, qui causam dederāt omissioni Chori ex sua absentia grauitèr peccant.*

Ad vltimum, cum dixerimus radicalitèr obligari, certum videtur, quod quotiescunque ex ipsorum absentia prætermitteretur Diuinum Officium recitari in Choro, vel notabilitèr dimminueretur cultus Diuinus, grauitèr peccarent; cum etenim omissio recitationis in Choro respectu Communitatis sit grauitèr peccaminosa, ipsi, qui causam darent talis omissionis, non possent à graui culpa excusari. Non excusarem etiam à graui culpa eos, si ex tali absentia ingererent in alijs scandalum, & fortè etiam exemplo remouerent alios à Choro. Non excusant etiam à graui *Angelus verb. Hora Canonica n. 25.*, *Albertus Speccius opusc. de Horis Canonicis rub. in quo loco sint recitanda fol. 28.*, quando ex consuetudine non interessent sine causa, quod, an verum sit, alij iudicent; ego probabilius affirmarem saltem ratione adiacentium; cum vix possit concipi talis voluntaria, diutina, & consuetudinaria absentia sine cæterorum admiratione, & scandalo, & sine notabili iactura Diuini cultus contra proprium statum Religiosorum, qui exigit vacare Deo &c.

13 *Item assueti abesse sine causa.*

ARTICVLVS XXXVII.

Expenduntur nonnulla de publica recitatione in Choro.

SVMMARIVM.

Adest in Ecclesia Dei obligatio recitandi Diuinum Officium in Choro. 1.

Hæc obligatio tangit Communitates Religiosorum, & radicalitèr ipsos Religiosos. 2.

Item Collegiatas, & Cathedrales, & respectiuè Clericos eisdem addictos. Ibidem.

Intellige, nisi alitèr ferat consuetudo. 3.

Non est necesse, quod hæc consuetudo sit immemorabilis, sed sufficit quadragenaria. 4.

Intellige item, nisi alitèr ferat institutio talis Ecclesiæ. 5.

Clerici Choro addicti, quantum abesse possint ex dispositione Concil. Trid. 6.

Absentes vltra tempus à Concilio præscriptum sine causa grauitèr peccant. 7.

Opinio Suarez asserentis absentiam vnius diei vltra præscriptum à Concilio esse peccaminosam læthalitèr. 8.

Probabilius non est notabilis, nec peccaminosa læthalitèr absentia trium, vel quatuor dierum. Ibid.

Recitans submissa voce in Choro alijs altè psallentibus non satisfacit oneri Diuini Officij. 9.

Multo minùs satisfacit recitationi publicæ. 10.

Nec acquirit distributiones. 11.

Consuetudine potest induci, vt Canonici præcisè assistentes, & non canentes acquirant distributiones. 12.

Et hoc etiam post Concil. Trident. 13.

Licitum est in recitatione Officij in Choro adhibere instrumenta Musica inter psalmum, & psalmum, & inter alias partes eiusdem Officij. 14.

Non licitum est recitare vnum versiculum in Choro, & loco alterius adhibere sonitum Organi. 15.

Si dum Organum pulsatur loco vnius versiculi vnus ex Choro alta voce recitet versiculum secundum Suarez satisfit. 16.

Secundum alios requiritur, vt omnes ex illa parte, qui recitare deberent, recitent submissa voce. 17.

Præfertur opinio Suarez. 18.

Qui, dum cantatur Officium solemnitèr, ex officio, vel iussu superioris Organa pulsat, vel thus defert, si non recitet partem, quæ tunc cantatur satisfacit recitationi formalitèr, vt publicæ. 19.

Non tamen satisfacit oneri Officij, nisi postea priuatim partem omissam recitet. 20.

HActenus, vt plurimum egimus de ijs, quæ pertinent ad priuatam recitationem Diuini Officij, licet ex occasione aliqua etiam attigerimus, quæ publicam concernunt recitationem. Nunc ex professo de hac agemus breuiori tamen, qua poterimus, methodo, quod præstabimus per subsequentes dubitationes, & earum respectiuè resolutiones.

Dubitatur primò, vtrum extet in Ecclesia obligatio recitandi Diuinum Officium in Choro publicè, & quosnam talis obligatio afficiat.

1 *Obligatio psallendi in Choro viget in Ecclesia Dei.* Respondeo primò, talem obligationem in Ecclesia Dei adesse. Consentiunt communitèr, & signantèr *Suarez tom. 2. de Religione lib. 409.*, *Filliutius tom. 2. tract. 23. cap. 4. quæst. 4.*, *Molfesius in summa de Horis Canonicis tract. 5. cap. 2. num. 64.*, *& seqq.*, *Bonacina de ijs, quæ ad Diuin. Offic. publ. in Choro recitandum disp. 2. quæst. 1. punct. 1. prop. 1. num. 1.*, *& Summistæ communitèr in verb. Horæ*. Probatur, quia æquum fuit, vt hæc obligatio in Ecclesia Dei induceretur, & de facto fuit inducta. Antecedens probatur quoad primam partem tum ratione Ecclesiæ, tum ratione Clericorum, tum ratione populi; ratione Ecclesiæ, quia, cum ipsa sit deputata ad Diuinum cultum, maximè decet, vt in eadem tanquam æmula, seu pedissequa triumphantis Ecclesiæ resonent psallentiū cantus, & Diuinæ laudes; ratione Clericorum eisdem Ecclesijs deputatorum, qui, cum ratione proprij status debeāt vacare Deo, rebusque, seu functionibus Ecclesiasticis in ædificationem populorum excepto Sacramentorum ministerio, & instructione populorum in Mysterijs Fidei in alio non videntur congruentiùs versari posse, quam in Diuina psalmodia; ratione populorum, quia interessendo maximè excitantur ad pietatem, & ad eleuationem mentis in Deum. Probatur idem antecedens quoad secundam partem *ex cap. fin. distinct. 92.*, vbi decernitur deponendos esse Clericos, qui ad decantandum Diuinum Officium in Choro non conueniunt; item *ex Clem. 1. de celebratione Missarum*, vbi hæc habentur. *Nec non, vt in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesijs horis debitis deuotè psallatur*, & postea subditur. *Si Dei, & Apostolicæ sedis indignationem euitare voluerint*.

2 *Quosnā afficiat hęc obligatio.* Respondeo secundò. Hæc obligatio afficit Communitates Religiosorum, & radicalitèr ipsos Religiosos; Collegiatas, & Cathedrales, & respectiuè Clericos earundem, seu eisdem addictos. In hoc consentiunt communitèr scribentes *in d. c. fin. distinct. 92. item Suarez lib. 2. de Relig. lib. 4. cap. 10. num. 3.*, *Paulus Laiman lib. 4. tract. 2. cap. 7. quæst. 7. n. 7.*, *Carolus Macignus de Horis Canonicis c. 56.*, & alij plures apud eosdem. Colligitur *ex d. cap. fin. distinct. 92.*, *item ex Clement. 1. de celebratione Missarum*, *& cap. 1. eodem tit.*, & quidem de Collegiatis, & Cathedralibus nulla videtur posse esse ratio dubitandi, cum de ijs expresѐ loquantur præcitata iura; de Clericis verò, & Canonicis, in quibus potest esse maior difficultas, cum enim videantur obligari ratione distributionum, videntur se posse eximere cedendo eisdem distributionibus; nihilominus sentiendum est, directè obligari stante Constitutione Pij V. incipiente *Ex proximo Lateranensi Concilio* Ibi *Is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem graue peccatum intelligatur admisisse*.

Excipiendum tamen esse in casibus, quibus aliter fert consuetudo, vel Ecclesiæ institutio, cum etenim obligatio oriatur dumtaxat ex iure positiuo, consuetudo legitimè inducta potest eidem derogare. Sed, an requiratur ad deobligandum, vt talis consuetudo sit immemorabilis. *Suarez d. tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 10. num. 5.*, *& cap. 12. num. 13.*, quem postea secutus est *Bonacina d. disp. 2. quæst. 1. punct. 1. num. 4.*, sentit non esse necesse, vt sit immemorabilis. *Caietanus verò verb. Hora*, *Nauarrus de Oratione cap. 22. n. 101.*, *Carolus Macignus de Horis Canonicis cap. 63. num. 9.*, requirunt, vt sit immemorabilis. In hoc ego arbitror probabilius esse, non requiri immemorabilem, sed sufficere consuetudinem quadraginta annorum, vt præter citatum Suarez sustinent *Bonacina non solum loc. cit.*, *sed etiam de legibus disp. 1. quæst. 1. punct. vltim. §. 3. num. 32.*, *Salas disp. 19. sect. 4. num. 42.*, *Reginaldus lib. 13. num. 247.*, & ratio est, quia in iure Canonico non dicitur consuetudo legitimè præscripta, nisi spacio quadraginta annorum, & per tale spacium præscribuntur etiam res Ecclesiasticæ. 3 *Intelligē, nisi alitèr ferat consuetudo.* 4 *Etiam si non sit immemorabilis.*

Dixi, *nisi alitèr ferat institutio talis Ecclesiæ*, nam, si in institutione, seu fundatione talis Ecclesiæ statutum sit, vt Clerici eiusdem Ecclesiæ ad alia munera incumbant, puta ad Sacramentorum administrationem, ad docendos populos in Mysterijs Fidei, & legibus Diuinis, & Ecclesiasticis, vel inseruiendum infirmis, & peregrinis sine vllo onere recitandi Horas Canonicas in Choro, tunc certè non vrgebit hæc obligatio, vel si in institutione statutum fuerit, vt non quotidiè, sed certis diebus horæ huiusmodi in Choro recitentur, vel solum etiam Vesperæ, nonnisi Horis Canonicis pro diebus statutis, vel Vesperis tenebuntur Clerici, & Ca- 5 *Intellige item nisi alitèr ferat institutio talis Ecclesiæ*

& Canonici illius, vel illarum Ecclesiarum, nam non obligantur, nisi iuxtà Ecclesiæ fundationem, seu institutionem.

6 *Canonici Choro addicti quantū abesse possint ex Cōcil. Trid.*

Dubitatur secundò, an Clerici, & Canonici addicti Choro in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali ità teneantur interesse, vt, si fine graui causa non intersint pro aliquo, & quonam tempore, contrahant noxam læthalem. *Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12.*, statuit, vt *obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, prebendas, aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis vltra tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse saluis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus*, ex qua dispositione inferunt *Carolus Macignus de Horis Canonicis cap. 64. num. 19.*, *Bonacina de Horis Canonicis disp. 2. quæst. 1. punct. 2. num. 2.*, quod, qui extra illos tres menses à Concilio præscriptos abesset à Choro, quamuis amitteret distributiones, non peccaret, argumento deducto ab ijs, quæ communiter dicuntur de onere, & obligatione ad residendum. Difficultas igitur versatur circa absentiam vltra tres illos menses à Concilio præscriptos.

7 *Absentes vltra tempus à Concilio præscriptū grauitèr peccant.*

Respondeo, si notabilitèr vltra illud tempus à Concilio præscriptum abessent sine graui causa, vtique grauitèr peccarent *Suarez de Religione tom. 2. lib. 4. c. 10. num. 17., & cap. 13. nu. 5., & seqq., Garzias de benef. tertia part. cap. 2. num. 321. dub. 5., Vasquez de benef. art. 2. dub. primo n. 182., Macignus de Horis Canonicis c. 62.*, contra *Caietanum verb. Hora, §. 5., Valentiam tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. in quo loco, & alios volentes, quod si priuatim recitent, non peccent, nisi venialitèr*. Ratio ex eo deducitur, quod Canonicus, seu Clericus beneficiatus addictus Ecclesiæ ex vi proprij beneficij non solum obligatur ad recitationem priuatam Diuini Officij, sed etiam ad publicam in Choro, ergo, si non recitet, & per tempus notabile à Choro deficiat, à proprio munere, & per consequens quodamodo contra iustitiā deficiet, quod ex genere suo est peccatū graue, propter quod Pius V. in præfata sua Constitut. incipiente *ex proximo Lateranensi* declarat sic deficientem præter amissionem fructuum, & distributionum peccare læthalitèr. Ad hoc comprobandum *Garzias de beneficijs p. 3. cap. 2. num. 323.*, refert plures Sacræ Congregationis declarationes.

Sed difficultas modo est in explicando, quænam absentia possit dici notabilis, vt inducat noxam læthalem. *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 13.*, existimat notabilem, & sufficientem ad inducendum peccatum læthale illam absentiam, quæ excedit vnum diem; sed hanc restrictionem ad vnum dumtaxat diem nimis rigorosam arbitrantur alij communitèr. *Bonacina d. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. num. 2. vers. Dixi notabilitèr absunt*, arbitratur absentiam per tres, vel quatuor dies vltra tempus præscriptum à Concilio Tridentino, non esse notabilem, nec sufficientem ad peccatum læthale. Hanc secundam opinionem vtpotè mitiorem amplectendam arbitror, cum hæc absentia respectu ad totum annum pro leui materia reputetur. Quod, si dicas, quod, si non peccat grauitèr per absentiam trium, vel quatuor dierum à Choro, nec etiam peccabit grauitèr per absentiam quinti, sexti, & aliorum dierum, quandoquidem illæ omissiones non continuantur, sed sunt plures distinctæ, quæ singulis diebus prætereunt, cum fiut affixæ eisdem diebus, & sicuti officia ipsa, quæ sunt affixa singulis diebus, non continuantur, ita & omissiones eorundem, & propterea, si absentia per vnum diem non est peccaminosa læthalitèr, nec absentia per alterum erit talis; & sic successiuè, & quamuis daremus absentiam vnius diei esse venialitèr peccaminosam, absentia item alterius diei non esset, nisi peccaminosa venialitèr, & sic nunquam constitueretur peccatum læthale, cum ex multiplicatione venialium nunquam læthale consurgat. Si, inquam, hoc dicas; statim impugnaberis, quia non facienda est extensio ab obligatione recitandi Diuinum Officium ad obligationem residendi in Choro; quandoquidem prima obligatio ex mente legislatoris est affixa singulis diebus, adeoque tot sunt obligationes, quot sunt dies; Secunda autem obligatio ex præsumpta mente eiusdem respicit Ecclesiæ officiaturam continuatam, & decus, quæ propterea regulanda est secundum præsumptam mentem eiusdem legislatoris ad normam decoris eiusdem Ecclesiæ, quod excepto illo trimestri à Tridentino permisso magis læditur ex absentia plurium, quam paucorum dierum.

8 *Quænā absentia requiratur ad talem culpam.*

Absentia triū, vel quatuor dierum non est peccaminosa læthalitèr.

Dubitatur tertiò, an Clerici Choro addicti teneantur alta voce canere, an sufficiat, quod alijs canentibus versiculos ex sua parte submissa voce recitent, & per hoc satisfaciant. *Caietanus in summa verb. Hora Canonica, §. 4.*, videtur sentire sic submissa voce recitantes in Choro alijs canentibus satisfacere suo muneri, & officio, sed postea *in opusculis tom. 1. tract. vltim. in resp. 8.*, videtur à prædicta opinione recessisse. Sed in hoc distinguendum ego arbi-

Recitantes in Choro submissa voce, an satisfaciant.

arbitror, vel enim sensus dubij excitati eo dirigitur, vt resoluatur, an sic recitantes satisfaciant oneri Diuini Officij, adeovt non teneantur amplius priuatim repetere, vel sensus sit, an satisfaciant oneri, quod habent publicè recitandi in Choro, vel sensus sit, an per illam recitationem submissa voce ita satisfaciant, vt possint recipere quotidianas distributiones. Ratio dubitandi quoad primum sensum est, quod non videtur posse gaudere de beneficio Communitatis, qui nihil confert Communitati; qui autem alijs canentibus submissa voce versiculos ex sua parte recitat, nil Communitati confert; ergo nec de illius beneficio potest gaudere; hoc etenim vsu inductum est, vt in alternatim psallentibus intelligatur ab omnibus plenè satisfactum, quamuis omnes non integrè recitent, sed pro parte tantum, quia omnes sibi communicant ad inuicem recitationem propriam; cum autem hic, qui submissa voce recitat, non communicet cum alijs altè psallentibus, non videtur iustè gaudere eorũ beneficio.

Duplex sensus difficultatis.

9 Respondeo primò, probabiliùs esse, nec satisfacere oneri Diuini Officij. Consonat cum ijs, quæ tradidimus *in hac eadem quæst. art. 29. vers. ex occasione eorum*, vbi rationem adduximus, quam modo in ratione dubitandi attulimus, quod scilicet quis non gaudeat beneficio Communitatis, qui nil confert Communitati, & ibi pro hac eadem sententia allegauimus *Nauarrum de Oratione cap. 32. miscel. 79., & cap. 10. num. 47., Azorium institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 11. §. 5.*, qui, quamuis ab alijs intelligantur de negatione satisfactionis in ordine ad officium publicum, non autem de negatione satisfactionis in ordine ad priuatam recitationem; re tamen vera intelligendi sunt quoad priuatam recitationem etiam, quandoquidem signantèr *Azorius ibidem*, duo dicit, primum, quod sic recitantes non satisfaciant suo muneri, & Ecclesiæ; alterum, quod non acquirant distributiones; hoc autem secundum frustraneè dixisset, si intelligendus esset solummodò de negatione satisfactionis in ordine ad recitationem publicam; siquidem eo ipso, quod non satisfecerit officio publico, non acquireret distributiones, dum ergo vnum ab altero secernit, videtur per primum innuere non satisfacere etiam quoad recitationem priuatam. Deindè ratio à nobis adducta sufficientèr etiam euincit de negatione satisfactionis in ordine ad priuatam etiam recitationem, non enim potest gaudere beneficio Communitatis, qui Communitati non communicat.

Recitãs submissa voce in Choro alijs altè psallentibus nõ satisfacit officio.

Dices, si Canonicus Choro addictus alijs altè psallentibus submissa voce totum officium recitaret, vtique satisfaceret oneri recitationis priuatæ, quamuis non satisfaceret oneri recitationis publicæ, ergo etiam satisfacere censendus est, si priuatim suos versiculos recitet, audiendo alios recitantes, & psallentes ex altera parte. Sed contra; neganda est consequentia. Ratio est, quia qui priuatim totum officium recitet, licet hoc præstet in Choro alijs altè psallentibus, totum ex se præstat, quod pertinet ad priuatam recitationem, nec aliquid ab alijs participat; qui verò submisse recitat ex sua parte, alijs ex altera altè canentibus non totum recitat, nec potest gaudere beneficio aliorum ex altera parte canentium, cum nihil de suo illis conferat, adeoque &c.

Instãtia proposita, & dissoluta.

Respondeo secundò, magis certum est, quod sic submisse recitando non satisfaciat recitationi publicæ. In hoc sine dubio consentiunt *Nauarrus, & Azorius locis quibus supra.* Ratio est primò, quia, si non satisfacit recitationi priuatæ, vt mox probauimus, multo minùs recitationi publicæ. Deindè quomodo dici potest satisfacere publicæ recitationi; si ipse publicè non recitat? Tandem *in cap. fin. distinct. 92.*, dicitur Clericos Choro deputatos debere in Ecclesia conuenire ad quotidianum psallendi officium; Non dicitur autem psallere, qui Diuinum Officium submissa voce recitat. 10

Nec satisfacit recitationi publicæ.

Respondeo tertiò, sic submissa voce recitantes in Choro non acquirunt quotidianas distributiones. In hoc communitèr consentiunt. Ratio est clara, quia huiusmodi distributiones dantur non ratione præsentiæ, sed etiam, & principalitèr ratione cantus in Choro, ergo, vbi quis deficit in cantu, deficit in ea, ratione cuius lucraretur huiusmodi distributiones, adeoque non est, cur debeat easdem lucrari. Accedit Constitutio Pij V. sæpiùs enuntiata incipiens. *Ex proximo Lateranensi Concil.*, in qua decernitur, vt Canonicus, qui non canit in Choro, licet præsens adsit, amittat fructus, quos alioqui lucrifecisset, si cantasset. 11

Nec acquirit distributiones

Dubitatur quartò, an consuetudine possit induci, vt Canonici alicuius Cathedralis, seu Collegiatæ solum præsentes sint Diuinis Officijs, quæ recitantur in Choro, & non canant, & tamen lucrentur distributiones. Nonnulli absolutè asserunt tali consuetudine hoc non posse induci; nam hoc est cautum de iure naturæ, vt datum ob causam non acquiratur causa non adimpleta; cum igitur distributiones dantur ob psalmodiam, &

cantum

cantum in Choro, ipsa psalmodia, & cantu non posito non debent iuxtà ius naturali conferri. Nihilominus

12 *Consuetudine potest induci, vt Canonici præcisè assistentes, & non canentes acquirāt distributiones.*

Respondeo, hoc consuetudine legitimè præscripta induci. Consentit *Azorius institut. moralium part. 1. lib. 10. c. 11. quæst. sexta*. Ratio ex eo deducitur, quod in hoc non violatur ius naturæ, sed præcisè ius Canonicum, quod statuit, vt, si Canonici, & Clerici Choro addicti non canant, non lucrentur huiusmodi distributiones; cum autem ius Ecclesiasticum possit præscribi per consuetudinem contrariam legitimè præscriptam, non est, cur hac legitimè inducta non possit conferre ius ad easdem distributiones acquirendas per solam in Choro assistentiam, etiam si Canonici, seu Clerici huiusmodi non canant supplentibus tamen alijs substitutis defectum cantus ipsorum. Ad illud, quod ex contraria sententia afferebatur, quod de lege naturæ datum ob causam eadem causa non secuta non debeatur, dicendum est, distributiones Chori tum ob præsentiam, tum ob cantum, & sic seruata præsentia non videtur, cur obligatio cantus non possit præscribi potissimum, si per alios suppleatur. In multis igitur Ecclesijs inductum est, vt Canonici suppleant cantum per Clericos sibi substitutos, quos alicubi Mansionarij, alibi Capellani, alibi assisij appellantur, qui regularitèr percipiunt fructus detractos à beneficijs ipsorum Canonicorum.

13 *Et hoc etiā post Concil. Trident*

Sed, an modo habeat locum hæc consuetudo post dispositionem *Concilij Tridentini sess. 24. de reformatione cap. 12.*, & *Constitutionem Pij V.* incipiente *ex proximo Lateranensi Concilio*? Affirmatiuè respondendum, quandoquidem huiusmodi iura non derogant consuetudini legitimè præscriptæ; vndè huiusmodi consuetudo locum habebit siue fuerit præscripta ante edita huiusmodi iura, siue incæperit ante ipsa, & post ipsa per legitimum tempus perseuerauerit, siue incæperit, & perseuerauerit post ipsa.

Dubitatur quintò, an licitum in recitatione Diuini Officij adhibere Musica instrumenta. Hoc dubium potest duplicitèr intelligi; primò, quatenus adhibeantur huiusmodi instrumenta inter psalmum, & psalmum, vel inter alias partes eiusdem officij, ità tamen, vt totum officium persoluatur à Choro, vel quatenus Chorus ex vna parte canat vnum versiculum, & ex alia alium versiculum suppleant Organum, vel alia Musica instrumenta, adeo vt alternatim procedat Chorus, & Organum, seu alia Musica instrumenta.

Respondeo, iuxtà primum sensum licere adhibere eadem Musica instrumenta *Caietanus in summa verb. Organorum vsus*, *Suarez tom. primo de Religione lib. 4. cap. 8. num. 5., & seqq.*, *Molfesius in summa tract. 5. cap. 2. num. 65.*, *Filliutius tract. 23. c. 3. ad fin. num. 120.*, *Carolus Macignus cap. 61. num. 9.* Hoc probatur ex communi Ecclesiæ praxi, secundum quam huiusmodi instrumenta adhibentur scientibus Ecclesiæ Prælatis, & approbantibus. Secundò, quia huiusmodi instrumenta plurimum conferunt ad excitandam pietatem, tum in ipsis canentibus, tum in audientibus, & licet in hoc videatur obstare *Diuus Thomas secunda secundæ quæst. 91. art. 2. ad quartum*; ipse tamen intelligendus est, solummodò de modulatione indecora, quæ scilicet inseruit ad prauos animi motus commouendos; vel quatenus asserat huiusmodi instrumenta non esse necessaria, non tamen illicita, nec obstat, quod in sacello Pontificis huiusmodi instrumenta non adhibeantur; Non obstat, inquam, quia ex hoc inferri nequit, quod licitè non possint adhiberi, quia alibi adhibentur scientibus Pontificibus, nec reprobantibus. Quod postea in eorundem sacello non adhibeantur, ideò est, quia ibi non adhibentur, nisi quæ summam præferant grauitatem. *Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. cap. 8. num. 5.* 14 *Inter psalmū, & psalmum licitum est adhibere instrumēta musica.*

15 *Non est licitum recitare vnū versiculum in Choro & loco alterius adhibere Organū.*

Respondeo secundo ad secundum, probabilius esse non satisfieri oneri Diuini Officij, si versiculus vnus à Choro recitetur alta voce cum cantu, & pro altero versiculo pulsetur Organum, & sic successiuè in reliquis versiculis. In hoc consentit *Bonacina de ijs, quæ ad Diuinum Officium in Choro recitandum &c. disp. 2. quæst. 1. punct. 3. num. 4. vers. respondeo hinc non colligi*. Ratio est, quia sonus ille Organi non habet rationem Orationis vocalis; recitatio autem Diuini Officij est oratio vocalis, ergo per illum Organi sonum non satisfit oneri Diuini Officij cum hoc debeat esse per modum vocalium precum. Sed, an saltem tali oneri satisfiat, si recitato per Chorum vno versiculo, dum pulsatur pro alio versiculo Organum, vnus Clericus, vel Canonicus distinctè, & alta voce pronuntiat versiculum, qui deberet decantari, dum ipsum Organum pulsatur, ità vt ille versiculus ab alijs 16 *Si dum pulsatur Organū vnus alta voce proferat versiculum satisfit.* in Choro existentibus audiatur. Videtur affirmare *Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. cap. 8. nu. 7.*, cum tunc dici posset totum officium vocalitèr pronuntiari. Sed in hoc vim aliquam facere videntur ea, quæ in præcedentibus dicebamus, quod scilicet, si ab vna parte in Choro aliquis submissa voce recitet, ità vt non audiatur ab alijs, non satisfaciat oneri Di-

uini

uini Officij; cum igitur, dum Organum pulsatur, vnus tantum pronuntiet illum versiculum alijs non recitantibus, non videntur isti alij satisfacere. Ob hoc aliqui

17 *Secundū alios requiritur, vt omnes ex alia parte submissa voce recitent.*

dixerunt, quod omnes è Choro debeant submissa voce illum versiculum, qui correspondet sono Organi, recitare, & non sufficiat, quod vnus alta voce pronuntiet, sicut non sufficit, quod omnes ex vna parte alta voce canant respectu illius, qui submissè recitet. Sed retenta opinione Suarez, quod sufficiat, quod vnus alta voce pronuntiet, ità vt ab alijs extantibus percipiatur, potest dici hoc vsum, & consuetudinem obtinuisse, vt in hac hypothesi vnus vicem omnium in illa pronuntiatione sustineat sic exigente illo modo canendi admisso Organo, nec in hoc valet paritas de eo, qui submissa voce versiculos ex sua parte recitat alijs ex eadem alta voce psallentibus; tum,

18 *Praefertur opinio Suarez.*

quia hoc vsus non obtinuit; tum, quia in hac hypothesi omnes de suo conferant Communitati, cum omnes suos versiculos canant, iste verò submissè recitans nihil de suo eidem conferat Communitati.

Dubitatur sextò, an si quis ex officio, vel iussu Superioris, dum officium recitatur ab alijs in Choro pulsat Organa, vel thus defert, vel libros ab vna ad alteram partem defert, si non recitat per se ipsum illam partem, quæ per alios persoluitur, dum ipse præstat talia munera, satisfaciat oneri Diuini Officij. In hoc duplex difficultas potest considerari. Prima est, an satisfaciat oneri recitationis formalitèr, vt publicæ, prout dicit assistentiam, & obligationem Chori, adeo vt possit percipere distributiones, perinde ac si Choro assisteret. Secunda, an satisfaciat simplicitèr obligationi officij, adeo vt non teneatur, postea priuatim illam partem recitare.

Respondeo primò, ad primam, quantum pertinet ad recitationem formalitèr,

19 *Qui alia munera ex officio præstet, satisfacit recitationi publicæ etiam si eā partem non recitet*

vt publicam, prout importat assistentiam, & obligationem Chori, vt possit distributiones percipere, vtique satisfaciat. In hoc procul dubio consentiunt *Reginaldus lib. 19. nu. 160. ad finem*, *Molfesius tract. 5. cap. 2. num. 21., & seqq.*, *Arragonius secunda secundæ quæst. 83. art. 12. in fin.*, *Naldus verb. Diuinum Officium num. 7.*, *Nauarrus cap. 21. num. 15.*, qui omnes, dum indefinitè statuunt, satisfacere sine vlla distinctione oneris, vel recitationis publicæ, vel priuatæ, vtique sentire debent satisfacere oneri assistentiæ, & obligationis in Choro. Ratio responsionis est, quia, cum tunc adimpleant munera, quæ spectant ad Diuinum cultum in ijs, quæ pertinent ad publicam Diuini Officij recitationem, intelliguntur Diuino Officio cooperari, & per alios ipsius defectus suppleri.

Respondeo secundò, ad secundam non plenè satisfacere oneri Diuini Officij simplicitèr, sed tenere partem, quam omisit, priuatim recitare. In hoc consentiunt *Nauarrus cap. 1. de Oratione num. 37.*, *Moneta de distributionibus part. 2. quæst. 2. num. 4.*, *Naldus verb. Diuinum Officium num. 14.*, *Emanuel Sà verb. Horæ Canonicæ nu. 8.* Ratio ex eo deducitur, quod quis non dicitur recitare Diuinum Officium, qui verba eiusdem non profert, qui autem talia munera exercet, verè non profert verba officij, ergo non recitat, ergo ad adimplendum onus recitationis debet postea priuatim verba recitare, quæ non protulit, dum illa munera exercuit. 20 *Non tamen satisfacit oneri officij, nisi priuatim partem omissam recitet.*

ARTICVLVS XXXVIII.

De causis excusantibus à recitatione Diuini Officij.

PLerasque causas Doctores assignant, ex quibus consurgere potest deobligatio ab onere recitandi Horas Canonicas. Prima est infirmitas. Secunda grauis aliqua occupatio. Tertiò carentia Codicis, in quo Diuinum Officium continetur. Quartò priuilegium, seu dispensatio Pontificis. Quintò metus grauis. Sextò ignorantia, & aliæ similes. De ijs omnibus ex professo agemus inquirentes, an, & quando deobligent, & quando non. Sed, quia, si de omnibus simul ageremus, articulus in immensum protraheretur, ideò placet eundem in plures sectiones diuidere, in quibus singulis singillatim vnamquamque causam examinabimus.

SECTIO I.

An, & qualis infirmitas excuset ab onere recitandi Diuinum Officium.

SVMMARIVM.

Varia genera infirmitatum. 1.

Si infirmitas sit grauis, & continua consistens in intemperie humorum excusat ab onere recitationis Officij. 2.

In dubio probabili, quod infirmitas sit grauis, excusatur. 3.

Quando indicio Medici potest sine periculo maioris mali recitare vnam partem, & non totum Officium, tenetur illam partem recitare secundum aliquos. 4.

Secundum alios, si pars, quam potest recitare, sit

sit maior, tenetur illam recitare, secus si sit minor. 5.
Supposito, quod Iudicio Medici possit recitare maiorem partem teneatur illam recitare, etiam quando potest minorem, tenetur illam recitare. 6.
Infirmitas leuis secundum se non excusat. 7.
Quænam dici possit infirmitas leuis. 8.
Infirmitas intermittens, vt quartana pro die, qua vexat, deobligat, non pro diebus, quibus non vexat. 9.
Si febris quartana incipiat in Vesperè, vel manè, & terminet antequam terminet dies secundum Villalobos, & alios tenetur totum officium recitare, vel anticipatè, vel postpositè ad febrim. 10.
Secundum Laurum, & alios pro ea die cessat obligatio. 11.
Probabilius tenetur, vel anticipare, vel postponere. 12.
Nisi præambula febris anticipet, vel reliquiæ remaneant per totam diem. 13.
Si febris duret per totum diem non tenetur die præcedenti post Vesperas recitare Matutinum cum Landibus. 14.
Si infirmitas sit talis, vt per se commodè recitare non possit, possit tamen commodè cum socio, tenetur illum adhibere, si commodè habere possit. 15.
Secus, si non possit commodè socium habere, vel non nisi cum dispendio. 16.
Cæcus non tenens memoritèr officium excusatur. 17.
Nec tenetur ab alio recitante audire. 18.
Tenetur tamen aliquas preces fundere. 19.
Si memoritèr teneat aliquam partem officij, & non aliam, siue illa pars, quam tenet, sit maior, siue minor, tenetur illam recitare. 20.
An teneatur partem, quam non tenet, supplere per socium remissiuè. 21.
Surdus non eximitur ab onere recitandi Horas Canonicas. 22.
Surdus recitando alternatim cum socio, quem non audit, non satisfacit. 23.
Surdaster potest cum alio recitare, si illum alta voce recitantem audiat. 24.
Surdus in Choro recitans satisfacit, quantum ad acquirendas distributiones. 25.
Non quantum ad satisfaciendum officio. 26.
Mutus eximitur ab hoc onere. 27.

1 *Plures infirmitates recensentur.*

INfirmitates aliæ sunt graues, aliæ leues, aliæ continuæ, aliæ intermittentes, aliæ, quæ consistunt in carentia sensuum, puta visus, & auditus. Nomine infirmitatis grauis, prout pertinet ad præsens institutum, eam intelligo, quæ Medicorum, & peritorum iudicio grauitèr esset nocitura, si illa extante officium Diuinum recitaretur. De ijs omnibus in præsenti sectione est peragendum.

2 *Infirmitas grauis, & cõtinua excusat*

Assertio I. Si infirmitas sit grauis, & continua consistens in intemperie humorum, & perseuerans sine intermissione, vel cum intermissione breui in singulos dies procul dubio excusat ab onere recitationis Horarum Canonicarum. In hoc communitèr consentiunt.

Ratio clara est, quia obligatio recitandi Diuinum officium prouenit ex præcepto Ecclesiæ, quæ certis hominum statibus hoc onus præscripsit, vt supra sparsim probauimus. Non est autem præsumendum, quod Ecclesia pia, & clemens mater voluerit cum tanto incommodo obligare. Hoc etiam satis expressè colligitur definitum *in cap. Clericus victum distinct. 91.*, vbi dicitur, quod *Clericus absque sui corpusculi inæqualitate*, idest infirmitate, *vigilijs deest, stipendio priuatus excommunicetur*, ergo, si deest ob periculum infirmitatis ingrauescendæ, eximetur ab onere interessendi, & recitandi; Neque obstat, si dicatur, quod non obstante etiam tali infirmitate potest cum amicis sine læsione conuersari, & confabulari, ergo etiam poterit cum Deo alloqui Horas Canonicas recitando; Non obstat, inquam, quia in primis hic supponitur, quod possit sine periculo maioris mali recitare; nostra autem assertio procedit ex supposito, quod ex recitatione maius malum immineat. Deindè collocutio, & conuersatio cum amicis potius animum diuertit, officium verò diuinum applicat, quod idem considerauit *Diana part. 2. tract. 12. resol. 53. §. immo.*

Nec obstat, quod tunc possit cũ amicis colloqui.

Assertio II. In dubio, quod infirmitas sit grauis, vel quod grauitèr sit nocitura, & tale dubium sit probabile etiam apud Medicum, probabilius est, quod non teneatur infirmus ad Horas Canonicas recitandas. Consentiunt *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 1. num. 5.*, & *alij* quidquid ex aduerso dixerint *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 28. num. 21.*, *Malderus secunda secundæ tract. 10. cap. 2. dub. 5.*, volentes in tali dubio petendam esse dispensationem.

3 *In dubio probabili de graui infirmitate excusatur.*

Ratio ex eo deducitur, quod pericula sunt vitanda, & nemo tenetur se exponere periculo grauis damni; non enim præsumendum est, quod Ecclesia voluerit obligare in dubio probabili talis periculi; neque obstare potest, si dicatur, in dubio possessionem stare pro præcepto, adeoque teneri eo non obstante infirmum cæteroqui obligatum illud adimplere. Non, inquam, obstare potest, quia, licet in abstracto verum sit, quod possessio stet pro præcepto, non tamen verum est, quando ex adimplemento eiusdem timeri possunt grauia damna, quia tunc ius ad

se

ſe conſeruandum indemnem ſtat pro poſſeſſione, & hoc vtpotè naturale debet præualere præcepto poſitiuo.

4 *Si iudicio Medici poteſt vnā partem ſine periculo recitare & non aliam tenetur illam recitare*

Sententia Suarez, & Malderi procedit quoad cautiùs, & tutiùs eſſe, quotieſcunque commodè peti poteſt diſpenſatio; non quoad neceſſe ſimplicitèr eſſe, vndè hoc conſulendum videtur, non præcipiendum ſimplicitèr. Quod, ſi Medicus iudicet ſine periculo grauis damni poſſe maiorem partem officij recitare, puta Matutinum cum Laudibus, iudicet autem, vel ſaltem dubitet de tali damno, ſi totum recitet, an tunc infirmus teneatur maiorem illam partem recitare, & reliquam tuta conſcientia omittere. *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 6., & ſeqq.*, ſentit abſolutè teneri illam partem, quam poteſt ſine periculo grauis damni, recitare, & quia, qui non poteſt adimplere præceptum in toto, tenetur adimplere in ea parte, qua poteſt, & ad hoc comprobandum plura adducũtur exempla; Primò in eo, qui totum Quadrageſimale ieiunium cum ſeruare non poſſit, tenetur ſeruare pro ijs diebus, quibus poteſt. Secundò in eo, qui in die ieiunij ſemel tantum edere non poteſt, tenetur ſe ab eſu carnium continere. Magis communitèr quoad hoc Doctores docent,

5 *Secundũ alios tenetur, ſi ſit pars maior ſecus, ſi minor.*

quod, ſi pars, quam iudicio Medici recitare poteſt ſine periculo grauis damni, ſit maior, teneatur illam recitare reliquo omiſſo, ſi verò illa pars ſit minor, nec illam, nec reliquum officium perſoluere teneatur. In hoc conſentiunt *Azorius inſtitutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæſt. 4., Rodriquez in ſumma part. 1. c. 145. Palaus tom. 2. punct. 6. diſp. 2. num. 9., Diana part. 2. tract. 12. reſol. 29., & part. 7. tract. 11. reſol. 13.*, nec in hoc diſſentiri videtur *Nauarrus d. cap. 11. de Oratione num. 16., & ſeqq.* Fundant primam partem in rationibus per Nauarrum adductis pro prima ſententia; Secundam ex eo probant, quod non omnis lex, quæ obligat ad totum, obliget etiam ad minorem partem ipſius, quando totum non poteſt adimpleri, quod exemplis illuſtrare conantur; ſic ſi quis aliqua lege compellatur Romam ire, nec poſſit illuc peruenire, non tenetur medium iter peragere; ſic qui lege Eccleſiaſtica tenetur ſacrum audire in die feſto, & ex legitimo impedimento non poteſt totum audire, non tenetur quamlibet eius minimam partem audire. Quid iam in hoc ſentiendum?

6 *Si iudicio Medici poteſt recitare minorē tenetur illam recitare*

Retento, quod, quando iudicio Medici poteſt ſine periculo grauis damni maiorem partem officij recitare, teneatur illam maiorem partem recitare reliquo omiſſo, nego, quod, quando ſine tali periculo poteſt minorem partem recitare, non teneatur illam perſoluere. Contra præcitatos Doctores hanc noſtram ſententiam ſuſtinet *Lezana cap. 12. num. 27.*, cum quo videtur tranſire *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. de Horis Canonicis cap. 27.* Ratio eſt, quia, ſicuti, qui debet centum, & non poteſt ſoluere, niſi decem, tenetur decem perſoluere, & qui non poteſt totum ieiunium Quadrageſimale ſeruare, poteſt tamen pro aliquibus paucis diebus, tenetur pro illis ſeruare, quamuis vtrumque, nempè decem reſpectu debitoris, & pauci dies reſpectu ieiunãtis ſint minor pars in ordine ad debitum, vt centum, & ad totum ieiunium Quadrageſimale, ità qui ex lege tenetur totum officium perſoluere, & ratione infirmitatis non poteſt ſoluere, niſi minorem partem, tenebitur illam minorem partem recitare.

Soluuntur argumẽta cõtraria

Nec obſtant exempla, quæ in confirmationem contrariæ ſententiæ afferebantur, quia illa verſantur circa obiectum, quod ſaluari nequit in minima parte, ſic præceptum de profectione Romam reſpicit, tanquam obiectum aſſecutionem Romæ, quæ haberi nequit per medium iter, præceptum de auditione ſacri reſpicit, tanquam obiectum ipſum ſacrum, quod non habetur per minimam partem eiuſdem, & huiuſmodi leges ſunt de vno obiecto; præceptum autem de recitandis Horis Canonicis eſt virtualitèr multiplex, & reſpicit ſingulas Horas Canonicas, tanquam obiecta quoquomodo diſtincta eo modo, quo præceptum Quadrageſimalis obſeruantiæ eſt virtualiter multiplex, & reſpicit ſingulos dies, tanquam obiecta diſtincta; vndè adimplendo duas, vel tres horas adimplet præceptum in parte, quæ ſecundum ſe conſtituit quid vnum, & in ſe ſubſiſtit, & licet hæc pars comparatiuè ad totum officium ſit minor, eſt tamen in ſe obiectum præcepti, & quoquo modo diſtinctum, quod non verificatur in profectione Romam peragendo dumtaxat medietatem itineris, & in auditione minimæ partis ſacri, cum nec illa conſtituat intentum legis, nec iſta intentum Eccleſiæ.

7 *Infirmitas leuis ſecundũ ſe non excuſat*

Aſſertio III. Infirmitas leuis ſecundum ſe non excuſat ab onere recitationis Diuini Officij. Conſentiunt *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 6., Vaſquez de beneficijs cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 12., Arragonius ſecunda ſecundæ qu. 83. art. 12. dub. 3., Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 29. num. 11., Azorius inſtitutionum moralium prima part. lib. 10. cap. 13. quæſt. 1. verſ. quæres igitur, Toletus lib. 2. cap. 14. n. 2., Sotus lib. 10. de iuſtitia quæſt. 5. art. 3.,*

Valen-

Valentia tom. 3. disp. 6. qu. 2. punct. 10. §. quas ob causas vers. circa septimum.

8 *Quanā dici possit infirmitas leuis.* Ratio est, quia parum vrgerent præcepta positiua, si ex quacunque causa leui possent violari sine culpa, & impunè, ergo præceptum strictissimum de Diuino Officio recitando non potest omitti licitè ex leui infirmitate. Difficultas solummodò est in assignando, quænam habeatur pro leui infirmitate ad eximendum ab onere hoc Diuini Officij recitandi? Communitèr dicunt, & assignant pro eadem dolorem stomachi, capitis, & pectoris. Sed in his considerari etiam potest grauitas, cum vehemens capitis dolor quandoque magis torqueat, quam febris, & in recitatione Diuini Officij potest magis augeri, quod idem considerari potest in dolore stomachi, & pectoris. Quamobrem etiam in his attendendum est Medicorum iudicium.

9 *Infirmitas intermittens, an & quãdo excuset.* Assertio IV. Si infirmitas sit intermittens, puta febris quartana, aut tertiana non multum vexans, pro diebus, pro quibus vexat, eximit ab obligatione Diuini Officij, si pro tota illa die vexet, non autem pro diebus, pro quibus non vexat.

Ratio primæ partis est, quia pro die, qua huiusmodi infirmitas vexat pro tota eadem die, multum conturbat, & distrahit, adeo vt illa præoccupatus nequeat seriò alijs rebus vacare, nisi cum graui incommodo, ergo pro eodem die nec tenebitur vacare recitationi Diuini Officij, cum hic non possit, nisi cum graui incommodo illud persoluere, & tali, vt possit magis affligi, & conturbari.

10 *Quomodo res habenda sit quãdo quartana incipit in Vespere, vel manè, sed finit ante diem finitum.* Difficultas hic solum potest esse, an, si pro tota die vexetur quartana, & tertiana, teneatur in Vesperis diei præcedentis recitare Matutinum cum Laudibus, vel si non vexetur pro tota die, possit & debeat anticipatè persoluere hoc debitum, antequam febris incipiat, vel postponere, si febris terminet ante completum diem, *Villalobos tom. primo tract. 4. difficult. 16. num. 7., Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 1., & alij magis communitèr,* sustinent eo die recitandum esse totum officium ab infirmo, si infirmitas accedit Vespere, anticipatè, si manè, postpositè, quia obligatio currit per totum diem, & pro quacunque parte diei præceptum vrget. Ex aduerso *Canus part. 5. de pænitentia dub. 31.,*

11 *Secũdũ alios nõ obligatur.* tenet non obligari, quod etiam probabile iudicat *Bonartius lib. 2. cap. 38. num. 8.,* qui ea ratione mouentur, qua asserunt facultatem anticipandi, & postponendi Horas Canonicas esse ex priuilegio; nemo autem tenetur, vti priuilegio. Probabilius arbitror, teneri, vel anticipatè, vel postpositè recitare, nisi præambula febris summo manè incipiat ipsum torquere, & reliquiæ in Vespere, adeo vt pro tota die torqueatur, vel ab ipsa febri, vel à præambulis, vel à reliquijs eiusdem.

Ratio ex eo deducitur, quod supra dicebamus, nempè præceptum recitationis vrgere pro tota die, ergo, si pro parte diei, pro qua nec febris, nec præambula, nec reliquiæ eiusdem premunt, potest officium recitare, vtique tenetur. Consequentia tenet, quia, quotiescunque præceptum intra terminum præscriptum potest adimpleri, nullaque est causa excusans ab adimplemento, certè est adimplendum; Neque obstat id, quod pro contraria sententia afferebatur, nempè neminem teneri, vti priuilegio; Non obstat, inquam, quia in primis non est propriè priuilegium, quod possit, vel anticipatè, vel postpositè recitare, sed quædam permisio, vt fiat licitè, si cum causa, vel illicitè venialitèr, si sine causa, hæc autem permissio intelligenda est, si sit sine periculo omissionis pro tali die; cæterum vrgente periculo, non est facultatiuum anticipare, vel postponere, sed pro implemento præcepti debet recitari pro tempore, quo potest recitari, vel anticipatè, vel postpositè, secundum quod vitari potest periculum eiusdem omissionis. Deindè dato etiam, quod sit priuilegium, non est licitum, eo vti, quando vrget aliud præceptum, quod obligat ad non vtendum, vt euenit in casu nostro, in quo præceptum recitandi Diuinum Officium vrget pro tota die, & pro qualibet parte diei, pro qua potest recitari.

12 *Probabilius tenetur anticipatè, vel postponere.*

13 *Nisi præambula febris anticipet, & reliquię durent per totam diem.*

Maior difficultas videtur esse in casu, quo febris tertiana, vel quartana pro illis diebus, quibus vexant, durarent per totam diem, vel in se ipsis, vel in præambulis, vel in reliquijs, an scilicet in tali casu teneretur tali infirmitate affectus die præcedenti post Vesperas recitare Matutinum cum Laudibus diei subsequentis, pro quo regularitèr debet affici tali febri? Ratio dubitandi pro negatione talis obligationis consistit in eo, quod dies, pro qua recitari debet officium, secundum se non incipit, nisi à media nocte vsque ad mediam noctem, & si permittatur recitari Matutinum cum Laudibus ante mediam noctem diei præcedentis, vel post Vesperas, hoc est ex priuilegio, & ex indulgentia præter ordinem, cui non tenetur quis se conformare, ergo non tenetur, qui grauatur tertiana, vel quartana anticipare recitationem Diuini Officij, seu Matutini cum Laudibus in Vesperis diei præcedentis. Ratio dubitandi pro tali

obligatione ex eo oritur, quod, cum præceptum recitandi Diuinum Officium sit strictissimum, obligat ad adimplementum pro quocunque tempore, pro quo validè, & licitè potest recitari; cum ergo validè, & licitè Matutinum cum Laudibus, possit recitari in Vesperis diei præcedentis vtique videtur in eisdem Vesperis obligari, quando præuidetur, quod die sequenti ratione febris superuenturæ non poterit recitari. Probabiliùs crederem non obligari. Ratio ex eo deducitur, quia non adest obligatio recitandi Matutinum cum Laudibus in Vesperis præcedentis diei, quinimmò talis recitatio est præter ordinem permissa solummodò, non imperata, ergo non tenetur in illis Vesperis præcedentis diei recitare.

14 *Durãte quartana per totum diem nõ tenetur die præcedenti recitare Matutinum.*

Instãtia opposita, & dissoluta.

Dices primò, nec etiam teneri recitare eadem diei anticipatè, quando febris accedit Vespere, quinimmò hoc etiam si totum officium recitetur, recitatur præter ordinem, & tamen iuxta superiùs dicta tenetur anticipare, ergo etiam in præsenti hypothesi, quamuis non teneatur recitare præcedenti die in Vesperis Matutinum cum Laudibus, quando febris pro tota die sequenti eum occupat; & quamuis talis anticipatio foret præter ordinem, tenebitur tamen anticipare. Sed contrà, quia omninò dispar est ratio de anticipatione pro eadem die, ac de anticipatione pro die antecedenti; nam in ordine ad eandem diem præceptum vrget pro tota die, ac pro omnibus partibus eiusdem diei incipiendo à media ad mediam noctem; in ordine verò ad diem præcedentem præceptum non vrget, quamuis vigeat permissio, vt possit recitari, adeoque &c.

Dices secundò, quamuis præceptum simpliciter non vrgeat, vt in Vesperis præcedentis diei recitetur Matutinum cum Laudibus diei subsequentis, vrgere tamen potest, quando rationabilitèr præsumi potest, vt in die subsequenti non possit recitari, sicuti vrget recitandi anticipatè eodem die, quando præuidetur non posse in reliquo diei recitari. Sed contrà, cum præceptum vrgeat pro tota die incipiente à media nocte ad mediam noctem, & obliget pro quacunque parte diei, certè, cum præuideatur in reliquo diei non posse adimpleri, obligat pro illa parte diei, pro qua potest adimpleri; cum autem non vrgeat pro die præcedenti, quantumuis præuideatur non posse solui pro die sequenti, neque pro illa die præcedenti potest obligare, cum dies præcedens etiam in Vesperis non cadat sub præcepto.

Assertio V. Si infirmitas sit talis, vt esset nocitura infirmo, si per se solum recitaret, non esset nocitura, si adhiberetur socius, probabiliùs non excusaret, si commodè socius haberi posset, secus, si nisi cum maxima difficultate, & stipendio. Quoad primam partem *Valentia tom. 2. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 7.*, *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 17.* Quoad secundam *Garzias de benefic. part. 3. c. 1. n. 215.*, *Bonacius de Horis Canonicis lib. 2. cap. 28. num. 12.* 15

Si potest recitare cũ socio tenetur.

Ratio primæ partis est, quia obligatio recitandi Diuini Officij respectu beneficiarij, vel in sacris constituti, vel professi in Religione, est strictissima, quam non præsumendum est Ecclesiam relaxare, nisi ex graui incommodo, ergo, si infirmus recitans cum socio non timet se graue damnum subiturum, & socium commodè habere potest, tenebitur recitare, & hoc à fortiori verificabitur, si, cum esset sanus, consueuerit cum socio recitare. Neque dicas, quod adhibere socium in recitatione Diuini Officij sit omninò liberum, neque cadat sub vllo præcepto, ergo non tenetur illum adhibere, quo non adhibito potest abstinere ab eadem recitatione, cum hæc præuideatur illi grauitèr nocitura; contrà enim impugnaberis, quia, licet præceptum non cadat supra socium secundum se, vt scilicet adhibeatur, cadit tamen supra recitationem, & indirectè super ea, quæ de facili, & commodè possunt influere in eandem recitationem; nam, qui præcipit aliquam operationem præcipit implicitè media, quæ commodè possunt ad illam conducere, & sine quibus haberi non possunt.

Ratio secundæ partis est, quia supposita impotentia morali in parte, quatenus infirmus non potest totum recitare sine periculo grauis damni, sed solummodò partem, si adsit etiam incommoditas grauis pro alia parte, quatenus nonnisi cum graui incommodo, & stipendio, possit habere socius, qui cum ipso recitet, recitatio redditur ex omni parte incommodis, & vtique grauibus obnoxia, ergo non cadit sub obligatione, seu sub præcepto, cum Ecclesia non intelligatur obligare cum tot incommodis. Confirmatur, quia ad adimplendum præceptum auditionis sacri in die festo, quando alitèr adimpleri nequit, non obligatur quis cõducere Sacerdotem erogato eidem stipendio *Bonacius loco quo suprà*, ergo neque ad adimplendum præceptum recitationis Diuini Officij, quando alitèr adimpleri non potest, nisi cum periculo grauis damni, tenetur quis socium conducere erogando eidem stipendium; quinimmò docet *Lessius lib. 2. c. 37. dub. 9. num. 54.* 16

Secus, si nõ possit commodè sociũ habere, vel non nisi cum dispẽdio.

num. 54., quod, si in sanitate non consueuerit recitare cum socio, non teneatur illum adhibere in infirmitate, & *Garzias de benef. part. 3. cap. 1. num. 215.*, quod solitus adhibere socium gratis, dum est sanus, non teneatur, dum est ægrotus illum stipendio conducere, quod etiam notauit *Diana part. 4. tract. 4. resol. 221., & part. 2. tract. 12. resol. 43. §. immò*.

17 *Cæcus nō tenēs memoritèr officium excusatur.* Assertio IV. Si infirmitas consistat in carentia visus, & non teneat memoritèr Officium Diuinum, excusat à recitatione eiusdem, & in hoc consentire debent omnes, quandoquidem est impossibilis recitatio, & Ecclesia ad impossibile non obligat.

Circa hanc visus carentiam plures insurgunt rationes dubitandi. Prima est, an saltem cæcus teneatur officium ab alio audire? Referunt Siluester, & Nauarrus quendam Gerardum, qui pleno ore asserebat, teneri ab alio audire, si commodè posset habere, à quo audiat; sed quo fundamento hoc asserat, non aperit; nullam aliam videtur posse habere rationem, nisi fundatam in propria imaginatione, cum nullus sit assignabilis textus, nullaque ratio, quæ hoc suadeat. Quamobrem communitèr sentiunt ad hoc non teneri, vt signantèr tradunt *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 6.*, *Siluester verb. hora quæst. 4.*, vbi etiam allegat *Innocentium*, *Abbatem*, *& alios Canonistas in cap. dolentes*, *& cap. 1. de celebratione Missarum*.

18 *Nec tenetur ab alio audire.*

Secunda est, an saltem pro officio teneantur alias Orationes, quas memoriæ tenent, effundere. Communiùs negant, & inter cæteros *Siluester verb. hora qu. 4.*, *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. &c.*, qui eo nituntur fundamento, quod obligantur dumtaxat ex iure Canonico, à quo, cum liberentur ratione impotentiæ, intelliguntur etiam liberi à quocumque alio onere. Nos autem, qui, licet docuerimus in præcedentibus tale onus formalitèr oriri de iure Canonico, docuimus tamen quoquo modo maximè in beneficiario habere originem à iure naturæ non quidem determinatè quoad Horas Canonicas, sed quoad alias preces, vel munera spiritualia ob eam rationem, quod, sicuti gaudet ex bonis Ecclesiæ profusis ex pijs fidelium largitionibus, quod deindè onus indefinitū fuit per Ecclesiam determinatum ad preces Canonicas, non incongruè modo asserimus, teneri ad aliquas preces fundendas, vel opera spiritualia exercenda, quia illud onus recitandi Horas Canonicas, ratione impotentiæ ad illas resoluitur in primæuum ius naturæ, quod etiam videtur considerasse *Nauarrus de Oratione cap. 11. nu. 19.*, vbi distinguens sic procedit, asserens, quod quoad ius præcisè Canonicum non teneatur cæcus tali lege, quoad Diuinum naturali verò ius pertinet, vtique teneatur.

19 *Tenetur tamen aliquas preces fundere*

Tertia est, an, si memoritèr aliquam partem officij teneat, teneatur illam recitare omissa ea parte, quam non tenet. In hoc communitèr DD. distinguunt, vel etenim pars, quam tenet, est maior, vel minor; si maior; sentiunt teneri eam recitare, non verò, si sit minor; consentiunt signantèr in hoc *Lessius lib. 2. de iust. & iure cap. 37. num. 54.*, *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. qu. 4.*, *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 16., & seqq.* Sed retenta prima parte huius distinctionis, quam vtique admittimus, negamus secundam partem, si illa pars minor, quam memoritèr tenet, sit tanta, vt correspondeat vni integræ, vel pluribus horis. Ratio est, quia præceptum obligat ad non omittendam quamlibet horam, & omissio cuiuscunque horæ est peccaminosa læthalitèr, ergo, quantumuis sic cæcus excusetur à recitatione aliarum horarum, quas mente non tenet, non excusabitur tamen à recitatione illius, vel illarum, quam, vel quas memoritèr tenet, cum onus vigeat non solum respectu omnium, sed etiam respectu singularum, nec ex eo, quod cæcus eximatur ratione impotentiæ ab aliquibus etiam in maiori parte, eximitur etiam ab alijs licet minoribus, ad quas non habet impotentiam. 20 *Partem quam memoritèr tenet tenetur recitare.*

Quarta est, an si cæcus teneat memoritèr magnam partem officij, & reliquam, quod non tenet, possit supplere per socium, teneatur illum adhibere ad complendum totum officium. Eodem modo respondendum est, quo supra respondimus de infirmo, qui cum non possit per se solum persoluere totum debitum Horarum Canonicarum tenetur adhibere socium, si commodè potest, non autem, si non possit, nisi cum maximo incommodo, & dispendio; cum eadem currat ratio retenta eadem distinctione. 21 *An teneatur partem, quam nō tenet supplere per socium.*

Assertio VI. Si infirmitas consistat in carentia auditus non eximitur surdus ab onere Diuini Officij recitandi ex hoc capite. Ab hoc arbitror neminem dissentiri. Ratio est, quia nullum potest assignari impedimentum, ratione cuius excusetur à tali onere, cum organa requisita ad recitandum habeat, linguam scilicet solutam, qua potest verba proferre, & vocalitèr orare, & oculos apertos, quibus potest legere, & percipere; neque obstare potest, quod ratione carentiæ auditus non 22 *Surdus tenetur recitare.*

possit verba, quæ profert, audire. Non inquam, obstare potest, quia ex superiùs dictis non est necesse ad validam recitationem, vt huiusmodi verba ab ipso prolata aure percipiat, cum sufficiat, vt mente per attentionem, & ore per prolationem oret, cæteroqui surdi non validè orarent.

Sed hic oritur difficultas, si surdus
23 irretitus alio impedimento non possit totum officium per se persoluere, possit tamen simul cum socio, an possit, & teneatur illum adhibere. Respondendum est, non teneri illum adhibere, si talitèr surdus sit, vt non possit ipsum audire, si autem sit surdaster solummodò, vt illum audire valeat alta aliqualitèr voce recitantem, tunc dicendum est, teneri, si commodè illum habere possit, secus, si habere nequeat, nisi cum magna difficultate, & cum dispendio. Ratio primæ partis

Surdus recitãdo alternatim cum socio nõ satisfacit.

24 est, quia, quantumuis talem socium adhiberet, hic ad nihilum deseruiret, cum surdus hunc recitantem non audiret, ac propterea, ita hic se haberet, ac si non recitaret, in tantum enim, quando alternatim Officium Diuinum recitatur, satisfit ab vtraque parte, in quantum vnus alteri suam partem communicat sic disponente Ecclesia; quando autem vnus alterum non audit, non intelligitur hic alter primo suam partem communicare. Ratio secundæ partis est, quia, quando est præcisè surdaster, ità vt alterum aliqualitèr altè recitantem possit audire, & commodè eundem socium possit habere potest sine graui incommodo satisfacere integrè præcepto, ergo tenetur talem socium adhibere, & sic complere; non enim ex quocunque leui incommodo eximitur à tali onere. Ratio tertiæ partis deducitur ex superiùs dictis, vbi quando infirmus potest ex se partem recitare, & non totum, non teneatur adhibere socium, quando illum habere non potest, nisi cum graui incommodo, & dispendio.

Si sit surdaster potest cum alio quẽ audit recitare

Maior difficultas est, an, si surdus in
25 Choro recitet, satisfaciat etiam si non audiat, quæ ab altera parte recitantur. *Diana part. 9. tract. 9. resolut. 28.*, videtur absolutè affirmare. Sed ego distinguendum arbitror, vel enim loquimur præcisè de satisfactione oneris Diuini Officij, vel de satisfactione in ordine ad acquirendas distributiones. In ordine ad primum absolutè sentio, non satisfacere, quia in alternata recitatione requiritur, vt vnus ex vna parte recitet, & audiat alteram ex altera parte recitantem, & viceuersa, quia hoc pacto sibi adinuicem communicant; quando autem vnus simplicitèr surdus ex vna parte recitat; non audit alios ex alia parte canentes, ergo non communicat cum illis, & per consequens non satisfacit oneri Diuini Officij. In ordine ad secundum sentio, satisfacere, & acquirere easdem distributiones. Ratio est, quia distributiones 26
debentur propter personalem assistẽtiam, & cantum; hic autem, & assistit, & canit, ergo &c. Neque obstat, si dicatur, quod satisfactio oneri Diuini Officij sit tanquam fundamentum, cui innititur cantus, & præsentia, ergo, si non est satisfactio oneri Diuini Officij, nec erit satisfactio pro cantu, & assistentia. Antecedens probatur, quia si quis assisteret Choro, nec semper quinimmò raro caneret, nec audiret alios ex alia parte canentes, non lucraretur distributiones, non quia non assisteret, non quia non caneret, sed quia non adimpleret præceptum Diuini Officij recitandi. Non obstat, inquam, quia separari possunt hæc duo, vt satisfiat oneri Diuini Officij, & obligationi assistentiæ personalis, nam quis potest satisfacere vni, & non alteri; nam, vbi est consuetudo, vt Canonici assistant, & non canant per se, sed per substitutos, isti assistendo satisfaciant oneri præsentiæ personalis, & non obligationi Diuini Officij, è conuerso, si quis priuatim recitet, & non assistat, satisfacit oneri Diuini Officij, non oneri præsentiæ personalis. Cum igitur surdus ex sua parte canat, & assistat, licet non audiat recitantes ex altera parte, non est, cur non adimpleat præceptum assistentiæ, licet non satisfaciat officio; cum habeatur finis à iure intentus ad acquirendas distributiones, nempè assistentia, & cantus.

Surdus in Choro recitans satisfacit quãtum ad acquirẽdas distributiones.

Non quantũ ad satisfaciendũ officio.

Assertio VII. Mutus, qua talis est eximitur ab onere Diuini Officij. In hoc tenentur omnes consentire.

Ratio est, quia recitatio Diuini Officij se habet per modum Orationis vocalis,
nec sufficit, quod mente concipiatur id, 27
quod est recitandum, sed mutus, qua talis, non potest effundere preces per modum Orationis vocalis, ergo nec recitare, & propterea ratione impotentiæ eximitur ab onere recitationis. Sed quid erit dicendum, si non sit simplicitèr mutus, sed balbutiens; tunc considerandum erit, an talis, sit balbuties, vt non possit proferre verba, nisi mutilata, & non habentia significationem propriam, & tunc etiam eximetur ab onere, cum haberi nequeat plena, sufficiens recitatio, & cum propria significatione, an verò sit talis, vt non impediat talitèr prolationem verborum, vt verba non mutilentur, nec eorum significatio tollatur, & tunc arbi-

Mutus eximitur ab onere Diuini Officij.

trarer

traret non eximi ab obligatione recitationis, quia totum potest compleri.

SECTIO II.

An, & quanam occupatio excusare possit ab onere Diuini Officij.

SVMMARIVM.

Occupationum varia genera. 1.

Si occupatio fuerit grauis, honesta necessaria, & durans per totam diem eximit ab onere Diuini officij. 2.

Non excusatur, qui commodum habet iter, & suas stationes. 3.

Nec, qui confessiones audit, nisi tota die detineatur in illis. Ibidem.

Nec, qui consuetas lectiones habet, in quibus non est labor improbus. Ibidem.

Nec, qui in aliqua parte diei populos instrueret in Mysterijs Fidei. Ibidem.

A fortiori non excusantur, qui detinentur in iocis, vanis conuersationibus, in spectaculis, choreis &c. 4.

Nec, qui detinentur in negotiationibus statui Clericali vetitis. Ibidem.

Nec in venationibus. Ibidem.

Non potest quis suscipere opus ex propria libertate, quod possit differri, vel minus proficuum sit incompatibile cum officio Diuino, ex ratione eiusdem hoc omittere. 5.

Intellige, nisi opus illud cedat in maius bonum. 6.

Recensentur aliqua opera, ob qua excusetur. 7.

Et non solum, si tale opus sit spirituale, sed etiam corporale. 8.

Inuitatus ad habendam concionem, vel audiendas confessiones confluentis populi potest acceptare, & officium omittere, si hoc sit incompatibile cum illis actionibus. 9.

Etiam ad vitandum graue damnum alienum, si alitèr non possit, potest omittere. 10.

Si occupatio non duret per totum diem tenetur anticipare, vel postponere recitationem Diuini Officij. 11.

Nisi occupatio exigat prauiam mentis attentionem, & conferat subsequentèr animi, & corporis defatigationem. 12.

Hinc excusantur concionatores Quadragesimales. 13.

Etiam pro diebus Sabbati pro quibus concionem non habent. 14.

Et etiam per tres, vel quatuor dies ante Quadragesimam. 15.

1 *Occupationes variæ.* CONsiderandum est primò, an occupatio sit talis, vt pro tota die detineat eum, qui in eadem detinetur, an verò liberam permittat aliquam partem diei, vel antequam incipiat occupatio, vel postquam illa fuerit completa. Secundò, an illa occupatio fuerit voluntaria pro illa die, an verò potuerit ad aliud tempus deferri. Tertiò, an fuerit ex libertate suscepta, cum potuerit omitti, an verò ex necessitate quodamodo exigente proprio munere, vel bono publico. Vnica responsione singulis satisfit.

2 *Quanā deobliget ab onere Diuini Officij.* Assertio. Si occupatio fuerit grauis, honesta, & necessaria, & duratura per totam diem eximit ab onere Diuini Officij. In hoc consentiunt *Henricus quodlib. 15. quæst. 12.*, *Maior in quarto distinct. 12. qu. 6.*, *Nauarrus de Oratione cap. 12. n. 34.*, *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 2. nu. 1.*, vbi alios innumeros allegat. Dixi, *si fuerit grauis*; non enim ex quacunque leui occupatione potest eximi ab onere strictissimè obligante. Dixi *honesta*; nam ex causa turpi non potest tolli obligatio, quinimmò eadem causa turpis est abijcienda. Dixi *necessaria*; nam ex quacunque causa liberè volita non potest cessare hæc obligatio, nam causa liberè volita, quando est incompatibilis cum recitatione Diuini Officij, debet omitti potius, quam ipsa recitatio. Dixi *duratura per totam diem*; nam, si per aliquam partem diei occupatio illa esset duratura, Officium Diuinum, vel esset anticipandum, si occupatio deberet esse die iam protracto, vel postponendum, si occupatio inciperet manè, & detineret post mediam diem. *Explicantur singulæ particulæ.*

3 *Non excusatur, qui commodum habet iter.* Ratio ex eo deducitur, quod existente causa cum allegatis conditionibus non est præsumendum, quod Ecclesia velit recitationem Diuini Officij cum tot incommodis, quæ secum afferret illa occupatio coniuncta cum eadem recitatione, vel quod omittatur illa occupatio grauis, & necessaria, ergo præsumendum est, quod potius relaxet illam obligationem Diuini Officij recitandi.

Ratione primæ qualitatis non eximeretur ab onere Diuini Officij, qui commodum iter haberet, & suas stationes, in quibus moraretur, cum hoc non sit incompossibile cum eadem recitatione. Secundò, qui confessiones aliquas Sacramentales audiret, in quibus non detineretur tota die, nec maiori parte diei. Tertiò, qui consuetas lectiones haberet, respectu quarum non esset necessarius labor improbus. Quartò, qui per aliquam partem diei populos instrueret in Mysterijs Fidei, vel Sacramenta ministraret, dummodò suppeteret otium in reliquo diei; hæc etenim omnia, & similia non sunt incompatibilia cum eadem recitatione, nec tale inferunt incommodum, vt præsumantur ab Ecclesia absolui ab hoc onere, *Plura afferuntur, in quibus non eximitur.*

re,

re. Hæc tamen intelligenda sunt, dummodò absolutis illis occupationibus non superessent alia negotia domestica necessaria, quæ, si omitterentur graue ingererent præiudicium; nam tunc ex pia Ecclesiæ interpretatione intelligerentur absoluti ab hoc onere.

4 *Qui non excusantur ratione honestæ occupationis.* Ratione secundæ conditionis non eximeretur ab onere Diuini Officij, qui detineretur in iocis; vanis conuersationibus, in spectaculis, Choræis, & similibus. Secundò, qui versaretur in negotiationibus statui Clericali prohibitis. Tertiò, qui venationibus operam daret, & similibus; quamuis etenim huiusmodi occupationes secundum se non sint inhonestæ, non tamen videntur congruere statui Clericali. Nec solum ex hoc capite non soluunt ab onere Diuini Officij, sed etiam ex alio capite, quod non sint necessariæ.

5 *Ratione operis ex libertate assumpti non excusatur, quis ab onere Diuini Officij.* Ratione tertiæ conditionis, qui susciperet aliquod opus ex propria libertate, quod vel posset sine præiuditio differri, vel non esset valdè proficuum, certè non eximeretur ab onere Diuini Officij, &, quamuis illud opus sit graue, & onerosum; ita vt secundum se si coniungeretur cum recitatione Diuini Officij ingerere posset præiudicium recitanti, non eximeret à graui culpa, si ratione eiusdem omitteretur Diuinum Officium, quia potiùs est omittendum illud opus, quam Diuinum Officium. Hac de causa communitèr statuunt Doctores, & signantèr *Maior in quarto distinctione 12. quæst. 6. ad quintum in fin., Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 28. num. 32., Molfesius cap. 5. num. 38., Moneta secunda part. de distributione quæst. 5. num. 25., & 28., & alij*, quod obligatus ad recitandum Diuinum Officium non possit voluntariè suscipere aliud munus, seu officium, cuius executio incompossibilis sit cum recitatione Horarum Canonicarum, nam sic implicitè intelligeretur velle omissionem earundem.

6 *Nisi opus illud cedat in maius bonum.* Hoc tamen intelligendum est, nisi illud opus, quod susciperetur, esset talis qualitatis, & conditionis, vt cederet in maius bonum, quam afferre posset recitatio Diuini Officij, & nisi omissio illius operis alijs præiudicium posset afferre. Hinc docet *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 15.*, quod in ordine ad sedandum populum tumultuantem, ad cōcionem habendam ad plebem, vel ad audiendas pænitentiam confessiones, possit Officium Diuinum obstrictus onere eiusdem omittere. Hinc tradit *Bonacina de Horis Canonicis distinct. 1. qu. 6. punct. 2. num. 3.*, quod Scholaris, qui per integrum diem disputationem habiturus est, vel Doctor, qui prælectionem habere debet, & se ad illum disponere, possint recitationem Diuini Officij omittere, quotiescunque vtrumque adimplere nequeunt, nisi cum graui incommodo, & damno. 7 *Recēsētur aliqua opera, ob quæ excusatur.*

Circa hanc conditionem pleræque hic insurgunt rationes dubitandi, quarum prima est, an occupatio grauis, & necessaria, vt excuset à recitatione Diuini Officij, debeat versari solummodò circa bona spiritualia, an verò possit etiam versari circa temporalia. Sentiendum est, etiam occupationem circa temporalia, quando est de re graui, & non potest differri, excusare ab onere Horarum Canonicarum recitandarum *Lezana in summa qq. Reg. tom. 1. cap. 12. num. 25., Toletus lib. 2. summæ cap. 14.* Hoc contingeret, quandò grauia damna imminerent, vel publico, vel priuato, nisi eisdem obstrictus onere Diuini Officij occurreret, & occurrendo occupationes tales haberet, vt cum illis non posset recitationem Officij coniungere, vel nisi cum graui incommodo. Item hoc contingeret in casu, quo vacare deberet liti siue actiuæ, siuæ passiuæ in limine expeditionis, quandò eius opera pro aliquo die necessaria est, adeo vt sine illa lis periclitaretur. Item in casu, quo expeditio alicuius negotij temporalis esset pro determinato die vrgens, & exigeret assiduam eiusdem operam, sine qua illud negotium in deteriùs abiret; & in similibus. Ratio horum omnium ea est, quia non est præsumendum, Ecclesiam velle obligare cum tanto dispendio boni communis, vel particularis siue proprij, siue alieni, si vtrique satisfieri non possit, vt notant *Toletus loc. cit., & Reginaldus lib. 18. num. 187.* 8 *Et non solum, si tale opus sit spirituale, sed etiā corporale.*

Secunda est, an si quis iam obstrictus onere Diuini Officij recitandi enixè inuitetur, seu exoretur ad concionem habendam populo à Prælato Ecclesiæ, vel à Parocho ad audiendas confessiones pro aliquo die confluentis populi in propria Ecclesia, & præuideat, quod si incumbat illis muneribus non poterit Horas Canonicas recitare, possit assumere illa onera, & officium omittere, an verò, ne omittat recitationem officij, teneatur illa onera non assumere. Ratio dubitandi est, quia ad illa munera non tenetur ex officio, vndè voluntariè illa assumeret; non potest autem assumere ex libertate onus, quod sit impeditiuum oneris, ad quod tenetur ex præcepto, vt videntur notare *Maior in quarto distinctione 12. qu. 6. ad finem quinti, Trullench. in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 28. num. 2., Moneta de distributione, quæst. 5. num. 25. & 28.* 1

Nihi-

9 *Inuitatus ad actiones spirituales potest acceptare, & officium omittere, si &c.* Nihilominus sentiendum arbitror, vtique posse assumere illa onera non obstante, quod præuideat impedimentum recitationi Diuini Officij. In hoc consentit *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 2. num. 3.* Ratio est, quia potest præsumi maius esse bonum, quod resultare potest ex illa concione, & auditione Sacramentalium confessionum, quam ex recitatione Diuini Officij; vbi autem actio, quæ suscipitur, est causatiua maioris boni, non est præsumendum, quod Ecclesia velit illam impedire, vt adimpleatur recitatio Diuini Officij.

10 *Etiam ad occurrendũ damno graui alieno potest omittere.* Tertia est, an solum possit excusari à penso Horarum Canonicarum, quando necessaria est eius opera incompatibilis cum recitatione earundem ad vitandum damnum proprium, an etiam, quando eiusdem opera conferre potest ad euitandum damnum alienum. Sentiendum est, excusari etiam, quando impenderet suam operam ad vitandam alienam iacturam *Reginaldus lib. 18. num. 187. vers. aduerte pro praxi.* Ratio fundatur in præcepto dilectionis proximi, quem amare tenemur, sicut nosmet ipsos, ergo, sicuti pro vitando damno proprio possumus pensum Horarum Canonicarum non persoluere, ita possumus non persoluere ad vitandum damnum alienum.

11 *Quando occupatio non est pro tota die tenetur officium anticipare, vel postponere.* Ratione quartæ conditionis iuxtà dicta in assertione, si occupatio non duret per totam diem, sed relinquat tempus ante inceptionem eiusdem, vel post ipsam perfectam, non eximetur ab onere recitandi ante, vel post, cum præceptum obliget pro tota die. Hoc tamen hic animaduertendum est, quod, quamuis occupatio non duret per totam diem, sed relinquat aliquod otium, vel ante, vel post, si tamen fuerit talis, vt ante exigeret mentis applicationem, & post mentis, & corporis defatigationem, vel talis, vt continuationem exigat pro alijs subsequentibus diebus, & timeri possit, ne possit satisfieri posita recitatione officij, vtique absolui potest ab onere officij.

12 *Nisi occupatio exigat attentionẽ præuiã, & incommodum subsequens.* Ex primò capite absoluitur ab onere officij, qui habiturus concionem ad populum, vel immediatè ante prandium, vel post prandium timet, ne si mentem diuertat in recitatione Horarum Canonicarum, à memoria excidat concio, quam debet habere, & post eandem habitam, ita mente defatigatus reperitur, vt non nisi cum graui incommodo, & salutis periculo valeat recitare. Secundò, qui per maiorem partem diei Sacramentales confessiones audiuit, vt, quamuis residuum diei eidem liberum remaneat, quia tamen nimis ex attentione fatigatus remanet, non videtur posse, nisi cum magno incommodo, & periculo eidem recitationi applicari. Tertiò, qui per totam diem, vel maiorem partem diei assistit infirmo grauitèr periclitanti, in reliquo valdè oppressione capitis torquetur &c.

Ex secundò capite excusantur concionatores Quadragesimales, qui, quamuis habeant maiorem partem diei liberam, quia tamen habent in occupatione tractum successiuum, & illa libertas licet sit à concione, non est tamen quoad alia præparatoria ad subsequentem concionem, quæ exigit exercitium memoriæ, aliasq; mentis defatigationes, propterea non videntur obligari ad pensum Horarum Canonicarum addita etiam alia ratione, quod, cum eorum munus sit ad publicam vtilitatem spiritualem, ita secum debent agere, ne eorum salus periclitetur in detrimentum publicum, vndè debent cauere à nimio labore, & occupatione. 13 *Concionatores Quadragesimales excusantur.*

Sed, an saltem pro diebus, qui regularitèr sunt dies Sabbati, pro quibus concionem non habent, & pro aliquibus diebus præcedentibus Quadragesimales conciones in ordine ad se disponendum ad illas, teneantur recitare, an verò à tali onere etiam eximantur. Quoad primum piè crederem etiam eximi à tali onere, cum dies illi dentur ad subleuamen animi, & corporis defatigati per præcedentes conciones, & ad alacriùs subeundum laborem pro futuris concionibus, & sicuti ex communiori sententia eximuntur etiam ab onere ieiunij, quamuis pro illis diebus concionem non habeant, ita &c. 14 *Etiam pro diebus Sabbati, in quibus concionem non habent.* Quoad secundum etiam crederem per tres, vel quatuor dies præcedentes ad easdem conciones eximi, tum quia illi possunt deseruire, & prodesse ad onus illud ingens, quod sunt suscepturi, tum quia præsumi potest, quod Ecclesia pro futuro onere moderari permittat præceptum recitationis, &, sicuti ad subleuamen corporis, & animi ad subeundum Quadragesimale ieiunium indulget, vt pro aliquibus diebus præuijs quædam relaxationes adhibeantur, quibus non indulget pro alijs temporibus, ita non videtur hæsitandum, quin ad subleuandam mentem, & animum ad subeundas quadragesimales conciones indulgeat, vt pro aliquibus diebus ad ipsas præuijs mens non defatigetur recitatione Horarum Canonicarum. 15 *Et etiã per tres vel quatuor dies ante Quadragesimam.*

Quod, si instes non currere paritatem de illis relaxationibus, quæ permittuntur ante Quadragesimale ieiunium, ac de omissione Horarum Canonicarum præcedente per aliquot dies Quadragesimales conciones, quia carentia illarum relaxationum non cadit sub præcepto, sicuti cadit

cadit sub præcepto negatio omissionis Horarum Canonicarum, quod etiam illustrari potest exemplo, nam si aliquo die præcedente Quadragesimale ieiuniú occurrat peruigiliú alicuius Sancti, in quo ieiunium seruandum sit ex præcepto, certè fideles non eximuntur ab onere obseruantiæ eiusdem ex eo, quod immediatè præcedat Quadragesimale ieiunium. Si inquam, hoc instes, statim impugnaberis, quia exemplum de illis relaxationibus allatum est non ad inferendam necessitatem, sed ad quandam congruentiam, ob quam præsumi possit Ecclesia indulgere illi omissioni officij per paucos illos dies, vt mente alacriori, & minus defatigata suscipiant ingentem illum laborem quotidianarum concionum. Nec in hoc considerandа est illa paritas de ieiunio peruigilij, alicuius Sancti præcedente Quadragesimale ieiunium, quandoquidem imprimis nonnulli docuerunt, illud ieiuniú peruigilij posse auctoritate Episcopi transferri in alium diem, quod tamen ego non auderem asserere. Deindè præsumendum est, quod Ecclesia magis indulgeat, seu indulgere debeat ex æquitate concionatoribus Quadragesimalibus in ordine ad laborem futurarum concionum, ac alijs in ordine ad Quadragesimale ieiunium, tum quia considerabilior est defatigatio mentis, quam corporis, tum quia, si alij in cursu Quadragesimalis ieiunij teneantur desistere, nulli obsunt, si verò concionatores in cursu Quadragesimalium concionum teneantur desistere, obsunt Communitati. Hæc, quæ dicuntur, magis vim habere videntur in ijs concionatoribus, qui memoriæ labilis sunt, & difficilis apprehensionis, indigent enim memoriam exercere, & assuescere præcedentibus aliquibus diebus, ne nimis opprimantur pro diebus earundem concionum.

Instãtia proposita, & dissoluta.

SECTIO III.

An ex dispensatione, & priuilegio quis excusetur ab onere Diuini Officij.

SUMMARIUM.

Sententia asserens beneficiarium, non posse vti dispensatione. 1.
Probabilius potest per Romanum Pontificem dispensari quoad Horas Canonicas, non autem quoad aliquas preces. 2.
Obligatus ex vi ordinis præcisè potest à Romano Pontifice dispensari. 3.
Professi in Religione possunt dispensari super onus determinatum Horarum Canonicarum non quoad onus aliquas preces fundendi. 4.
Episcopus non potest in hoc dispensare. 5.
In casibus, in quibus possunt Ecclesiastici, vti dispensatione, possunt etiam, vti priuilegio. 6.
Priuilegium Pauli III. concessum Congregationi nostræ pro infirmis, & assistentibus infirmis quoad recitationem Diuini Officij. 7.
Hoc priuilegium intelligendum est, quando circa infirmos non detinentur tota die, & quando est dubium, an illa detentio sufficiat. 8.
Priuilegium concessum Teatinis quoad occupatos in concionibus, aut in studijs Theologiæ, & sacrorum Canonum. 9.
Hoc priuilegium extenditur etiam ad studentes. 10.
Non tamen ad Lectores, & studentes Philosophiæ, aut aliarum artium. 11.

Difficultas quoad dispensationem versari potest, vel circa beneficiarium, vel circa sacris ordinibus initiatum, vel circa Clericum solemnitèr in Religione professum; non enim videtur currere par ratio de omnibus, quandoquidem beneficiarius videtur speciali iure quasi naturali obligari, cum etenim beneficium detur propter officium, & cum recipiat beneficiarius fructus beneficij, videtur lege iustitiæ obligari ad orandum pro institutoribus eiusdem. Ob has rationes *Abbas in cap. 1. de celebratione Missarum, Turrecremata in cap. Eleutherius distinct. 91. quæst. 5., Angelus verb. Hora quæst. 5., Rosella verb. Hora num. 13.,* docuerunt beneficiarium per dispensationem non posse eximi ab onere Diuini Officij. I

Sententia asserens beneficiarium nõ posse, vti dispensatione.

II

Ego, qui in præcedentibus docui ex iure naturæ beneficiarium obligari ad aliquas preces, vel ad aliquod opus pium indefinitè, quæ preces fuerunt ab Ecclesia determinatæ restrictiuè ad Horas Canonicas; modo congruentèr ad prædicta, assero ex dispensatione Romani Pontificis posse quidem beneficiarium eximi ab onere determinato Horarum Canonicarum, non autem ab onere fundendi aliquas preces. Ratio primæ partis est, quia determinatum illud onus Horarum Canonicarum est inductum per ius Canonicum, ergo per Romanum Pontificem, qui est supra omne ius Canonicum, potest illud onus dissolui, & iuxtà hunc sensum arbitror præcisè procedere *Siluestrum verb. Hora quæst. 8., Tabienam verb. Horæ Canonicæ quæst. 15., Nauarrum tract. de Oratione cap. 11. num. 31., Guilielmum de Monte, Laudum, Ioannem Lignanum, & Cardinalem in Clement. 1. de celebratione Missarum.* Ratio secundæ partis est, quia beneficio ex lege 2.

Potest dispensari, quoad Horas Canonicas, non autem quoad aliquãs preces.

lege naturæ, & iustitiæ annexum est onus pro institutoribus exorandi, cum beneficium sit propter officium, & interueniat quodamodo contractus innominatus. *Do, vt facias*, qui ex lege naturæ obligat, ergo non obstante Pontificis dispensatione vrgente iure naturæ, & iustitiæ vrgebit onus aliquas preces, vel opus pium effundendi, & iuxtà hunc sensum præcisè arbitror procedere *Abbatem in dicto c. 1. de celebratione Missarum, Turrecrematam in cap. Eleutherius distinctione 91. quæst. 5., & alios supra allegatos*, dum respondentes ad obiectum, quod tantum iuris Canonici sit, vt Horæ Canonicæ à beneficiario recitentur, asserunt esse tantum iuris Canonici quoad modum, & formulam orandi, non autem quoad substantiam Orationis.

3 *Obligatus ex vi ordinis præcisè potest dispensari.* Loquẽdo tamen de obligatis ad Horas Canonicas vi sacrorum ordinum præcisè arbitror ex dispensatione Romani Pontificis posse absolui ab hoc onere, prout etiam sentiunt *Siluester in verb. Hora q. 4., Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 10.* Ratio est, quia ordini sacro tantum de iure Canonico annexum est onus recitandi Horas Canonicas, cum in primitiua Ecclesia hoc onus non vigeret, præcipuè quoad Subdiaconum, nec sic initiatus sacris ordinibus aliquid recipit, ratione cuius de iure naturæ, vel iustitiæ teneatur preces horarias effundere. Neque obstare potest, si dicatur primò, quod licet fructus aliquos non percipiat, constituatur tamen irreuocabilitèr in statu Ecclesiastico, & gaudeat pluribus Ecclesiæ priuilegijs, quæ sunt pretio æstimabilia; Secundò, quod iuris Diuini sit, quod Clericus septies in die Laudes dicat Deo. Non, inquam, obstare potest; *Soluuntur rationes opposita* non primum, quia etiam Clericis non constitutis in sacris hæc priuilegia competunt, nec tamen obligantur ad pensum Horarum Canonicarum, nec releuat, quod sacris insigniti gaudeant his priuilegijs irreuocabilitèr, vbi constituti tantum in minoribus ordinibus gaudent tantum reuocabilitèr; non releuat, inquam, quia, si ratione priuilegiorum præcisè oriretur obligatio recitandi Horas Canonicas, hæc deberet regulari ad normam eorundem priuilegiorũ, adeo vt si ista essent irreuocabilia, & onus recitandi preces horarias deberet esse irreuocabile, si illa reuocabilia, & istud reuocabile; cæterum, vbi essent illa priuilegia reuocata, admodum ipsorum deberet esse illa reuocatio, quod tamen verum non est; vndè asserere debemus, quod onus recitandi Horas Canonicas non proueniat præcisè ex eisdem priuilegijs. Non secundum, quia Dauid, qui septies in die laudes Deo canebat, hoc non præstabat ex necessitate præcepti Diuini, sed ex pio affectu, & voluntaria propensione crebrò Deum laudandi, quod postea Ecclesia per præceptum hoc onus induxerit, non infert, quod sit ex Diuino præcepto, sed merè Ecclesiastico.

Loquendo tandem de obligatis ratione solemnis professionis in Religione iuxtà superiùs dicta sentiendum existimo per dispensationem Pontificis posse quidem eximi ab onere determinato Horarum Canonicarum, non autem ab onere fundendi aliquas preces. Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, obligationem professorum in Religione recitandi Diuinum Officium radicalitèr prouenire à iure naturæ ratione congruæ sustentationis, quam à Religione suscipit, & formalitèr à iure positiuo non scripto, sed consuetudinario; vndè quodamodo eius obligatio regulanda est ad normam obligationis beneficiariorum, ergo, sicuti beneficiarij ex dispensatione Romani Pontificis possunt excusari ab onere determinato Horarum Canonicarum, non tamen ab onere aliquarum precum, ità & Religiosi professi. 4 *Professi in Religione, possunt dispensari quoad Horas Canonicas, non quoad aliquas preces.*

In casibus autem, in quibus omnes prędicti excusari possunt, vel ab onere tantum determinato Canonicarum precum, non autem ab onere aliquarum, vt in beneficiarijs, & professis, vel à quocunque onere, vt in initiatis sacris ordinibus, non possunt tamen excusari per solam dispensationem proprij Episcopi, vt ex communi Doctorum opinione notant *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 24., Bonacina de legibus disp. 1. quæst. 2., & de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 3. num. 2., Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 11.* Ratio ex eo deducitur, quia onus recitandi Diuinum Officium in omnibus præallegatis est inductum de iure communi; Episcopus autem non potest derogare iuri communi canonico, cum hoc sit iuris Pontificij priuatiuè quoad alios inferiores, nisi in ijs, quæ iure ipso, aut consuetudine, vel præscriptione permittuntur. 5 *Episcopus non potest dispensare.*

Ex eodem capite, quo per dispensationem tolli potest obligatio recitandi Horas Canonicas, seu cæteroqui obligati possunt absolui ab hoc onere, possunt etiam absolui ex priuilegio iuxtà formam, qua illud emanauerit, & in ordine ad personas, pro quibus fuerit concessum. Hac de re extant plura priuilegia, potissimum in ordine ad Regulares, quarum aliqua breuitèr hic referam. 6 *In quibus casibus possint, vti priuilegio.*

Paulus III., vt constat *ex tom. 1. Bulla-*

rij p. 618. concessit Congregationi nostræ Clericorum Regularium S. Pauli in ordine ad infirmos, & assistentes infirmis, *vt infirmitate, aut circa infirmos occupatione huiusmodi durante certum psalmorum per ipsum Superiorum eis assignandorum numerum non minus septem, aut sex cum diuisione, & Orationem Dominicam septies, ac Symbolum Apostolorum bis; grauitèr autem ægrotantibus Orationem Dominicam semel, Salutationem Angelicam septies in die recitando septem Horis Canonicis, & toti Diuino Officio satisfecisse censeantur*. Circa hoc priuilegium aduertendum, vel intelligendum esse solummodò, quando occupati circa curam infirmorum non detinentur in illa tota die, vel maiori parte diei, & quando infirmi non sunt tales, vt ex recitatione Diuini Officij timeantur subesse grauioribus malis, vel quando potest esse dubium, an detentio circa infirmos, vel infirmitas ipsa excuset nec ne; nam si talis detentio, & infirmitas esset talis, vt nonnisi cum graui incommodo, & periculo maioris mali posset Horæ Canonicæ recitari, non indigerent priuilegio, sed possent absolutè omittere grauiori causa excusante *Siluester verb. Hora num. 18., Valentia disp. 6. generali de iustitia quæst. 2. punct. 10. circa septimum*; nam sic Ecclesia obligat ad horas, vt tamen non intendat auertere ab operibus charitatis, & maioris professionis, & sic qui non potest horas recitare, nisi se subtrahendo ab his, debet illas relinquere.

7 Priuilegium nostris concessũ quoad infirmos & assistentes infirmis

8 Quomodo hoc priuilegium sit intelligendum

Clemens VII., vt constat *ex tom. 1. Bullary pag. 606.*, quod etiam refert *Laurentius de Peyrinis tom. 1. priuileg. minim. in Constitutione 28. Leonis X. num. 9.*, priuilegium concessit Clericis Regularibus Teatinis pro Religiosis occupatis in prædicationibus, aut operibus pietatis, puta confessionibus audiendis, aut Sacræ Theologiæ, ac Canonum studijs, aut infirmis, vel infirmis seruientibus, *vt sic occupati, vel impediti certum psalmorum per ipsos Superiores eis assignandorum numerum non minus septem, aut sex cum diuisione, ac Orationem Dominicam septies, Symbolum Apostolorum bis; grauitèr autem ægrotantes Orationem Dominicam semel, & Salutationem Angelicam septies in die recitando septem Horis Canonicis, & toti Diuino Officio satisfecisse censeantur*. Hoc etiam priuilegium intelligendum est ad normam eorum, quæ dicta sunt in præcedenti.

9 Priuilegium concessũ Teatinis quoad concionatores, & Lectores Theologiæ.

Circa hoc priuilegium plerique dubitant, an prosit dumtaxat Lectoribus Theologiam, & sacros Canones docentibus, an verò etiam discipulis studentibus. Cum priuilegium loquatur de occupatis studijs Theologiæ, & Canonum, videtur æquè habere locum in Lectoribus, ac in studentibus, cum æquè vtrique sint occupati in huiusmodi facultatum studio, & cum lex non distinguat inter eosdem, nec nos distinguere debemus, sed omnes sub eodem comprehendere. *Diana part. 3. tract. 2. resol. 68. §. non desinam*, hoc priuilegium æquè extendit ad Lectores, ac de studentes fortè propter allegatam rationem indistinctionis priuilegij, cui etiam ego adhærendum existimo.

10 Hoc priuilegiũ extenditur etiam ad studentes Theologiæ.

Item aliqui dubitant, an hoc priuilegium restringatur solummodò ad occupatos studijs Theologiæ, & Sacrorum Canonum, an verò extendi possit ad occupatos etiam in Philosophiæ, & Humaniorum Literarum studijs. Videtur prima fronte extendendum propter identitatem rationis deducto argumento ex textu *in cap. quia nonnullis de Magistris*, vbi docenti Grammaticam æqualitèr prouidetur, ac docenti Theologiam. Sed non libentèr adhærerem huic opinioni, tum quia ex identitate rationis in priuilegijs non est facienda extensio vltra personas in eodem nominatas expressè, vt colligitur *ex cap. sanè de priuilegijs*; priuilegium autem allegatum loquitur præcisè, de studentibus Theologiæ, & Sacrorum Canonum, quod propterea non est extendendum ad studentes Philosophiæ, & Literarum Humaniorum, tum, quia non est omnimoda rationis identitas, cum studia Theologiæ, & Sacrorum Canonum immediatiùs, & proximiùs referantur ad Religionis cultum, quem singularitèr respexisse censendus est Pontifex in concessione eiusdem.

11 Non tam ad Lectores Philosophiæ, aut aliarũ artiũ

SECTIO IV.

An, & qualis metus excuset à recitatione Diuini Officij.

SVMMARIVM.

Quomodo possit concipi hic metus. 1.
Si metus sit probabilis, & de graui damno excusat. 2.
Si non sit probabilis, vel de re leui non excusat. 3.

Sensus præsentis tituli est, an, si quis ex delatione Codicis Diuini Officij, vel recitatione eiusdem timeat, seu rationabilitèr timere possit sibi graue damnum obuenturum, possit iustè abstinere à tali delatione, & recitatione. Hoc contingere posset in casu, quo esset transiturus per partes Hæreticorum Sacerdotes Ca-

1 In quo casu possit concipi hic metus.

Catholicos insectantium, & persequentium ad mortem, vel similibus. In hoc considerandum est, an talis metus sit probabilis, an verò merè imaginarius, & sine probabili fundamento; rursus, an sit de damno graui, vel leui; rursus, an periculum eiusdem de facili vitari possit, vel non nisi cum graui incommodo.

2 *Si metus sit probabilis, & de graui damno excusat.* Sentiendum est, quod, si talis metus sit probabilis, & de graui damno, quod aliundè commodè vitari non possit, iustam tribuat excusationem à delatione, & recitatione. Consentit *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. qu. 19. cum alijs communitèr*. Ratio videtur manifesta, quia in ijs, quæ iuris positiui sunt metus grauis excusat ab eorum adimplemento, ergo non est, cur non debeat excusare etiam à recitatione Diuini Officij, cum hoc sit de iure positiuo. Confirmatur, quia in infirmo existente periculo maioris damni in sanitate adest legitima causa excusans ab eadem recitatione, vt in præcedentibus probauimus, ergo existente periculo mortis ob recitationem Diuini Officij, cuius extat probabilis metus, erit sufficiens causa excusans ab eadem recitatione.

3 *Si nō sit probabilis, vel de re leui non excusat.* Dixi, *si metus sit probabilis*, nam ex quocunque metu concepto sine fundamento prudentis credulitatis non potest concipi causa sufficiens excusans; cæteroqui ex quacunque leui apprehensione possent quicunque à quocunque onere præcepti positiui se eximere. Dixi, *si sit de graui damno*, quamuis enim metus esset omninò certus, si tamen esset de re ui leui, certè non eximeret a tali onere, nam non est præsumendum, quod Ecclesia ob onere, seu præcepto strictè obligante ex quacunque causa leui velit deobligare. Dixi, *si aliundè commodè vitari non possit*, nam, si verbi gratia in casu proposito de Clerico transituro per partes Hæreticorum, à quibus ratione delationis Diuini Officij, & recitatione eiusdem potest graue damnum timerè, posset iste per alias partes commodè transire, in quibus non subesset illi periculo, certè non eximeretur ab onere recitationis eiusdem, & si vellet hic transire per partes eorundem Hæreticorum, & omittere Diuinum Officium, esset in causa voluntaria omissionis, quæ propterea eidem esset ad culpam imputanda.

Id, quod exemplificatum est de metu in Clerico transituro per partes infidelium quoad effectum eximendi ipsum ab onere officij exemplificat *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. qu. 19. in fine*, de Clerico apud Turcas, vel Saracenos captiuo, vel in eorum triremibus nauigante, & de eodem in hospitio inimicorum diuertente.

SECTIO V.

An peregrinatio ad loca pia excuset à recitatione Diuini Officij.

SVMMARIVM.

Ex eo, quod beneficiarius alium substituat, qui sua munera exerceat, dum ipse peregrinatur, non eximetur ab onere Diuini Officij. 1.

Si peregrinatio sit talis, vt secundum se excuset, etiamsi voluntariè suscipiatur, excusat. 2.

Opus, quod suscipitur tendit in maius bonum. 3.

Peregrinatio, vt excuset, debet coniungi cum grauibus incommodis. 4.

HVnc titulum examinant *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 14.*, *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 1. num. 9.* in terminis, quibus quis addictus alicui Ecclesiæ assumeret eandem peregrinationem relicto in sui locum substituto, qui id præstaret, quod ipse per se ipsum præstaret, si non peregrinaretur, & sentiunt hunc non eximi ab onere Diuini Officij, addita etiam ratione, quia huiusmodi onus personale est, nec potest per alium adimpleri. 1 *Ex substitutione alterius non eximitur ab onere Diuini Officij.*

Si huiusmodi Doctores intelligant non satisfacere præcisè oneri Diuini Officij ex eo, quod alium substituant ad ipsum pro se ipso recitandum rectè procedunt propter rationem ab ipsis adductam. Negare tamen non possunt, quod quoad alia munera, (puta, si peregrinaturus esset Parochus) Parochialia satisfaceret per substitutum, qui eandem exerceret. Difficultas potissimum, quæ hic versatur, consistit in hoc, an ex eo præcisè, quod peregrinetur, eximatur ab onere Diuini Officij recitandi, seu quod idem est, an peregrinatio voluntaria ad loca pia eximat ab onere Diuini Officij, siue peregrinus obligetur ex titulo beneficij, siue ex titulo Sacrorum Ordinum, siue ex titulo solemnis professionis in Religione; intellige de onere officij priuatim recitandi. Ex duplici capite ratio dubitandi potest in hoc oriri; primò, an peregrinatio sit opus tale, vt propter incommoda, quæ secum affert, tribuat sufficientem causam excusationis à tali onere. Secundò, an ex eo, quod peregrinatio, dato etiam, quod secundum se sufficientèr excuset, sit opus voluntarium,

& superogationis, possit assumi cum dispendio obligationis recitandi idem Diuinum Officium. Incipiendo ab hoc secundo sit.

2 *Si peregrinatio sit talis, vt secundum se excusat etiam si sponte suscipiatur excusat.*

Assertio I. Dato, quod peregrinatio sit talis, vt secundum se tribuat sufficientem causam excusantem ab onere talis recitationis ex eo, quod voluntariè, & spontè assumatur, non tollit, quin vigeat exemptio à tali onere. In hoc assentiri videtur *Caramuel in regul. D. Benedicti disp. 116. num. 1438.*, dum asserit, quod qui suscipit onus pium, cum quo non potest consistere recitatio Horarum Canonicarum excusetur à penso earundem.

3 *Opus, quod suscipitur tendit in maius bonum.*

Ratio ex eo deducitur, quod, quamuis obstrictus onere Diuini Officij regularitèr loquendo non possit assumere onus, quod sit incompatibile cum ipso, potest tamen illud assumere, quando opus illud, quod suscipitur, communitèr habetur pro opere maioris perfectionis, ac sit recitatio Diuini Officij, vt notant *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 2. nu. 3.*, & alij apud ipsum, qui etiam hoc tradidit *de peccatis disp. 2. quæst. 8. punct. 1. proposit. 2. num. 9., & seqq.*, sed peregrinatio ad loca pia est opus secudum se maioris perfectionis, quam sit talis recitatio, quod arguitiuè deducitur ex eo, quod votum peregrinationis difficiliùs permittitur dissolui ac votum Horarum Canonicarum. Confirmatur; potest quis quantumuis non obligatus ex officio, nec alio vinculo obstrictus sola charitate suadente velle assistere curæ infirmi, quamuis norit talem assistentiam non posse coniungi cum recitatione Diuini Officij, ergo etiam potest quis suadente sola in Deum pietate, & in vtilitatem propriam eligere peregrinationem ad loca pia, quamuis norit hanc fore incompatibilem cum eandem recitatione. Consequentia probatur, quia non minoris perfectionis opus videtur hæc peregrinatio ad loca pia, ac sit assistentia voluntaria infirmis, & vtraque est voluntaria, & liberè suscepta.

4 *Peregrinatio vt excuset debet coniũgi cũ grauibus incommodis.*

Assertio II. Si peregrinatio talis fuerit, seu sit, vt non possit, nisi cum grauibus incommodis, & molestijs coniungi cum recitatione Diuini Officij, vtique eximit ab onere eiusdem recitationis, secus, si non afferat huiusmodi incommoda, seu possit sine grauibus molestijs compati cum eadem.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod non sit præsumendum Ecclesiam velle ad huiusmodi recitationem compellere cum tot incommodis, nam propter eadem incommoda eximit etiam à tali onere propter alias operationes, quæ concernunt solum bona temporalia, & propterea à fortiori eximere præsumenda est in ordine ad operationes, quæ plurimum conferunt ad bona spiritualia, qualia conferre potest pia peregrinatio. Hoc contingeret, quando peregrinatio esset per loca ardua cum magna corporis, & animi defatigatione, adeo vt destitutus viribus ad stationem in Vesperis perueniret, vt si tunc Diuinum Officium recitaret magis opprimeretur, & se coniiceret in periculum, ne posset iter complere vsque ad terminum.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod non ob quæcunque leuia incommoda obstricti onere Diuini Officij recitandi eximuntur à tali onere, vt supra diximus de leui infirmitate, ergo, si huiusmodi peregrinatio afferret solum leuia incommoda, nec talia, vt grauitèr onerosam, & damnis obnoxiam redderent recitationem Diuini Officij non eximeret ab onere huiusmodi recitationis. Hoc contingeret quando per singulos dies breue iter perageretur, & multo magis, si haberetur in rheda, cum alijs conferentibus ad commodam peregrinationem; nam tunc recitatio non esset ardua, & multum conferret ad effectum intentum talis peregrinationis, qui est maior deuotio.

SECTIO VI.

An, & quando defectus Codicis Diuini Officij excuset à recitatione eiusdem.

SVMMARIVM.

Qui culposè differt sibi prouidere de Breuiario toties peccat, quoties omittit recitationem Diuini Officij. 1.

Si carentia Breuiarij sit sine culpa, absolutè excusat à recitatione Diuini Officij. 2.

Si carens memoria teneat aliquam partem notabilem eiusdem, & non confusè tenetur illam recitare. 3.

Qui sine culpa caret excusatur à quacunque culpa, si non recitet. 4.

Qui cum culpa caret non excusatur à culpa, si non recitet. 5.

Qui culposè caret toties peccat, quoties officium non recitat. 6.

Non tamen singulis diebus quibus omittit septem peccata committit iuxtà numerum horarum, quas omittit. 7.

HOc vnum certum est, quod, qui ad Sacrum Ordinem promouetur, vel beneficio Ecclesiastico præficitur teneatur vel ante, vel immediatè sibi consulere de

de Breuiario, adeo vt, si culposè differat grauis culpæ reus constituatur, vt notant *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 20.*, *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 18.* Dixi *culposè*, nam, si bona fide distulerit, probabilitèr sibi suadens, quod immediatè post susceptum ordinem, vel beneficium, sit habiturus Codicem eundem nullius culpæ fieret particeps. Sed, an, si culposè omiserit

1 *Qui culposè differt sibi prouidere de Breuiario toties peccat, quoties non recitat.*

sibi consulere peccet solummodò in illa culposa omissione, an verò toties, quoties ex illo defectu non recitat Diuinum Officium. *Nauarrus dicto cap. 11. de Oratione num. 20.*, existimat, solum peccare in non consulendo sibi antecedentèr de Codice, non verò postea in omittenda recitatione eiusdem officij, quia nec habet, nec habere potest, quo recitet. Aduersus eundem Nauarrum hæc ratio videtur militare, quod voluntariè, & culposè omittens sibi consulere opportunè de Codice videtur voluntariè in causa voluisse omissionem recitationis, ergo quæcunque omissio, vtpotè voluntariè in causa erit grauitèr peccaminosa, & propterea arbitror toties peccare, quoties omitteret horas recitare.

2 *Carētia Breuiarij sine culpa excusat.*

Cæterum discriminatim loquendo de pluribus casibus, in quibus potest contingere hæc Codicis carentia, plura distinctè profero. Dico igitur primò, quod carentia secundum se, si sit sine culpa absolutè excuset à recitatione Diuini Officij *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. c. 28. num. 7.*, *Garzias de benef. part. 3. cap. 1. num. 97.*, *Molfesius cap. 5. nu. 92.*, *Laiman lib. 4. tract. 1. cap. 6. num. 1.*, *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 2. num. 4.*, nec in hoc probando diù immorandum stante lege impossibilium, ad quæ nemo tenetur. Hinc, si quis peregrè proficiscens domi ex obliuione Breuiarium reliquerit, nec possit aliundè habere, certè eximitur ab onere recitationis. Sed, an iste, si memoritèr teneat aliquam partem Diuini Officij, teneatur istam recitare omissa ea, quam non tenet. Respondendum est iuxtà superiùs dicta, dum de cæco, & similibus, quod, si scilicet memoritèr tenuerit, seu teneat aliquam partem notabilem, quæ secundum

3 *Si memoriæ teneat aliquam partem notabilem tenetur illam recitare*

se constituat horas, vel horam integram, vtique teneatur illam persoluere, secus autem, si teneat aliqua solummodò confusè, quæ Horam Canonicam non constituant; vndè quoad primam partem, quando scilicet teneat aliquam partem notabilem emanauit ab Innocenzo XI. die 2. Martij 1679. damnatio illius propositionis, qua dicebatur. *Qui non potest recitare Matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nibil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.*; quoad secundam ex eo euincitur, quia præceptum obligat ad Horas Canonicas, illa autem confusio aliquarum partium non est propriè Hora Canonica.

Dico secundò, quod, si in itinere Sacerdos, vel alius obstrictus onere Diuini Officij casu Codicem amiserit, nec potuerit ad locum peruenire, vbi illum, vel alterum habere posset, excusetur à quacunque culpa, si officium non recitet. *Azorius institution. moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 16.*, excusante ipsum impotentia, cui ipse voluntariè causam non dedit.

4 *Qui sine culpa caret Breuiario excusatur, si non recitet.*

Dico tertiò, quod, qui sua culpa Codice Diuini Officij caret, puta, quia voluntariè iter habiturus domi reliquit, vel in itinere perdidit, vel proiecit, non excusetur à graui culpa, si Officium Diuinum prætermittat. Consentiunt communitèr *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 20.*, *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 16.*, *Bonacina de peccatis disp. 2. quæst. 8. punct. 1. proposit. 2. num. 11.* Ratio est, quia voluntariè hic omittit recitationem Diuini Officij, nam voluntariè voluit id, cum cum quo stare non potest illa recitatio. Neque hic audiendi sunt aliqui, qui culpam præcisè agnoscunt in illa voluntaria carentia Breuiarij, non in ipsa omissione Diuini Officij, cum impotentia à tali recitatione excuset. Non, inquam, audiendi sunt, quia illa non recitatio prouenit à causa voluntaria, seu à voluntate non recitandi, ergo ipsa, vtpotè à principio libero volita, est peccaminosa.

5 *Qui cum culpa caret nō excusatur à culpa, si non recitet.*

Dico quartò, qui ex sua culpa Codice Diuini Officij caret, puta, quia longum iter suscepturus domi reliquit, vel in itinere proiecit, toties læthalitèr peccat, quoties officium omittit. In hoc consentire videtur *Bonacina loco citato*, contra *Nauarrum dicto cap. 1. de Oratione n. 20.*, *Azorium dicto lib. 10. cap. 13. quæst. 16.* Ratio ex eo deducitur, quod quælibet omissio est voluntaria in causa, ergo, quælibet est peccaminosa læthalitèr. Antecedens probatur, quia voluntariè domi relinquens Breuiarium, vel illud proijciens in itinere, voluntariè se conijcit in statum, quo certo sit, se non posse recitare, ergo intelligitur liberè velle omissionem cuiuscunque recitationis pro tempore, quo carebit illo Codice.

6 *Et toties peccat, quoties non recitat.*

Dico quintò, probabiliùs ob illam carentiam voluntariam Codicis Diuini Officij non contrahit singulis diebus, quibus ex eadem causa omittit recitare Officium septem peccata læthalia iuxtà numerum

merum

merum horarum, quas omittit, sed vnum peccatum læthale singulis diebus. Ratio

7 *Non tamen singulis diebus septem peccata committit.*

est, quia licet quælibet hora sit recitanda sub onere peccati læthalis, præceptum tamen de Diuino Officio recitando est vnum, quod extenditur ad omnes partes, nempè ad omnes horas, ergo existente eadem voluntate de omittendo officio singulis diebus, in singulis tantum committitur vnum peccatum. Consequentia probatur, quia multiplicatio peccatorum non consurgit, nec ex violatione plurium præceptorum, cum sit vnum dumtaxat, nec ex actibus multiplicatis, quia in præsenti hypothesi supponitur, quod voluerit solummodò non recitare Diuinum Officium, nec actus interruptos multiplicauerit circa singulas horas, nec ex multiplicatione obiecti, cum sit vnum, & idem officium, & licet hoc constet pluribus partibus, quarum singularum omissio sit grauitèr peccaminosa; si tamen sumantur per modum vnius, non constituunt, nisi vnum obiectum, ergo &c.

SECTIO VII.

An minor ætas excuset ab onere recitandi Diuinum Officium.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.

Beneficiarius, seu ordinatus in infantia non tenetur ante vsum rationis Horas Canonicas recitare. 2.

Acquisito vsu rationis, si ratam habuit ordinationem, vel collationem beneficij, tenetur, secus si ratam non habuit. 3.

Si per metum grauem inductus fuerit ad recipiendum ordinem, vel beneficium non tenetur. 4.

Nisi cessante motiuo metus ratum habuerit eundem ordinem, seu beneficium. Ibid.

Etiam timor reuerentialis deobligat. 5.

Sententia asserens non obligari ad votum castitatis ante 16. annum. 6.

Illatio secundum hanc sententiam, nec teneatur ad officium, nisi illo anno completo. 7.

Sententia Bonacinæ volentis ante pubertatem teneri ad officium recitandum. 8.

In beneficiario vix potest habere locum hæc quæstio stante moderna dispositione Concil. Trid. 9.

Nec etiam ordinato in sacris propter eandem dispositionem. 10.

Vbi Concilium Tridentinum receptum non est ordinatus, vel beneficiatus tenetur etiam ante pubertatem ad officium. 11.

Collato beneficio per Episcopum puero ante pubertatem, hic teneretur ad officium. 12.

Si Pontifex cum scientia contulerit puero beneficium ante debitam ætatem, vel antequam possit officium recitare, intelligitur dispensare super officio, donec &c. 13.

Si cum ignorantia contulerit puero ante vsum rationis, probabilius collatio intelligitur irrita. 14.

Dispensatus super ætate ad obtinendum beneficium non intelligitur dispensatus super onere officij. 15.

Contingere potest, vt quis ante pubertatem acquisitam promoueatur ad Sacros Ordines, vel præficiatur alicui beneficio Ecclesiastico, quod secundum se obliget ad Horas Canonicas recitandas. De hoc modo quæritur, an ratione minoris, & illegitimæ ætatis eximatur ab onere Diuini Officij.

Pro resolutione multa hic veniunt consideranda. Primò, an ordo, vel beneficium fuerit collatus, seu collatum pro tempore infantiæ, an verò postquam excesserit limites infantiæ, & consecutus fuerit rationis vsum. Secundò ex suppositione, quod consecutus fuerit rationis vsum, an consenserit collationi eiusdem ordinis, & beneficij, an verò fuerit inductus per aliquem metum, seu saltem timorem reuerentialem. Tertiò, an si receperit ordinem ante pubertatem, vel ante decimum sextum suæ ætatis annum, excusetur à tali onere. Quartò, an beneficium in illa minori ætate fuerit collatum à Romano Pontifice cum scientia illius minoritatis, an verò sine tali scientia, an verò dumtaxat fuerit collatum ab Episcopo. Ex his enim diuersis considerationibus oriri possunt diuersæ rationes decidendi.

1 *Varij articuli examinandi.*

Certum est primò, quod, si ordo, vel beneficium fuerit collatus, seu collatum in infantia ante vsum rationis, non tenetur ordinatus, seu beneficiatus ante vsum rationis acquisitum recitare Diuinum Officium, cum ad hoc sit omninò incapax. Sed, an teneatur, cum ad vsum rationis peruenerit? In hoc distinguunt communitèr, vel enim, cum ad vsum rationis peruenerit ratam habuit ordinationem, vel collationem beneficij, vel non ratum habuit vtrumque; si non ratum habuit vtrumque certum est, quod non teneatur ad officij Diuini recitationem *Paulus Squillas, prima part. de obligatione Cleric. dub. 18. nu. 34., & 84., & seqq., Molfesius part. 5. cap. 4. num. 11., Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 6. num. 16. vers. addo non solum.* Ratio est, quia nec ex propria voluntate, nec ex vi ordinis, nec beneficij tenetur; non ex propria voluntate, cum hæc potius reluctetur, quam assentiatur.

2 *Durante infantia non tenetur recitare*

3 *Acquisito vsu rationis si ratam habuerit ordinationē, vel collationē beneficij tenetur.*

Non

Non ex vi ordinis, & beneficij, quia cum in illum, seu illud non consenserit, nec consentiat, non potest ex vi illorum obligari. Si ratum habuit vtrumque, tunc difficultas dependet ab eo, an ante pubertatem acquisitam obligetur, seu obligari possit ad Horas Canonicas recitandas, de qua erit sermo infrà.

4 *Inductus per metũ grauem ad ordinẽ, vel beneficium recipiẽdum non tenetur.* Certum est secundò, quod, si acquisito vsu rationis inductus fuerit per metum grauem ad recipiendum Ordinem Sacrum, vel beneficium non teneatur ad recitationem Diuini Officij, nisi cessante motiuo metus, vel eo deposito ratam habuerit collationem eorundem. Ratio ex eo deducitur, quia licet metus, quantumuis grauis non tollat simplicitèr voluntarium, constituit tamen inuoluntarium secundum quid, seu minuit de voluntario; ad assumendam autem obligationem ex voto, qualis est illa, quæ implicitè imbibitur in susceptione Ordinis Sacri, vel ex præcepto, qualis est illa, quæ suscipitur in receptione beneficij, requiritur voluntarium simplicitèr, quia nemo inuitus, seu minus voluntariè liber obligatur ad onus graue, & habens tractum successiuum, nisi in pænam, quæ nequit in hoc casu considerari, cum nulla sit culpa, ergo existente tali metu graui non obligatur, nisi illo deposito rata habeatur susceptio ordinis, vel beneficij. *Nisi postea illa rata habeat.* Confirmatur, quia professio in Religione emissa ex metu graui incusso irritatur cum omnibus alijs oneribus eidem annexis, vt fatentur communitèr Doctores, ergo etiam obligationes, quæ oriuntur ex susceptione Ordinis Sacri, vel beneficij Ecclesiastici ex metu graui irritantur, seu non obligant ad adimplementum.

5 *Etiam timor reuerentialis deobligat.* Sed, an timor reuerentialis in susceptione ordinis, vel beneficij in puero gaudente vsu rationis ipsum deobliget à recitatione Diuini Officij. Respondendum est affirmatiuè *Diana part. 3. tract. 2. resol. 92., Rota Romana part. 10. recent. decis. 211., Marcus Antonius Sabellus in summa diuers. tract. verbo metus num. 8. vers. an solus metus reuerentialis*. Ratio ex eo deducitur, quod metus reuerentialis maximè in puero æquiualet metui verberum, & minarum *Afflictus decis. 69. num. 4., Menochius de arbitr. cas. 136. num. 6., & seqq., Magonius decis. Flor. 18.*, & sufficiens est ad actus recisionem, & annullat professionem *Diana dicto part. 3. tract. 2. resol. 92.*, vbi refert ita fuisse in casus contingentia decisum *Rota Romana part. 13. recent. decis. 211.*, ergo etiam erit sufficiens ad deobligandum ab onere Diuini Officij annexo Ordini Sacro, & beneficio, quando ordo, & beneficium receptum, seu receptus est cum tali metu.

Id, quod primò hic controuertendum venit, est, an si reuera ante susceptionem ordinis, vel beneficij consecutus fuerit plenè vsum rationis, non tamen egressus fuerit limites impubertatis, & consenserit in receptionem eorundem, teneatur immediatè ad onus Diuini Officij, an verò elapso aliquo tempore, & quonam *Sanchez lib. 7. disp. 30. num. 8., Fillintius tract. 10. part. 2. cap. 4. quæst. 3. n. 128., & alij plures apud eundem Sanchez ibidem* loquentes in terminis ordinati ante 16. annum videntur sentire sic ordinatum ante talem annum non obligari ad votum castitatis, ex quo *Bonacina de matrimonio quæst. 3. punct. 9. num. 16.*, infert eosdem teneri etiam asserere non obligari ad recitationem Diuini Officij. Quod autem sic ordinatus non teneatur ad votum castitatis, probant huiusmodi Doctores ex eo, quod ante talem ætatem professio emissa in Religione non obliget, ergo neque obligabit votum castitatis annexum sacris ordinibus susceptis ante talem ætatem. In terminis proprijs ordinati ante pubertatem non oriri in eodem obligationem recitandi Diuinum officium tradiderunt *Paulus Squillas part. 1. dub. 18., & alij apud Bonacinam loc. cit.* 6 *Sententia asserens non obligari ad votũ castitatis, nisi complecto 16. anno.* 7 *Nec ad Officium Diuinũ.*

Ex aduerso ipse *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 2. num. 18., & de matrimonio quæst. 3. punct. 9. num. 16. vers. sed mihi probabilius*, sentit sic ordinatum ante pubertatem, vel decimum sextum annum teneri ad recitationem Diuini Officij addita ratione, quod, cum sic ordinatus consenserit in principale, nempè in ipsum ordinem, censeatur consensisse in accessorium, nempè in onus recitandi idem officium, quod ex iure Ecclesiastico est annexum ipsi ordini. Sed hæc Bonacinæ ratio nil penitus videtur euincere, nam reuera consentiendo in ordinem videtur implicitè consensisse in onus recitandi officium adimplendum, tamen non tunc, sed suo tempore, cum scilicet pubertatem attigerit, vel decimum sextum annum. Debuisset igitur priùs probare Bonacina minoritatem ætatis nullam habere exceptionem à communi regula obligante ordinatos in sacris ad talem officij ordinationem, & postea dicere *consensit in ordinem*, ergo etiam in onus officij tunc recitandi, & si sine dubio transiret, quod simplicitèr consentiens in ordinem sine vlla exceptione obligetur immediatè ad recitationem Diuini Officij, superflua, & inanis esset hæc quæstio a Doctoribus agitata, an ante pubertatem ordinatus, & beneficiatus 8 *Sententia Bonacinæ volentis obligari ante pubertatẽ.*

hoc

hoc onere afficiantur. Quid ergo in hac controuersia concludendum?

In beneficiato vix potest habere locum hæc quæstio stante Concil. Trid.

9 Sentio primò in beneficiato vix posse modo habere locum hanc controuersiam stante dispositione *Concilij Tridentini sess. 23. cap. 6.*, vbi redduntur inhabiles ad recipiendum beneficium Ecclesiasticum, qui non habent decimum quartum suæ ætatis annum. Ibi: *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in maioribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.* Sed dubium potest adhuc vigere in locis, in quibus non est receptum Concilium Tridentinum, & vbi est receptum, adhuc locum habere potest à decimo quarto ad sextum decimum annum; sed huius solutio habebitur infrà, dum de minoritate quoad sacris ordinibus initiatos, cum sit eadem ratio.

Nec etiam in ordinato in sacris.

10 Sentio secundò etiam in ordinato vix posse habere locum hoc dubium, stante moderna dispositione eiusdem *Concilij Tridentini dicta sess. 23. cap. 17.*, qua statuitur, *vt nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum annum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbiteratus ante vigesimum quintum suæ ætatis annum promoueatur*; sed, quia hæc dispositio impedit, non irritat collationem ordinis, vel ante etiam ex dispensatione potest ordo sacer recipi; ideò adhuc integra remanet ratio dubitandi. Pro qua soluendo in vniuersum dubium propositum.

Etiam ante pubertatē tenetur.

11 Sentio tertiò, tam in receptione beneficij, vbi Concilium Tridentinum receptum non est, quam in receptione Ordinis Sacri ante pubertatem teneri ad Officium Diuinum, quam primum capax fuerit illud recitandi, & teneri nulla interposita mora se capacem reddere. *Sotus de iustitia lib. 7. quæst. 2. art. 5.*, *Clauis Regia lib. 6. cap. 5. num. 9.*, *Coninchus de Sacram. Ordin. disp. 20 dub. 11. num. 144., & seqq.*, *Caietanus secunda secundæ quæst. 88. art. 9.*, *Bonacina loc. supra citato.* Ratio ex eo deducitur, quia regula generalis est, quod ex beneficio, & Ordine Sacro suscepto oriatur immediatè obligatio recitandi Horas Canonicas, nec vlla est in iure Canonico exceptio respectu adhuc existentis in impubertate, & si quæ potest esse exceptio de iure naturæ, tunc est, quando est incapax ad recitandum, ergo, si acquisito vsu rationis sit capax, & potest reddi capax, tenetur recitare, vel conari omni studio ad se capacem reddendum.

Neque obstat ratio per Sanchez adducta ex paritate professionis solemnis emissæ in Religione ante decimum sextum annum; non obstat, inquam, quia professio ante illum annum completum emissa ex dispositione iuris moderni *Concilij Tridentini sess. 25. de Regul. & morali cap. 15.*, est omninò irrita, & propterea nullum parit effectum, nec obligationem; collatio autem beneficij, & Ordinis Sacri est omninò valida, seu supponitur talis, adeoq; non est, cur suas non debeat parere obligationes. Deindè non valet argumentum à professione Religiosa ad susceptionem beneficij, vel Sacri Ordinis, cum diuersæ sint dispositiones de illis.

Nō currit paritas de professione in Religione emissa.

Collato beneficio per Episcopū puero ante pubertatem non eximeretur hic ab hoc onere.

12 Id, quod secundò controuertendum venit, est, an si per Episcopum collatum fuerit beneficium puero ante vsum rationis, vel eo acquisito ante pubertatem, intelligatur etiam eidem concessum, ne recitet Horas Canonicas. Iam ex dictis patet puero ante decimum quartum annum suæ ætatis non posse beneficium Ecclesiasticum conferri; vndè circa ipsum cessat ratio dubitandi. Sed dato etiam per impossibile, quod Episcopus validè conferret, adhuc non intelligeretur concedere, vt ab Officio Diuino recitando desisteret, vt de communi consensu testantur *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 12.*, *Nauarrus de Oratione cap. 11. num. 24.* Ratio est, quia Episcopus non potest in iure communi dispensare etiam explicitè, adeoque minus implicitè per illam beneficij collationem. Verum tamen est, quod ex alio capite, nempè impotentiæ potest hic beneficiatus excusari, quatenus sit incapax recitandi ob defectum vsus rationis, vel ob imperitiam legendi.

Pontifex cum scientia conferēs beneficiū puero inepto ad Officium intelligitur cū illo dispensare.

13 Id, quod vltimo loco controuertendum hic venit, est, an si beneficium fuerit collatum puero ante debitam ætatem à Romano Pontifice, intelligatur eidem dispensatum in onere Diuini Officij. Communitèr distinguunt Doctores, vel etenim Pontifex contulit cum scientia, quod, vel ille puer non adhuc consecutus fuerit vsum rationis, vel quamuis consecutus fuerit eundem rationis vsum, scit nescire legere Latinè, vel cum ignorantia de illo vsu rationis non acquisito, & de imperitia locutionis, seu lectionis Latinæ; si cum scientia, vtique censetur dispensare super illud onus recitationis, seu quod melius est, velle conferre beneficium illud, quamuis norit non teneri ob impotentiam Horas Canonicas recitare, quia ipse habet potestatem super hoc relaxandi ius commune, seu conferendi beneficium non obstante, quod beneficiarius non possit complere ea, quæ sunt de iure communi; si cum ignorantia; tunc

duplex

duplex dubium oritur; alterum, an si
14 puer non sit adhuc egressus limites infantiæ, intelligatur, seu præsumatur velle conferre, seu conferre validè; alterum, si ille fuerit egressus tales limites, & consecutus vsum rationis, intelligatur ipsum absoluere à penso Horarum Canonicarum, donec &c. Iuxtà primum probabilius arbitror, non esse validam talem collationem beneficij, nisi ex coniecturis validis, & efficacibus conijciatur, quod adhuc Pontifex contulisset, si cognouisset. Ratio ex eo deducitur, quia non est præsumendum, quod Pontifex voluerit dispensare in iure communi, & reddere subiectum capax, quod secundum se est incapax sine cognitione talis incapacitatis, potissimum, si incapacitas sit talis, vt reddat ipsum impotens simplicitèr ad onera beneficio annexa, quamuis etenim in Pontifice sit potestas conferrendi, non præsumitur tamen voluntas.

Si contulerit cum ignorātia pueroante vsum rationis collatio præsumitur irrita.

15 Quod, si supponas, quod Pontifex ità supponatur affectus, vt adhuc contulisset, si cognouisset; tunc arbitrandum est, validam esse collationem, quia tunc non solum adest potestas, sed etiam voluntas præsumpta conferendi. Iuxtà secundum dubium, quantumuis fuerit supplicatum de dispensatione super ætate ad acquirendum beneficium, adhuc arbitrandum est, non intelligi dispensatum super onere recitandi Diuinum Officium; atque ita sentiunt *Azorius institutionum moralium part. 1. lib. 10. cap. 13. qu. 12. circa finem*, *Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 28. num. 37.*, *Molfesius in summa tract. 5. cap. 4. num. 13.*, *Reginaldus lib. 18. num. 192.*, *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 2. num. 16. vers. si verò summus Pontifex*. Ratio est, quia dispensatio super ætate intelligitur in ordine ad validè acquirendum beneficium, non ad alia, quæ consequuntur ad validam ipsius collationem, nisi de eisdem fiat expressa mentio in ipsa dispensatione; dispensatio etenim, vtpotè odiosa, est strictè interpretanda, nec extendenda de vno ad alterum casum. Quamobrem in hoc casu tenetur immediatè recitare, vel dare operam, & diligentiam adhibere, vt discat horas perlegere, vel nouam dispensationem super onere officij impetrare.

Dispensatus super ætate ad beneficium nō intelligitur dispensatus ab onere officij.

SECTIO VIII.

An ignorantia, & obliuio excusent à penso Horarum Canonicarum.

SVMMARIVM.

Ignorantia, & obliuio multiplex. 1.
Ignorantia probabilis excusat. 2.
Non sic ignorantia crassa, & vincibilis. 3.
Ignorantia etiam inuincibilis pænæ non excusat. 4.
Obliuio naturalis, & probabilis etiam excusat. 5.
Si fuerit præuisa, & ex incuria non impedita non excusat à culpa. 6.

1 Ignorantia, quantum pertinere potest ad rem præsentem, alia est crassa, & vincibilis, alia probabilis, alia ignorantia legis, alia ignorantia pænæ. Rursus obliuio, alia est naturalis, & inculpabilis, alia culpabilis, & præuisa, & non impedita, cum posset de facili impediri. Circa has omnes titulus examinabitur.

Ignorātia, & obliuio multiplex.

2 Quamuis ignorantia probabilis regulariter non præsumatur in ijs, quæ ad proprium munus pertinent, si tamen hæc re vera adsit, vt quandoque adesse potest, certè excusat à quacunque culpa omittentem ex eadem recitationem Diuini Officij. In hoc consentiunt *Molfesius in summa tract. 5. cap. 5. num. 40.*, *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. qu. 6. punct. 3. num. 8.*, *& de peccatis disp. 2. quæst. 3. punct. 3.*, vbi probat etiam dari posse ignorantiam etiam in ijs, quæ pertinent ad proprium munus. Ratio ex eo deducitur, quod non possit esse omissio peccaminosa, vbi non est voluntarietas, vbi autem est ignorantia probabilis non potest esse voluntarietas, cum voluntarium non possit esse sine cognitione eius, quod geritur, vel omittitur, ergo omissio procedens ex illa ignorantia probabili non est peccaminosa.

Ignorātia probabilis excusat.

3 Si verò sit ignorantia crassa, & vincibilis, vtique non excusat ab adimplemento oneris, adeoque neque à culpa, si non adimpleatur. Ratio est, quia propter rationem præcedentis negligentiæ volita censetur *l. 1. §. 1. ff. de act. empt. l. qui contra, C. de incest. nupt. cap. 1. de postul. Prælat. cap. cum in tua 6.*, *Qui matrim. accus. pos.*, & regularitèr pro scientia habetur *l. & si consensum, §. ignorantia 1. ff. de contrah. empt. l. nec supina, ff. de iur., & fact. ignor. cap. non omnis dist. 37.*, *Gailus 2. obseru. 48. nu. 12.*, *Carpzouinus*

Non sic ignorātia crassa, & vincibilis.

part. 2. constitut. 50. def. 3. nu. 5., vndè quoad hoc valet regula, quod idem sit scire, & debere scire, ergo, si omissio cum scientia non excusat, etiam non excusabit cum ignorantia crassa.

4 *Ignorãtia etiã inuincibilis pœnæ nõ excusat.* Si verò sit ignorantia, quantumuis probabilis, & inuincibilis pænæ non excusat a graui culpa in transgressione huius præcepti. In hoc communitèr consentiunt. Ratio est, quia cum ignorantia inuincibili pænæ stare potest scientia de præcepto obligante, ergo potest esse violatio peccaminosa præcepti, quantumuis sit ignorantia inuincibilis pænæ. Antecedens probatur, quia potest quis optimè nosse legem adesse obligantem ad Officij Diuini recitationem, quantumuis inuincibilitèr ignoret contra transgressores impositam esse aliquam pænam. Consequentia probatur, quia stante notitia præcepti obligantis eius transgressio est omninò voluntaria, nec minuit de eius voluntarietate ignorantia pænæ, ergo illa transgressio est grauitèr peccaminosa.

5 *Obliuio naturalis, & probabilis etiã excusat.* Loquendo iam de obliuione, si hæc fuerit naturalis, & probabilis æquiualet ignorantiæ probabili, & inuincibili, ergo, si hæc excusat à culpa, & illa etiam excusabit. Si verò fuerit præuisa, & ex negligentia, & incuria non impedita, certè non excusat à culpa *Bonacina de Horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. punct. 3. num. 9.*, *Angles de Oratione quæst. 10. difficult. 4.*, *Macignus cap. 18. nu. 9.* Ratio est, quia cognita causa influente in effectum peccaminosum secundum se, eaque non remota, cum posset remoueri, effectus ille peccaminosus imputatur non remouenti causam, quia ex quo non remouet, cum remouere teneretur, dat causam eidem effectui peccaminoso, ac proindè censetur causa eiusdem, ergo non eximitur à culpa transgressionis, cum hæc sequatur ex eius culpabili negligentia. Hinc

6 *Si fuerit præuisa, & non impedita non excusat.* si obstrictus onere Diuini Officij aduertat se crebrò talem horam ex obliuione omisisse ob talem, vel talem causam, & non remoueat talem causam, vel præueniendo recitationem, aut tale signum apponendo, quo inducatur in aduertentiam suæ obligationis non erit immunis à culpa omissionis.

Hic pro complemento eorum, quæ pertinent ad perfectam cognitionem totius materiæ de Horis Canonicis agendum esset de distributionibus, sed quia hæc non videtur sedes propria tractationis earundem, nec est quæstio communis omnibus, qui tenentur ad Horas Canonicas, sed propria Canonicorum, & residentium in Cathedralibus, & Collegiatis ideò ab eadem nunc abstineo.

ARTICVLVS XXXIX.

Nonnulla de scrutinio in ordine faciendo.

SVMMARIVM.

Scrutinium quid sit, & quomodo fieri debeat. 1.

Hoc scrutinium per Episcopum fieri non debet pro Regularibus. 2.

Scrutinium iuxtà formam præscriptam à Tridentino faciendum est ad omnes ordines maiores. 3.

Archi Diaconus ad interrogationem Episcopi respondens, ordinandum esse dignum non peccat, nisi positiuè nouerit esse indignum. 4.

QVamuis in præcedentibus plures, & ferè omnes qualitates numerauerimus, quæ requiruntur in ordinandis, vt validè, & licitè sacris ordinibus initientur, placet tamen in præsenti assignare modum, quo scrutinium huiusmodi qualitatum est peragendum, & alia omnia, quæ in eodem sunt obseruanda. Scrutinium autem huiusmodi nil aliud est, quam morum inuestigatio, quæ iuxtà *Concilium Tridentinum sess. 23. de reformatione c. 5.*, in hunc modum quoad initiandos ordinibus sacris fieri præscribitur, *vt assumendi ad hos ordines per menses ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus, & desiderio eorum, qui volunt promoueri publicè in Ecclesia propositis de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis dilingentèr inquirat, & litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum, quam primum transmittat.* 1 *Scrutinium quomodo fieri debeat.*

Hæc formula scrutinij præscripta à Tridentino, nec debet pro Regularibus ab Episcopo fieri, nec requiritur; sed sufficiunt litteræ testimoniales, & dimissoriæ suorum Prælatorum Regularium, vt declarauit Sacra Cardinalium Concil. Trident. interpretum Congregatio super *d. sess. 23. de reformatione cap. 5.*, quam declarationem refert *Ianuensis in sua praxi Neapolitana cap. 8. num. 1.*, & congrua quidem ratione, hoc statutum est, quandoquidem status Religiosorum nulli melius potest innotescere, quam eorum Prælatis, qui ne dum in receptione ipsorum in Religione debent eorum conditiones, & qualitates inuestigare, sed etiam postquam ingressi sunt, super eorum mores inuigilare. Nec hoc scrutinium, 2 *Hoc scrutinium fieri non debet per Episcopũ pro Regularibus.*

nium, seu inuestigatio faciendum, seu facienda est ab Episcopo ordinante respectu subditi alterius Diœcesis, sed facienda est ab Episcopo proprio, qui postea in literis dimmissorijs debet exprimere se talem inuestigationem fecisse, prout declarauit eadem Sacra Congregatio loco, quo supra.

3 *Hoc scrutinium faciendum est ante omnes ordines sacros.* Dubitarunt hic aliqui, an huiusmodi scrutinium iuxtà formam præscriptam à Tridentino faciendum sit solummodò ante ordinationem ad Subdiaconatum, an verò ante ordinationem ad omnes ordines maiores; contendebant enim aliqui sufficere, vt præmitteretur ordinationi Subdiaconatus, quia tunc constituitur, seu constituendus est in statu Ecclesiastico irreuocabilitèr, & per illam inuestigationem videtur sufficientèr constare de eius conditionibus, & qualitatibus, quæ, si sufficient ad Ordinem Subdiaconatus suscipiendum, videntur sufficere quoad alios. Verum, quia *Concil. Trid. dicta sess. 23. de reformatione cap. 5.*, expressè loquitur de omnibus, & singulis. Ibi - *Hi verò quoad singulos maiores erunt assumendi*, necesse est asserere, quod ad omnes Ordines Sacros illud scrutinium sit præmittendum. Nec quid euincit consideratio præhabita, quod scilicet scrutinium pro Subdiaconatu sufficiat pro alijs duobus Sacris Ordinibus, quia vt optimè notat *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 6. cap. 11. num. 7.*, potest euenire, vt quis bonus Subdiaconus esset, deindè mutatis moribus malus Diaconus, & peior Sacerdos euaderet.

4 *ArchiDiaconus testificans de dignitate ordinandi nō peccat.* Dubitarunt hic etiam aliqui, an quando Episcopus in ordinatione Subdiaconi interrogat ArchiDiaconum, an nouerit ordinandum esse dignum, & iste respondet, se scire, & testificari illum ad huiusmodi onus officij esse dignum, quantum humana fert fragilitas, an, inquam, ArchiDiaconus peccet per talem testificationem, cum de eius moribus nihil certi habeat, nec de dignitate. Absolutè asserendum est, nòn peccare, nisi positiuè nouerit ipsum esse indignum. Deduci potest ex eo, quod certè sciat præmissam fuisse inuestigationem per eundem Episcopum, vel per eius ministros, & examinatores super eius vita, & moribus, antequam præsentetur ordinationi, &, si constaret de indignitate, non præsentaretur. Deindè in hoc tollitur omne dubium per textum *in cap. vnico de scrut. in ord. fac.*, vbi sic decernitur, *vndè in tali responsione aliquam peccare non credimus, dummodò contra conscientiam non loquatur, quia non simplicitèr illum asserit esse dignum, sed in quantum humana fragilitas nosse sinit, cum illum quem indignum esse non nouit, dignum debeat æstimare.* Ad hoc etiam confirmandum plurimum conferre potest id, quod notat *Scotus in tertio distinct. 39. quæst. vnica, §. quantum ad secundum dubium*, nempè testificantem in odiosis debere esse omninò certum de eo, quod testificatur, secus in fauorabilibus; sufficit enim in his probabilitas, quia dignum, & probum debemus existimare, quem indignum, & improbum esse nescimus.

QUÆSTIO VII.

De Ordine Diaconatus.

INter Sacros Ordines medius est Diaconatus, inferior Sacerdotio, superior Subdiaconatu. Plura habet communia cum vtroque, plura propria. Habet communia onera continentiæ, & recitationis Diuini Officij, & quod sit sacer. Habet suas causas intrinsecas, propria munera. De istis singillatim in præsenti quæstione agendum; illa verò erunt recolenda, tum ex præcedentibus, quam ex subsequentibus quæstionibus.

ARTICVLVS I.

De institutione, & quidditate Ordinis Diaconatus.

SVMMARIVM.

Hic ordo institutus est à Christo Domino. 1.
Confutatur Salmeron asserens illos septem Diaconos destinatos mensis viduarum habuisse verum ordinem ab Apostolis institutum. 2.
Apostoli solum determinarunt materiam. 3.
Confutatur illorum opinio, qui asserunt Christum Dominum, hunc ordinem instituisse, quando post cœnam perrexit in hortum, & ibi excitauit discipulos dormientes. 4.
Nec instituit post cœnam, quando proprijs manibus Sacramentum Discipulis distribuit. 5.
Tunc instituit, quando accepit panem benedixit, fregit deditque Discipulis. 6.
Definitio propria Diaconatus. 7.

NOn agimus hic de antiqua Leuitarum institutione, quibus modo correspondent Diaconi, qui denominatione

ab illis desumpta appellantur etiam Leuitæ; sed loquimur de Diaconis nouæ legis, quorum ordo computatur, vt Sacramentum.

1 *Diaconatus institutus est à Christo Domino.* Certum est huiusmodi ordinem institutum fuisse à Christo Domino, nec vllus est, qui possit sine censuræ nota huic veritati inficiari, nec releuat, quod *D. Ciprianus lib. 3. Epist. 9.*, *& Anacletus Epist. 3.*, *& Damasus Epist. 4.*, dixerunt Christum Dominum, duos dumtaxat ordines instituisse Sacerdotalem scilicet, quem contulit septuaginta duobus Discipulis, & Episcopalem, quem contulit Apostolis; ex quo sequitur, quod Ordinem Diaconatus, nec alios inferiores instituerit. Non releuat, inquam, quia ibi allegati SS.PP. agebant contra Correpiscopos, qui inter Episcopalem, & Sacerdotalem intendebant constituere tertium quendam ordinem, quos propterea confutabant asserentes duos tantum esse ordines à Christo institutos relatiuè ad illum tertium ordinem Correpiscoporum, non relatiuè ad alios ordines inferiores, de quibus tunc non erat sermo, nec controuersia.

2 *Confutatur Salmeron, quoquo modo asserens ab Apostolis institutum esse.* Minus hic audiendus est *Alphonsus Salmeron in cap. 6. Actorum*, qui loquens de illis septem Diaconis viduarum mensis destinatis asseruit, esse verè Diaconos, sed talem ordinem fuisse ab Apostolis institutum per impositionem manuum. Minus inquam, audiendus est, quia ex communi Theologorum, & SS.PP. consensu Diaconatus Ordo est verum Sacramentum nouæ legis; omnia autem Sacramenta nouæ legis nemine disceptante fuerunt à Christo Domino instituta; vndè, quando Apostoli septem illos Diaconos constituerunt per manuum impositionem, non instituerunt illam ordinem, sed ipsum iam à Christo Domino institutum ministrarunt, seu executi sunt.

3 *Apostoli solum determinarũt materiã.* Dici etiam potest, & quidem non incongruè, per Apostolos quoquo modo fecisse institutum Diaconatum non quoad ipsum substantiam Sacramenti, sed solum quoad determinationem materiæ, cum Christus tantum instituerit in signo sensibili indeterminato reliquens determinationem Ecclesiæ, & tunc Apostoli determinarunt in manuum impositione.

4 *Non instituit in horto, quando excitauit Discipulos.* Supposito iam, quod à Christo Domino Ordo Diaconatus fuerit institutus, remanet ordinatè inquirendum, quandonam fuerit institutus. Nonnulli dixerunt tunc instituisse, quando post cænam perexit in hortum, & Discipulos dormientes excitauit dicens: *Vigilate, & orate.* Sed nullo fundamento, quin contra expressam rationem hoc statuerunt. Quamnam enim simbolicam rationem habere, potest illa excitatio cum natura, & muneribus talis ordinis? Deindè omnes tam Theologi, quam SS. PP. conueniunt in eo, quod Apostoli fuerint ordinati Sacerdotes in vltima cæna, & tunc institutum Sacerdotium, an probabile est, quod præpostere, & inordinatè voluerit Diaconatum instituere?

Alij dixerunt, quod instituerit quidem in vltima cæna, sed tunc quando post cænam proprijs manibus Sacramentum dispensauit. Sed hos impugnat *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 1. num. 6.*, eadem ratione, qua nos infirmauimus præcedentem modum dicendi circa hanc institutionem; supponit enim, quod antecedentèr instituerit Apostolos Sacerdotes ad illam Sacramenti distributionem, & postea distribuerit, & tunc sic arguit. An probabile est, quod prius instituerit Sacerdotium, & postea Diaconatum? Si Marchinus attentè ponderasset seriem Euangelicæ Historiæ, non ità strenuè hoc medio contra assertores huius sententiæ, qui sunt 5 *Nec instituit post cænam.*

Molfesius tom. 2. cap. 9. num. 13., *Fabius Incarnatus in suo scrutinio Sacerdotali tract. 2. c. de ordine fol. 51.* insurrexisset. Textus *Matthæi 26.*, sic loquitur *Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, & fregit deditque Discipulis suis, & ait accipite, & comedite. Hoc est corpus meum;* Quod idem in similibus verbis habetur *Lucæ 22.*, vbi subditur *hoc facite in meam commemorationem*, per quæ verba idem *Marchinus ibidem num. 7.*, dicit instituisse Sacerdotium. Ex quibus vides, quod prius distribuit panem, ac Sacerdotium instituerit, vndè immeritò redarguit constituentes institutionem Diaconatus in illa distributione, quod voluerint prius esse institutum Sacerdotium, quam Diaconatum. Quamobrem probabilius arbitror cum præcitatis DD. tunc Diaconatum instituisse, quando Sacramentum distribuit, tunc verò ordinauit Apostolos Diaconos, & Sacerdotes, quando dixit. *Hoc facite in meam commemorationem.* 6 *Instituit quando panem dedit Discipulis.*

Quoad secundam tituli partem de quidditate huius ordinis, vel hæc consideranda est in esse Physico, quatenus constituitur ex tali materia, & ex tali forma, & de hac agetur immediatè in sequenti articulo, vel in esse metaphisico, & hoc modo definiri potest, quod sit signum spiritualis potestatis legendi solemnitèr in Missa Euangelium, & inseruiendi immediatè Sacerdoti celebranti. Hæc definitio ex ipsis terminis elucet; in eo etenim, quod sit signum spiritualis potestatis conuenit cum cæteris omnibus ordinibus; ex eo, quod dicatur legendi so- 7 *Vera definitio huius ordinis.*

solemnitèr Euangelium in Missa indicatur præcipuum munus eiusdem ordinis per quod à cæteris omnibus distinguitur, à quibus etiam distinguitur per subsequentes particulas, & præcipuè à Subdiaconatu, nam licet Subdiaconus deseruiat Altari in Missa, non deseruit tamen immediatè Sacerdoti, sed Diacono, & medio ipso etiam Sacerdoti.

ARTICVLVS II.

De materia, & forma huius Ordinis.

SVMMARIVM.

Sententia asserens materiam propriam huius Ordinis esse librum Euangeliorum. 1.
Sententia constituens adæquatè in manuum impositione. 2.
Sententia constituens tam in manuum impositione, quam in libro Euangeliorum. 3.
Speculatiuè prima sententia probabilis est; in praxi tamen est sequenda tertia. 4.
In primordijs Ecclesiæ manuum impositio erat materia, modo adita est traditio libri Euangeliorum. 5.
Tunc conferebatur gratia, quando manus imponebantur nunc mutata materia confertur, quando hæc traditur. 6.
Nullo modo consistit materia huius ordinis in Calice, & Patena. 7.
Assignatur forma huius ordinis. 8.

1 *Sententia constituens materiã in libro Euangeliorũ.* Circa materiam huius ordinis tres potissimum sententias apud DD. inuenio, duas extremè oppositas, aliam quasi mediam. Prima docet materiam huius Sacramenti propriam, essentialem, & adæquatam esse solum librum Euangeliorum. Cum hac sententia transeunt *Henriquez lib. 10. de ordine c. 8., Valentia tom. 4. disp. 9. quæst. 1. punct. 5., Gabriel Vasquez in tertiam partem disp. 238. cap. 4., Molfesius tract. 2. summæ cap. 9. num. 16., Didacus Nugnus in tertiam partem tom. 2. quæst. 37. art. 5., Bonacina de Sacrament. disp. 8. quæst. vnica punct. 3. num. 4., Villalobos in summa tom. 1. tract. 11. difficult. 5. num. 2., & alij* plures apud *Marchinum tract. 2. de Ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 2. num. 3.*

Fundamenta huius sententiæ. Fundamenta huius sententiæ consistunt primò in eo, quod *Eugenius IV. in Concil. Florent.* solum pro materia huius Sacramenti assignat librum Euangeliorum. Ibi - *Presbiteratus traditur per porrectionem Calicis cum Vino, & Patena cum Pane; Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem.* Secundò ex Cathechismo Romano, vbi solum fit mentio, cum agitur de materia huius Sacramenti, de traditione libri Euangeliorum.

Secunda sententia docet materiam essentialem, & adæquatam esse solam manuum impositionem, in quam sententiam videntur propendere *Durandus in quarto distinct. 24. quæst. 2., Petrus Sotus lect. 5. de Sacrament. Ordin., Bellarminus tom. 2. de Sacram. Ord. cap. 9.* Fundamenta huius opinionis sunt primò, quia Apostoli per solam manuum impositionem ordinabant Diaconos. Secundò, quia per illud confertur Sacramentum, per quod confertur gratia; per impositionem autem manuum gratia confertur, vt habetur ex *Apost. prima ad Thimot. 4., & secunda ad Thimot. 1.* Tertiò, quia solemnis cantus Euangelij in Missa est dumtaxat ab Ecclesia institutus, neque est ex Christi institutione, ergo liber Euangeliorum, per quem potestas confertur illud solemnitèr in Missa legendi, non est materia essentialis huius ordinis. Quartò, quia in primitiua Ecclesia non erant Euangelia conscripta, & tamen erant verè Diaconi, ergo non in libro Euangeliorum, sed in manuum impositione consistit materia huius Sacramenti. 2 *Sententia adæquatè constituens in manuũ impositione.* *Rationes pro hac sententia.*

Tertia sententia docet, tam manuum impositionem, quam libri Euangeliorum traditionem esse materiam necessariam huius ordinis, adeo vt quacunque sublata ordo non conferatur validè. In hanc sententiam propendet *Marchinus tractatu 2. de Ordinibus in particul. part. 7. de Diaconatu cap. 2. num. 9., & seqq.*, qui pro se allegat *Victoriam de Sacramento Ordinis num. 227. in fin.* Fundamentum desumit Marchinus ex eo, quod Christus Dominus pro hoc Sacramento non constituerit materiam in specie athoma, sed vagam, & indeterminatam, reliquerit tamen Ecclesiæ facultatem determinandi, & hinc factum est, vt Apostoli primitus constituerint pro materia solam manuum impositionem; sub indè processu temporis conscriptis Euangelijs etiam pro materia eiusdem Diaconatus præscripserint librum eorundem Euangeliorum: Quid iam in hac controuersia concludendum? 3 *Sententia constituens in vtroque.*

Assertio; Prima sententia speculatiuè loquendo sustineri potest; in praxi tamen tanquam tutior amplectenda est tertia, constituens tam in libro Euangeliorum, quam in manuum impositione. In hanc consentit *Cardenas in sua crisi Theologica dissert. 2. cap. 7. art. 3. de ordine num. 510.*, & qui quamuis doceat primam sententiam esse communem Theologorum, in praxi tamen præfert tertiam ob declarationem Innocentij XI. asserentis in administratione Sacramentorum sequendam esse opinionem tutiorem. Probabilitas speculatiua quoad primam sententiam euincitur 4 *Adæquata materia est liber Euangeliorũ, & manuum impositio.*

ratio-

rationibus pro eadem adductis. Sententia tertia in praxi sequenda euincitur ex declaratione eiusdem Innocentij XI.

5 *Addita est materia auctoritate collata à Christo Domino* Ad ea, quæ pro secunda sententia dicebantur, dicendum est Christum Dominum hunc ordinem instituisse in signo quodam sensibili apto significare effectū, seu potestatem, quæ confertur, indeterminato tamen, & reliquisse Apostolis, & Ecclesiæ facultatem determinandi tale signum, quod in primordijs nascentis Ecclesiæ fuit determinatum in illa manuum impositione. Deindè cognita maiori aptitudine ad significandam illam potestatem additus etiam fuit liber Euangeliorum.

6 *Mutata materia gratia confertur, quando hæc traditur.* Ad secundam dicendum est, quod, cum in primordijs nascentis Ecclesiæ hic ordo conferretur per manuum impositionem, mirum non sit, quod in eadem gratia conferretur, quæ confertur in collatione ordinis, & in hoc procedit rectè dictum Apostoli; cum autem modo addito signo Ordo, & Ordinis caracther conferatur etiam in Euangelij libri traditione, sentiendum est, quod, sicuti vtroque concurrente confertur caracther; ità, & gratia conferatur. Quod verò præcedentèr ad traditionem libri Euangeliorum imponatur manus supra ordinandos, & proferantur illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, dicendum est per hoc importari partem materialem ad gratiam immediatè postea conferendam per traditionem libri, cum illa forma: *Accipe potestatem &c.* Quod, si instes, quod in illa manuum impositione dicatur: *Accipe Spiritum Sanctum* quæ importat collationem gratiæ, tunc, quando proferuntur, non merè conferendam, tunc dicam multipliciter dici posse: *Accipe Spiritum Sanctum*, vel per modum disponentis, quod habetur per gratiam præuenientem, & excitantem, vel per modum habitus gratum facientis, & sanctificantis, quod habetur per gratiam habitualem. Quando igitur dicitur in impositione manuum: *Accipe Spiritum Sanctum*, hoc intelligendum est per modum disponentis ad gratiam habitualem, quæ postea infunditur, quando confertur vltimum ordinis complementum, hoc est traditur liber Euangeliorum, & dicitur: *Accipe potestatem*, quia tunc confertur caracther, qui confert illam potestatem, & simul cum illo gratia.

Soluuntur rationes aliarum opinionū Ad tertiam, & quartam idem fermè respondendum est, nempè, cum tunc nec fuerit ritus canendi Euangelium in Missa, nec Euangelium conscriptum, conferretur solum Diaconatus per manuum impositionem; quod postea facta noua materiæ determinatione fit etiam per libri Euangeliorum traditionem cum debita forma.

Neque hic audiendi sunt aliqui, qui pro materia, vel totali, vel saltem partiali huius ordinis adstruebant Calicem cum Patena, ea fortè moti ratione, quod in tali ordinatione, & Calix, & Patena traduntur ordinandis. Non, inquam, audiendi sunt, quia vel sumuntur Calix, & Patena vacui, vel ille cum Vino, ista cum Pane; si primum dicatur, est secundum aliquos materia Subdiaconatus; si secundum; materia Sacerdotij, quod, postea tradantur etiam in ordinatione Diaconis, hoc est ad indicandam potestatem tangendi vasa sacra Christi Corpus continentia. 7 *Non consistit in Calice, & Patena.*

Quoad secundam partem tituli de forma huius ordinis, qui statuunt materiam eiusdem esse manuum impositionem dicunt formam esse illa verba, quæ tunc Episcopus profert. *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini*; qui verò statuunt materiam adæquatam, & essentialem consistere in traditione libri Euangeliorum, congruentèr asserere debent consistere in illis verbis: *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei tam pro viuis, quam pro defunctis. In nomine Domini. Amen.* Qui tandem statuunt materiam consistere tam in manuum impositione, quam in libri Euangeliorum traditione formam constituunt tam in primis verbis iuxtà primam sententiam, quam in secundis iuxtà secundam, adeovt, sicuti est duplex materia partialis, ità est duplex partialis forma. In praxi absolutè tenenda est hæc sententia comprehendens vtramque formam. 8 *Assignatur forma huius ordinis;*

ARTICVLVS III.

De Prærequisitis in sacro Diaconatus Ordine promouendo.

SVMMARIVM.

Prærequisita, quæ sunt communia alijs ordinibus. 1.
Prærequiritur specialitèr ætas viginti trium annorum. 2.
Sufficit, quod annus vigesimus tertius sit incohatus. 3.
Prærequiritur item, quod ordinandus versatus sit per annum in exercitio Ordinis Subdiaconatus. 4.
In hoc Episcopus ex causa dispensat. Ibid.
Quænam scientia requiratur in ordinando. 5.
Qualitates requisitæ ab Apostolo in Diacono recensentur. 6.

Præ-

1 *Præ-requisita communia alijs ordinibus.* PRærequisita alia possunt esse ad validè, alia ad licitè recipiendum hunc ordinem. Primi generis sunt Baptismus, & sexus masculinus, vt supra, dum de ordinibus in communi. Secundi generis sunt omnia enumerata, dum de eisdem ordinibus in communi, tum & omnia, quæ prærequiruntur ad alios omnes ordines inferiores, sicuti enim hic ordo in dignitate inferiores omnes præcedit, ità debet aliorum omnium qualitates prærequisitas habere, & vlteriùs alias, quas exigit maior eiusdem dignitas. Omissis igitur ijs, quæ sunt communia alijs ordinibus inferioribus, ea assumo hic explicanda, quæ peculiari quadam ratione sunt propria istius ordinis.

2 *Ætas viginti trium annorũ.* Prærequiritur primò legitima ætas, quæ ex *Concil. Trident. sess. 23. de reformatione cap. 12.*, debet esse annorum viginti trium. Non requiritur tamen, vt annus vigesimus tertius sit completus,

3 *Sufficit, quod annus fuerit incaptus.* sed sufficit, quod fuerit incohatus, cum ex vulgatis iuribus in fauorabilibus annus incæptus habeatur pro completo *l. 1. ff. de manum. l. qua ætate, ff. de testam.*, *& ibi Glosa, & DD. l. vsucapione, ff. de diuers. & temp. præscript.*; & ità in præsenti materia praxis vbique recepta obtinuit.

4 *Item exercitiũ per annũ in ordine Subdiaconatus.* Secundò requiritur, vt ordinandus in Diaconum versatus fuerit saltem per annum in exercitio munerum Subdiaconatus. Hoc etiam prærequisitum habetur ex dispositione *Concil. Trident. dicta sess. 23. de reformatione cap. 13.* Ibi *Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum ascendere non permittantur.* In hoc tamen ex causa Episcopus dispensare potest, sicuti super interstitijs, vndè idem *Concilium Tridentinum ibidem*, subdit: *Nisi aliud Episcopo videatur.*

5 *Quanã scientia requiratur in ordinando.* Tertiò requiritur in eodem maior doctrina, & scientia, quam in ordinandis ad inferiores ordines, nec sufficit, quod habeat scientiam, quam alij ordines prærequirunt, sed aliam maiorem, prout exigunt munera superiora, quæ exercere tenetur Diaconus, vndè promouendus ad hunc ordinem debet esse sapientia plenus, scientia scilicet Diuina, & humana necessaria ad sua munera ritè obeunda, &, cum ad ipsum spectet per modum Cathechismi Fidei articulos, & Decalogum explanare, vt habetur *in cap. perlectis distinct. 25.*, & quandoque etiam Prædicare iuxtà illud Apostoli ad *Ephæsios 4. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas &c.*, quem textus exponens Diuus Ambrosius dixit: *Euangelistæ sunt Diaconi, sicut fuit Phylippus; nam, quamuis non sint Sacerdotes, Euangelizare tamen possunt sine Cathedra, quemadmodum, & Stephanus, & Phylippus memoratus*, cum, inquam, ad ipsum spectet, hæc, & alia munera præstare, vtique debet esse instructus omnibus Mysterijs Fidei, & scientia Diuina, & humana, & nosse omnia, quæ spectant ad administrationem eorum Sacramentorum, quæ potest exercere, vt dicam infrà vberiùs, dum de eius muneribus.

6 *Qualitates requisitæ ab Apostolo.* Quartò requiruntur illæ omnes qualitates, quas enumerat Apostolus *prima ad Timoth. 3.* dicens: *Diaconos similitèr pudicos, non bilingues, non multo Vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes Mysterium Fidei in conscientia pura. Hi autem probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes*, & licet hæ qualitates videantur requiri in omnibus Ecclesiæ ministris, speciali tamen quodam iure, & ratione videntur desiderari in Diacono, cum immediatè accedat in dignitate Sacerdoti; in quo magna morum integritas, virtutum vbertas debet effulgere, & proximius sacris Altaribus deseruiat; singulas has qualitates, & conditiones, quas exigit Apostolus latè explicat *Marchinus tract. 2. de ord. in particulari part. 7. de Diaconatu c. 4. per totum*, apud quem videri possunt.

ARTICVLVS IV.

Quænam sint munera propria Diaconatus.

SVMMARIVM.

Decem munera Diaconorum à Marchino assignata. 1.
Primum munus erat ministrare Eucharistiam fidelibus. 2.
Hoc munus non competit Diaconis ex proprio officio, sed ex commissione. 3.
Modo non est in vsu. 4.
Ex Concilio Nicæno can. 14. non arguitur Diaconum ministrantem fidelibus Eucharistiam grauitèr peccare, sed tantum, si Sacerdotibus ministret. 5.
Diaconus modo ministrans sine necessitate, & facultate Presbiteri, vel Episcopi non eximeretur à graui culpa. 6.
Secundum aliquos contrahit etiam irregularitatem. 7.
Secundum alios non contrahit. 8.
Probabilius contrahit. 9.
Ad contrahendam irregularitatem non requiritur, vt conficiatur Sacramentum. 10.
Nulla existente necessitate, existente tamen facultate Presbiteri secundum Marchinum

exi-

eximeretur ab irregularitate. 11.
Probabilius tamen contraheret. 12.
Presbiter, de cuius licentia potest ministrare, regulariter est Parochus, ipso tamen absente potest alius Sacerdos concedere. 13.
Existente necessitate, nulloque præsente Presbitero potest licitè, & impunè ministrare. 14.
Præsente Presbitero indiget eius iussu. 15.
Hoc nolente ministrare, nec iussionem dare potest ministrare. 16.
Qualis, & quanta debeat esse hæc necessitas. 17.
Absente Presbitero, vel nolente conferre, Viaticum in articulo mortis constituto potest Diaconus conferre. 18.
Ex commissione Presbiteri impediti, alio non existente, potest ministrare petentibus pro adimplemento præcepti Paschalis. 19.
Etiam absente Presbitero sine spe proximi reditus. 20.
Præsente Parocho, & nolente probabilius non potest ipse ministrare. 21.

1 *Decem munera Diaconi*

DEcem Diaconatus munera recenset *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. per totum*, quorum aliqua modo etiam in vsu sunt, aliqua in dissuetudinem abierunt. Primum est Eucharistiam fidelibus ministrare. Secundum Sanguinem Christi populo olim sub vtraque specie Communicanti propinare. Tertium publicos peccatores reconciliare. Quartum Baptizare. Quintum verbum Dei prędicare. Sextum opes Ecclesiæ colligere à fidelibus, & collectas inter pauperes distribuere. Septimum Euangelium in Missa solemni legere. Octauum Sacerdoti offerenti assistere, illique ministrare. Nonum fidelium animos sæpius excitare, vt sacro deuotè assisterent. Decimum totam Vrbem lustrare, errantes obiurgare, corrigere, hortari &c. Singula hæc munera placet in præsenti examinare, quæque modo seruentur, quæque non seruentur, & quare, exponere. Sed, vt clariùs, & distinctiùs hoc præstem, articulum hunc in sectiones diuidam, in quibus singula comprehendam.

SECTIO I.

Examinatur primum munus ministrandi Eucharistiam Fidelibus.

CErtum est primitùs hunc morem inoleuisse, vt Diaconi Fidelibus Eucharistiæ Sacramentum ministrarent. 2 *Ministrare Eucharistiam fidelibus.*
Hoc munus præstabant septem illi Diaconi ab Apostolis electi. *Act. 2.*, qui non tam corporali mensæ, sed etiam spirituali refectioni, quæ habetur per Eucharistiam, deseruiebant. De his intelliguntur illa verba. *Act. 2. Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis Panis, & Orationibus*, vbi per ly *Communicatione fractionis Panis*, intelligitur Eucharistiæ distributio iuxtà illud *Apost. prima ad Corinth. 10. Panis, quem frangimus, non ne participatio Corporis Domini est?* De hoc munere Diaconis concesso loquitur. *Iustinus apolog. 2. pro Christianis circa finem*, vbi sic habet. *Absoluta actione gratiarum Præsulis Diaconi dant singulis præsentibus partem Panis, & Calicis dilecti, super quos facta gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia.* Idem tradit *D. Isidorus lib. 2. de Offic. Eccles. cap. 8.* Ibi *Nam sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est. Ille orare, hic psallere mandat, ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.* Hæc omnia colligo ex *Marchino tract. 1. part. 1. cap. 9. n. 12., & tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. num. 1., & seqq.*

3 *Hoc munus nō competit ex officio, sed ex commissione.*
Certum est secundò hanc potestatem ministrandi Eucharistiam fidelibus non competere Diaconis ex proprio officio, sed dumtaxat ex concessione; nam ex officio illi competit dispensare, cui competit conficere, iuxtà illud *Apostoli sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei*, & iuxtà illud Diui Thomæ in Hymno Corporis Christi. *Solis Presbiteris, quibus sic congruit, vt sumant, & dent cæteris*, & hoc etiam colligitur ex tenore ipsius ordinationis, in qua traditur Calix cum Patena ad indicandam potestatem, quæ Diaconis confertur non tangendi immediatè ipsum Corpus, & Sanguinem Christi Domini, sed vasa continentia idem Corpus, & Sanguinem.

4 *Modo non est in vsu.*
Modo autem hic mos respectu Diaconorum ministrandi fidelibus Sacrosanctum Corpus Christi Domini in dissuetudinem abijt, ea fortè ratione, quod in primordijs Ecclesiæ, cum deficeret copia Sacerdotum, & exuberaret numerus communicantium, necessitas, quodamodo exi-

exigeret, vt ad hoc munus admitterentur Diaconi; modo autem, cum copia Sacerdotum exuberet, cessante hac necessitate hic mos in Diaconis quoque cessauit. Sed hic oritur difficultas, an hic vsus ità cessauerit, vt si quis Diaconus modo Eucharistiam ministraret, contraheret grauem culpam, & aliquas pænas, & quasnam? Nonnulli arbitrantur, grauem culpam contrahere ex eo, quod *Concilium Nicænum can. 14.*, hanc facultatem Diaconis subtraxerit; ex quo etiam videtur sequi irregularitate affici ob administrationem Sacramenti, quæ propria est Sacerdotis. Verba Concilij sunt huiusmodi. *Peruenit ad Sanctum Concilium, quod in locis quibusdam, & Ciuitatibus Presbiteris Sacramenta Diaconi porrigant, quod neque regula, neque consuetudo tradidit, vt ij, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, ijs, qui offerunt, Corpus Christi porrigant.* Sed, si benè perpendantur huiusmodi verba Concilij, manifestè apparebit, per illa abrogari quidem facultatem à Diaconis, ne Sacramentum porrigant Sacerdotibus, non autem, ne alijs inferioribus tradant, quinimmò ex eisdem potius euincitur, adhuc vigere in ipsis hanc facultatem, siquidem, dum fit exceptio solummodò, ne tradant Sacerdotibus ob maiorem istorum dignitatem, videtur firmari regula, & potestas in ordine ad inferiores. Quamobrem non ex aliquo iure positiuo scripto, sed dumtaxat ex consuetudinario nõ scripto videtur hic vsus quodamodo abolitus; vndè adhuc viget inquirendum, an stante tali dissuetudine ministratio modo facta Sacramenti Eucharistiæ à Diacono esset grauitèr peccaminosa, & punibilis?

5 *Exponitur Concil. Nicænũ circa Diaconos ministrantés.*

Hoc dubium sic excitatum sub varijs considerationibus potest variè, & diuersimodè resolui; vel etenim nulla existente necessitate Diaconus hoc munus exerceret, & sine facultate Episcopi, vel Presbiteri, vel aliquã necessitate vrgente, & si vrgente necessitate, vel hoc præstaret consentiente Presbitero, vel ipso dissentiente.

6 *Diaconus ministrans sine necessitate, & facultate grauitèr peccat.*

Si hoc munus præstaret nulla vrgente necessitate, nec accedente Presbiteri, vel Episcopi facultate vix eximerem à graui culpa Diaconum sic ministrantem. Ratio est, quia hæc facultas ministrandi Eucharistiæ Sacramentum sub speciebus Panis nec ei competit ex officio, nec ex speciali concessione, nec ex consuetudine. Non ex proprio officio, quia ex vi ordinationis confertur quidem Diacono facultas tangendi vasa Corpus, & Sanguinem Christi continentia, non autem immediatè ipsum Corpus, & Sanguinem, vt notat *D. Thomas tertia part. quæst. 82. art. 3. ad primum*, ergo, si ex vi ordinationis non confertur eidem potestas tangendi immediatè Corpus Christi, multominus confertur potestas illud alijs ministrandi. Non ex vi specialis concessionis, seu delegationis, quia licet antiquitus hæc intelligeretur existente aliquali necessitate propter defectum Sacerdotum, modo tamen intelligitur per contrariam consuetudinem sublata, vndè idem *D. Thomas loc. cit.*, habet, hanc concessionem, seu delegationem non subsistere, *nisi existente necessitate iubente Episcopo, vel Presbitero*, quod idem habetur ex Concilio Nicæno IV. *cap. 38.* Ibi. *Diaconus præsente Presbitero Eucharistiam Corporis Christi, si necessitas cogat, iussus eroget*, ergo nulla existente necessitate, nec iubente Episcopo, vel Presbitero non potest licitè erogare.

Sed, an in hac hypothesi, si ministraret sine necessitate, & facultate præter grauem culpam, contraheret etiam irregularitatem? *Siluester verbo Diaconus n.4.*, qui excusat Diaconum sic ministrantem à graui culpa, tenetur etiam excusare, vt consequentèr loquatur, à pæna irregularitatis, quandoquidem hæc non potest esse sine graui culpa. Sed cum nos reum ipsum constituamus grauis culpæ, tenemur, vel ipsum irregularitati subijcere, vel aliundè causam excusationis adducere.

In terminis Baptismi solemnitèr collati sine necessitate, & facultate Episcopi, vel Sacerdotis per Diaconum, contrahi irregularitatem tradunt *Vgolinus de offic. Episc. cap. 15. §. 6. num. 6.*, *Marcus Antoninus variar. resolut. lib. 3. resol. 16. num. 6.*, *Henriquez de Sacrament. Baptis. lib. 2. cap. 29. num. 1.*, *Vasquez in tertia part. disp. 147. num. 25.*, *Marchinus tract. 2. de Ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. n. 16.*, qui tamen excipit, si id præstet de mandato Sacerdotis; ex quibus videtur etiam inferri contrahere Diaconum irregularitatem, si Eucharistiam ministret sine necessitate, & facultate, quandoquidem, sicuti antiquitus erat in vsu, vt Diaconi solemnitèr baptizarent, qui vsus modo abolitus est, ita antiquitus erat in vsu, vt Eucharistiam ministrarent, & modo non est in vsu, &, sicuti primitus conferebant Baptismum non ex officio, nec ex vi ordinis, sed tantum ex concessione, ità in Ecclesiæ primordijs Eucharistiam conferebant non ex vi ordinis, sed tantum ex concessione; vndè in omnibus quoad hoc videntur parisormitèr procedere, & proindè, si baptizans solemnitèr sine necessitate, & licentia Diaconus,

7 *Secundũ aliquos cõtrahit etiam irregularitatẽ.*

contrahit irregularitatem, eandem contrahere censendus est, si Eucharistiæ Sacramentum ministret.

8 *Secundū alios nō cōtrahit* Sed in hoc mitius alij procedunt, & quamuis sic ministrantem Eucharistiam reum culpæ grauis constituant, non tamen constituunt irregularitati obnoxium. Ratio eorum est, quia licet Diaconi ex vi ordinis non habeant potestatem perfectam ministrandi hoc Sacramentum, habent tamen quodamodo incohatam, quatenus ex vi ordinationis habent, vt possint deputari ad hoc munus, ad quod non possunt deputari alij inferiores, quinimmò quasi iure suo vtentes Sacerdote absente possunt hoc munus assumere, & exercere, vndè licet peccent sine necessitate, & licentia hoc vsurpantes, non videntur tamen subijciendi illi pænæ, cui subijcerentur alij non habentes ex vi ordinationis illam potestatem incohatam, quam ipsi habent, quandoquidem pænæ non sunt extendendæ, sed mitius interpretandæ, vt solum procedant, quando nulla omninò est potestas, secus quando adest aliqua potestas saltem incohata. Hinc respondentes ad argumentum desumptum à Baptismo solemnitèr collato per Diaconum nulla existente necessitate, & licentia asserunt non vrgere argumentum, quandoquidem in administratione Baptismi solemnis verum conficitur Sacramentum; in administratione verò Eucharistiæ non fit Sacramentum, sed iam factum dispensatur.

9 *Probabilius cōtrahit* Nihilominus non est recedendum a prima sententia adstruente irregularitatem in Diacono ministrante Eucharistiam nullo existente necessitate, nec licentia. Ratio est, quia, qui scientèr, & seriò in aliquo Ordine Sacro, quem non habet, administrat, & mortalitèr peccat, & irregularitatem contrahit per textum *in c. 1., & 2. de Cleric. non ordin. minist.*, sed Diaconus sine necessitate, & licentia administrans Sacramentum Eucharistiæ administrat in ordine, quem non habet, ergo, & grauitèr peccat, & fit irregularis. Minor probatur, quia duo sunt munera propria Ordinis Sacerdotalis, & conficere Corpus Christi, & illud administrare, ergo qui, cum non sit Sacerdos, sed præcise Diaconus, illud ministrat, ministrat in munere ordinis, quem non habet. Neque dicas, quod munus ministrandi Eucharistiam non ità sit proprium Ordinis Sacerdotalis, quin possit alteri communicari, & signanter Diacono, ergo Diaconus administrando in illo non administrat in munere, quod non possit ei competere, adeoque non est, cur contrahat irregularitatem. Contra enim impugnaberis, quia nos non negamus hoc munus quodamodo per delegationem esse communicabile, negamus autem esse communicatum, quando sine necessitate, & facultate Diaconus administrat; vndè in hac hypothesi administrat in ordine, seu in munere ordinis, quem non habet nec ex vi ordinationis, nec ex concessione, adeoque non est, cur non debeat, contrahere irregularitatem.

Neque obstat, quod dicebatur de differentia baptizantis solemnitèr, quod ministrans Sacramentum Eucharistiæ non conficiat Sacramentum. Non obstat, inquam, quia ad incurrendam irregularitatem non requiritur, quod conficiat Sacramentum, sed tantum, quod administret munus ordinis, quem non habet; sic si quis non Diaconus solemnitèr cum insignibus eiusdem legeret in Missa Euangelium non conficeret Sacramentum, & tamen nemine disceptante contraheret irregularitatem ex vi textus *in cap. 1., & 2. de Cleric. non ord. minist.* 10 *Ad contrahendā irregularitatē non requiritur, vt fiat Sacramētū*

Si verò hoc munus communicandi præstaret sine necessitate, ex commissione tamen Presbiteri, tunc *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. num. 16., & seqq.*, sentit non contrahere irregularitatem loquens in terminis Diaconi solemnitèr baptizantis, eo quia ipse ex vi ordinis habet, vt possit ad hoc munus delegari, accedente igitur delegatione iam habet quidquid requiritur, vt possit solemnitèr baptizare, & propterea sic baptizando non est, cur cantrahat hanc irregularitatem, ex quibus etiam videtur posse deduci argumentum à paritate ad Diaconum ministrantem Eucharistiam ex commissione Presbiteri. Sed hoc Marchini assertum latam videtur pati difficultatem consistentem in eo, quod non videatur Diaconus delegabilis quomodocunque, sed dumtaxat existente necessitate, quod videtur colligi ex Concil. Cartagin. IV. *cap. 38.* Ibi - *Diaconus præsente Presbitero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus erogat*, vbi vides non sufficere iussionem, sed etiam requiri necessitatem. Ad hoc tamen respondet idem *Marchinus loc. cit. num. 17.*, Diaconum quidem peccare grauitèr contra consuetudinem, non tamen contrahere irregularitatem, quia habet delegationem ad hoc munus exercendum, & pro hoc suo dicto allegat *Caietanum tertia part. qu. 67. art. 1., Sotum in quarto distinct. 4. quæst. vnica art. 1., Bellarminum de Baptismo lib. 1. cap. 7., Valentiam tom. 4. disp. 4. quæst. 2. punct. primo, & alios*; quinimmò *Siluester verb. Diaconus*, videtur etiam excusare a 11 *Nulla existente necessitate extante tamen Presbiteri licentia secundū Marchinum, nō contraheret.*

culpa

culpa graui, dum asserit præceptum Episcopi, vel Presbiteri sufficere, etiam si nulla subsit causa.

12 *Probabilius contraheret.* Fateor, me vix posse in hoc acquiescere Marchino, & Siluestro, nam, vt benè notat *Suarez tertia part. disp. 72. sect. 1. vers. dico tertiò*, iura, quæ concedunt hanc facultatem, requirunt rationabilem causam, ergo nulla iusta causa intercedente non erit licitum exercitium talis facultatis, quinimmò perindè esset, ac si non esset talis facultas concessa. Hoc tamen intelligendum videtur, quando Diacono certè constaret, nullam subesse causam; si enim hoc non constaret, certè eximeretur non solum ab incursu irregularitatis, sed etiam a graui culpa obediendo superioribus, vel credendo Presbitero committenti.

13 *Presbiter, qui hanc facultatē concedit est Parochus.* Hic dubium occurrit. Quisnam debeat esse ille Presbiter, ex cuius commissione possit Diaconus ministrare hoc Sacramentum. Regularitèr loquendo debet esse proprius Parochus, cui cura incumbit ministrandi Sacramenta proprijs ouibus. Verum, si Parochus abesset, & esset præsens alius Sacerdos, qui aliquo impedimento detineretur, ne posset hoc Sacramentum ministrare, crederem, ex huius facultate existente legitima causa posse Diaconum ministrare.

14 *Existente necessitate nulloq; presente Presbitero potest licitè ministrare.* Si tandem hoc munus præstaret Diaconus existente necessitate, sed sine commissione Presbiteri, vel Superioris, tunc considerandum est, an nullus adsit Sacerdos, qui vel id per se faciat, vel facultatem faciendi Diacono tribuat, an verò adsit, sed per se id nequeat sine magna difficultate, & incōmodo præstare, vel nolit id efficere; si nullus adsit Sacerdos existente necessitate graui, tunc assero, Diaconum posse illud dispensare, quia tunc præsumitur interpretatiua volūtas Presbiteri, vel facultas à iure communi, & iuxtà hunc sensum procedunt, & *Concilium Cartaginense IV. c. 38. Gelasius Papa Epist. 1. cap. 9., & 20., & Concilium Nicænum c. 14.*, vbi solum requiritur iussus Presbiteri, quando Presbiter adest, & facultas hæc conceditur Diacono in absentia Presbiteri ob necessitatem; Si verò adsit Presbiter

15 *Præsente Presbitero indiget eius iussu.* impeditus tamen hoc munus præstare, tunc videtur eius iussus requiri, quia prællegata iura requirunt hanc iussionem, quando adest Sacerdos. Quòd, si Presbiter ex malitia Diacono hanc facultatem deneget; tunc *Siluester verb. Diaconus*, sentit, non posse ministrare præsente Sacerdote, quia non potest hoc facere, nisi vt instrumentum Presbiteri; non potest autem habere rationem instrumenti, quando principale illud mouere nolit.

Sed congruentiùs cum Suarez sentiendum existimo, in hac hypothesi iniquæ negationis posse existente graui necessitate ministrare licitè, & impunè, quia licentia iniquè negata maximè in casu grauis necessitatis habetur pro concessa; tum quia in hac hypothesi habetur interpretatiua voluntas Superioris, puta Episcopi vel Pontificis, vel iuris communis, vel certè Christi Domini. 16 *Hoc nolente ministrare, nec iubere potest ipse hoc facere.*

Si autem quæratur, qualis debeat esse ista necessitas, vt Diaconus possit licitè, & impunè hoc Sacramentum ministrare, dico hanc necessitatem posse considerari, vel ex parte principij, vel ex parte termini; ex parte principij tunc est, quando non adest Sacerdos, qui possit ministrare, vel, si adsit, nolit iniquè, vel ex malitia hoc munus præstare; si etenim adsit Sacerdos, qui possit, & velit hoc munus peragere, nulla videtur necessitas adhibendi ad hoc ministerium Diaconum; ex parte termini est, quando constitutus est quis in periculo mortis, vel quando vrget præceptum Communionis annuæ. Si adest periculum mortis, & nullus adsit Presbiter, vel si adsit, nolit ministrare ex malitia, iam patet ex dictis, quod Diaconus potest illi ministrare Sacramentum per modum Viatici. Sed, an possit Diaconus, vel ex commissione Presbiteri, vel illo absente, seu nolente Sacramentum conferre pro complendo pręcepto Paschalis Communionis illud ministrare. Crederem primò ex commissione Presbiteri, si ille sit legitimè impeditus, & nullus alius sit Sacerdos, qui possit conferre, Diaconum posse ministrare. Ratio est, quia in hac hypothesi est commissio, & necessitas sufficiens; sicuti enim antiquitùs, quia aderat penuria Sacerdotum, permittebatur Diaconis communicare etiam extra tempus vrgentis præcepti Communionis, ita non est, cur modo vrgente necessitate præcepti, & existente impedimento in Presbitero non possit Diacono committi hoc munus. Crederem secundò, absente Presbitero sine spe proximi reditus etiam posse Diaconum Sacramentum ministrare petentibus pro adimplemento præcepti, & hoc ex præsumpta, & interpretatiua voluntate eiusdem Presbiteri absentis; cum etenim ex mox ductis impedimentum Presbiteri sit sufficiens causa, vt ipse possit committere hoc munus Diacono ministrandi Sacramentum ad implendum præceptū Paschalis Communionis, etiam absentia potest tribuere sufficientem rationem ad hoc ministerium committendum, & licet in hoc casu non sit actualis commissio, ex quo tamen vrget præceptum Communionis, rationa-

17 *Qualis, & quāta debeat esse hæc necessitas.*

18 *Absente Presbitero potest Viaticū conferre*

19 *Ex commissione Presbiteri impediti alio non existente potest Eucharistiam ministrare petentibus pro onere Paschali.*

20 *Etiam absente Presbitero sine spe proximi reditus.*

 bili,

biliter potest de eius voluntate præsumi; vndè non defuerunt aliqui, qui dixerunt, quod, si solus esset Parochus, qui in festis Paschalibus detineretur in audiẽdis confessionibus suorum subditorum, posset hic committere Diacono potestatem communicandi. Crederem tertiò,

21 *Præsente Parochó, & nolente ministrare, nec facultatẽ dare non potest.*

quod, si Parochus esset præsens, & ex sua malitia nollet per se Sacramentum in festis Paschalibus ministrare suis subditis, nec facultatem Diacono concedere, quinimmò expresse denegaret, probabilius non posset ipse Diaconus illud ministrare, quia tunc nec vera, nec præsumpta esset voluntas Presbiteri, nec illa causa præcepti Communionis in Paschate esset talis, qualis est illa communicandi existentem in articulo mortis, nam huic posset occurri per recursum ad Superiorem, vel alio modo.

SECTIO II.

De secundò munere communicandi sub speciebus Vini.

SVMMARIVM:

Munus communicandi sub speciebus Vini competit ex officio Diacono. 1.
Hoc euincitur ex Apostolo. 2.
Hæc facultas modo non est directè sublata Diaconis, sed indirectè, & quomodo. 3.
Potest sine speciali commissione Sacramentum in Pixide asseruatum de vno in alium locum transferre. 4.

1 *Munus communicandi sub speciebus Vini cõpetit Diacono ex officio.*

HOc tanquam certum communiter tradunt DD., quod in ordinatione Diaconi Episcopus eidem tradat Calicem cum Patena tangendum, non quia hæc sint materia illius Ordinis, nam, si sint vacui, secundum aliquos sunt materia Subdiaconatus, si pleni, materia Presbiteratus, sed quia per illam traditionem eidem confertur potestas tangendi vasa Corpus, & Sanguinem Christi continentia, ex quibus videtur deduci hoc munus communicandi sub specie Vini, quasi ex officio competere Diaconis, quod videtur satis expresse innuisse *D. Thomas tertia part. quæst. 82. art. 3. ad primum*, cuius verba, vtpotè plurimum conferentia ad præsentem materiam placet referre. *Ad primum dicendum, quod Diaconus, quasi propinquus Ordini Sacerdotali aliquid participat de eius officio, vt scilicet dispenset Sanguinem, non autem Corpus Christi, nisi ex necessitate iubente Episcopo, vel Presbitero; primò quidem, quia Sanguis Christi continetur in vase, vndè non opportet, quod tangatur à dispensante, sicut tangitur Corpus Christi. Secundò, quia Sanguis designat Redemptionem à Christo in populum deriuatam, vndè, & Sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum, vndè, quia Diaconi sunt inter Sacerdotem, & populum magis conuenit Diaconibus dispensatio Sanguinis, quam dispensatio Corporis.* Vbi nota primo illas particulas discretiuas, *vt scilicet dispenset Sanguinem, non autem Corpus Christi, nisi ex necessitate iubente Episcopo, vel Presbitero*, nam ex eo, quod dicatur simpliciter, quod Sanguinem dispenset, & non nisi limitatè, & conditionatè Corpus vrgente scilicet necessitate, & iubente Episcopo, rectè infertur, quod dispensatio Sanguinis competat Diacono ex officio, & quasi ex vi ordinis, dispensatio verò Corporis solum ex commissione in casu necessitatis. Nota insuper congruentiam, ob quam hæc Sanguinis dispensatio competat quasi ex officio Diacono, cum mediet inter Sacerdotem, & populum, & redemptio per Sanguinem significata ad populum referatur, & proindè videtur congruentius eidem Diacono conuenire, qui magis est proximus, & immediatus populo.

Hæc potestas ministrandi Sacramentum sub speciebus Vini satis etiam apertè colligitur *ex Apostolo prima ad Thimot. 3.* vbi loquens de Diaconis hæc habet *habentes Mysterium Fidei in conscientia pura*, vbi per ly *Mysterium Fidei* communiter SS. PP. intelligunt Eucharistiam sub speciebus Vini, vndè in consecratione Calicis dicitur *Mysterium Fidei*. Quare verba Apostoli idem sonant, ac ista *Tractantes administrationem Eucharistiæ sub speciebus Vini cum conscientiæ candore*. 2 *Hoc euincitur ex Apostolo.*

Nec hæc potestas modo directè sublata Diaconis intelligitur, sed dumtaxat, & ad summum indirectè, quatenus Laicis interdictum est, communionem accipere sub speciebus Vini; vndè etiam modo viget consuetudo, quod Summo Pontifici solemniter celebranti post sumptam Eucharistiam sub speciebus Panis Diaconus eidem ad suam sedem translato deferat Calicem cum Vino consecrato hauriendum, nec hoc intelligendum est, esse ex speciali dispensatione, sed ex facultate sibi competente ex vi ordinis, quæ non sublata est directè, vt mox innuebam, vndè, si modo restitueretur fidelibus pristinus modus communicandi sub vtraque specie, Diaconus non indigeret noua facultate, sed iure sibi ex vi ordinis competente hoc posset præstare. 3 *Hæc facultas non est directè sublata Diaconis, sed indirectè.*

Hinc deducimus primò, quod sine speciali commissione possit Diaconus Sacramentum in Pixide, vel in Custodia asseruatum de vno ad aliud Altare transferre, cum

cum ei ex vi ordinationis competat vasa
4 Corpus, & Sanguinem Christi Domini continentia tangere *ex D.Thoma supra allegato tertia part. quaest. 82. art. 3. ad primum*, & si possunt tangere, cur non poterunt transferre?

Sine speciali commissione potest Sacramentum in Pixide reseruatum de vno in alium locum transferre.

Deducimus secundò, quod, si Sacerdos celebrans post susceptam Eucharistiam sub speciebus Panis inopinato fato ab Altari deferatur, possit Diaconus, ad eundem deferre Calicem consecratum, vt Sanguinem, si possit, hauriat, & alia his similia.

SECTIO III.

An, & quomodo Diaconus possit, aut potuerit publicos peccatores reconciliare.

SUMMARIUM.

Exponitur dictum D. Cipriani, ex quo oritur hac quaestio. 1.

Sententia asserens in casu necessitatis non existente Presbitero Diaconos soluere ab excommunicatione. 2.

Secundum alios liberabant à panis satisfactorijs. 3.

Secundum veritatem significabant, peccatores edidisse signa panitentia. 4.

1 Diuus *Ciprianus lib. 3. Epist. 16.* habet hæc verba. *Si incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint non expectata prasentia nostra, apud Presbiterum quemcunque prasentem, vel si Presbiter repertus non fuerit, & vigere exitus caperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti, si possit, vt manu eius in pænitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace.* Nomine autem exomologesin intelligunt DD. confessionem siue publicam, siue priuatam.

Dictum D. Cipriani exponitur.

Ex his verbis D. Cipriani desumunt DD. occasionem dubitandi, quemnam sensum secundum veritatem possint habere, cum etenim indubitatum sit apud omnes Theologos potestatem in Corpus reale Christi Domini, & in misticum Ecclesiæ quoad absolutionem à peccatis esse affixam Ordini Sacerdotali, quomodo verificari poterit, quod peccator publicus apud Diaconum exomologesin peccati sui facere possit?

Quomodo intelligendū sit hoc dictum.

Nonnulli arbitrati sunt, Diaconos in absentia Presbiterorum tunc temporis consueuisse irretitos excommunicatione ab eadem absoluere intelligentes pro peccatoribus publicis excommunicatos publicè, & nominatim denuntiatos; cum etenim ArchiDiaconi, qui tantum Diaconali caracthere erant insigniti, solerent ex commissione ab eadem censura absoluere præsertim absente Presbitero, ideò D. Ciprianus dixit: *vel si Presbiter repertus non fuerit, & vigere exitus caperit apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possit*, vbi tamen aduerte, quod hæc facultas non tribuitur simplicitèr Diacono, sed conditionatè dumtaxat, *si Presbiter repertus non fuerit*, & in casu periculi mortis, *& vigere exitus caperit*, vndè etiam *Clemens lib. 8. Constitut. Apostolic. c. 52.* tradidit, quod absente Presbitero, sicuti ArchiDiaconi poterant excommunicare, ità poterant excommunicatos Ecclesiæ reconciliare. 2

Secundū aliquos in casu necessitatis absoluebant ab excommunicatione.

3 Alij, inter quos *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. num. 24.*, docuerunt Diaconos in illa exomologesi non absoluisse à peccatis, sed per manuum impositionem quasi in signum pænitentiæ super publicos peccatores à satisfactorijs pænis consueuisse liberare.

Secundū alios liberabāt à panis.

4 Mihi verò placet asserere, hunc morem eo temporis consueuisse seruari, vt non existentibus Presbiteris Diaconi illum modum imponendi manus super publicos peccatores adhiberent, vt testificari possent Ecclesiæ signa pænitentiæ adidisse, & si publicè peccauerint in aliorum scandalum publicè pænituisse in ædificationem eorundem, & sic gaudere posse priuilegijs Ecclesiæ, & in loco sacro humari, si postea occuibuissent, quibus priuilegijs caruissent, si talem exolomogesim non habuissent. In his non immoror, cum amplius non sint in vsu.

Indicabāt peccatores edidisse signa pænitentiæ.

SECTIO IV.

Explicatur munus, prout competit Diacono, Baptizandi, vel alia Sacramenta, vel benedictiones conferendi.

SUMMARIUM.

Referuntur verba, qua præmittuntur ab Episcopo ad ordinationem Diaconi. 1.

Quomodo intelligenda sint illa verba: oportet Baptizare. 2.

Reijcitur sensus illorum, qui dicunt per illa importari solum prælationem, quam habere debet Diaconus absente Presbitero ad alios. 3.

Illa verba important, vt sit delegabilis ab Episcopo, vel Presbitero ad solemnitèr baptizandum, quod alijs non competit. 4.

Diaconus, neque ex delegatione potest Extremam Vnctionem conferre. 5.

Diaconus vtens Stola, si consuetis precibus benedicat Oua, Agnum, Domos &c., secun-

eundum Marchinum grauitèr peccat, non tamen contrahit irregularitatem. 6.

1 *Verba, quæ præmittit Episcopus ad ordinationem.* IN admonitione, quam præstat Episcopus Diaconis ante eorum ordinationem, hæc expresſè habet. *Prouehendi filij dilectiſſimi ad Leuiticum Ordinem cogitate magnoperè ad quantum gradum Ecclesiæ aſcenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad Altare, Baptizare, & Prædicare.*

Iuxtà hanc verba: *Oportet Baptizare*, quæritur nunc, quæ poteſtas circa administrationem Baptiſmi eiſdem conferratur, vel etenim intelligitur hæc conceſſio de Baptiſmo priuatim conferendo exiſtente præſertim caſu neceſsitatis, vel de Baptiſmo ſolemnitèr conferendo, primum non videtur congruè intelligendum, cum hæc poteſtas ex inſtitutione Diuina omnibus competat, ne dum maſculis, ſed etiam fæminis; ſecundum, nec item intelligi poſſe videtur, quandoquidem munus ſolemnitèr Baptizandi competit ſoli Presbitero, quod colligitur, tum *ex Clemente Papa lib. 8. Conſtitut. Apoſt. c.52.*

2 *Quomodo intelligenda ſint illa verba: oportet Baptizare.* Ibi. *Nam nec Diacono fas eſt offerre Sacrificium, vel Baptizare*, tum *ex cap. Diaconos diſtinct. 93.* Ibi. *Abſque Epiſcopo, vel Presbitero Baptizare non audeant, niſi prædictis ordinibus fortaſſis longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat, quod etiam Laicis Chriſtianis facere plerumque conceditur.* Quænam igitur poteſtas Diaconis in eorum ordinatione conceditur?

3 *Non importãt ſolũ prælationẽ ad alios inferiores.* Nonnulli arbitrati ſunt facultatem, quæ Diaconis conceditur, in hoc ſitam eſſe, vt non exiſtente Presbitero, & vrgente neceſsitate Baptizandi Diaconus in adminiſtratione Baptiſmi ſit cæteris omnibus inferioribus præferendus. Sed hæc ratio communis eſt etiam Subdiaconis, qui non exiſtente Presbitero, nec Diacono in tali munere cæteris omnibus ſunt præferendi, vndè ordo in hoc conſtitutus eſt, vt exiſtente Presbitero ipſe præferendus ſit in adminiſtratione Baptiſmatis, non exiſtente Diacono Subdiaconus, non exiſtente Subdiacono Acolytus, & ſic per ſingulos diſcurrendo. Quamobrem

4 *Importãt, vt ſit delegabilis ad ſolẽnitèr Baptizandum* Dicendum arbitror, hanc facultatem, quæ ſpecialitèr confertur Diaconis in eorum ordinatione, in eo conſiſtere, vt ſint delegabiles ab Epiſcopo, vel Presbitero ad ſolemnitèr Baptizandum, ad quod munus nequeant etiam ex delegatione aſſumi alij inferiores. In hoc ſignantèr conſentit *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. num. 13.* Sed huic noſtro aſſerto obſtare etiam videtur, quod Subdiaconus etiam poſsit delegari ad hoc munus exercendam. Sed contrà primò, quia non ità certum eſt, vt ſupponitur, quod Subdiaconi poſsint ad hoc munus delegari. Secundò dato etiam, quod poſsint delegari, non tamen à Presbitero, vel ab Epiſcopo, ſed ad ſummum à Summo Pontifice, cum illa ſolemnitas non ad Sacramenti ſubſtantiam pertineat, ſed ad Ritum, ea verò, quæ non pertinent ad ſubſtantiam Sacramentorum, commiſſa ſunt à Chriſto Domino Eccleſiæ, vt definit Concilium Tridentinum, ſicque mirum non eſt, cur Pontifex non poſſit delegare Subdiaconum ad ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem. Non poteſt autem Epiſcopus, vel Presbiter ſic Subdiaconum delegare, quia hæc facultas reſidet apud Romanum Pontificem priuatiuè quoad alios.

Vtrùm verò Diaconus hoc Sacramentum ſolemnitèr miniſtrans ſine commiſſione Epiſcopi, vel Presbiteri peccet læthalitèr, & contrahat irregularitatem, dictum eſt ſupra *ſect. 1.*, vndè in hoc non videtur immorandum.

Ex occaſione eorum, quæ modo diximus de collatione Baptiſmatis, non erit abs re, ſi inquiramus, an ex commiſſione Epiſcopi, vel Presbiteri poſſit Diaconus Sacramentum Extremæ Vnctionis moribundo conferre. Item, an poſſit Stola vtendo conſuetis precibus benedicere Oua, Agnum, Domos, & ſimilia.

In ordine ad primum abſolutè ſentio, neque ex delegatione poſſe Diaconum Extremam Vnctionem conferre. *Henriquez de Extrema Vnctione cap. 13. num. 2., Sairus lib. 10. de cenſuris cap. 10. num. 5., Bonacina de Sacrament. diſp. 7. q. 1. punct. 4., Suarez de Sacrament. diſp. 43. ſect. 1., Marchinus tract. 2. de ord. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. num. 22.* Ratio ex eo deducitur, quod poteſtas conferendi hoc Sacramentum competit ſoli Sacerdoti priuatiuè quoad alios inferiores, vt definiuit *Concilium Tridentinum ſeſs. 14. de Extrema Vnctione cap. 3.*, neque in hoc valere poteſt argumentum à collatione Baptiſmatis, vel adminiſtratione Euchariſtiæ, quia in ordine ad Baptiſmum eſt ſpecialis ratio neceſſitatis, in ordine verò ad adminiſtrationem Euchariſtiæ militat omninò diuerſa ratio, quia per illam non conficitur Sacramentum, ſed iam à Sacerdote confectum, ſolum alteri porrigitur. 5 *Non poteſt Extremam Vnctionem cõferre.*

In ordine ad ſecundum *Marchinus loc. cit. num. 21.*, aſſerit Diaconum ſic benedicentem contrahere grauem culpam, non tamen irregularitatem, eo quia exercet munus ſibi non competens, & vt Diaconus cum vtatur Stola, quia tamen hoc munus nõ eſt Ordinis Sacerdotalis primò,

& per

6 & per se, sed solum secundariò, ideò ipsum eximit à pœna irregularitatis potissimum, cum irregularitas non incurratur, nisi in iure expressè imponatur. Dixi, *vt Diaconus*, nam, si hoc munus exerceret priuatim eo modo, quo præstant quandoque Laici, esset eximendus, & ab irregularitate, & à culpa. Sed, an verè eximatur ab irregularitate, si, vt Diaconus vtendo Stola hoc munus perageret; non ità certum crederem, sicuti credit Marchinus; quandoquidem regula generalis est, quod exercens munera ordinis, quem non habet, contrahat irregularitatem; nec releuat, quod illud munus benedicendi non sit Ordinis Sacerdotalis primò, & per se; nam etiam munus Baptizandi non est munus eiusdem ordinis primò, & per se, & tamen, si Diaconus illud exerceret solemnitèr sine commissione Episcopi, vel Presbiteri, & nulla vrgente necessitate, irregularitatem contraheret.

Diaconus Stola vtens si benedicat oua &c. grauitèr peccat.

SECTIO V.

An, & quomodo Diacono competat munus prædicandi verbum Dei.

SVMMARIVM.

Stola signum facultatis prædicandi. 1.
Hoc munus fuit per Diaconos exercitum ab initio nascentis Ecclesiæ. 2.
Antiquitus Diaconi non concionabantur ex cathedra. 3.
Adhuc hoc munus viget in Ecclesia. 4.
Alijs inferioribus competit ex permissione. 5.
Cum quibusdam tamen limitationibus, quæ numerantur. 6.
Si Diaconus fuerit ab hoc munere suspensus à iure, vel ab homine illud exercens, contrahit irregularitatem. 7.
Si suspensus sit à consuetudine etiam probabilitèr eandem contrahit. 8.

1 OBseruarunt plurimi vsum Stolæ esse signum officij prædicationis, & inter cæteros *Rabanus Maurus lib. 1. de institut. Clericor. cap. 19., & Amalaricus Fortunatus lib. 1. de offic. Eccl. cap. 20.*, vndè asserunt, quod Episcopi, & Sacerdotes deferunt Stolam pendentem ad pectus, quia principalitèr eisdem ex vi proprij ordinis competit hoc munus; Diaconi verò deferunt ad sinistram partem conuersam, quia hoc munus eisdem conuenit minus principalitèr; Subdiaconis autem, alijsq; inferioribus vsus Stolæ non conceditur, quia munus prædicandi ipsis non conuenit. Hoc in Ordine ad Diaconum expressè habetur *in cap. vnum orarium distinct.* 25., vbi sic legitur: *vnum orarium* (idest Stolam) *oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propterea, quod orat, idest prædicat.*

Stola signum facultatis prædicandi.

Hoc munus prædicandi verbum Dei Diaconis competere probat Rabanus ex facto D. Stephani Protomartiris, & Phylippi Diaconi, qui temporibus Apostolorum teste D. Luca hoc munus publicè, & solemnitèr exercuerunt, quod idem teste *D. Augustino sermone 2. de Sancto Vincentio*, factum est ab eodem D. Vincentio Martire, cum esset Diaconus, & à D. Gregorio, cum adhuc esset Diaconus exercitum tradit *Ioannes Diaconus in vita eiusdem lib. 1. c. 41.* 2

Temporibus nascētis Ecclesiæ hoc munus fuit à Diaconis exercitum.

Circa hoc munus tamen nonnullæ hic insurgunt difficultates. Prima est in explicando, quid intelligat D. Ambrosius per illud verbum: *sine cathedra*, dum exponens illud Apostoli *ad Ephesios 4., & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas*: dixit *Euangelistæ sunt Diaconi, sicut fuit Phylippus; nam, quamuis non sint Sacerdotes, Euangelizare tamen possunt sine cathedra*. Quidam dixerunt dici *sine cathedra*, quia Diaconi non verè concionandi munere gaudent, sed solummodò absente Presbitero loco concionis homilias SS. PP. legendi, quod non sedentes exercebant, & hoc videtur colligi *ex Concil. Vasensi can. 4.* Alij dixerunt, inter quos *Michael Medina lib. 1. de continentia c. 10.*, quod hoc munus concionandi, quod Diaconis tribuitur, consistat solummodò in instructione Cathechumenorum in Catechismo, quæ non exigebat Cathedram. Alij dixerunt hoc munus quoad Diaconos consistere in solemni lectione Euangelij in Missa, quæ fit stando, non sedendo. Sed contra hos omnes loquitur *D. Gregorius lib. 4. Epist. 88.*, dum absolutè munus proprium prædicandi Diaconis tribuit. Quomodo ergo intelligendum est illud D. Ambrosij verbum: *sine cathedra*. Dicendum est, hoc antiquitus in more fuisse, vt soli Episcopi, & Sacerdotes ex cathedra concionem haberent, Diaconi verò non sedentes, sed stantes, vndè *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. num. 23.*, tradidit, quod concionari ex cathedra proprium erat Episcoporum, & Presbiterorum. Modo autem vsus inualuit, vt, quandoque Episcopi, & Presbiteri concionentur absque cathedra, & quandoque etiam Diaconi ex cathedra. 3

Antiquitus Diaconi non concionabantur ex cathedra.

Secunda difficultas est in explicando, an vigeat adhuc in Diaconis hoc munus prædicandi verbum Dei, an contraria consuetudine intelligatur abolitum.

Non

4 *Adhuc hoc munus viget.* Non defuerunt, qui dixerint, non amplius vigere, ea fortè moti ratione, quod modo existente magna Sacerdotum copia vix, vel rarò eueniat, quod Diaconi hoc munus exerceant. Sed vigere adhuc in aliquibus Religionibus, & etiam in Congregatione nostra experientia ipsa docet scientibus, videntibus, & non reluctantibus Ecclesiæ Prælatis, quin potius approbantibus.

5 *Alijs inferioribus competit ex permissione.* Tertia difficultas est in explicando, quomodo id, quod supradictum est, quod scilicet hoc munus prædicandi verbum Dei non competat Subdiacono, nec alijs inferioribus, cùm eo, quod in dies cernimus, hoc munus exerceri, quandoque etiam à Clericis. Pro solutione aduerte, quod, quamuis hoc munus principalitèr Sacerdotibus, & munus principalitèr ex officio pertineat Diaconis, non tamen ità sit restrictum eisdem, vt alijs non possit pertinere ex permissione, &, vt ità dicam, ex indulgentia, eo modo, quo munus legendi solemnitèr Epistolam in Missa competit ex officio Subdiacono, quod tamen munus permittitur alijs inferioribus ex indulgentia. Hoc munus prædicandi legimus exercitum à D. Alexandro Thæbeæ legionis vexilifero, Ecclesiæ nostræ Mediolanensis patrono, in cuius officio legitur: *Bergomi cum in dissiminando Euangelio plurimum proficeret*. Rursus, *cuius prædicatione patrocinio &c.*, & congrua quidem ratione hæc facultas videtur alijs communicabilis ex permissione, cum agatur de euulgatione Euangelij; cuius laus debet esse in ore omnium. Hic tamen plura sunt aduertenda; primò, quod inferior Diacono non possit exercere hoc munus adhibendo insignia Diaconi, hoc est Stolam pendentem à latere sinistro, quia hoc est proprium Diaconi, & exercere hoc munus quasi ex officio, quod nequit ipsi competere; sicuti nequeunt

6 *Nonnullæ limitationes.* inferiores Subdiacono legere in Missa Epistolam adhibendo manipulum, quod est proprium insigne Subdiaconi. Secundò, quod debeat esse instructus doctrina sufficienti ad hoc munus exercendum, ne ex ignorantia seducat populos in dogmatibus Euangelio non conuenientibus.

Quarta difficultas est, an, si Diaconus sit suspensus à munere prædicandi verbum Dei, vel à iure, vel ab homine, & non obstante tali suspensione exerceat idem munus contrahat irregularitatem. Aduerte, à iure Diaconum duplicitèr posse esse suspensum, vel quatenus sit irretitus aliqua censura, cui sit annexa priuatio facultatis concionandi, vel quatenùs ius non scriptum, seu consuetudinarium inualuerit, vt Diaconi hoc munus non exerceant. Hinc dico primò, quod, si fuerit suspensus ab homine, vel à iure iuxtà primum sensum sumpto, & hoc munus exerceat, vtique contrahat irregularitatem. Hoc deducitur ex generali regula, secundum quàm suspensus ab aliquo munere spirituali, si illud exerceat contraueniendo suspensioni fit irregularis *Speculator in tit. de disp. §. iuxtà vers. quarto*, & hoc verificatur non solum, si quis sit interdictus ab ordine, sed etiam ab exercitio ordini competens *idem Speculator in dicto §. iuxtà vers. item nota, quod suspensus*, *Siluester in verb. suspensio quæst. 5. vers. si verò sit ab officio*, *Summa Angelica in verb. suspensio 3. verb. aliquando suspenditur*, hæcque omnia videntur deduci *ex cap. 1. de re iud. in sexto*, *& cap. 1. de sent. excommunicat. item in 6.*, & alibi. 7 *Si Diaconus fuerit ab hoc munere suspensus à iure, vel ab homine illud exercēs, contrahit irregularitatem.*

Dico secundò, si fuerit suspensus à iure mere consuetudinario, seu non scripto, probabilius contrahere irregularitatem. Est contra *Marchinum tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. n. 25. propè medium*, qui asserit, quod, quamuis grauitèr peccet contra cõsuetudinem, non tamen contrahat irregularitatem, quoniam hoc munus illi conuenit ratione sui ordinis. Nostram sententiam sustinent *Vgolinus de officio Episcopi c. 15. §. 6. num. 6.*, *Marius Antoninus var. resolut. lib. 3. resol. 16. num. 6.*, *Henriquez de Sacrament. Baptism. lib. 2. cap. 29. num. 1.*, *Sanchez in tertia part. disp. 147. nu. 25.*, qui loquuntur in terminis Baptismi collati per Diaconum solemnitèr; trahi tamen possunt etiam ad terminos concionis solemnitèr per eundem habitæ supposita contraria consuetudine. Ratio ex eo deducitur, quod denegari non possit, quin exerceat munus, quod illi vetitum est à iure, seu à quo suspensus est à iure consuetudinario, quod æquiualet iuri scripto. Verùm tamen est, quod vix potest his temporibus habere locum hæc quæstio, cum nemine disceptante palam hoc munus exerceatur, nedum à Diaconis, sed etiam ab alijs. 8 *Etiam si sit tantum suspensus à consuetudine.*

SEC-

SECTIO VI.

Explicantur munera Diaconi legendi solemnitèr Euangelium in Missa, & assistendi, & ministrandi Sacerdoti celebranti.

SVMMARIVM.

Ex quo deducantur huiusmodi munera. 1.
Diaconus, qui sine proprijs insignibus in Missa solemni canit Euangelium grauitèr peccat. 2.
Canens Euangelium in læthali non contrahit nouam noxam læthalem. 3.
Cur Diaconus lecturus solemnitèr Euangelium petat benedictionem, non sic Subdiaconus lecturus Epistolam. 4.
Explicatur aliud munus ministrandi Sacerdoti. 5.

1 *Ex quo deducātur huiusmodi munera.* DVo principaliora munera, quæ conueniunt Diaconis ex vi ordinationis, sunt legere solemnitèr Euangelium in Missa, & ministrare Sacerdoti celebranti. Primum munus colligitur ex ipsa forma, qua confertur hic ordo; exhibito etenim libro Euangeliorum Episcopus ordinans dicit: *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini*; secundum munus colligitur ex Pontificali Romano. Ibi. *Promouendi filij dilectissimi ad Leuiticum ordinem cogitate magnoperè ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis; Diaconum enim oportet ministrare ad Altare &c.*

Articuli examinandi circa primum munus. De primò loquitur etiam *Sinodus Rhemensis can.* 5., vbi, cum *canon.* 4. exposuisset munus Subdiaconi legendi Epistolas, postea exponit munus Diaconi. Ibi- *Lectum est Euangelium, vt Diaconi etiam instruerentur, qualitèr Christo, cuius funguntur officio, condignè valerent ministrare*, de quo munere etiam loquitur *D. Gregorius lib.* 4. *Epist.* 44., vbi asserit Diaconos adstante toto Clero debere Lectionis Euangelicæ officium persoluere. Circa hoc munus nonnulla in præsenti contingunt dubitari. Primum est, an recitando ex vi talis muneris in Missa teneatur adhibere insignia Diaconalia, & si non adhibeat, contrahat aliquam noxam, & quamnam? Secundum, an exercendo hoc munus in peccato læthali peccet læthalitèr. Tertium, cur Diaconus lecturus Euangelium in Missa petat benedictionem à Sacerdote, non sic Subdiaconus lecturus Epistolam.

Ad primum, probabilius arbitror grauitèr peccare Diaconum, qui in Missa solemnitèr Diuinum Euangelium caneret non adhibitis insignibus Diaconalibus. Ratio est, quia in Missa Diaconus legens Euangelium illud legit, & legere debet ex officio, ergo debet illud legere, suumque officium peragere cum insignibus, quæ sunt propria illius officij; cum teneatur in tali officio ea seruare, quæ pro executione eiusdem præscripta sunt ab Ecclesia; vndè communitèr tradunt, quod ad ministrandum solemnitèr in aliquo ordine, puta in Subdiaconatu, vel Diaconatu non satis sit Epistolam, vel Euangelium recitare, sed insuper opus sit recitare cum proprijs insignibus. Neque dicas, quod possit quis non constitutus in Ordine Diaconatus in Missa legere publicè, & solemnitèr Euangelium sine nota alicuius culpæ, dummodò id præstet sine insignibus Diaconalibus, puta sine Stola, ergo etiam id poterit præstare Diaconus sine talibus insignibus, nempè Stola, & non contrahere aliquam culpam, quasi id non præstans ex officio, sed eo modo, quo præstat alius non Diaconus; contra enim impugnaberis, quia in primis non ità verum est, quod supponitur, quod scilicet non Diaconus possit in Missa sine labe solemnitèr recitare Euangelium, cum debeat præmittere illam precationem, *Dominus vobiscum*, quod non competit non Diacono. Deindè dato etiam antecedenti non rectè sequitur consequentia, quia eo ipso, quod est Diaconus, & inseruit Missæ, & Sacerdoti, legendo publicè Euangelium, & ministrando tenetur ea munera præstare, vt Diaconus, & ex officio, & propterea tenetur adhibere ea insignia, quæ sunt propria talis officij. 2 *Diaconus, qui sine proprijs insignibus in Missa solemni canit Euangelium grauitèr peccat.*

Hoc idem videtur euinci ex paritate Sacerdotis, qui ex communi sententia, si omitteret adhibere in celebratione Missæ insignia, vel aliquod insigne ad illud munus requisitum grauitèr peccaret *Nauarrus cap.* 25. *num.* 84., *Suarez disp.* 72. *sect.* 3., *Filliutius tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 184., qui etiam dicunt, læthale esse non adhibere cingulum, vel amictum, ergo hoc idem videtur dicendum de Diacono, si in executione sui ordinis non adhibeat insignia eiusdem, & præcipuè Stolam à latere sinistro pendentem, cum hæc sit præcipuum insigne illius ordinis. Esset tamen excusandus, si ex inaduertentia, & inconsideratione hoc perageret.

Ad secundum etiam, probabilius arbitror exercentem Diaconum suum munus legendi solemnitèr in Missa Euangelium, & inseruiendi Sacerdoti celebranti in peccato læthali non contrahere nouam noxam læthalem. *Sotus in quarto distinct.* 1. *quæst.* 5. *art.* 6., & *distinct.* 24. *quæst.* 1.

 art. 4.

art. 4. propè fin., *Henriquez lib. 10. art. 13. num. 3.*, *Valentia tom. 4. disp. 3. quæst. 5. punct. 3.*, *Suarez de Sacramentis disp. 16. sect. 3. §. tertio quæri potest*, *Vasquez tom. 2. in tertiam part. disp. cap. 36. num. 2.*, *Villalobos in summa tom. 1. tract. 4. difficult. 10. num. 7.*, *Conimbus de Sacrament. quæst. 64. art. 6. dub. 1. n. 38.*, *Diana part. 2. tract. 4. resol. 195.* Ratio ex eo deducitur, quod, vel ea noua culpa læthalis contraheretur ex oppositione ad aliquod ius siue Diuinum, siue naturale, vel ex oppositione ad aliquod ius Canonicum; ex nulla oppositione potest hæc culpa contrahi, ergo &c. Minor quoad primam partem probatur, quia oppositio, si quæ est ad ius Diuinum, potissimum habetur ex eo, quod habet Apostolus prima ad Thimot. 3. Ibi: *& hi probentur primò, & sic ministrent nullum crimen habentes*, si verò sit ad ius naturale ex eo habetur, quod sancta sint sanctè tractanda, vel ex eo, quod Diaconus in ordinatione recipit gratiam, vt dignè actum sui ordinis ministret, ergo, si ministrat indignè, gratia recepta abutitur, & sic nouæ culpæ reus constituitur; vel ex eo, quod, sicuti ministrans, vel recipiens Sacramenta in læthali nouum peccatum committit, ità illud contrahat exercens actum sui ordinis in læthali, sed nullum ex his potest nouam noxam inducere; non primum desumptum ex Apostolo, quia licet in illo ministerio Diaconi legendi solemnitèr Euangelium in læthali sit aliqua irreuerentia, non est tamen talis, vt grauem iniuriam inferat, & læthalem culpam inducat, quandoquidem culpa læthalis non est desumenda ex quacunque irreuerentia, seu oppositione ad ius Diuinum, sed mensuranda est iuxtà grauitatem, & leuitatem materiæ, circa quam versatur, sed materia, circa quem versatur, non est grauis cum non consistat in confectione Sacramenti; vndè *D. Thomas tertia part. quæst. 64. art. 6.*, solum de confectione Sacramentorum dicit esse peccatum mortale illam exercere in statu peccati mortalis, & soluendo primum argumentum reddit specialem rationem, quia actiones consecratoriæ, seu conficientes Sacramenta sunt singulari modo consecratæ, quam doctrinam explicans *Caietanus tom. 2. opusculi tract.* 10. dicit, alias actiones præter Sacramenta non esse ad sanctificationem per gratiam proximè ordinatas, neque in eis se exhibere Sacerdotem, vt ministrum Christi sanctificantis animas, ac proindè non esse tam grauem causam, & rationem exigendi internam animæ sanctitatem ad eas exercendas, ideoque illas exercere in peccato læthali ex parte materiæ non esse læthale. Hæc colligo *ex Suarez de Sacrament. disp. 16. sect. 3. vers. atque hinc constat.* Non secundum ex eo, quod sancta sint sanctè tractanda propter eandem rationem, quia scilicet in hoc etiam sit consideranda grauitas, vel leuitas materiæ; neque in hoc grauitas potest concipi. Non tertium desumptum ex abusu gratiæ receptæ in ordinatione ad dignè ordinem susceptum ministrandum, quia in primis etiam in omnibus Sacramentis confertur specialis quædam gratia ad exequenda munera, ad quæ conferuntur eadem Sacramenta, sic in Baptismo confertur gratia ad exercendos actus Fidei, & seruanda præcepta; in Confirmatione gratia ad profitendam eandem fidem, & tamen in transgressione non contrahitur ratione talis gratiæ receptæ peccatum nouum distinctum ab opere transgresso. Rursus non solum in collatione Ordinis Diaconatus confertur specialis gratia ad dignè exercenda munera eiusdem, sed etiam in collatione aliorum ordinum inferiorum, qui ex supradictis sunt Sacramenta, confertur eadē specialis ad munera eorundem benè exercenda, & tamen Aduersarij afferunt, quod exercentes munera inferiorum ordinum in peccato læthali non contrahant nouam noxam læthalem, ergo etiam &c. Non quartum desumptum ex eo, quod ministrans, & recipiens Sacramenta in læthali nouum læthale sacrilegij contrahat, quia, vel per ly ministrans Sacramenta intelligitur, qui simul conficit, & dispensat, vel solum, qui iam confectum dispensat, non conficit; si primum certè contrahit peccatum læthale sacrilegij, quia grauem infert iniuriam Sacramento, quod conficit; si verò non conficit, sed iàtum dispensat, videtur omninò certum, quod nouam culpam non contrahat, cum non applicet, nisi actiua passiuis; prout verò recipit Sacramentum, cum ratione peccati læthalis præexistentis ponat obicem gratiæ, quam ex opere operato deberet Sacramentum conferre, certè nouam noxam, & vtique grauem contraheret.

Minor quoad secundam partem in ordine ad oppositionē ad ius positiuum Canonicum sic euincunt, quia non est assignabile aliquod ius determinatum, quod prohibeat tale exercitium ordinis sub graui respectu existentis in peccato læthali; quod, si afferatur textus *in cap. vltim. de tempor. ordin.*, vbi dicitur, quod Clerici iniqui, & peccaminosi, *si non pænituerint, monendi sint, & sub interminatione diuini iudicij obtestandi, vt in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non*

Marginalia: 3 *Canens Euangelium, & ministrans Sacerdoti in læthali non contrahit nouam noxam læthalē.* — *Rationes pro asserto.* — *Aliæ rationes pro eodē.*

non ministrent, ibi non est sermo de Sacerdotibus præcisè, sed de ordinatis in quocunque Ordine Ecclesiastico, & præcipuè sacro; tunc respondendum erit cum *Suarez de Sacrament. disp. 16. sect. 3. vers. de alijs duobus ministerijs*, allegatum textum non condere nouam legem positiuam, sed tantum explicare naturalem, quæ iuxtà superiùs dicta metienda est iuxtà grauitatem, & leuitatem materiæ; in hac autem hypothesi grauitas materiæ considerari non potest, vt supra, adeoque, nec grauis culpa.

4 *Cur Diaconus petat benedictionem non sit Subdiaconus.* Ad tertium aliam rationem assignare nequo quam assignatam à *Ruperto lib. primo de diuinis officijs cap. 36.* relatam à *Marchino tract. 2. de ordin. in particulari part. 7. de Diaconatu cap. 3. n. 28.*, quæ est huiusmodi. Deus inuisibilitèr legem dedit, & misit Prophetas, quos Subdiaconus legit, sed Apostolos, quos ad enuntiandum Euangelium destinauit, Deus visibilis visibilitèr misit dicens: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, & ideò ad significandam hanc visibilem missionem Apostolorum à Christo eos benedicente peractam Diaconus benedictionem à celebrante personam Christi referente Euangelium lecturus semper petit.

5 *Explicatur aliud munus ministrandi Sacerdoti.* De secundò munere Diaconatus ministrandi immediatè ad Altare Sacerdoti sacrificium Missæ solemnitèr offerenti præter Pontificale Romanum loquuntur omnes Liturgiæ, & *D. Ambrosius lib. 1. de officijs cap. 41.*, & *D. Ioannes Chrisostomus homil. 83. super Matthaeum*, hocque indicat ipsum nomen Diaconi, quod significat ministrum; vndè cernimus, quod in offertorio Calicem cum Vino Aqua commixto eidem celebranti offerendum porrigit, eiusque brachium sustinet, cum eodem recitat, offerimus tibi Domine Calicem; hunc consecratum, vbi opus fuerit, discooperit &c.

SECTIO VII.

De reliquis muneribus Diaconatus.

SVMMARIVM.

Antiquitus Diaconi colligebant eleemosynas, & distribuebant pauperibus. 1.
Modo non est in vsu. ibid.
Tanquam oculi Episcoporum omnia considerabant, & referebant. 2.
Excitabant animos fidelium, vt sacris deuotè attenderent. 3.

Hoc etiam munus competebat antiquitùs Diaconis, vt à fidelibus pias eleemosynas colligerent, seruarent, & in pauperes distribuerent; vndè legimus de D. Laurentio, quod facultates Ecclesiæ per manus pauperum in cælestes thesauros deportauerit, de quo propterea subdit *D. Leo in lectione*, quæ in eius festo legitur: *Non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat.* Id ipsum de Tito Diacono refert *D. Prosper in chronologia anni Domini 429.*, qui ab infidelibus interfectus est, dum pecuniam pauperibus distribuebat. Sed hoc munus modo contraria consuetudine est abolitum. 1 *Munus colligendi eleemosynas modo nō est in vsu.*

Aliud Diaconorum munus legitur *in c. Diaconi distinct. 93.*, vt sint tanquam oculi Episcoporum, qui propterea debent omnia considerare, &, si viderint aliqua corrigenda, Episcopo significare; Eorum insuper cura erat Episcopo suggerere, quæ ad cultum Ecclesiæ, & disciplinam eius pertinent; propterea *in cap. Diaconi sunt eadem distin. 93.*, dicuntur *Angeli Ecclesiarum, voces tonitruorum &c.* De istis habet *D. Clemens lib. 3. Constitut. Apostol. cap. 19. circa fin. Oportet igitur, vt vos Diaconi omnes visitetis, quibus visitatione opus est, & de calamitosis, & afflictis nuntiate Episcopo vestro.* Sed hoc etiam munus videtur in Ecclesia Dei euanuisse. 2 *Tanquā oculi Episcoporum omnia considerabant, & referebant.*

Aliud tandem munus erat Diaconorum fidelium animos excitare, vt sacris deuotè attenderent, ideò dicti voces tonitruorum; vndè de ipsis legitur: *cap. Diaconi sunt eadem distinct. 93. Tunc demum, vt aures habeamus ad Deum, Diaconus acclamat, ipse prædicat, ipse hortatur, ipse etiam commonet adstantibus Sacerdotibus, ne leuitèr hanc vocem, qua loquitur, & pacem annuntiat, audiant, aut negligentèr aspiciat.* De his etiam loquitur *D. Isidorus lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 8.*, dum dicit. *Hi voces tonitruorum sunt; ipsi enim clara voce in modum præconis admonent cunctos siue in orando, siue inflectendo genibus, siue in psallendo, siue in lectionibus audiendis, ipsi etiam, vt aures habeamus ad Dominum, clamant.* Rursus ipsi annuntiant populo, in quibusdam functionibus Ecclesiasticis, vt genuaflectant, ipsi in fine Missæ monitionem solebant præmittere, vt interessentes humiliarent se Sacerdotis benedictioni, vt habet *Glosa in dicto cap. Diaconi sunt in verb. sunt demum distinct. 93.* Quamuis autem hæc omnia tanquam munera proprio officio conuenientia primitùs exercerent Diaconi, plura tamen ex his modo non sunt in vsu, nec assolent per Diaconos exerceri. 3 *Excitabāt animos fidelium, vt sacris deuotè attenderēt.*

ARTICVLVS V.

An, si quis promoueatur ad Diaconatum existens in peccato lethali duplex peccatum lethale contrahat.

SVMMARIVM.

Recipiens Diaconatum regularitèr recipit duo Sacramenta Ordinis scilicet, & Eucharistiæ. 1.

Sententia asserens, recipientem in peccato lethali vnum dumtaxat peccatum contrahere. 2.

Probabilius, contrahit duplex peccatum. 3.

Sunt duæ actiones secundum se non ordinatæ ad eundem finem. 4.

Nec obstat, quod ab Ecclesia præcipiatur communio in susceptione ordinis. 5.

1 *Recipiendo Diaconatũ regularitèr recipit duo Sacramenta.* SEcundum communem praxim, dum quis ad Diaconatum promouetur, sacram sinaxim recipit ab Episcopo ordinante, & sic duplex Sacramentum, alterum ordinis, alterum Eucharistiæ. Hinc oritur ratio dubitandi, an duplex peccatum sacrilegij contrahat, alterum ratione ordinis sacrilegè suscepti, alterum ratione iniquæ manducationis Corporis Christi Domini.

2 *Sententia asserẽs vnũ tantum peccatũ contrahere.* *Homobonus noster tract. 4. de art. circa exam. ad Diacon. cap. 7. quæst. 56.*, absolutè asserit, nonnisi vnicum peccatum, licet grauius contrahere desumpto fundamento ex eo, quod duo præcepta, seu duæ obligationes violatæ, cum versentur circa eandem in specie virtutem Religionis, non inducant, nisi vnam noxam. Sed, quamuis Homobonus videatur rectè procedere, quoad negationem pluralitatis peccatorum in specie, cum hæc non multiplicentur in specie, nisi per oppositionem ad diuersam in specie virtutem, non videtur tamen rectè procedere quoad negationem pluralitatis eorundem in numero, cum sint duæ actiones omninò distinctæ, & separatæ respicientes diuersa Sacramenta; distinctio autem numerica peccatorum desumitur à distinctione actionum, & obiectorum.

In quo consistat ratio dubitandi. Difficultas solummodò aliqua videtur in eo consistere, quod istæ duæ actiones receptionis ordinis, & sumptionis Eucharistiæ videntur continuatæ in vna, & eadem actione ordinationis, & sic ratione continuationis non consurgere, nisi vnicũ peccatum in numero, licet grauiùs, ea proportionali ratione, qua conficiens sacrificium Missæ plures actiones exercet oblationis scilicet, consecrationis sub vtraque specie, & sumptionis, quæ, quia sunt continuatæ in vno, & eodem sacrificio, si à ministro existente in peccato læthali fiant, non inducunt, nisi vnicum peccatum. His tamen minimè obstantibus sit.

Assertio. Recipiens ordinem, & Eucharistiam in peccato læthali probabilius contrahit duplicem in numero culpam læthalem sacrilegij.

Ratio ex eo deducitur, quod pluralitas peccatorum in eadem specie, licet non desumatur à pluralitate præceptorum, desumitur tamen à multiplicatione actionum, & rerum obiectarum; sed in hac hypothesi interueniunt actiones, & obiecta omninò diuersæ, nempè receptio ordinis, & sumptio Eucharistiæ, quæ nullam adinuicem habent connexionem, ergo, si fiant ab existente in peccato læthali, duo peccata numero distincta contrahentur; neque obstant, quæ ex aduerso afferebantur de illa continuatione actionum, quia ad summum illa continuatio actionum obstat pluralitati peccatorum, quando illæ actiones ordinantur ad vnum, & eundem finem, & omnes sunt copulatiuè alicuius totius potentialis, vt loquitur D. Thomas, vt contingit in exemplo allato de conficiente Missæ sacrificium, in quo licet actiones recensitæ interueniant, quia tamen hæ omnes complent vnum, & eidem sacrificium, nonnisi vnum totum constituunt, adeoque non multiplicant peccata, si exerceantur ab existente in peccato læthali. Hoc autem considerari non potest in recipiente Diaconatus Ordinem, & Eucharistiam in peccato læthali, quia huiusmodi actiones non ordinantur ad vnum, neque quid vnum complent, cum nec partialitèr ordo constituat Eucharistiam, nec Eucharistia ordinem, neque ex vtroque resultet quid vnum.

3 *Probabilius contrahit duplex peccatũ.*

4 *Sũt duæ actiones secundũ se non ordinatæ ad eundem finem.*

Neque vrgeas, quod ex dispositione, & præcepto Ecclesiæ hæ duæ actiones debeant vniri, adeoque, quod, quamuis ex natura sua non habeant adinuicem ordinationem, habeant tamen ex vi talis præcepti Ecclesiastici, ratione cuius transeunt in vnam actionem continuatam, & sic non constituant, nisi vnicum peccatum; contra enim impugnaberis, quia ex vi illius præcepti præcisè non possunt in vnam actionem coalescere, quando ex se habent diuersitatem; sic si Ecclesia præciperet vna, & eadem die confessionem Sacramentalem, & Sacram Communionem, & quis sacrilegè ad vtramque accederet, non eximeretur à duplici peccato læthali, & hoc non nisi, quia sunt duæ actiones omninò diuersæ, nec præceptum Ecclesiæ efficit, quod sit vnum tantum.

5 *Nec obstat, quod Ecclesia præcipiat etiam communionem.*

Insta-

Instabis omnes ordines diriguntur ad Eucharistiam, tanquam ad vltimum finem; sunt etenim instituti in ordine ad sacrificium Missæ conficiendum, ergo ratione talis ordinationis maximè in eadem ordinatione possunt quid vnum constituere. Sed contra in primis hoc argumentum nimis probat; probat etenim, quod recipiens omnes ordines in peccato læthali propter habitudinem, quam habet ad Eucharistiam non contraheret, nisi vnicum peccatum læthale. Deindè aliud est ordinari ad Eucharistiam conficiendam, aliud ad eandem sumendam; omnes ordines ordinantur ad conficiendum, non ad sumendum, cum hoc etiam sit commune laicis.

ARTICVLVS VI.

An Diaconus saltem ex delegatione vrgente necessitate possit validè matrimonio assistere?

SVMMARIVM.

Parochus, qui solum sit Diaconus potest assistere matrimonijs suorum subditorum. 1.
Simplex Diaconus non potest assistere, nec etiam ex deputatione. 2.
Parochus solum Diaconus potest deputare Sacerdotem ad assistendum matrimonijs suorum subditorum. 3.
Parochus Diaconus non potest deputare alium Parochum, qui etiam sit solum Diaconus. 4.

NOn diu in examine huius articuli immorandum, cum latè de ipso egerimus *tom. 6. sub tit. Contractus XV. pranot. 24. per totum*. Quia tamen ad præsens institutum materia hæc videtur pertinere, placet aliqua sub breuitate transcurrere.

1 *Parochus simpliciter Diaconus potest assistere matrimonijs suorum subditorum.* Certum est primò Parochum, qui sit simplicitèr Diaconus, & non Sacerdos, posse validè, & licitè assistere matrimonijs suorum subditorum *Nauarrus lib. 4 cons. 9. de clandest. desponsf. in scolijs, & cons. 30. de sponsalibus in prima edit. Garzias de benef. part. 9. cap. 2. nu. 925., Augustin. Barbosa de Parochis cap. 21. num. 6., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contractu cap. 4. num. 102.* Expresse deducitur *in Concil. Trident. sess. 24. de reformatione matrimon. cap. 1.*, vbi ad validitatem matrimonij exigit præsentiam Parochi sine vlla limitatione, quod claris verbis explicat Sacra Congregatio Cardin. Concilij Tridentini interpr. apud *Bellarminum ad dict. cap. 1. Concil. sess. 24. in declarationibus declaratione vlt.*, vbi sic legitur; *Parochus sufficit etiam si non sit Sacerdos*. Argumenta, quæ fiunt contra hoc dictum, explanata vide *dicto tom. 6. sub tit. Contractus XV. de matrimonio 1. pranot. 34. nu. 1. vers. potior probatio per totum*, non etenim vacat hic ea repetere.

2 *Diaconus, qui non sit Parochus, nec deputatione potest assistere.* Certum est secundò, Diaconum, qui non sit Parochus, neque ex se, neque ex delegatione Episcopi, vel Parochi posse validè assistere matrimonijs. In hoc consentiunt *Sanchez lib. 3. de matrimon. disp. 20. num. 6. vsque ad finem, Nauarrus lib. 4. consil. in prima edit. lib. 11. tit. 31. de offic. ord., Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. num. 5., & alij communitèr*. Ratio est, quia verba Concilij Tridentini requirentia assistentiam Parochi, vel Sacerdotis à Paroco, seu Ordinario deputati, se habent, tanquam forma ad hoc munus substantialitèr requisita, quod euincitur ex eo, quod sint cum clausula irritante; forma autem est adamussim obseruanda, prout verba, quibus statuitur, sonant; verba autem, prout respiciunt delegatum, important Sacerdotem, ergo &c. Neque amplius in hoc est hæsitandum, quandoquidem Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum pluries super hoc requisita semper respondit matrimonium fore inualidum, nisi contractum sit coram Parocho, vel Sacerdote ab ipso, vel Ordinario deputato. Huiusmodi declarationes expresse, & per extensum habentur apud *Farinacium in declarat. ad dict. cap. 1. Concil. Trid. sess. 24. de reformat. matrimonij*, apud quem videri possunt.

Difficultas solummodò aliqua est primò, an Parochus, qui sit solummodò Diaconus, possit delegare Sacerdotem ad assistendum matrimonijs suorum subditorum. Secundò, an, quamuis non possit deputare alium, qui sit simplicitèr Diaconus possit tamen deputare Diaconum, qui simul sit Parochus alterius Pareciæ.

3 *Parochus Diaconus potest deputare Sacerdotem.* In ordine ad primam dicendum est, absolutè Parochum, qui sit solummodò Diaconus, posse Sacerdotem delegare ad assistendum matrimonijs suorum subditorum. Consentiunt *Sanchez loc. quo supra, Manuel primo tom. summæ in secunda editione cap. 219. num. 9., & alij magis communitèr*. Ratio deducitur ex verbis eiusdem Concilij Tridentini, vbi, sicuti assignat pro assistendo Parochum simplicitèr sine vllo expressione qualitatis Sacerdotalis, & sine vlla penitus restrictione, ita assignat Sacerdotem deputatum à Parocho sine vlla expressione, quod hic sit Sacerdos, ergo, sicuti Parochus, qui non est Sacerdos, potest validè assistere, ità, quamuis non sit Sacerdos, potest delegare Sacerdotem

ad

ad validè assistendum, nam eadem facultas, quæ eidem conceditur ad validè assistendum, conceditur eodem iure delegandi Sacerdotem.

4 *Parochus Diaconus non potest deputare alium Parochum, qui solum sit Diaconus.*

In ordine ad secundam sentiendum absolutè est, quod siue Parochus proprius sit Sacerdos, siue simplicitèr Diaconus, non possit delegare alium, seu alienum Parochum, qui non sit Sacerdos, sed solum Diaconus: Consentiunt *Nauarrus cons. 6. num. 2. in secunda edit. de clandestin. despons., & in prima editione cons. 45. tit. de sponsal., Gutierez de matrimon. c. 62. n. 22., Franciscus Molinus de ritu nupt. difficult. 11. num. 133.* Ratio ex eo deducitur, quod *Concilium Tridentinum dict. cap. 1. sess. 24. de reformatione matrimon.*, ad validam assistentiam exigit, vel proprium Parochum, vel Sacerdotem ab ipso, vel Ordinario delegatum, ergo, qui non est proprius Parochus, nec Sacerdos non potest ad hoc munus delegari, quantumuis sit Parochus alterius Pareciæ. Neque dicas, *Concil. Trident. loco citato*, exigere Parochum indefinitè, non verè proprium Parochum determinatè, ergo, dummodò sit Parochus, quantumuis sit alterius Pareciæ, & non Sacerdos, potest validè assistere; contra enim impugnaberis primò, quia hoc argumentum nimis probat; probat etenim, quod quicunque Parochus etiam sine delegatione posset validè assistere etiam matrimonijs suorum non subditorum, quandoquidem loquendo de assistentia absolutè notat præcisè Parochum sine limitatione. Secundò, quia, quamuis Concilium in illo decreto mentionem non fecerit Parochi proprij, sed Parochi indefinitè, nihilominus attentis præcedentibus, & subsequentibus intelligendum est locutum de proprio, nam in præcedentibus *eodem cap. 1. sess. 24.*, præcepit Sancta Sinodus, vt matrimonium coram proprio contrahentium Parocho denuntietur; rursus in subsequentibus præcipit, vt benedictiones fiant à proprio Parocho, ergo, & ipsum decretum irritans debet intelligi restrictum ad proprium Parochum; clausula etenim non ità expressè posita debet intelligi ad normam præcedentium, & subsequentium. Vide, quæ latè diximus *d. tom. 6. de matrimon. 1. prænot. 34. per totum.*

Solutio argumenti oppositi.

ARTICVLVS VII.

An promotus ad Subdiaconatum sine titulo, vel cum titulo, sed eodem euicto possit tuta conscientia ad Superiores Ordines promoueri.

SVMMARIVM.

Promotus ad Subdiaconatum sine titulo afficitur suspensione innouata per Concilium Tridentinum. 1.

Sententia asserens sic suspensum; & absolutum posse sine alio ad superiores ordines promoueri. 2.

Probabilius, si fuerit culpabilitèr promotus, quantumuis absolutus non potest sine nouo titulo promoueri ad superiores ordines. 3.

Promotus ad titulum, quem probabilius norit obnoxium euictioni, eo euicto non potest ad superiores ordines promoueri. 4.

Etiamsi bona fide crediderit illum titulum esse certum, & non euincendum. 5.

SVpposito ex dictis *in prima parte de ordinibus in communi quæst. 3. art. 23.* ordinatum culpabilitèr sine titulo afficitur suspensione illata *in cap. neminem, & cap. sanctorum distinct. 70.*, quæ licet fuerit sublata per Innocentium III. *in cap. cum secundum Apostolum de Præben.*, videtur tamen innouata *per Concilium Tridentinum cap. 2. sess. 21. de reformatione* per illa verba: *Antiquorum Canonum pænas super his innouando*, a qua pæna non videntur posse eximi, nisi per Romanum Pontificem. Quia tamen plerique dubitant de tali renouatione volentes verba Concilij referri solum ad ordinantes, non ad ordinatos sine titulo, ideò in pluribus Episcopatibus, & Prouincijs per Sinodales, & Prouinciales Constitutiones expresse habentur huiusmodi suspensiones contra ordinatos sine titulo, & signantèr *Neapolim*, vt testatur *Genuensis in praxi Neapol. cap. 81., Hic Mediolani in Concil. Prou. 6. in tit., quæ ad ordines; Bononiæ in memoriali sciendorum à Clericis in tit. de suspensione cap. 3. num.* 8. Supposita iam tali suspensione, vel de iure communi renouata *à Concil. Trident. loc. cit.*, vel de iure municipali in diuersis Episcopatibus, & Prouincijs, & item supposito, quod ordinatus sine titulo absolutus fuerit ab eadem (si sit de iure communi) per Romanum Pontificem, (vel si fuerit tantum de iure municipali) per proprium Episcopum sine alia expressione, oritur modo difficultas, an sic ordinatus, & absolutus possit nullo titulo acquisito promoueri

1 Promotus sine titulo afficitur suspensione.

Ratio dubitandi pro prima parte.

ueri ad ordines superiores, & hoc spectat ad primam tituli partem.

Ratio dubitādi pro secunda. Quoad secundam suppono, quod quis fuerit promotus ad Subdiaconatum ad titulum patrimonij, &, antequam promoueretur ad Diaconatum, fuerit tali titulo spoliatus, quatenus bona supposita eidem titulo fuerint euicta, & tunc quæro, an sic promotus ad Subdiaconatum possit sine alio titulo tuta conscientia ad Diaconatum, & Sacerdotium promoueri.

2 *Sententia asserens sic suspensum, & absolutū posse ad altiores ordines ascendere.* In ordine ad primam partem tituli non defuerunt teste *Homobono tract. 4. de art. circa examen ad Diacon. cap. 7. quæst. 59.*, aliqui Iuristæ in Hispania, qui aperto ore asseruerunt, posse sic ordinatum, & absolutum tuta conscientia, & sine periculo censuræ ad Diaconatum promoueri addita ratione, quia, postquam sacri Subdiaconatus Ordine initiatus est non decet aliquam vilem artem exercere, & ipse Ordo Sacer videtur sufficiens titulus ad superiorem ordinem suscipiendum. Sed contra

3 *Probabilius nō potest sine nouo titulo promoueri ad superiores ordines.* Assertio I. Ordinatus sine titulo culpabilitèr, & à suspensione indè contracta absolutus, siue à Pontifice, siue à proprio Episcopo sine alia expressione non potest sine titulo acquisito promoueri ad superiorem ordinem, & si promoueatur, nouam contrahit suspensionem. Consentiunt *Auila tertia part. disp. 5. dub. 6.*, *Suarez tom. 5. disp. 31. sect. 1. num. 39.*, *Henriquez de suspensione cap. 37. num. 2. in fin.*, *Garzias de beneficijs part. 2. cap. 5. num. 121.*, *Quaranta verb. ordo vers. an verò*, *Molfesius tract. 2. cap. 15. num. 10.*, *Bonacina de ord. disp. 8. quæst. vnica punct. 5. num. 22.*, *Homobonus loc. cit.*, qui istos omnes allegat. Ratio ex eo deducitur, quod talis noua promotio post absolutionem à censura cōtracta ex vi prioris promotionis obstat, & fini, & verbis legum prohibentium quemquam promoueri sine titulo, & irrogantium pœnam suspensionis contra sic promotos, ergo non est, cur promotum tali superiori ordine non debeat afficere noua pœna suspensionis. Antecedens quoad primam partem de fine legis sic euincitur, quia finis huiusmodi legis est, ne promotus sacris ordinibus contra decentiam proprij status sit obnoxius periculo emendicandi, vel sordidam artem exercendi, & ideò iura per censuram suspensionis à tali promotione conantur auertere eo autem ipso quo quis est destitutus titulo, se promouere facit ad ordinem superiorem fit obnoxius tali periculo, ergo &c. Neque dicas. Iam per ordinem susceptum Subdiaconatus est constitutus in tali periculo, cum careat titulo, & est constitutus in Ordine Ecclesiastico irreuocabilitèr, à quo non potest amplius recedere. Quid iam refert, quod, vel in solo Ordine Subdiaconatus permaneat, vel ad superiorem etiam promoueatur? Contra enim impugnaberis, quia licet per Ordinem Subdiaconatus sit irreuocabilitèr constitutus in statu Ecclesiastico, à quo non possit recedere, & factus sit obnoxius periculo emendicandi, maior tamen est indecentia status, si in maiori ordine constitutus teneatur sordidè viuere; quo maior enim est dignitas, eo maior est indecentia in turpi arte, & in quæstuoso victu. Antecedens item quoad secundam partem probatur, quia iura simplicitèr prohibent sine vllo titulo suscipere Ordinem Sacrum non restrictiuè ad Subdiaconatum, sed ampliatiuè ad quemcumque Ordinem Sacrum; vndè *Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reformatione*, loquitur distributiuè, & in plurali numero. Ibi, *ne quis Clericus sæcularis ad Sacros Ordines, promoueatur &c.* *Soluitur instantia opposita*

Nec obstant, quæ ex Iuristis Hispaniæ afferebantur, quia ex eo, quod non deceat Sacro Subdiaconatus ordine initiatum aliquam vilem artem exercere, non sequitur, quod possit sine titulo ad superiorem gradum ascendere, quinimmò, quod teneatur potius ab illo ascensu remoueri; si enim non decet Subdiacono hanc artem exercere, multominus Diacono, vel Sacerdoti, & ex eo, quod sit promotus ad Subdiaconatum, non eximitur, si non habeat titulum, à statu, quo possit esse obnoxius quæstui, vel sordidæ arti exercendæ, cui etiam subderetur, si sine eodem titulo promoueretur ad Diaconatum. Ad illud, quod subditur, quod ipse Ordo Sacer Subdiaconatus sit sufficiens titulus ad superiorem ordinem suscipiendum, dicendum est gratis omninò hoc asseri, siquidem titulus requisitus ad promotionem Ordinum Sacrorum debet esse ad temporales prouentus, quibus ordinandus possit honestè viuere; Sacer autem Ordo secundum se non confert titulum ad temporales prouentus. *Soluuntur rationes sententiæ opposita.*

In ordine ad secundam tituli partem aduertendum est, an promotus ad titulum patrimonij nouerit, antequam promouetur, talem titulum esse obnoxium euictioni, an verò nullum onus futuræ euictionis in ipso agnouerit, sed crediderit pleno iure sibi competere, ex hac etenim diuersa aduertentia oriri possunt diuersæ rationes decidendi. Hinc fit

Assertio II. Si quis promotus fuerit ad Subdiaconatum ad titulum patrimonij, quem cum prudenti credulitate nouerit obno-

obnoxium euictioni, & postea hic de facto fuerit euictus, non potest sine nouo titulo ad superiorem ordinem promoueri. In hoc consentiunt *Homobonus tract. 4. de art. circa exam. ad Diacon. cap. 7. qu. 59.*, *Quaranta verb. ordo vers. an verò*, vbi asserit, se accepisse à quodam grauissimo Doctore ità in facti contingentia fuisse obseruatum.

4 *Promotus ad titulum quem norit esse obnoxium euictioni, & euicto non potest promoueri.*

Hoc in primis moneo ex dictis *in prima part. de ordinibus in communi quaest. 3. art. 26. vers. defectu pacificæ possessionis*, congruè quemquam non ordinari ad titulum patrimonij litigiosi, seu litibus obnoxij, nam posset contingere, quod in lite succumberet, & constitueretur in statu, quo non haberet, vndè honestè viueret, & teneretur contra decentiam status mendicare, vel sordidam artem exercere. Ex quibus sequitur, quod, si non potest ad illius titulum ordinari, quando adhuc bona tituli non fuerunt euicta, cum adhuc in lite non succubuerit, multominus possit ordinari in superiori ordine, quando illa bona iam fuerunt euicta, vndè clarum videtur, quod sine nouo titulo non possit ad eundem superiorem ordinem ascendere, cum primus titulus per euictionem iam euanuerit.

Rationes pro asserto.

Deindè directè assertionem sic probo: Non sine culpa hic destitutus remanet iusto titulo requisito ad promotionem ad superiorem ordinem, ergo ad eundem sine nouo titulo non potest iustè promoueri. Antecedens probatur, quia sciens substituit priori Ordini Subdiaconatus titulum non sufficientem ad talem promotionem, adeoque culpabilitèr ad illum fuit promotus, & proindè perindè est, ac si sine iusto titulo fuerit promotus, ergo, si fuerit per euictionem illo priuatus, non poterit ad superiorem ordinem promoueri.

Assertio III. Si fuerit promotus cum bona fide ad Subdiaconatum credens patrimonium esse certum, nullisque litibus obnoxium, & deindè superueniente lite bona eidem supposita fuerint euicta, non potest sine nouo titulo ad superiorem ordinem ascendere. Consentiunt in hoc *Homobonus, & Quaranta loc. supra citatis*.

5 *Etiamsi bona fide crediderit illũ titulum esse certum, nec euincendum.*

Ratio ex eo deducitur, quia, quamuis hic bona fide fuerit Subdiaconus ordinatus, post euictionem tamen bonorum caret titulo requisito a iuribus ad promotionem in ordinibus sacris, quæ iura non præcisè attendunt ad culpam, sed ad carentiam bonorum; finis etenim eorum est, ne quis in ordinibus sacris constitutus teneantur sordidam vitam ducere; sed in hac hypothesi euictionis bonorum post susceptum Ordinem Subdiaconatus sic promotus caret titulo, & iure ad temporales prouentus, quibus decentèr possit viuere, ergo sine nouo titulo non poterit ad superiores ordines promoueri. In hac tamen hypothesi non prohiberetur ad superiorem ordinem ascendere, ratione alicuius suspensionis antecedentèr contractæ in susceptione præcedentis ordinis, cum fuerit susceptus cum iusto titulo præsumpto, cum pæna suspensionis non possit esse sine culpa, quæ in sic promoto considerari non potest, sed ratione defectus iusti tituli.

ARTICVLVS VIII.

An promotus non sub iusto, sed ficto titulo patrimonij ad Ordinem Diaconatus, & Presbiteratus possit ab Episcopo habilitari ad executionem talium Ordinum.

SVMMARIVM.

Sententia Quarantæ asserentis, quod, si titulus fictus fuerit occultus, possit per Episcopum sic promotus habilitari, & dispensari, vt in suscepto ordine possit ministrare. 1.

Episcopus non potest habilitare ad ordinem superiorem sine nouo titulo. 2.

Si quis fuerit ordinatus Sacerdos cum ficto titulo non potest Episcopus sine nouo titulo cum ipso dispensare, vt ministret in suscepto ordine. 3.

QVaranta verbo ordo vers. an verò*, sentire videtur, quod, si occultum fuerit, quod fuerit promotus cum ficto, & non cum iusto titulo, possit per Episcopum habilitari, & dispensari, vt in susceptis ordinibus possit ministrare, & hoc vigore *Concilij Tridentini sess. 24. de reformatione cap. 6.*, vbi datur facultas Episcopis circa irregularitates suspensiones dispensationes &c., ex delicto occulto prouenientes. 1

Sententia asserens, si res sit occulta posse Episcopum dispensare.

Sed in hoc consideranda veniunt duo, & ipsa suspensio, & causa suspensionis, quæ causa consistit in carentia iusti tituli; vndè difficultas proposita pendet ex eo, an *Concilium Tridentinum loco citato*, per illam facultatem, quam concedit Episcopis circa irregularitates, & suspensiones prouenientes ex delicto occulto concedat remittere illam irregularitatem, seu suspensionem remota causa, ex qua orta est; an verò absolutè etiam non remota causa.

Et quidem, si loquamur præcisè de promoto ad Diaconatum sine iusto, sed ementito titulo patrimonij certum omninò videtur, Episcopum non posse ipsum habi-

habilitaret ad recipiendum Ordinem Presbiteratus sine nouo titulo, siue patrimonij veri, siue beneficij ex generali regula, qua quis prohibetur ad Sacros Ordines promoueri sine iusto titulo; hic autem, licet iam promotus ad Ordinem Diaconatus, careret iusto titulo, cum ille ad quem promotus est, sit ementitus; nec in hoc facultatem habet dispensandi Episcopus *per textum in cap. si quis ordinauerit de simonia*, sicuti non habet promouendi aliquem ad Subdiaconatum, quem norit carere iusto titulo; vndè facultas data à Concilio Tridentino circa irregularitates, & suspensiones ex delicto occulto prouenientes est solummodò, quando illæ non habent causam perseuerantem, & proueniunt solummodò ex aliqua actione iniqua, non perseuerante causa, cum autem in hac hypothesi perseueret causa, ob quam non potest ad superiorem gradum promoueri, non potest Episcopus super suspensione contracta dispensare, nisi remoueatur illa causa per inductionem noui veri, & realis tituli.

2 *Episcopus non potest habilitare sine nouo titulo.*

3 Maior difficultas versatur, quando iam quis ementito titulo ordinatus est Subdiaconatus, Diaconus, & Sacerdos, quia tunc, cum non superfit alius ordo, ad quem possit promoueri, videtur solummodò indigere absolutione super censura iam contracta, cum non indigeat ad superiorem gradum ascendere. Nihilominus probabilius sentiendum est, Episcopum non posse habilitare ad executionem Ordinis Sacerdotalis, seu eiusdem munerum, nisi accedente nouo titulo, vel eidem constituto benefitio. Ratio ex eo deducitur, quod suspensio contracta ex causa regulariter non tollitur, nisi remota causa; nec arbitrandum est Concilium Tridentinum loco citato, quod eandem suspensionem saltem renouando antiquum ius *in c. neminem, & c. sanctorum distinct. 70.*, induxit, ex causa carentiæ tituli voluerit eandem relaxari perseuerante eadem carentia; hinc in plerisque videmus idem Concilium, aliaque iura semper statuere non posse cessante titulo quem promoueri, seu dispensari in executione ordinum susceptorum, nisi nouo titulo accedente; sic *idem Concilium sess. 21. c. 2. de reformat.*, prohibet alienari vel extingui patrimonium, nisi conferatur beneficium Ecclesiasticum, vel habeat promotus, quo commodè viuere possit; vndè diximus *prima part. de ordinibus in communi quæst. 3. art. 29. vers. probabilius sentio*, quod illa particula *donec*, quæ est apposita *in dicto cap. 2. sess. 21. de reformatione Concilij Tridentini*, non stet restrictiuè ad tempus, sed suspensiuè relatiuè non solum ad acquisitionem beneficij, sed etiam ad facultatem Episcopi, adeo vt sine consecutione beneficij, & facultate Episcopi patrimonium non possit remitti, nec alienari; ex quibus deduco, quod Episcopus, vt possit habilitare, exigat, vt habilitandus habeat nouum titulum; si etenim Episcopus non potest dispensare, nisi acquisito nouo beneficio, vel titulo, quando alienandum est patrimonium, ita nec videtur posse dispensare, quando patrimonium non est subsistens, sed fictum, nisi accedat nouus titulus. Id ipsum adstruunt omnia iura, quæ non concedunt facultatem dispensandi, quando titulus est ementitus, & fictus, sine nouo titulo, vel beneficij, vel patrimonij.

Nec dispensare, vt ministret in suscepto ordine.

Suspensus ex causa nō dispensatur, nisi remota causa.

Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur, quod scilicet, cum non habeat alium gradum, ad quem possit ascendere, non indigeat, nisi absolutione super suspensione contracta, quæ, cum sit ex delicto occulto, cadit super facultate Episcopis concessa à Tridentino. Non obstant, inquam, quia sic promotus non solum indiget absolutione, & dispensatione, vt possit ad gradum superiorem ascendere, quando ad illum promotus non est, sed etiam iisdem indiget, vt possit in ordine supremo ministrare, quandò ad illum promotus est; iura autem eandē facultatem, quam requirunt ad dispensandum, vt quis promoueri possit ad ordinem superiorem non susceptum, requirunt ad administrandum in suscepto. Cum igitur requirant in promoto ad Diaconatum sine iusto titulo, vt habeat nouum iustum titulum, vt Episcopo dispensante possit ad Sacerdotium ascendere, ità requirunt in promoto ad Sacerdotium sine eodem iusto titulo, vt habeat nouum iustum titulum, vt Episcopo dispensante possit in illo ministrare.

Soluuntur rationes oppositæ

ARTICVLVS IX.

An Diaconus promotus per saltum non recepto Subdiaconatu obligetur ad omnia onera, ad quæ obligatur Subdiaconus.

SVMMARIVM.

Rationes suadentes sic per saltum promotum, non teneri ad onera Subdiaconatus. 1.

Probabilius obstringitur huiusmodi oneribus. 2.

Iura, quibus innititur assertum. 3.

Ordinibus sacris est annexum onus recitandi Horas Canonicas. 4.

Onus continentiæ primitus erat annexum Ordini

dini Diaconatus, & Sacerdotij. 5.
Priuatio exercitij ordinis non priuat oneribus ordini annexis. 6.

1 *Rationes suadentes sic promotum non teneri ad onera Subdiaconatus*

COmmunitèr statuunt DD., vt nos etiam probauimus in præcedentibus, Ordini Subdiaconatus annexa esse duo onera, alterum voti castitatis, alterum recitandi Horas Canonicas. Modo difficultas examinanda insurgit, an, si quis non receperit Subdiaconatum, cui annexa sunt hæc onera, sed per saltum Diaconatum susceperit his oneribus obstringatur. Ratio dubitandi ex eo oritur, quia non legitur hoc onus annexum Ordini Diaconatus, sed dumtaxat Subdiaconatus; item ex eo, quod per saltum promotus ad Diaconatum priuetur muneribus eiusdem ordinis, ergo non debet eiusdem oneribus obstringi; si enim gaudere non potest ijs, quæ sunt propria ordini, nec eis oneribus premi congruè videtur, quibus ordo premitur. His tamen non obstantibus sit

Assertio. Promotus per saltum ad Diaconatum adhuc obstringitur oneribus recitandi Horas Canonicas, & seruandi continentiam.

2 *Probabilius obstringitur huiusmodi oneribus*

Probatur primò, quia continentiæ votum potissimum est annexum Diaconatui, & Presbiteratui etiam independentèr à Subdiaconatu, vt colligitur primò ex Concil. Cartaginense II. can. 2. Ibi - *omnibus placet, vt Episcopi, Presbiteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Secundò ex c. Diaconis distinct. 27. Ibi - *Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit se in castitate non posse manere, hic non ordinetur; quod, si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit, sit alienus à ministerio, & vacet à Clero*, ex quibus iuribus clarè conijcitur Diaconatui esse affixum onus continentiæ.

3 *Iura quibus innititur assertum.*

4 *Ordinibus sacris est annexũ onus recitandi Horas Canonicas.*

Probatur secundò, quia onus recitandi Horas Canonicas est annexum singulis Ordinibus Sacris, vt colligitur primò ex *Concil. Basiliensi sess. 21. sub tit. qualitèr extra Chorum Horæ Canonicæ dicendæ sint*; vbi sic legitur: *Quoscunque alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos cum ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc Sancta Sinodus*, vbi vides, quod hoc onus non soli Subdiaconatui, sed omnibus sacris ordinibus sit annexum. Secundò *ex cap. Presbiter distinct. 91., & cap. 1. de celebratione Missarum*; vbi agnoscitur hoc onus solum in Presbitero, ex quo ego sic infero ergo, si postea hoc onus transfusum est etiam in Subdiaconum, à fortiori debet intelligi transfusum etiam in Diaconum, qui mediat inter Sacerdotem, & Subdiaconum.

Probatur tertiò in vniuersum *ex cap. nullus in Episcopum distinct. 70.*, vbi sic legitur: *Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, & Presbiteratum. Hos, siquidem solos primitiua legitur habuisse Ecclesia*; cuius rationem reddunt DD., quia scilicet in primitiua Ecclesia soli Diaconi, & Presbiteri afficiebantur voto continentiæ, quo Deo sacrabantur, & onere Horas Canonicas recitandi, ergo ex vi Diaconatus præscindendo etiam à Subdiaconatu oritur obligatio seruandi continentiam, & Horas Canonicas recitandi.

Neque obstant, quæ ex aduerso afferebantur; non primum, quia, vt iam constat ex dictis, Ordini Diaconatus primitus erant annexa huiusmodi onera, quæ postea extensa sunt etiam ad Subdiaconatum, qui proindè cæpit esse sacer per textum *in cap. ante triennium distinct. 31. cap. nullum distinct. 28. cap. erubescant distinct. 32.* Hoc simul, & assertionem nostram clarius euincit *Leo 1. in Epistola 83. cap. 4. ad Anastasium Episcopum Thesalonicensem*, vbi sic loquitur. *Quod, si in hoc ordine* (loquitur de Subdiaconatu,) *qui quartus est* (comprehendit inter ordines etiam Episcopatum) *à capite dignum est custodiri* (continentiam) *quanto magis in primo, secundo, vel tertio quoque seruandum est? Ne, aut Leuitico ministerio, aut Presbiteri honore, aut Episcopi excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria, nec dum frenasse detegitur*. 5 *Onus continentiæ primitus erat annexũ Diaconatui, & Sacerdotio.*

Non secundum, quia onus seruandi continentiam, & recitandi Horas Canonicas non est propter munera, sed propter ordinem receptum; nec ex eo, quod priuetur muneribus, seu exercitio munerum ordinis per saltum recepti, sequitur, quod liberetur ab oneribus eiusdem; nam priuatio huiusmodi exercitij est in pænam indignæ susceptionis; nec ex eo, quod sic promotus afficiatur tali pæna, sequitur, quod sit exonerandus grauaminibus annexis ordini; cæteroqui ex sua nequitia commodum reportaret; sic ex eo, quod quis ratione censuræ contractæ priuetur exercitio ordinum, quos habet, non propterea eximitur ab onere seruandæ continentiæ, & recitandi Horas Canonicas, & in hoc conueniunt communitèr DD. 6 *Priuatio exercitij ordinis nõ priuat oneribus ordini annexis*

AR-

ARTICVLVS X.

An Diaconus aliqua censura, vel irregularitate irretitus possit in suo ordine ministrare ad euitandam notam infamiæ.

SVMMARIVM.

Procedit in suppositione, qua alitèr, quam ministrando possit vitare infamiam. 1.

An impedimentum exercitij ordinis ratione censuræ proueniat à iure naturæ, an tantum à iure positiuo. 2.

Prouenit tantum à iure positiuo. 3.

Affectus eadem censura ad vitandam infamiam potest in proprio ordine ministrare. Ibidem.

Argumentum efficax à paritate desumptum. 4.

1 *Supponitur, quod alitèr nequeat vitare infamiã.* SVppono, quod alitèr non possit vitare infamiam, nisi in ordine suscepto ministret, si etenim posset alitèr eandem sine scandalo vitare, certum est, quod debeat abstinere ab exercitio eiusdem ordinis, cum nulla subesset causa, quæ eum excusare posset à culpa in exercitio. Hoc igitur supposito quæritur, an extante tali periculo infamiæ possit tuta conscientia exercere munera eiusdem ordinis.

2 *An impedimẽtũ exercitij ratione censuræ proueniat à iure naturæ.* Difficultas potissimum pendet ex eo, an supposita tali censura impedimentum ad tale exercitium proueniat ex natura rei, & ex iure Diuino, an tantum à iure positiuo Canonico; si etenim oritur ex natura rei, & ex iure Diuino certum videtur, quod ad euitandum graue damnum, vel in bonis honoris, & famæ, vel etiam in bonis vitæ non possit opus tali iure prohibitum exercere; sic non licitum est mentiri, nec falsum iurare ad seruandam vitam, vel honorem; si verò oriatur tantum à iure positiuo, certum etiam videtur, quod ad euitandam talem infamiam possit in ordine suscepto ministrare, quia ius positiuum non obligat cum tanto discrimine, & damno.

3 *Prouenit tantum à iure positiuo.* Dico igitur in tali hypothesi impedimentum oriri tantum ex iure positiuo, & propterea Diaconum in proprio ordine ministrantem eximi à culpa, & à quacunque pæna. In hoc consentit *Homobonus tract. 4. de art. circa examen ad Diaconatum cap. 7. quæst. 58. vers. ad secundam quæstionem respondeo*. Ratio primæ partis, ex qua dependet probatio secundæ, ex eo deducitur, quia ipsa censura dependet tantum à iure positiuo Ecclesiastico, ergo effectus eiusdem, qualis est impedimentum ad exercitium ordinis, erit tantum ex eodem iure Ecclesiastico; ex eodem etenim fonte promanat effectus, ex quo promanat causa. Ratio secundæ partis est, quia lex naturalis de tuenda fama omni humana lege potior est: quinimmò, nec lex humana intelligitur obligare cum graui discrimine etiam rerum merè temporalium, & multominus cum iactura famæ, & honoris, quæ præferenda sunt bonis fortunæ, & præsertim in personis Ecclesiasticis, quibus præcipuè debet esse cura de bono nomine per textum *in cap. non sunt audiendi 13. quæst. 3.*, cum bona fama ad Dei honorem, & proximi salutem procurandam eis necessaria sit; & propterea honor, & vita in iure æquiparantur per textum *in l. iuxta, ff. de manum. vind.*, *Menochius lib. 6. de præsumpt. præsumpt. 49.*, *Nauarrus cap. 27. num. 239.* *Affectus eadẽ potest ministrare.*

4 *Argumentum efficax à paritate.* Ad hæc confirmanda plurimum facere possunt ea, quæ tradunt *Suarez tom. 4. disp. 31. sect. 1.*, *Reginaldus lib. 8. cap. 6. num. 87.*, nempè in casibus infamiam, & scandalum afferentibus posse quem manente censura absolui a peccatis, si alias dispositus sit, per quemlibet confessarium accepta tamen promissione, quod, cum primum ei licebit, superiorem pro absolutione censuræ adibit, qui etiam eam rationem reddunt, quia excommunicatio, seu censura de se non facit hominem ità ab intrinseco incapacem absolutionis, vt nulla prorsus de causa id licitè possit fieri; cum non sit consentaneum Ecclesiam, quando censuram imponit, agere tanta seueritate cum filijs, vt interueniente iusta causa, potissimum seruandæ famæ velit eis negare, vt non possint opera cæteroqui tantum ab eadem Ecclesia prohibita exercere. Si ergo ad euitandam infamiam possunt validè Sacramenta recipere, non video, cur non possint opera exercere, quæ secundum se non sunt Sacramenta.

QUÆSTIO VIII.

De Ordine Presbiteratus.

IAm metam attingimus. Omnes Ordines, de quibus hactenus egimus, ordinantur ad confectionem Eucharistiæ, cuius potestas solum residet in Sacerdotio. De hoc nunc agendum est, & in eodem insistendum, tanquam in principali analogato, quod, quamuis sit vltimum in executione, est tamen primum in intentione, & in dignitate. Eius originem, institutionem, quidditatem, munera, onera, effectus, concomitantia, & consequentia adamussim examinabimus reseruantes ea, quæ ad sacrificium Missæ pertinent, ad specialem tractatum, quem in alio volumine instituemus, in quo cuncta ad ipsum pertinentia ex professo diluemus.

ARTICVLVS I.

De Nomine, Institutione, & Quidditate Sacerdotij.

SVMMARIVM.

Sacerdos vndè dictus. 1.
Dicitur ab aliquibus talis tanquam sacra dans. 2.
Secundum alios idem sonat, ac sacra dos, & quare. 3.
Secundum alios idem, ac sacer dux. 4.
Secundum alios idem, ac sacra docens. 5.
Omnes hæ denominationes rectè competunt Sacerdoti. 6.
Hic ordo institutus est in vltima cœna, quando instituto Sacramento Christus dixit Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem. 7.
Quandonam collata fuerit potestas in Corpus misticum. 8.
Eliditur error Lutheranorum asserentium omnes per Baptismum constitui Sacerdotes. 9.
Textus sacræ scripturæ quoquo modo appellantes fideles Sacerdotes intelligendi sunt de Sacerdoto spirituali. 10.
Definitio propria Sacerdotij. 11.

NOmen Sacerdotis iuxtà varias ethimologias a DD. accipitur; alij etenim voluerunt idem sonare, ac dantem sacra, & hoc ea ratione, qua Sacerdotibus in Ecclesia Dei non solum conuenit Sacramenta ipsa conficere, & consecrare, sed etiam populo illa præbere, & ministrare, prout habetur *in cap. Cleros distinct.* 21., & tradunt *D. Thomas in quarto distinctione 4. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad primum, Diuus Antoninus tertia parte tit. 14. cap. 7. §. 1.* 1 *Sacerdos, vndè dictus.*

Alij dixerunt, Sacerdotem idem sonare, ac *sacra dos* sonet; ipse etenim caracther Sacerdotalis videtur quædam specialis dos, qua anima ordinati insignitur, & fit quodamodo sponsa Christi Domini specialitèr deputata ad generandos eidem filios per lauacrum regeneratiuum Baptismi, aliaque Sacramenta; vndè in ipsis etiam abundare debet iustitia, & sanctitas iuxtà illud *Regij Vatis Psalm. 131. Sacerdotes tui induantur iustitiam*, vt filios spirituales simili dote possint, & exemplo, & doctrinis locupletare. 2 *Idè sonat secundum aliquos tanquā sacra dans.*

Alij voluerunt, hoc nomen Sacerdotis idem significare ac sacrum ducem; In Ecclesiastica enim hyerarchia, in qua varij ordines militant, ipsi Sacerdotes se habent tanquam duces, qui præsunt spirituali militiæ dirigentes populos ad spiritualia certamina contra spiritualia nequitiæ, contra rectores tanebrarum harum; nam, sicuti, dux in militari exercitu militias dirigit ad pugnā exhortando ad victoriam de hostibus reportandam, ità Sacerdos in spirituali militia debet ipsi militiæ adscriptos dirigere ad fortitèr contra Diabolum, mundum, & carnem debellandos, illisque exemplo, & virtutibus præesse. 3 *Secundū alios idem, ac sacra dos.* 4 *Secundū alios idè ac sacer dux.*

Alij tandem voluerunt Sacerdotes dici quasi sacra docentes, quatenus eorum munus est populos instruere in Fidei Mysterijs iuxta illud Christi Domini *Matthæi 28. Euntes docete omnes gentes Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vndè etiam nos in præcedentibus docuimus, quod Stola, quam deferunt Sacerdotes pendentem à collo ad pectus significet munus prædicandi, quod ipsi competit, illa verò, quam Diaconus defert pendentem ad latus sinistrum significet quidem munus prædicandi, sed minus principalitèr. 5 *Secundū alios idè ac sacra docens.*

Hæ omnes denominationes rectè congruunt Sacerdotibus, cum vnaquæque earum importet aliquam Sacerdotij qualitatem, & munus ad ipsum pertinens, nulla tamen expresè importat principale eiusdem officium, quod est conficere Sacrosanctum Corpus, & Sanguinem Christi Domini. Prima tamen videtur proximius accedere ad eius quidditatem indicandam; regularitèr enim, qui dat, 6 *Omnes hæ denominationes rectè competunt Sacerdoti.*

seu

seu confert Sacramenta, & etiam conficit. Quod, si in Eucharistia, quæ non consistit in actione transeunte, sed in re permanente quandoque, qui ministrat non sit ille, qui conficit, cum ex superius dictis Diaconus possit etiam ministrare, hoc tamen non est ex officio proprio; sed ex quadam permissione, nam hoc est proprium Sacerdotis, & licet in matrimonio, ipse Sacerdos non det, nec conficiat Sacramentum, hoc tamen est speciale in hoc Sacramento propter rationem contractus, qui in eodem inuoluitur, & ideò dixi *regularitèr*.

7 *Hic ordo institutus est in vltima cæna*

Inquirendo iam institutionem, extra controuersiam est, quod Sacerdotium fuerit in vltima cæna institutum, quando Christus Dominus transiturus ex hoc Mundo ad Patrem. *Accepto pane gratias egit, fregit, deditque discipulis suis dicens. Accipite, & manducate hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem, & deindè accipiens Calicem &c.* Ex quibus verbis deducunt communitèr Doctores; quod tunc Christus Dominus instituerit Sacramentum Eucharistiæ per illa verba. *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus*, & constituerit Apostolos Sacerdotes per ly. *Hoc facite in meam commemorationem*.

8 *Quandonam collata fuerit potestas in Corpus misticum.*

Hic tamen aduertendum est, quod, cum Officium Sacerdotis non solum versetur circa Corpus reale Christi Domini, sed etiam circa Corpus misticum eiusdem non videatur illis per illa verba collata adæquata potestas in vtrumque, sed tantum in Corpus reale, quamobrem adhuc inquirendum remanet, quandonam sit collata potestas in Corpus misticum. Dicendum est, quod per illa verba. *Hoc facite in meam commemorationem*, licet formalitèr sit collata solummodò potestas in Corpus reale, sit tamen collata fundamentalitèr etiam potestas in Corpus misticum, quatenus hæc fundatur in prima potestas; postea formalis in Corpus idem misticum tunc collata sit, quando Ioannis 20. post Resurrectionem Christus Discipulis apparuit, *insuflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*.

9 *Error Lutheranorum asserentium omnes per Baptismum constitui Sacerdotes*

Hinc Lutheranorum corruit error, qui ore nimis lubrico asserunt, tunc Christum non constituisse Sacerdotes; sed omnes fideles constitui Sacerdotes per Baptismum; omnes etenim ex ipsorum sententia Baptizati, siue fuerint pueri, siue etiam fæminæ, Sacerdotes creantur, qui tamen omnes non possunt exire in executionem huius potestatis, nisi deputentur à publico. Hoc tradit *Lutherus lib. de captiu. Babil. c. de ordine, & cap. de abroganda Missa*. Fundamentum perfidus hic hæresiarcha huius sui erroris desumit ex verbis Epistolæ primæ *D. Petri cap. primò*, vbi loquens ad omnes fideles dicit. *Tanquam lapides viui super ædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum*, & infrà *Vos genus electum, Regale Sacerdotium*, & ex illo Apocalipsis 5. *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes &c.*

Confutatur hic error.

Corruit, inquam, quia, quando Christus Dominus Eucharistiam instituit, & iussit hanc fieri in eius commemorationem, selegit ab vniuerso populo Discipulos suos, & cum eis est collocutus, dicens *hoc facite in meam commemorationem*; hoc autem inanitèr fecisset, si vniuersi fideles ex vi Baptismi hæc possent præstare. Deindè ex sacris paginis constat satis apertè, non omnes Baptizatos posse præstare hoc munus, sed eos dumtaxat, quos Deus elegerit; vt patet ex illo ad Hæbræos 5. *Nemo sibi assumit honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, & ex illo ad Ephesios 4. *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ?* vndè etiam in veteri testamentis non omnes erant Sacerdotes, sed solum aliqui de genere Aaron specialitèr à Deo electi.

Nec obstant Scripturæ loca, quæ perfidus Lutherus in confirmationem suæ peruersitatis adducit. Non illud D. Petri, quia ibi hic loquitur non de Sacerdotio visibili, sed de spirituali, quo vnusquisque fidelis hostias spirituales hoc est pios voluntatis affectus, pia desideria, & laudes Deo offert; de quo spirituali Sacerdotio dicit Dauid. *Sacrificium laudis honorificauit me*, & item *Sacrificium Deo spiritus contribulatus &c.* Non secundum desumptum ex Apocalypsi, quia ibi Euangelicus Propheta loquitur non de hoc Sacerdotio visibili, quod exercetur in terris, sed de Sacerdotio Beatorum, quo omnes laudes Deo offerunt. 10

Explicatur textus sacræ scripturæ.

Quoad tertiam tituli partem, si loquamur de quidditate Physica, erit latè sermo infrà, dum agemus de materia, & forma huius supremi Ordinis, quæ sunt partes Physicè constituentes; si verò loquamur de quidditate quodamodo Metaphysica, nihil aliud hæc est, quam potestas, per quam ordinatus in Presbiterum potest Panem in Corpus, & Vinum in Sanguinem Christi consecrare, Deoque sacrificium facere, & Ecclesiastica Sacramenta fidelibus administrare; sed cum in hoc ordine duplex potestas cōferatur, ideò vtramque complectendo breuiùs possumus dicere esse, potestatem spiritualem in Corpus reale, & misticum Christi 11

Definitio propria Sacerdotij

Do-

Domini; reale, inquam, quatenus potest illud conficere, & ministrare; misticum, quatenus potest fideles, qui illud constituunt, à peccatis absoluere, eosque ligare &c.

ARTICVLVS II.

De Dignitate Sacerdotum nouæ legis, eorumque discrimine à Sacerdotibus veteris Testamenti.

SVMMARIVM.

Præclara nomina, & dotes Sacerdotum. 1.
Commendationes SS. PP. dignitatis Sacerdotij. 2.
Sacerdotes legis gratiæ præferuntur antiquis ratione institutionis. 3.
Item ratione effectuum in electione. 4.
Item in munere ratione rei oblatæ. 5.
Item ratione effectuum. 6.

1 *Præclara nomina, & dotes Sacerdotum.* PLenæ sunt sacræ paginæ, Sanctorumque PP. Codices, & Conciliorum sanctiones, quibus Sacerdotum dignitas exaltatur, eorumque præconia celebrantur; Hinc *Siricius Epist. 3. cap. 3.*, hanc dignitatem non terrenam, sed cælestem appellat; hinc Sacerdotes dicuntur speculum omni populo *Felix II. Epist. 2.* Patres spirituales populorum *Clemens Papa lib. 2. Constitut. Apost. cap. 33.* Præstantiores Regibus idem *Clemens ibidem cap. 34.* Patres, & Magistri Regum, & Principum *Gregorius VII. lib. 8. Epist. 21.*, *textus in cap. quis dubitat distinct. 96.* Troni Dei *Gregorius IV. Epist. vnic. in fin.* Hinc ab alijs vocantur Dij terræ, Angeli Domini exercituum, Ecclesiæ speculatores, oculi Episcoporum, columnæ templi, lux Mundi, lucerna accensa, Diuinæ voluntatis Iudices, fidelium duces &c.

2 *Commēdationes egregiæ SS. PP. Sacerdotalis dignitatis.* Hanc Sacerdotalem dignitatem summis præconijs exaltant *D. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali S. Leo Epistol.* 87. *ad Episcop. Affricanos, S. Ephrem lib. de Sacerdotio, Nicolaus Papa I. in Epist. ad Imperat. Michaelem, & alij.* Placet inter cæteros D. Augustini recitare sententiam, qua exclamat, O admirabilis Sacerdotum dignitas, in cuius manibus veluti in vtero Virginis Filius Dei incarnatur! Hanc optimè norit D. Franciscus, de quo legitur tantum honorem, & reuerentiam detulisse, vt aliquando dixerit. *Si cui Sancto. rum in terram à Cælo lapso, & Sacerdoti occurrerem, huius primum manus deoscularer, & deindè Sancto reuerentiam exhiberem*, quo significauit, se plus deferre ei, quo ministrante Christum reciperet, quam illi, qui præsens cum Christo regnaret. Non amplius in hoc immoror; siquidem ipsum Ordinis Sacerdotalis Sacramentum à se ipso ità eminens, & præclarum est, vt hominem ipsum quodamodo ex homine, vel vt Deum constituat, vndè dicitur: *Ego dixi Dij estis &c.*

Eius excellentia, & præeminentia etiam resultat ex discriminibus, quæ intercedunt inter Sacerdotes nouæ, ac veteris legis, (& per hoc exploditur secunda pars tituli propositi.) Differunt igitur primò ratione institutionis, quia Sacerdotes legis naturæ instituebantur a Regibus, vel à Republica; Sacerdotes legis scriptæ ex familia Aaron naturali generatione propagabantur; sed Sacerdotes nouæ legis, seu gratiæ potestate Diuina instituuntur, nec alicui familiæ alligantur, sed ex omni gente eliguntur. 3 *Præferuntur ratione institutionis.* Differunt secundò ratione effectuum in electione, quia Sacerdotes veteris legis nullam in creatione gratiam recipiebant, nec caractherem; Sacerdotes verò nouæ legis, & gratiam sanctificantem in eorum ordinatione recipiunt, si obicem non ponant, & etiam posito obice infallibilitèr caractherem. 4 *Item ratione effectuū in electione.* Differunt tertiò in munere ratione materiæ oblatæ, quia illi vitulos, & Agnos in eorum sacrificijs Deo offerebant; isti immaculatum Corpus, & Sanguinem Christi Domini, qui est Agnus misticus delens peccata Mundi sub speciebus Panis, & Vini. 5 *Item in munere ratione rei oblatæ.* Differunt quartò ratione effectuum, qui producuntur in sacrificijs per ipsos oblatis, quia illi non sanctificabant gentes, nisi quadam sanctitate legali, & extrinseca; isti verò interiori gratiæ collatione. Differunt quintò in dispositionibus, quia in Sacerdotibus nouæ legis maior munditia, maiorque dispositio requiritur, quæ non requirebatur in antiquis, nam in istis non requirebatur cælibatus, sicuti requiritur in nostris Sacerdotibus; in istis ad sacrificia offerenda non prærequirebatur ieiunium, sicuti requiritur in nostris. 6 *Item ratione effectuū.* Alia plura discrimina considerari possunt, vel in modo offerendi, vel in effectibus, vel in munere consistentia; sed quia ex vna parte parum conferre possunt ad præsens institutum, ex altera colligi possunt ex ijs, quæ docuimus dum de Sacramentis in genere, ideò in eorum indagine amplius non immoramur.

ARTICVLVS III.

De materia, & forma Ordinis Sacerdotalis.

SVMMARIVM.

Duplex potestas confertur in hoc ordine, & quanam. 1.
Enumerantur variæ actiones, quæ interueniunt in collatione huius ordinis. 2.
Excluduntur à ratione materiæ plures ex enumeratis actionibus. 3.
Tam traditio Patenæ cum Pane, quam Calicis cum Vino sunt materia essentialis huius ordinis. 4.
Omissa ex obliuione traditione Calicis cum Vino inualida esset ordinatio. 5.
Cognito defectu durante actione ordinationis sufficit tradere partem omissam cum debita forma. 6.
Completa tota actione reassumenda est tota actio, & vtraque materia tradenda. 7.
Manuum impositio, quando Episcopus dicit: Accipe Spiritum Sanctum *non est merus ritus Ecclesiasticus, sed pars substantialis integralis.* 8.
Per illam manuum impositionem verè confertur potestas in Corpus misticum. 9.
Christus Dominus has potestates contulit pro diuerso tempore. 10.
Hæc impositio gratiam confert. 11.
Omissio huius impositionis manuum non irritat ordinationem, nec primam potestatem. 12.

1 *Duplex potestas, & quænam.* DVplex potestas in ordinatione confertur Sacerdoti; altera in Corpus reale, altera in Corpus misticum Christi Domini. De materia, & forma vtriusque ex professo hic pertractandum est.

2 *Variæ actiones, quæ interueniunt in hac ordinatione.* Pro quo aduerto, in ordinatione Sacerdotis plures actiones, pluresque res interuenire, de quibus potest dubitari, an sint materia, & forma huius ordinis. Interuenit primò manuum impositio nullis verbis prolatis. Secundò vestitio sacrorum paramentorum, cum verbis aptis ad singula. Tertiò vnctio manuum cum Oleo Cathechumenorum cum sua benedictione. Quartò traditio Calicis cum Vino, & Aqua, & Patenæ cum Pane cum verbis *Accipe potestatem &c.* Quintò impositio manuum super capita ordinandorum cum prolatione illorum verborum *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.* De ijs igitur inquiritur, quænam ex istis habeant rationem materiæ, & formæ in hoc Sacramento.

Communitèr consentiunt primam manuum impositionem sine prolatione verborum, vestitionem sacrorum paramentorum, & vnctionem manuum non esse materiam huius ordinis, nec verba, si quæ proferantur, in applicatione earundem habere rationem formæ; eo, quia illæ omnes actiones pertinent dumtaxat ad dispositionem, & præparationem, non ad ipsam substantiam ordinis, quandoquidem prima manuum impositio est ad disponendum subiectum ad gratiam Sacramenti recipiendam, vestitio sacrorum paramentorum pertinet solum ad cultum externum, quo quis se debet disponere ad celebrandum cum Episcopo, & solum indicat modum, quo postea debet sacrificare; vnctio manuum est ad easdem manus disponendas ad tangendum verum Corpus Christi Domini. 3 *Excluduntur à ratione materiæ plures ex his actionibus.*

Difficultas solummodò versatur circa traditionem Calicis cum Vino, & Patenæ cum Pane, & secundam impositionem manuum, quando proferuntur illa verba *Accipe Spiritum Sanctum*, an scilicet hæc omnia ità sint essentialis materia, vt sine altera illarum non possit ordo subsistere; vndè examinabitur primò, an, si traderetur solummodò Patena cum Pane sine Calice cum Vino, vel Calix cum Vino sine Patena cum Pane, validè conferretur ordo. Secundò, an si fuerit vtrumque traditum, non tamen facta manuum impositio, nec prolata verba *Accipe Spiritum Sanctum &c.*, intelligatur valida ordinatio. Tertiò, an, si esset valida ordinatio sine illa manuum impositione, sic ordinatus posset non solum validè consecrare, sed etiam à peccatis absoluere.

4 *Tam traditio Patenæ cũ Pane, quam Calicis cũ Vino, sunt materia essentialis.* Assertio I. Tam traditio Patenæ cum Pane, quam Calicis cum Vino est essentialis materia huius ordinis, adeovt vna sine altera non possit esse valida. Consentiunt *Suarez disp. 75. sect. 6., Lugus disp. 19. sect. 8., Arriaga disp. 50. sect. 6., Scortia lib. 1. cap. 6., Mastrius disp. 4. de Sacrament. Ord. quæst. 5. art. 1., Madernus 3. part. qu. 8. art. 4. num. 2.*

Probatur primò *ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 1.*, vbi agens de institutione sacrificij, & Sacerdotis sic loquitur. *Deus, & Dominus noster, & si semel se ipsum in ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat &c., vt sua dilectæ sponsæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur &c. Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus Panis, & Vini Deo Patri obtulit* (ecce institutio sacrificij,) *ac sub eorundem rerum Simbolis Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes instituebat,* (ecce

Patet ex institutione.

(*ecce institutio Sacerdotij*) *vt sumerent, tradidit, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent praecepit per hac verba. Hoc facite in meam commemorationem*, vbi signantèr nota, quod sacrificium instituit sub vtraque specie, & Sacerdotes vtramque tradendo fecit. Ex quibus sic

Probatur secundò. Per illa signa constituendum est Sacerdotium, per quae ex vi praesentis institutionis essentialitèr conficiendum est sacrificium, sed ex vi praesentis institutionis essentialitèr sacrificium conficiendum est sub vtraque specie, ergo, & essentialitèr conferendum est Sacerdotium per vtriusque speciei exhibitionem. Maior patet ex allegatis verbis Concil. Trident., vbi Christus obtulit sacrificium sub speciebus Panis, & Vini, & sub earundem rerum simbolis instituit Sacerdotes. Minor probatur sacrificium Missae institutum est, prout includit explicitam rapraesentationem sacrificij cruenti, quod Christus passione, & morte sua in ara Crucis obtulit, & quidem sub ea ratione, & modo, quo obtulit; sed haec explicita rapraesentatio saluari non potest, nisi per vtramque speciem, ergo &c. Minor probatur, quia per solam consecrationem sub speciebus Panis ponitur quidem ex vi verborum solum Corpus, non Sanguis, licet hic veniat ratione concomitantiae, & connexionis, & per consecrationem sub spieciebus Vini ex vi eorundem ponitur solum Sanguis non Corpus; licet igitur per solam consecrationem sub speciebus Panis ex vi verborum ponatur Corpus sine Sanguine, non exprimitur tamen modus; quo factum fuit exangue, cum potuerit sic produci, vel potuerit Sanguis esse corruptus, & licet per consecrationem sub speciebus Vini formalitèr ex vi verborum ponatur solum Sanguis, non tamen per hoc exprimitur mors, cum possit esse aliqua Sanguinis effusio, ex qua mors non sequatur; ex vtriusque ergo consecratione exprimitur solum, & mors secuta ex effusione Sanguinis, & effusio Sanguinis cum morte. Ex his sequitur, quod, sicuti in consecratione vtriusque essentia sacrificij consistit ità in potestate transubstantiandi vtriusque Sacerdotalis potestas consistat.

Sacrificium est explicita rapraesentatio passionis Domini.

5 Assertio II. Si ex obliuione, vel ex inaduertentia traderetur sola Patena cum Pane, non Calix cum Vino, vel è contra, non valida esset ordinatio *Turrianus in selectis disp. part. 1. disp. 21. dub. 2., Tannerus in tertiam part. disp. 7. quaest. 2. dub. 4., Diana part. 4. tract. 4. resol. 119. per totum, Villalobos in summa tom. 1. tract. 11. difficul. 4. num. 1.*

Omissa ex obliuione traditione Calicis inualida esset ordinatio.

Sequitur directè ex praecedenti assertione, eiusque probationibus, vndè absolutè ordinatio illa esset iteranda, quamuis aliqui, inter quos *Marchinus tract. 2. de ordinibus in particulari part. 8. de Presbiteratu cap. 5. proposit. 2. num. 4.*, existiment talem iterationem faciendam esse sub conditione, *si non es ordinatus*. Sed, an in hypothesi, vel iterationis absolutae, vel conditionatae sit repetenda a principio ordinatio tradendo iterum materiam, quae in prima ordinatione fuit tradita, cum illa, quae ex obliuione, vel inaduertentia fuit omissa, an verò sufficiat incipere à parte omissa, & illam in iteratione tangendam tradere. In hoc cum distinctione procedendum existimo; vel etenim in eadem actione perseuerantis ordinationis cognita fuit omissio, vel eadem penitus perfecta, & transacta; si cognita fuit durante eadem ordinatione, crederem sufficere, si tradatur tangenda materia omissa argumento deducto à paritate sacrificij Missae, in quo, si verè fuerit consecrata Hostia apta, & Vinum non aptum, seu Aqua pro Vino cognito defectu ante sumptionem non est iteranda tota consecratio, sed solummodò in ea materia, quę deficit, incipiendo ab illis verbis *simili modo &c.*, quod adaptari potest nostro casui; perseuerante etenim eadem actione prima actio continuatur cum secunda, & constituit vnam actionem moralitèr; si verò cognita fuerit transacta penitus ordinatione; certè iteratio ordinationis esset facienda tradendo de nouo Patenam cum Pane, & Calicem cum Vino, quia illae duae actiones non possent moralitèr continuari, nec vnam constituere, quod etiam videtur insinuasse *rubrica Missalis sub tit. de defect. in celebratione Missarum occurr. de defectu Vini* - Ibi *num. 5. Si hoc aduertat post sumptionem Corporis, vel huiusmodi aqua apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, & Vinum cum Aqua in Calice offerat vtrumque consecret, & sumat*, quod esse non potest, nisi, quia per sumptionem Corporis, & illius Aquae supponitur terminata actio illius prioris sacrificij.

6 Cognito defectu durante ordinatione sufficit tradere materiā omissā.

7. Finita tota actione reassumenda est tota actio, & vtraque materia tradēda.

Assertio III. Manuum impositio, quando ab Episcopo illa verba proferuntur: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata &c.* non est merus ritus Ecclesiasticus, sed pars substantialis integralis. *Scotus in 4. dinst. 4. qu. vnica vers. de tertio articulo, Paludanus in 4. distinct. 25. quaest. 1., Bellarminus tom. 2. controu. cap. 9. de Sacrament. Ord., Comitolus in suis respons. mor. lib. 6. quaest. 43., Fernandez in Theolog. mor. part. 3. cap. 11. §. 5., Vasquez in tertiam partem tom. 3. disp. 239. cap. 3., Siluius* 8

Manuū impositio est pars substantialis integralis.

in

in tertiam part. quæst. 37. art. 2. quæstiunc. 4. contra *Capreolum in quarto distinctione 24. quæst. 1. art. 3. ad secundum contra primam conclusionem, & alios plures relatos à Marchino tract. 2. de ordinibus in particul. part. 8. de Presbiteratu cap. 5. num. 1.*

Iura probantia assertum. Probatur primò ex varijs sacræ scripturæ locis; prima ad Thimotheum 8. *Resuscita gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum*; ex ritu autem merè accidentali non confertur per se gratia, sed ex perceptione Sacramentorum; secunda ad Thimoth. 1. *Vide, ne citò manus imponas*, vbi, cum tam serijs verbis imponatur diligentia, & maturitas magna, antequam manus imponantur, indicatur, eandem manuum impositionem non esse meram cæremoniam accidentalem, sed opus magni ponderis, ideoque esse saltem partem substantialem ordinis. Item ex communi SS. PP. consensu, quorum aliqui asserunt in manuum impositione Sacerdotium consistere, alij esse partem essentialem eiusdem sic *D. Augustinus lib. 2. contra Epistolas Parmen. cap. 13., & lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 1., D. Ambrosius lib. 1. de dignitate Sacerdotis, D. Isidorus lib. 2. de offic. Eccles. cap. 10., Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacrement. part. 3. cap. 11.*, quorum auctoritates certè indicant non esse meram cæremoniam Ecclesiasticam.

9 *Per illã impositionem confertur vera potestas in Corpus misticum.* Probatur secundò rationibus, quia Sacerdoti duplex confertur potestas altera in Corpus Christi reale, illud scilicet consecrandi, seu conficiendi, altera in Corpus misticum, absoluendi scilicet fideles à peccatis, & vtraque pertinet ad officium Sacerdotis, sed potestas in Corpus misticum confertur per illam manuum impositionem cum illis verbis *Accipe Spiritum Sanctum, quorum &c.*, ergo hæc impositio, vtpotè conferens illam potestatem non est mera cæremonia, sed pars essentialis &c. Neque hic audiendi sunt *Sotus in quarto distinctione 24. quæst. 1. art. 4., Valentia tom. 4. disp. 9. quæst. 1. punct. 5., Nugnus ad tertiam partem Diuæ Thomæ quæst. 37. art. 5. vers. septimus ordo in addit.*, asserentes illa verba prolata ab Episcopo in impositione manuum *Accipe Spiritum Sanctum &c.*, non esse de essentia formæ, sed de sola necessitate præcepti, nec per illa conferri potestatem remittendi peccata, sed solum esse declaratoria potestatis iam acceptæ in traditione Calicis cum Vino, & Patenæ cum Pane per illa alia verba *Accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* Non, inquam, audiendi sunt, quia gratis omninò dicitur in istis verbis *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, conferri vtramque potestatem, cum Christus Dominus vtramque pro diuerso tempore contulerit; primam scilicet in Corpus reale Christi in vltima cæna per illa verba *Hoc facite in meam commemorationem*; secundam verò post Resurrectionem *Ioannis 20.*, quando scilicet apparens discipulis insufflauit in eos, dicens *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Deindè hoc in omnibus Sacramentis consideratur, quod verba id efficiunt, quod significant; sed illa verba *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis*, verè significant potestatem remittendi peccata, ergo illam conferunt. 10 *Christus Dominus pro diuerso tempore contulit bas potestates.*

Probatur tertiò; proprium est Sacramentorum conferre gratiam ex opere operato, sed per manuum impositionem cum illis verbis *Accipe Spiritum Sanctum* verè confertur gratia sanctificans, nam recipere Spiritum Sanctum, est recipere gratiam ipsius sanctificantem, ergo illa manuum impositio cum illis verbis non est mera cæremonia, sed vel Sacramentum, vel pars Sacramenti. 11 *Gratiã confert.*

Hic oritur difficultas, an illa manuum impositio ità sit pars Sacerdotij, vt, si illa omittatur, intelligatur Sacerdotium collatum penitus irritum. Ratio dubitandi ex eo desumitur, quod suprà dicebamus, quod scilicet, si tradatur sola Patena cum Pane sine traditione Calicis cum Vino inanis reddatur ordinatio, cum vtraque sit pars essentialis; si ergo etiam manuum impositio est pars essentialis huius ordinis, ea omissa ordo videtur reddi inualidus. Sed absolutè asserendum est, non reddi Sacerdotium inualidum ex omissione illius manuum impositionis. Ratio est, quia, quamuis illa manuum impositio pertineat ad plenum Sacerdotium constituendum, confert tamen ad diuersam potestatem, à qua prima non dependet, licet ista dependeat à prima, & essentialitèr illam supponat; vndè videmus, quod nouus Sacerdos initiatus per illam traditionem Patenæ cum Pane, & Calicis cum Vino, vtatur potestate consecrandi simul cum Episcopo ordinante, antequam potestatem remittendi peccata recipiat. Hinc etiam communitèr docent Theologi, quod, si Episcopus ordinãs peracta consecratione, antequam manus imponat ordinato, & verba illa proferat *Accipe Spiritum Sanctum*, inopinato fato decedat, debeat ordinatus recipere illam manuum impositionem ab alio Episcopo, & per consequens potestatem remittendi peccata. Ex quibus duo deduco, has scilicet potestates esse omninò distinctas, & non ita inter se connexas, 12 *Omissio impositionis manuũ non irritat Sacerdotiũ*

vt non possint pro diuerso tempore conferri, cum etiam Christus Dominus easdem contulerit diuersis vicibus, vnã scilicet in vltima cæna, alteram post Resurrectionem. Diuersitas autem, quæ intercedit inter traditionem Patenæ cum Pane, & traditionem Calicis cum Vino, & inter easdem comparatiuè ad impositionem manuum in eo consistit, quod primæ confluunt ad vnam potestatem constituendam conficiendi scilicet sacrificiū explicitè rammemoratiuum sacrificij cruenti in Cruce oblati; Secunda autem pertinet ad constituendam diuersam, nempè remittendi peccata.

Hinc colligitur, quod, si Episcopus ordinans post collatam primam potestatem inopinato fato defecerit, & manus non imposuerit cum prolatione illorum verborum *Accipe Spiritum Sanctum, quorum &c.*, non possit sic ordinatus validè à peccatis absoluere, cum eidem deficiat ordinis potestas, quæ per prædicta verba cum manuum impositione confertur; illa enim manuum impositio obtinet locum materiæ, & verba *Accipe Spiritum Sanctum*, formæ vicem habent.

ARTICVLVS IV.

An Calix, vt sit materia apta huius ordinis, debeat esse consecratus.

SVMMARIVM.

Non est de necessitate Sacramenti, vt Calix, qui traditur ordinando, sit consecratus. 1.
Materia aliorum Sacrementorum excepta illa Confirmationis, & Extremæ Vnctionis non est consecrata. 2.
Vinum, quod continetur in Calice, & Panis, qui in Patena, non exigunt præuiam benedictionem. 3.
Actio consecratoria Calicis est mera actio Ecclasiastica, adeoque non necessaria necessitate Sacramenti. 4.
Non valet paritas de consecratione Chrismatis, & quare. 5.
Christus Dominus non vsus est Calice consecrato. 6.
Requiritur tamen consecratio ex necessitate præcepti. 7.
In praxi sunt absolutè adhibendi Calix, & Patena consecrati. 8.

PLura de hac materia diximus *in hac eadem secunda part. de ordinibus in particulari quæst. 6. art. 5.*, dum de materia Subdiaconatus, inquirentes, an Calix, qui traditur in ordinatione Subdiacono, debeat ex necessitate Sacramenti esse consecratus, vbi DD., & rationes pro vtraque parte retulimus, & conclusimus pro negatione necessitatis talis consecrationis. Modo inquirimus, an idem sit sentiendum de Calice, qui porrigitur plenus Sacerdoti in eiusdem ordinatione.

1 Assertio. Non est necesse necessitate Sacramenti, vt Calix, qui traditur tangendus in ordinatione Sacerdotis, sit consecratus *Henriquez lib. 10. cap. 5. lit. T.*, *Molfesius in summa tom. 1. tract. 2. cap. 8. num. 23.*, *Diana resol. mor. part. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 189.* *Non est ex necessitate Sacramenti, vt Calix sit consecratus.*

2 Ratio ex eo deducitur primò, quia in nulla alia materia Sacramentorum est necessaria necessitate eorundem consecratio, nisi in Confirmatione, & Extrema Vnctione, quas solus Episcopus sacrat; nam discurrendo per singula apparet non esse necessariam talem consecrationem; sic Aqua in Baptismo non est ex necessitate Sacramenti necesse, vt sit benedicta, nec peccata in pænitentia, nec Vinum, & Panis in Eucharistia; nec consensus contrahentium in matrimonio, ergo, nec in Sacramento Sacerdotij necesse est, vt materia sit consecrata. *Deducitur ex materia aliorum Sacramentorū*

3 Secundò ratio ex eo deducitur, quia non minus est materia Ordinis Sacerdotalis id, quod continet, ac id, quod continetur, hoc est non minus Calix continens Vinum, & Patena, quæ continet Panem, ac ipsum contentum, nempè Panis, & Vinum, sed Panis, & Vinum, quæ exhibentur in ordinatione Sacerdotis, non est necesse, quod sint benedicta, vel consecrata, ergo neque est necesse, quod Calix, & Patena sint consecrata. *Panis, & Vinū qui in Patena, & Calice traduntur non sunt benedicta*

4 Tertiò ex eo deducitur, quod ipsa actio consecratoria Calicis est tantum actio Ecclesiastica, non de iure Diuino præscripta, ergo non est ex necessitate Sacramenti necessaria ad validam collationem Ordinis Sacerdotalis; Neque dicas, consecrationem Olei, seu Chrismatis in Extrema Vnctione, & Confirmatione esse dumtaxat functionem, seu actionem merè Ecclesiasticam, & tamen necessitate Sacramenti est necessaria ad validitatem Confirmationis, & Extremæ Vnctionis, ergo ex eo, quod consecratio Calicis sit tantum actio Ecclesiastica non benè arguitur, quod non sit necessaria ad validam collationem Ordinis Sacerdotalis; contra enim impugnaberis, quia licet consecra- *Actio consecratoria Calicis est merè Ecclesiastica.*

5 tio Olei in vtroque Sacramento quoad ritum sit actio Ecclesiastica, quoad substantiam tamen est de institutione Diuina; nam legitur in Epistola 2. Fabiani Papæ, quod Christus Dominus in vltima cæna Chrisma consecrauerit, quod idem ex pluribus Concilijs confirmat *Bellarminus de Confirmat. cap. 8.* Id ipsum sentiendum *Non valet paritas de consecratione Chrismatis, & quare*

dum videtur de Oleo Extremæ Vnctionis, prout constat ex traditione Apostolorum, & *ex Concil. Florent. in instruct. Armen.* hoc autem nullibi constat de consecratione Calicis in ordine ad collationem Sacerdotij, sicuti, nec in ordine ad confectionem Sanguinis Christi Domini in eodem Calice, nam, si fieret consecratio Sanguinis Christi Domini in Calice non consecrato, non esset dubitandum, quin valida esset consecratio.

6 *Christus Dominus non est vsus Calice consecrato.* Quartò ex eo deducitur, quia non legitur, quod Christus Dominus, nec in institutione Sacramenti, nec in collatione Ordinis Sacerdotalis adhibuerit Calicem consecratum, cum prius tradiderit, antequam consecraret, ergo non est de necessitate Sacramenti, quod Calix sit consecratus. Neque dicas primò, quod Christus Dominus sufficientèr Calicem consecrauerit per proprium contactum. Secundò, quod, antequam traderet Panem Apostolis, & Calicem eosdem benedixerit, vt de Pane legitur in Canone Missæ. Ibi. *Qui pridiè, quam pateretur accepit Panem in Sanctas, & venerabiles manus suas, benedixit, fregit, deditque discipulis suis*, quod idem de benedictione dicitur in acceptione Calicis; contra enim impugnaberis, quia hac ratione etiam Aqua Baptismi deberet de necessitate Sacramenti esse consecrata, quia Dominus suo contactu sacrauit Aquas Iordanis; Hostia item, quæ in Patena traditur tangenda Sacerdoti deberet esse sacrata, quia Christus suo contactu illam sacrauit, quod nemo dicet. Ad illud, quod subditur de benedictione, dicendum est per hanc præcisè non sacrari, cæteroqui sufficeret Calicem benedicere, vt esset sacratus.

7 *Requiritur cõsecratio ex necessitate precepti* Sed, an saltem requiratur consecratio ex necessitate præcepti? Affirmatiuè respondendum existimo; nam, quamuis nullum ius scriptum habeamus, quo expressè talis consecratio decernatur; habemus tamen ius non scriptum, seu consuetudinarium, secundum quod nonnisi Calix consecratus traditur tangendus; vndè, sicuti grauitèr peccaret, qui consecraret in Calice non consecrato, ita etiam peccaret, qui Calicem non consecratum traderet in ordinatione Sacerdotis.

8 *In praxi sunt absolutè adhibendi Calix, & Patena cõsecrati.* Ea, quæ dixi in assertione de necessitate Sacramenti intelligenda sunt rectè procedere speculatiuè loquendo; in praxi tamen est absolutè amplectenda sententia requirens Calicem, & Patenam consecratos.

ARTICVLVS V.

An in ordinatione Sacerdotis duplex imprimatur caracther, an vnus tantum, & quandonam imprimatur.

SVMMARIVM.

An duplex conferatur gratia in ordinatione Sacerdotis remissiuè. 1.
Non imprimitur duplex caracther, sed per duplicem actionem idem perficitur. 2.
Ex coordinatione non tollitur duplex ordo, quando imprimitur duplex caracther. 3.
In Episcopatu, quamuis conferatur diuersa potestas à Sacerdotio, non imprimitur tamen diuersus caracther. 4.
Probabilius duplex gratia producitur. 5.
Explicatur, in quo consistat illa maior perfectio caractheris. 6.

IAm constat ex dictis duplicem conferri potestatem in ordinatione Sacerdotis, 1 alteram in Corpus reale Christi Domini, *An duplex cõferatur gratia remissiuè.* alteram in misticum; vndè etiam plurimi asserunt duplicem conferri gratiam, alteram in traditione Patenæ cum Hostia, & Calicis cum Vino, alteram in impositione manuum cum illis verbis *Accipe Spiritum Sanctum*; & vnam ex alia inferunt hoc pacto. In impositione manuum verè, & propriè confertur gratia, quam important verba, quæ tunc proferuntur *Accipe Spiritum Sanctum*, hoc est gratiam Spiritus Sancti, ergo à fortiori confertur eadem gratia in traditione Patenæ cum Pane, & Calicis cum Vino, quia principalior est potestas, quæ tunc confertur, cum sit in Corpus reale Christi Domini, ex quibus etiam videtur congruè inferri duplex caracther. Nihilominus sit [illegible]

Assertio. In ordinatione Sacerdotis 2 propriè non imprimitur duplex, & distinctus caracther, sed vnus, & idem per duplicem illam actionem magis perficitur. *Non imprimitur duplex caracther.* Consonat cum ijs, quæ diximus *in prima parte huius tractatus quæst. 1. art. 3. de ordinibus in comm. vers. ad secundam dico.*

Probatur primò, Sacerdotium, quamuis conflatum ex duplici potestate non est duplex ordo, sed vnus tantum, secus *Non est duplex ordo.* contra communem Ecclesiæ acceptionem non essent septem ordines, sed octo, ergo duplicem non importat caractherem, cum multiplicatio ordinis habeatur ex multiplicatione caractheris; Neque dicas, quod ratione coordinationis, quam habent huiusmodi caractheres in Sacerdotio non constituant, nisi vnicum ordi-

 nem

nem perfectum, & integrum; contrà enim impugnaberis, quia non minus ordinatur Ordo Diaconatus ad Sacerdotium, ac in Sacerdotio potestas ad sacrificandum ad potestatem sanctificandi Corpus misticum Christi Domini; sicuti igitur, quia est carachter distinctus in Diaconatu, & in Sacerdotio non obstante tali ordinatione duplex ordo constituitur, ita, quia carachter, qui imprimitur per traditionem Calicis, & Patenæ est distinctus ab illo, qui ponitur in impositione manuum, duplex erit ordo constituendus; nec releuat, quod isti duo carachteres in Sacerdotali ordinatione imprimantur vno contextu, & in eadem actione continuata, vbi illi duo in Diaconatu, & Sacerdotio conferuntur pro diuersis temporibus, & actionibus non continuatis; non releuat, inquam, quia secunda potestas, quæ confertur in Sacerdotio per manuum impositionem potest etiam conferri pro diuerso tempore, & actione discontinuata; nam, vt suprà dicebam, si Episcopus ordinans post collationem primæ potestatis inopinato fato decederet, posset sic ordinatus post longum tempus secundam potestatem ab alio Episcopo recipere.

3 *Ex coordinatione nō tollitur duplex ordo, quando imprimitur duplex caracther.*

4 *In Episcopatu, quāuis conferatur diuersa potestas non imprimitur tamen diuersus caracther à Sacerdotio.*

Probatur secundò. Quamuis in ordinatione Episcopi conferatur potestas, quæ non confertur in ordinatione simplicis Sacerdotis, non tamen in illa imprimitur diuersus carachter ab illo, qui impressus est in Sacerdotio per ea, quæ tradidimus *in prima part. de ordinibus in communi qu. 1. art. 3. per totum*, & tradunt *Abbas in cap. ex literis de excess. Pralat.*, *Alexander Alensis quarta part. qu. 20 memb. 8. art. 1.*, *D. Thomas in quarto dist. 24. quæst. 3. art. 2.*, *& in addit. ad tertiam part. quæst. 20. art. 5.*, *Sotus de iustitia, & iur. lib. 10. qu. 1. art. 2.*, *& alij magis communitèr*, ergo etiam, quamuis in Sacerdotio conferatur duplex potestas, non propterea imprimitur duplex carachter, & hoc vtique à fortiori, quia regularitèr in Sacerdotio simul, seu eodem contextu conferuntur hæ duæ potestates, vbi in Sacerdotio, & Episcopatu conferuntur pro diuersis temporibus, & diuersis omninò ritibus.

Sed, an verè conferatur duplex gratia habitualis in ordinatione Sacerdotis, altera in traditione Patenæ, & Calicis, altera in manuum impositione? Non ità certum videtur, sicuti proponitur in principio huius articuli, quandoquidem duo sunt effectus sacrorum Ordinum, nempè carachter, & gratia; sicuti igitur ex mox dictis in collatione Sacerdotij non multiplicatur carachter, nec videtur multiplicari gratia. Nonnulli procedentes iuxtà ea, quæ diximus *in quæstionibus de sacrificio Missæ quæst. 1. art. 2. post dictum 5. vers. secundum deducitur*, à paritate consecrationis, & sumptionis in sacrificio Missæ asserunt, quod, sicuti gratia non confertur, nisi completo toto sacrificio, scilicet post sumptionem, ità in collatione Ordinis Sacerdotalis non conferatur, nisi completa tota ordinatione per manuum impositionem, vndè etiam isti videntur sentire non conferri, nisi vnam gratiam. Sed ego in hac particulari hypothesi de gratia non dubitarem asserere, & conferre gratiam correspondentem actioni, qua cum debita formæ prolatione traduntur Patena, & Calix pleni, & correspondentem actioni, qua manus imponuntur cum proportionata forma, nec arbitror valere argumentum à paritate caractheris, quandoquidem hic non patitur intensionem, sicuti admittit eadem gratia, nec gratia comitatur indiuisibilitèr carachterem, cum possit poni carachter sine gratia.

5 *Probabilius duplex gratia producitur.*

Difficultas solummodò aliqua versari potest in explicando, in quo consistat maior illa perfectio, quæ inducitur in ordinatione Sacerdotij per illam secundam potestatem in ordine ad Corpus misticum Christi Domini. Dicendum est illam maiorem perfectionem, seu quasi ampliationem non importare aliquam entitatem distinctam à carachtere Sacerdotij, sed eandem prout coniungitur cum noua aliqua actione, ratione cuius illa prioris entitas caractheris ad plures effectus extenditur. Explicationem huius doctrinæ recole ex ijs, quæ tradidimus *prima parte de ordinibus in communi quæst. 1. art. 3. vers. difficultas solummodò aliqua*; non enim vacat hic repetere.

6 *Explicatur in quo consistat illa maior perfectio caractheris.*

ARTICVLVS VI.

De forma Ordinis Sacerdotalis.

SVMMARIVM.

Refertur duplex forma huius ordinis. 1.
Sententia asserens, Pontificem exhibentem materiam aptam, & dicentem, esto Sacerdos validè ordinare. 2.
Sententia asserens etiam sine exhibitione materiæ aptæ Pontificem per illa verba validè Sacerdotium conferre. 3.
Hæc opinio reijcitur ex facto Christi Domini. 4.
Determinata materia, & forma à Christo Domino non est determinabilis ab Ecclesia. 5.
Pontifex per illa verba præcisè non validè constituit Sacerdotem. 6.

Debent

Debent exprimi effectus potestatis collatæ. 7.

Baptizans, quamuis esset Pontifex dicens: Esto Baptizatus, *non validè Baptizaret.* 8.

1 *Duplex forma huius ordinis.* DVplex est forma huius ordinis, sicuti duplex est potestas, quæ confertur. Prima respicit potestatem in ordine ad Corpus reale Christi Domini. Secunda respicit potestatem, quæ confertur in ordine ad Corpus misticum. Prima habetur per illa verba: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro viuis, quam pro defunctis.* Secunda consistit in his: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Vtraque satis expressè significat potestatem, quam confert; vndè non indiget explicatione.

2 *Sententia asserens Pontificé exhibentem aptam materiã & dicẽtem: esto Sacerdos validè ordinare.* Sed, quia in præcedentibus diximus Christum Dominum instituisse quidem omnes ordines in signo sensibili apto ad significandam potestatem, quæ per singulos confertur, non tamen determinasse pro singulis hoc signum, hoc est materiam, & formam, sed reliquisse Ecclesiæ determinandam, oritur hic controuersia, an si modo Pontifex exhibendo materiam aptam diceret alicui. *Esto Sacerdos*, verè ipsum constitueret Sacerdotem cum plena potestate conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi Domini, & remittendi fidelibus peccata. Dixi *Pontifex*, eo quia solum ad Romanum Pontificem spectat determinare materiam, & formam pro ordinibus, non ad singulos Episcopos in particulari. Ratio dubitandi ex eo deducitur, quia, cum sit in potestate Ecclesiæ præscribere determinatam materiam, & formam pro sacris ordinibus, vtique potest formam iam constitutam variare, dummodò adhibeat aptam ad significandam potestatem, quæ confertur; ex eo autem, quod dicat: *Esto Sacerdos* modo imperatiuo, videtur per hæc verba satis expressè significare illam potestatem, quæ conuenit Sacerdoti.

Dixi *exhibendo materiam aptam;* si etenim nullo signo sensibili adhibito diceret illa verba, certum omninò videtur, quod validè non constitueret Sacerdotem, quia ad hoc non sufficit sola forma sine proportionata materia; est etenim ordo quoddam complexum morale constitutum ex materia, & forma tanquam ex partibus substantialibus essentialitèr requisitis, quorum propterea altera, si deficiat, deficit, & ipsum complexum.

Præscindendo etiam ab exhibitione proportionatæ materiæ *Felinus in cap. 1. de constitut. num. 23., & ibi Decius lect. 1. num. 50., Rebuffus in praxi benef. tit. de Cleric. à quibus, & quomodo creentur nu. 9., & 10., Hieronymus Gigas de pensionibus quæst. 8., Franciscus Victoria de Sacramento Ordinis quæst. 5.*, quos allegat *Marchinus tract. 2. de ordinibus in particulari part. 8. de Presbiteratu cap. 6.*, sustinent validam esse talem ordinationem, & per illa verba à Summo Pontifice prolata conferri verè potestatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi Domini, & remittendi peccata fidelibus, ex eo, quod Pontifex introduxit formam Ordinis Sacerdotalis, quæ non legitur in Euangelio, & propterea potest illam mutare. Sed mihi suadere non valeo, quod præcitati DD. voluerint præcisè per allegata verba sine exhibitione materiæ validè conferri Sacerdotium, cum omnibus innotescat, Christum Dominum institutorem huius Sacramenti exhibuisse materiam Apostolis tradens Panem, & Vinum, & subdens *hoc facite in meam commemorationem*. Certè, quod Christus instituit, non potest Pontifex abrogare. Quare difficultas solum ad hoc reducitur, an illa verba: *Esto Sacerdos*, prolata à Romano Pontifice sit sufficiens forma ad conferendum Ordinem Sacerdotalem. Pro resolutione

3 Sententia asserens per illa verba validè ordinare, quãuis nõ exhibeat materiã

4 Hæc opinio reijcitur ex facto Christi.

Aduerte, quod, quando nos diximus in præcedentibus, quod Christus Dominus institutis quoad substantiam ordinibus in signo sensibili indeterminato reliquerit Ecclesiæ materiam, & formam determinandam, hoc intelligendum sit, quoties Christus per se ipsum non determinauerit. Cum igitur in institutione Ordinis Sacerdotalis determinauerit materiam, & quodamodo formam, non remanet contra eius determinatam dispositionem facultas Ecclesiæ diuersimodè determinandi. Quod autem specialitèr quoad formam in potestate, quæ confertur, in ordine ad Corpus misticum Christus determinauerit habetur ex illo Ioannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quoad formam verò in potestate, quæ confertur in ordine ad Corpus reale, colligitur ex tota actione, quam Christus exercuit in institutione Sacramenti Eucharistiæ, & Ordinis Sacerdotalis; tradidit enim discipulis, quos tunc ordinauit Sacerdotes, Panem, & Vinum, consecrauit, & deindè subdidit *Hoc facite in meam commemorationem*, vbi nota illam particulam *Hoc*, quæ importat totum id, quod Christus præstitit, & idem sonat, ac hanc consecrationem, quam modo ego feci iuxtà modum, quo feci, vos facite impo-

5 Determinata materia & forma à Christo non est determinabilis ab Ecclesia

imposterum in meam commemorationem; quæ verba ità expresè prolata significant totum id expresè, quod exprimit Ecclesia in illis verbis : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi &c.*

6 *Pontifex per illa verba non validè cõstituit Sacerdotem.*

Hinc concludo Pontificem per illa præcisa verba : *Esto Sacerdos*, non constituere verè Sacerdotem. *Cosmus Phyliarchus de offic. Sacerdot. part. 2. lib. 1. cap. 14. per tot., Marchinus tract. 2. de ordinibus in particulari part. 8. de Presbiteratu cap. 6. num. 7., qui testantur de communi.* Ratio ex eo deducitur primò, quia forma à Christo Domino instituta non potest per Ecclesiam commutari, nec quoad substantiam variari, ergo omissa forma à Christo instituta, vel æquiualenti non potest validè Pontifex Sacerdotem ordinare per illa præcisa verba : *Esto Secerdos*; Neq; dicas primò per illa verba : *Esto Sacerdos*, non variari substantialitèr formam consuetam Ecclesiæ, cum retineatur eadem significatio; eo etenim ipso, quod ab habente legitimam potestatem dicitur : *Esto Sacerdos*, dicitur etiam habe potestatem exercendi munera Sacerdotalia, quæ sunt conficere Corpus Christi, & remittere fidelibus peccata; contra enim impugnaberis primò, quia, si hoc verum esset, validè conferretur Ordo Sacerdotalis, quamuis illicitè à quocunque Episcopo, & non tantum à Summo Pontifice, quandoquidem non irritatur Sacramentum per solam variationem accidentalem formæ à quocunque habente potestatem conficiendi illud Sacramentum proferatur adhibita debita materia, & concurrente legitima intentione, sic, quia est variatio solummodò accidentalis in forma Eucharistiæ illa : *Hic cibus est caro mea* ab illa : *Hoc est Corpus meum*, ideò à quocunque habente legitimam potestatem ministrandi illud Sacramentum ponatur, validè ponitur, & validum efficitur Sacramentum. Secundò, quia intelligitur forma substantialitèr mutata, quando per illam non expresè significatur effectus, quem verè, & realitèr efficit; sed per illa verba: *Esto Sacerdos*, non expresè significantur duo effectus, qui consequuntur ad Sacerdotium nempè efficiendi Corpus Christi, & remittendi peccata, ergo per illa intelligitur facta mutatio substantialis. Tertiò, quia per solam traditionem Calicis cum Vino, & Patenæ cum Pane cum verbis illis : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, & Missas celebrandi*, non confertur potestas dimittendi peccata, iuxtà superiùs probata, quamuis per illa principalitèr constituatur Sacerdos, quia per illa verba non exprimitur potestas eadem peccata dimittendi, ergo multominus constituitur vtraque potestas per illa verba præcisa : *Esto Sacerdos*.

7 *Debent exprimi effectus, quos causat.*

Neque dicas secundò, de facto fuisse variatam ab Ecclesia formam adhibitam à Christo Domino in institutione Sacerdotum, nam iste dixit facta exhibitione Panis, & Vini. *Hoc facite in meam commemorationem*, Ecclesia autem dicit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo &c.* in quibus videtur esse maior diuersitas, & inter istam : *Esto Sacerdos*, ac istam : *Accipe potestatem &c.*; contra enim impugnaberis, quia Christus Dominus per illa verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, voluit dicere, hanc actionem, quam modo ego feci, vos facite, quia ad hoc vos constituo, & vobis trado potestatem faciendi, & per consequens tradidit normam, qua constituendi sunt Sacerdotes, quod deindè clariùs explicans Ecclesia ad significandam potestatem, quæ traditur ordinatis conficiendi Corpus Christi, statuit pro forma hæc verba: *Accipe potestatem &c.*, quæ, si rectè perpendantur, consonant cum verbis Christi Domini; nec maior est diuersitas inter hæc, ac inter illa : *Esto Sacerdos*, comparatiuè ad hæc: *Accipe potestatem*, quinimmò in istis est diuersitas substantialis, cum non sit expressa significatio effectuum Ordinis Sacerdotalis, vt supra. *Soluitur instãtia opposita*

8 *Baptizans dicens: Esto baptizatus non validè baptizet.*

Secundò ratio ex eo deducitur, quia non validè Baptizaret, qui adhibita aqua naturali diceret : *Esto Baptizatus*, cum Christus pro Baptismo instituerit illam formam : *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ergo, nec validè Sacerdotes consecraret, & institueret, qui adhibita congrua materia diceret: *Esto Sacerdos*. Consequentia videtur secundum se clara, cum omnia in perfecta paritate consistant.

AR:

ARTICVLVS VII.

An, si traderetur in ordinatione Sacerdotis Hostia sine Patena, & Vinum cum Aqua commixtum in Vrceolo, vel alio vase sacris non destinato fieret valida ordinatio.

SVMMARIVM.

Sententia asserens validam esse ordinationem per solam traditionem Panis, & Vini sine Patena, & Calice. 1.

Patena, & Calix sunt mera instrumenta, nec confertur potestas in illa, sed in Panem, & Vinum. 2.

Christus Dominus obtulit Panem sine Patena. 3.

Secundum communem sententiam Calix, & Patena cum Pane, & Vino requiruntur ad validam ordinationem. 4.

Quamuis prior opinio speculatiuè videatur probabilis; secunda tamen communis est absolutè in praxi amplectenda. 5.

1 *Sententia asserens validè ordinari.* Videtur prima fronte dicendum fore validam talem ordinationem, & sic ordinatum acquirere veram potestatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi Domini. Ratio multiplex videtur pro hoc militare. Prima est, quia Patena, & Calix non sunt id, in quod confertur potestas in tali ordinatione, sed instrumenta merè continentia; potestas
2 *Patena, & Calix sunt mera instrumenta.* etenim collata est ad transubstantiandum Panem, & Vinum in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, ergo Panis, & Vinum secundum se sunt materia apta talis ordinationis præcisa etiam Patena, & Calice. Secunda, quia in Euangelio non legitur potissimum quoad traditionem Panis, quod Christus Dominus illum tradiderit in Patena, vel in aliquo vase æquiualenti, ergo solus Panis præscindendo à Patena est materia sufficiens ad validam collationem Ordinis Sacerdotalis.. Quod deindè Vinum tradiderit in Calice hoc non fuit, quod Calix institutus fuerit tanquam materia huius ordinis, sed, quia Vinum indiget instrumento, in quo contineatur. Quod, si dicas,
3 *Christus Dominus obtulit Panem sine Patena.* quod licet Christus Dominus non tradiderit Panem in Patena, quia tamen reliquit potestatem Ecclesiæ determinandi materiam, hæc statuerit eandem Patenam cum Pane, tanquam materiam necessariam; statim impugnaberis, quia quoad collationem Ordinis Sacerdotalis, & Eucharistiæ, Christus non reliquit materiam indeterminatam, sed determinauit in Pane, & Vino; vbi autem posita est determinatio à Christo Domino non potest fieri mutatio ab Ecclesia, quæ, si aliquid addat, pertinebit ad ritum, & cæremoniam, non autem ad substantiam.

Tertia; non videtur posse negari, quod, si Sacerdos non adhibita Patena, nec Calice, sed alio instrumento Vinum continente, puta Vrceolo consecret Panem, & Vinum, validè consecret, & validum constituat sacrificium, ergo, nec videtur posse negari, quod, si in ordinatione recipiat, seu tangat Panem, & Vinum non in Patena, nec in Calice, validè recipiat ordinationem. Consequentia probatur, quia non magis videntur requiri huiusmodi instrumenta in ordinatione, ac in consecratione. Nihilominus *Sacerdos consecrans nō adhibita Patena, vel Calice validè consecrat.*

Communis opinio tenet requiri Patenam, & Calicem simul cum Pane, & Vino ad constituendam aptam, & validam materiam Ordinis Sacerdotalis. Hoc videtur colligi *ex Concil. Florent. in instruct. Armenorum*. Ibi *Sextum Sacramentum est ordo, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicuti Presbiteratus traditur per Calicis cum Vino, & Patenæ cum Pane porrectionem*, quod adeò verum existimat *Henriquez lib. 10. de ordine cap. 6.*, vt sentiat, quod, si quis solo Pane, & Calice vacuo ex obliuione, vel inaduertentia initiaretur, ordo minimè esset iterandus; ex quibus clarè conijcitur, ipsum sentire Calicem esse materiam sufficientem, dum per illius traditionem etiam sine Vino iuxtà ipsius placitum validè ordo confertur. Verum hoc non intelligit Henriquez, sed tantum in eo loco vult, quod possit validè ordo conferri Sacerdotalis per exhibitionem vnius tantum speciei, ex quo postea concludit, quod, si fuerit traditus Panis cum Calice vacuo intelligitur Ordo Sacerdotalis validè collatus, cum fuerit exhibita materia sufficiens per traditionem Panis, vndè etiam, si non esset Calix traditus, esset ex ipsius mente valida ordinatio. Intelligit ergo solum, quod ad validam ordinationem sufficit, vel solus Panis, vel solum Vinum; sed, an hæc debeat tradi ille cum Patena, istud cum Calice, non explicat; quinimmò videtur sentire solum Panem sufficere, dum dicit, si quis solo Pane, & Calice vacuo Sacerdotio initiaretur, ordo minimè esset iterandus. 4 *Secundū communem sententiam Patena, & Calix requiruntur.* *Mens Henriquez qualis fuerit.*

Probatur igitur hæc communis opinio ex inueterato Ecclesiæ vsu, & consuetudine sic recepta, ex Conciliorum definitionibus, ex SS. PP. consensu, ex quibus omnibus habetur requiri Calicem cum *Rationes pro cōmuni sententia.*

Vino,

Vino, & Patenam cum Pane; non simpliciter Panem, & Vinum. Adde, quod, cum versemur in materia Sacramentorum, tenemur sequi opinionem tutiorem iuxtà declarationem Innocentij XI. semper recolendæ, & gloriosæ memoriæ, qui in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita feria V. die secunda Martij 1679. damnauit propositionem, quæ in ordine prima, qua dicebatur. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis*; ex quibus clarissimè infertur, quod, si in materia aliorum Sacramentorum sequi tenemur opinionem tutiorem, à fortiori teneamur sequi in materia Baptismi, aut Ordinis Sacerdotalis, quod non denegabant assertores sententiæ damnatæ. Denegari autem non potest, tutiorem esse opinionem asserentem, requiri cum Pane Patenam, & cum Vino Calicem, ac sit opinio exigens solum Panem, & Vinum sine Patena, & Calice, cum fundetur in communi Ecclesiæ consuetudine, roboretur conciliorum definitionibus, & PP. auctoritatibus.

5 *Conciliatio vtriusq; sententiæ, sed incongrua.* Cæterum, si velimus vtramq; opinionē conciliare, dicere possemus, cum aliquibus (salua tamen Ecclesiæ censura, cui in hoc me submitto, & omnia mea scripta) Patenam, & Calicem non esse necessaria necessitate Sacramenti; & ad hoc conferre possunt rationes omnes pro prima sententia allegatæ; benè tamen necessitate præcepti, & ad hoc conferunt praxis, Conciliorum definitiones, & SS.PP. auctoritates. Sed in praxi tenenda est absolutè sententia requirens vtrumque.

ARTICVLVS VIII.

De Vnctione, quæ fit in collatione Ordinis Sacerdotalis.

SVMMARIVM.

Impugnantur hæretici damnantes hanc vnctionem. 1.

Ex iure scripto euincitur necessitas talis vnctionis. 2.

Assignantur causæ, ob quas fuit inducta talis vnctio. 3.

HAnc non pertinere ad materiam, & formam huius ordinis satis in præcedentibus diximus. Sed, an sit adhibenda tanquam ritus, & cæremonia sacra, & ex necessitate, & ad quem finem id est, quod modo inquirimus.

Non defuerunt hæretici, qui calumniantes ore nimis lubrico hanc laudabilem Ecclesiæ consuetudinem vngendi Sacerdotes, dum ordinantur, dixerunt esse merum figmentum Siluestri, nec à Christo Domino inductum, nec ab Apostolis exercitum, & licet in veteri lege hic ritus vngendi inoleuerit, à Christo tamen Domino abrogatus intelligatur. Sed meritò impugnantur perfidi isti Ecclesiæ Catholicæ hostes, cum hic ritus perpetua traditione fuerit in Ecclesia seruatus; vndè *Clemens Papa*, qui temporibus Apostolorum floruit *Epist. 3.* meminit huius Vnctionis quoad Pontifices, & *Anacletus Epist. 2.*, asserit, se à D. Petro accepisse Episcopos in ordinatione sacro esse Chrismate liniendos; hunceque ritum vngendi seruari in Sacerdotum ordinatione tradit Innocentius III. relatus *in cap. vnico de sacra Vnctione.* 1 *Impugnantur Hæretici damnantes hanc vnctionem.*

Nec solum necessitate congruentiæ, sed etiam necessitate præcepti hæc vnctio in ordinatione Sacerdotis adhibenda est, quod non solum ex iure consuetudinario, & non scripto inductum est, sed etiam iure scripto, quod colligitur *ex dicto cap. vnico de sacra Vnctione*, vbi sub tanto onere statuitur, vt, si fuerit omissa, dicatur esse supplenda. Verum tamen est, quod hæc Sacerdotis vnctio non sit de iure Diuino, cum nullibi constet de tali præcepto, sed dumtaxat de iure Ecclesiastico. 2 *Ex iure scripto euincitur necessitas talis vnctionis.*

Si autem inquiras, quænam fuerit causa finalis institutionis huius sacræ Vnctionis in ordinatione Sacerdotis. Plures enumerat *Marchinus tract. 2. de ordinibus in particulari part. 8. de Presbiteratu c. 7. n. 6.*, quæ possunt penes eundem videri. Nos aliquas breuitèr afferemus. Prima est, vt Sacerdotis manus per illam sacram Vnctionem habilitentur ad dignè Sacrosanctum Corpus Christi Domini pertractandum; vndè, sicuti lapides Altarium, in quibus debent fieri Sacrosancta Mysteria, & Calices, in quibus debet Vinum in Sanguinem Christi transubstantiari, Oleo Sancto liniuntur, ita maximè congruum fuit, vt manus Sacerdotis, in quibus debet Filius Dei quodamodo incarnari, vt loquitur D. Augustinus, Oleo sacrarentur. Secunda est ad misticè significandam sapientiam, qua pollere debet Sacerdos, qui instituitur ad populos erudiendos in Mysterijs Fidei, & Doctrina Dei. Tertia est ad indicandas conditiones, & qualitates, quibus ornatus esse debet Sacerdos; vndè D. Gregorius *in libro primo Regum cap. 9.*, sic habet. *Habeat Sacerdos in Vnctione sua Oleum. Habeat misericordiam abundantem, qui sibi virtutibus alijs* 3 *Assignantur causæ, ob quas fuit inducta talis vnctio.*

præ-

præferatur: habeat Oleum, vt dum ardorem sanctum in se nutrit lucere vehementèr alijs per verbum possit. Habeat nihilominus Oleum medicinæ, vt sapientèr disponat, qualitèr peccatorum fætores tergat, & ægras mentes saluti restituat. Quarta est ad ostendendam dignitatem Sacerdotalem non inferiorem Regali, quæ dignitas in Vnctione Olei sacri designatur.

ARTICVLVS IX.

De sacris Vestibus, quibus in ordinatione induuntur Sacerdotes, & earum significationibus.

SVMMARIVM.

Assignantur insignia Sacerdotum in ordinatione, & in sacrificio conficiendo. 1.

Vestes sacræ sunt necessariæ necessitate præcepti in ordinatione, & oblatione sacrificij. 2.

Varia iura inducentia talem necessitatem. 3.

Sine sacris vestibus non licet celebrare etiam ad conficiendum Sacramentum pro infirmo periclitante. 4.

Sententia asserens, quod, si omittatur amictus, vel cingulum, contrahatur culpa lethalis. 5.

Sententia negans culpam grauem. 6.

Si omissio esset ex inaduertentia, non esset lethalitèr peccaminosa. 7.

Ratione paruitatis materiæ præcisè non excusatur à culpa graui. 8.

In ratione significationis habetur, vt res grauis. 9.

Omissio Stolæ ex genere suo est res grauis. 10.

Quid faciendum sit, si vrgente graui necessitate celebrandi, non adsit amictus, vel manipulum variæ sententiæ. 11.

Si necessitas afficiat ipsum Sacerdotem, quatenus eidem immineat graue periculum vitæ, si non celebret, eximendus est à graui, si sine illis celebret. 12.

Item eximendus est, si necessitas sit in ordine ad communicandum infirmum in periculo vitæ constitutum. 13.

Duplex significatio sacrarum vestium moralis, & mistica. 14.

Explicantur morales significationes singularum sacrarum vestium. 15.

Explicantur mysticæ significationes earundem. 16.

Aliæ misticæ significationes in ordine ad Humanitatem, & Diuinitatem Christi Domini. 17.

Explicatur, cuius materiæ debeant esse hæc sacra indumenta. 18.

Vestes debent esse benedictæ. 19.

In necessitate potest adhiberi cingulum non benedictum. 20.

VEstes, quibus Sacerdotes initiantur, & initiati sacrificium offerunt ex inueterata, & recepta consuetudine constat, esse Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, seu Orarium, Planetam, seu Casulam, de quibus in præsenti contingunt plura dubitari. Primum est, an ita omnes requirantur, vt si aliqua desit, grauis noxa contrahatur. Secundũ est, an requiratur, vt huiusmodi vestes debeant esse ex aliqua determinata materia. Tertia, an omnes debeant esse benedictæ, & à quonam. 1 *Recensentur insignia Sacerdotum.*

Assertio I. Vestes sacræ sunt necessariæ necessitate præcepti respectu Sacerdotis in ordinatione, & oblatione sacrificij. In hoc communitèr consentiunt *Paludanus, & Sotus in 4. distinct. 13., Siluester verb. Missa primo, & ibi omnes Summistæ, Nauarrus cap. 25. num. 84., Suarez disp. 83. sect. 3., Marchinus tract. 3. de sacrificio Missæ part. 3. de requisit. ad Missam celebrat. cap. 14.* 2 *Vestes sacræ necessariæ.*

Ad probandam hanc assertionem nonnulli, inter quos *Suarez loc. cit.* adducunt textum *in cap. vestimenta Ecclesiæ de consecrat. dist. 1.* Sed, si benè perpendatur hic textus, non euincit intentum, quandoquidem in eo solum dicitur, quod sacræ vestes nonnisi a sacratis hominibus possint adhiberi, non autem, quod sint ex necessitate adhibendæ ab offerentibus sacrificium. 3 *Varia iura inferentia talem necessitatem.*

Alij adducunt textum *in cap. Ecclesiastica institutionē distinct. 23.*, sed hic textus non præcipit absolutè delationem omnium sacrarum vestium, dum quis ordinatur Sacerdos, & celebrat, sed solummodo Orarij, seu Stolæ. Ibi *Modis omnibus conuenit, vt quod quisque percepit in consecratione honoris hoc retineat etiam in oblatione, vel perceptione suæ salutis, scilicet, vt cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus non alitèr accedat, quam Orario vtroq; latere circumseptus, sicuti tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus.* Nihilominus plurimum conferre potest hic textus ad hoc intentum supposita consuetudine delationis omnium, qua supposita valere videtur argumentum a paritate rationis.

Sed, vbi non esset ius scriptum quoad delationem omnium sacrarum vestium in ordinatione, & celebratione Missæ, ius tamen adest consuetudinarium, quod vbique viget, & seruatur, vbique tanquam necessarium, & hoc ius consuetu-

dinarium videtur receptum sub graui onere, adeovt nullus sit, qui audeat eidem contrauenire.

4 *Sine sacris vestibus nō licet celebrare etiam ad conficiendum Sacramentum pro infirmo periclitante.*

Quinimmò adeò vrgens est hoc onus, vt communius asserant DD. non licere sine sacris vestibus celebrare etiam ad effectum communicandi per modum Viatici infirmum in extremo vitæ discrimine constitutum *Diuus Antoninus tertia part. tit. 13. cap. 16. § 8., Sotus in quarto dist 12 quæst. 1. art. 8., Nauarrus cap. 21. num. 53, Victoria de Eucharist. num. 82., Homobonus de examin. Ecclesiastico tract. 4. part. 1. cap. 11. quæst. 99. per totum*; nam hoc exigit reuerentia tanto Sacramento debita.

5 *Per omissionē cinguli, vel amictus secundū aliquos contrahitur culpa grauis.*

Sed, an omnes ita requirantur, vt, si aliqua ex ijs omittatur, contrahatur ab omittente culpa læthalis. Culpam læthalem in tali omissione agnoscunt *Suarez disp. 83. sect. 3., Nauarros cap. 25. nu. 84, Filliutius tract. 5. cap. 5. num. 148.*, qui omnes asserunt, quod, si omittatur cingulum, vel amictus, contrahatur læthale. Nonnisi venialem ratione leuitatis agnoscunt *Siluester verb. Missa primo nu. 2., Emanuel Sà eodem verb. num. 10., Fagundez tract. 1. lib 3. cap. 20. num. 13.* In hoc considerare debemus, duo, an omissio contigerit ex inaduertentia, vel ignorantia inculpabili, an verò ex consideratione, & cum scientia, &, an ex necessitate, & causa graui, an verò sine necessitate, & extra grauem causam.

6 *Non ita secundū alios.*

Si omittatur cingulum, vel manipulus ex inaduertentia, excusarem à grauitate culpæ ex generali regula, qua regularitèr in ijs, quæ iuris positiui sunt, inconsideratio minuit culpam, & transfert a læthali actionem, vel omissionem ad venialem, quandoquidem ex communi DD. consensu peccatum, quod ex genere suo esset læthale, ex duplici capite reducitur ad veniale, nempè vel ex leuitate materiæ, vel ex inaduertentia, seu inconsideratione operantis.

7 *Si omissio esset ex inaduertentia non esset grauis.*

Sed, an etiam excusandus sit omittens à grauitate culpæ ratione paruitatis materiæ, si omittat cingulum, vel manipulum, vel stolam, adeo vt, si omittantur cum aduertentia, sine tamen contemptu, nonnisi leuis culpa contrahatur, video DD. inter se dimicantes. *Suarez d. disp. 83. sect. 3. vers. secundo dubitari solet, Nauarrus cap. 25. num. 84.*, & alij sentiunt etiam per omissionem cinguli, seu manipuli non excusari à culpa læthali, cum omnes DD. pleno ore asserant omissionem cuiuscunque vestis ex sex enumeratis esse materiam culpæ mortalis. E contra excusari a tali culpa ratione paruitatis materiæ tradunt *Siluester verb. Missa 1. nu. 2., Sà verb. Missa num. 10., Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 20. num. 13.* In hoc dissidio, *Cacheranus tom 4. Theologiæ assertiuæ tract. 9. de Eucharistia, vt sacrif. cap. 4. §. 6. n. 114.* dum dicit, si non adhibeatur manipulus, aut stola, aut cingulum inaduertentèr, esse solum veniale, si verò scientèr, esse peccatum læthale, videtur sentire ratione paruitatis materiæ non excusari à læthali, dum dicit, quod, si scientèr omittatur, contrahatur culpa læthalis. Probabilius arbitror non excusari à læthali, si scientèr omittat. Ratio est, quia, quamuis, si materialitèr sumantur cingulum, & manipulus, computentur pro re modica, formalitèr tamen sumpta in ratione significationis siue misticæ, siue moralis non habentur pro re modica, sed pro re considerabili, quandoquidem, si sumantur relatè ad passionem Christi Domini, cingulum significat funes, manipulus vincula, quibus sacræ manus obstrictæ sunt, stola funes, quibus, vt citius deduceretur, collo inserti sunt &c., si re-latè ad mores, cingulum carnis continentiam, & castitatem indicat, vndè dicitur in Oratione, quam recitat Sacerdos, dum cingitur Præcinge me Domine cingulo puritatis; manipulus significat cordis compunctionem, iuxta quod dicitur *merear Domine portare manipulum fletus, & doloris &c.* Hæ autem significationes siue relatæ ad passionem Christi Domini, siue relatæ ad mores, æquè considerabiles sunt, sicuti significationes, quas habent stola, amictus, & alba, ergo, sicuti omissio amictus, albæ, & casulæ est materia peccati læthalis, etiam omissio manipuli, cinguli &c., erit materia eiusdem.

8 Ratione paruitatis materiæ non excusatur à culpa graui.

9 In ratione significationis habetur pro re graui.

Hic tamen aduertendum est, quod, quamuis daremus, quod cingulum, & manipulus ratione leuitatis materiæ non esset materia peccati grauis, non tamen hoc posset dici etiam de stola, quidquid videatur dicere *Cacheranus dict. tom. 4. Theologiæ assertiuæ tract. 9. de Eucharist., vt sacrif. cap. 4 §. 6. nu. 114.*, dum in eodem gradu constituit stolam, cingulum, & manipulum, quandoquidem in iure expressum est *in cap. Ecclesiastica institutione dist. 23.* stolam esse vnum ex principaliorribus indumentis, quibus vti debet Sacerdos in ordinatione, & celebratione, quinimmò ipsa sola ibidem exprimitur, vt legenti sit manifestum. 10

Stola ex genere suo est res grauis.

Quid verò sentiendum sit, si extet necessitas celebrandi, & non adsit manipulus, vel cingulum, an tunc extante tali necessitate poterit Sacerdos licitè sine illis celebrare? Nonnulli suppresso nomine apud *Suarez d. disp. 83. sect. 3. vers. secundo dicendum est*, quos ipse vocat graues

DD.

11 *Quid faciendũ sit si vrgente necessitate celebrandi nõ adsit amictus vel manipulum* DD. existimant licitum esse excusante graui necessitate, potissimum, si defectus sit circa vestes minores. *D. Antoninus tertia part. tit. 13. cap. 6. §. 5.*, existimat in tali casu necessitatis licere de longo manipulo facere stolam, & de breui stola facere manipulum, vel etiam cingulum. Alij tandem asserunt etiam in casu necessitatis non licere sine manipulo, & cingulo celebrare, adducta etiam ratione, quia non licet sine sacris vestibus sacrificium offerre, & præcipere sine alba, & casula, ergo, nec licebit sine manipulo, & cingulo, quandoquidem eodem iure requiruntur cingulum, & manipulus, ac alba, & casula; tum, quia licet in ratione materiali cingulum, & manipulus videantur quid minus, ac alba, & casula, in ratione tamen significationis siue moralis, siue misticæ non videntur quid minus. Quid iam in hoc sentiendum?

12 *Si necessitas se teneat ex parte celebrãtis ad vitandũ graue damnũ excusatur à grani.* In hoc considerandũ venit, an necessitas respiciat ipsum Sacerdotẽ, quatenus quis minatur eidem graue damnum, nisi sic sacrificet, an verò alium ab ipso celebrante, quatenus necesse sit celebrare ad effectum communicandi infirmum in articulo mortis constitutum. Iuxtà primum sensum hoc licitè posse fieri affirmat *Silvius in tertiam part. D. Thomæ quæst. 83. art. 6. paulo ante finem*; cui adhærere videtur *Cacheranus tom. 4. tract. 9. de Eucharistia, vt sacrific. cap. 4. §. 6. num. 114. in fine*, dum ipsum non impugnat. Rationem eam arbitror esse, quia præceptum positiuum non obligat cum tanto vitæ discrimine, vbi non resultat magna Sacramento iniuria, seu irreuerentia. Quod, si dicas, quod hac ratione vrgente tali necessitate respectu celebrantis licitum etiam foret celebrare sine omnibus sacris indumentis; respondendum erit, hoc non verificari, quandoquidem per omissionem omnium sacrarum vestium magna Sacramento resultaret iniuria, & scandalum induceret, quod non verificaretur, si omitteretur dumtaxat manipulus, vel cingulum; vndè ex hoc capite docet *Cacheranus Theol. assert. tract. 9. de Eucharistia, vt Sacrament. cap. 4. §. 2. num. 35.*, quod liceat Sacerdoti existenti in peccato læthali, & inconfesso celebrare vrgente necessitate conferendi Viaticum, non tamen liceat eidem sine sacris vestibus ad hunc etiam effectum dandi Viaticum, & rationem addit, quia impedimentum peccati est occultum, impedimentum autem defectu sacrarum vestium est manifestum, & externum. Cum igitur etiam in casu nostro defectus omnium sacrarum vestium sit nimis manifestus, & obseruabilis, non sic defectus præcisè cinguli, vel manipuli, ideò &c.

Iuxtà secundum sensum non incongruum etiam arbitrarer deficiente solummodò manipulo, vel cingulo licere vrgente necessitate communicandi infirmum vita periclitantem Sacerdoti celebrare sine illo propter eandem rationem, quod ille defectus non sit valdè considerabilis, nec valdè manifestus, ac proindè non inducat magnam exteriorem irreuerentiam Sacramento. 13 *Excusatur item ex necessitate subueniendi infirmo de Viatico.*

Quoad secundam tituli partem de significatione sacrarum vestium nonnulla fuerunt attacta in processu huius articuli. Clariùs tamen, & distinctiùs hic explicanda est.

Assertio II. Duplex potissimum est significatio sacrarum vestium, quæ adhibentur in ordinatione Sacerdotum, & in oblatione sacrificij Missæ; altera moralis relata ad mores, altera mistica relata ad passionem, & Mysteria passionis Christi Domini. 14 *Duplex significatio moralis, & mistica.*

Explicatur significatio moralis. Amictus secundum *Vgonem à Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis parte quarta*, significat fortitudinem ad Diuina Officia exequenda, secundum Innocentium III. in Epistola decretali ad Patriarcham Constantinopolitanum significat fiduciam, & spem, qua Sacerdos debet accedere ad offerendum Deo sacrificium, vndè Sacerdos illum sibi imponendo dicit: *Impone Domine capiti meo galeam salutis*; nomine autem galeæ salutis importatur spes iuxtà illud Apost. prima ad Thessalonicenses 5. *Induti loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis*. Alba secundum omnes puritatem vitæ designat, & totam hominis iustitiam indicat, & propterea Sacerdos, dum eandem induit dicit: *Dealba me Domine, & munda cor meum*; tegit hæc alba totum hominem, & extenditur vsque ad talos, per quod significatur perseuerantia vsque ad finem vitæ. Cingulum significat carnis continentiam iuxta illud Euangelij. *Sint lumbi vestri præcincti*, vbi Diuus Gregorius subdit *Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*, vndè etiam Sacerdos cingendo se dicit: *Præcinge me Domine cingulo puritatis*. Manipulus cordis compunctionem indicat, vndè Sacerdos dicit: *Merear Domine portare manipulum fletus, & doloris*. Stola, quæ etiam ab antiquis PP. orarium dicebatur, iuxtà aliquos significat obedientiam, & patientiam, quibus iugum Domini præferri debet, adeoque Sacerdoti, qui initiatur Ordine Sacerdotali in impositione stolæ dicitur: *Accipe iugum Domini* 15 *Explicantur morales significationes singularum sacrarum vestium*

mini, & quia per obedientiam restitui debet homo in eum statum, quem per inobedientiam amiserat, ideo Sacerdos stolam accipiens dicit: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in prauaricatione primi parentis*. Dicitur etiam orarium, quia debet esse Orationibus addictus, & virtutum ornamento vtrobique circumseptus, vndè ex vtroq; latere stola pendere debet, & sic in Concil. Brachar. 3. can. 3. dicitur: *Sacerdotem vtroque humero orans ambiri, vt qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & aduersa virtutum semper ornamento vtrobique circumseptus appareat*. Casula, seu Planeta ex communi omnium ferè consensu charitatem, Diuinæq; legis perfectionem indicat, & etiam iugum suaue Domini iuxtà illud, quod dicit Sacerdos, dum illam induit. *Domine, qui dixisti Apostolis tuis iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Quod, si dicas, quod hoc pacto in significatione morali conuenirent stola, & casula, cum vtraque significaret iugum Domini; tunc dicam primò, stolam importare solum iugum Domini dispositiuè, quatenus est dispositio ad illud portandum; casula verò formalitèr, quatenus indicat castitatem, quæ est complementum omnis legis; Secundò dici potest, cum *Suarez disp. 83. sect. 2. vers. vltimum indumentum est casula*, quod duplex sit iugum, alterum Crucis Christi, alterum iugum amoris; Primum indicat stola; Secundum planeta; illa patientiam, & fortitudinem, quæ ad iugum ferendum necessaria est, ista suauitatem, & dulcedinem, quæ ex charitate prouenit, significat. Hæc quoad moralem significationem harum sacrarum vestium.

16 *Explicantur mistica significationes*

Explicatur iam mistica in ordine ad Mysteria passionis Christi Domini. Amictus velamen illud significat, quo Iudæi Christi faciem velabant dicentes: *Prophetiza quis est, qui te percussit*, iuxtà quod sentit *Gabriel lect. 11. in Canonem*. Alba significat vestem albam, qua Christus Dominus iussu Hærodis indutus est, vt notant *Gabriel loc. mox citato, & Durandus in rational. lib. 5. cap. 3.* Cingulum secundum aliquos significat funes, quibus medius in horto constrictus est, secundum alios flagella, quæ Christi Corpus ambierunt. Manipulus vincula, quibus sacræ manus obstrictæ sunt. Stola funes, quibus, vt tutius duceretur collo alligatus est. Casula vestem purpuream, qua Christus indutus est. Hæc omnia indicant *Alphonsus Torres de institut. Sacerdot. part. 1. c. 3. §. 3., Reginaldus lib. 19. n. 33., Toletus lib. 2. cap. 2.*

Aliam misticam significationem in sacris his vestibus agnoscunt DD. in ordine ad Humanitatem, & Diuitatem Christi Domini; iuxtà quam amictus significat Humanitatem, qua Diuinitas velata est, sic caput Sacerdotis amictu tegebatur, vt notat D. Bonauentura in expositione Mysterij Missæ; Alba indicat Diuinitatis splendorem secundum *D. Gregorium in Theoren. rerum Ecclesiast.*, vel gloriam Christi resurgentis secundum *Stephanum Heduensem lib. de Sacram. Altaris cap. 10.* Cingulum significat decorem, & fortitudinem, quam Christus Dominus induit, & præcinxit se. Manipulus significat Humanitatem Christi in hac vita, & conflictum eius pro iustitia, vt notat D. Bonauentura in expositione Mysterij Missæ. Stola eiusdem immortalitatem. Casula eiusdem gloriam. 17 *Alia significationes in ordine ad Humanitatem & Diuinitatem Christi.*

Exciderant ex mente duo dubia, quæ in principio huius articuli proposita fuerant discutienda, quorum primum erat, cuiusnam materiæ debeāt esse huiusmodi sacra indumenta; secundum, an ex necessitate debeant esse benedicta, quę nunc reassumo.

Quoad primum conueniunt omnes Amictum, & Albam debere esse ex lino, vt tradunt *Suarez dict. disp. 83. art. 2. vers. secundo est obseruandum, Homobonus tract. 4. de art. circa exam. ad Sacerd. c. 5. qu. 144., Rabanus de institut. Cler. cap. 15., Innocentius lib. 1. de hoc Mysterio cap. 36., Rupertus lib. 1. de Diuin. Officijs cap. 20.*, & in hoc conuenit communis Ecclesiæ consensus, & praxis; Quoad alias quatuor vestes nihil certum dispositum reperitur, quanam materia constare debeant, vtrum debeant esse linea, vel lanea, vel serica, nec cuius coloris esse debeant; & licet in Missali præscriptum videatur, vt pro certis solemnitatibus potius albi debeant esse coloris, quam rubri, pro alijs rubri potius, quam albi, in alijs violacei, in alijs viridis, asserunt tamen *Suarez, & Homobonus loc. cit.*, hoc non esse præceptum, sed regulam tantum directiuam. 18 *Explicatur cuius materiæ debeant esse hæc sacra indumenta.*

Quoad secundam consentiunt omnes huiusmodi vestes debere esse benedictas, cum hoc præscribat Rituale Romanum, & sub hac lege praxis hoc obtinuerit. Sed an benedictio ità requiratur, vt omnes huiusmodi vestes debeant esse benedictæ. *Scotus in quarto distinct. 13. quæst. 2.*, asserit vsum obtinuisse, vt non necesse sit cingulum esse benedictum, & ideo licitum videri, vt possit quis vti cingulo non benedicto. Sed Scoto non adhæret *Nauarrus cap. 25. num. 84.*, quia in Pontificali Romano ità præcipitur benedictio cinguli, sicuti aliarum Sacerdotalium vestium. 19 *Vestes debent esse benedicta.*

Non

20 Non damnarem tamen grauis culpæ eum, qui vrgente aliqua graui necessitate adhiberet cingulum non benedictum, sicuti non damnat *Suarez dict. disp. 83. sect. 3. vers. secundo dicendum est in fin.*, quandoquidem in hoc non videtur interuenire scandalum, & periculum magnæ irreuerentiæ, sicuti interueniret, si omnes sacræ vestes omitterentur, & in hoc necessitas videtur magnam vim habere.

In necessitate potest adhiberi cingulū non benedictū.

ARTICVLVS X.

De conditionibus requisitis in promouendo ad Sacerdotium.

SVMMARIVM.

Dispositio Concil. Trident. 1.
Enumerantur conditiones requisitæ. 2.
Quanam doctrina in promouendo requiratur. 3.
Afficitur graui culpa non solum, qui promouetur sine debita doctrina, sed etiam, qui promouet. 4.
In tali carentia doctrinæ consistit peccatum radicale in ordinato, & quomodo. 5.
Pœna carentis doctrina eorum, quæ requiruntur, est impedimentum Canonicum ad exercitium ordinis. 6.
Probabilius illiteratus, & indoctus est irregularis. 7.

1 Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 14.* in promouendis ad sacrum Presbiteratus Ordinem hæc requirit. *Qui piè, & fidelitèr in ministerijs anteactis se gesserint, & ad Presbiteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, & hi sunt, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videatur, ministrauerint, sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad administranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur, atque ità pietate, & castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vita monita ab eis possint expectari*, quæ ferè omnia requirit in sic ordinando Cathechismus Romanus.

Dispositio Concil. Trid.

2 Ex his verbis Concilij habes primò, quod requiratur in promouendo ad Sacerdotium exercitium fidele, & pium præcedentium ordinum. Ibi, *qui piè, & fidelitèr in ministerijs anteactis se gesserint*. Secundò, vt bonum habeant testimonium de vita, & moribus. Tertiò, quod permanserint in Dacouatu per annum integrum, nisi aliud Episcopo ob vtilitatem, & necessitatem Ecclesiæ videatur expedire. Quartò, vt sint prædití tali doctrina, vt possint docere populos ea, quæ necessaria sunt ad salutem, & etiam sciant, quæ requiruntur ad exactum Sacerdotij ministerium, aliaque munera, quæ ex vi ordinationis eidem possunt competere. Quintò, vt certis moribus sint insigniti.

Enumerantur conditiones requisitæ.

His iam hic suppositis aliqua dumtaxat enucleabimus, quæ spectant ad doctrinam, nam de alijs enumeratis sparsim in his quæstionibus egimus, sicuti de ijs, quæ pertinent ad ætatem. De hac doctrina inquiremus primò, quæ, & qualis debeat esse ista doctrina, quæ in promouendo requiritur. Secundò, quamnam culpam contrahat, qui sine eadem promouetur, & qui illum promouet. Tertiò, an promotus sine debita doctrina fiat irregularis.

Doctrina talis requiritur in promouendo, vt non solum nouerit, quæ necessaria sunt ad Sacerdotale ministerium, sed etiam ea, quæ ex tali ordinatione consequuntur. Ratione primi debet esse instructus scientia essentiæ, causarum, onerum, munerum, effectuum Ordinis Sacerdotalis, requisitorum tam ex parte ordinati, cum ex parte materiæ, formæ, intentionis &c. Ratione secunda debet callere perfectè ea, quæ pertinent ad alia Sacramenta, quæ ex officio intuitu suæ ordinationis administrare potest, & debet, vt simplex Sacerdos. Dixi, *vt simplex Sacerdos*, nam quoad ea, quæ pertinent ad Sacerdotem, vt Parochum, vel vt confessarium quoad actuale exercitium maiori indiget scientia, & doctrina, & diligentiori examine, & vlteriori scrutinio. 3

Quanā doctrina requiratur.

Item tali scientia debet pollere, vt valeat populos docere ea omnia, quæ necessaria sunt ad salutem. Hac ratione debet nosse omnia Mysteria Fidei, & potissimum, quæ continentur in Simbolo Apostolorum, & D. Athanasij, esse benè instructus qualitatis Sacramentorum, virtutum Theologicarum, & Cardinalium, quatuor nouissimorum &c.

Necessitas huius doctrinæ est talis, vt si eadem initiandus Sacerdotio non polleat, contrahat grauem culpam, ne dum ipse, sed etiam, qui ipsum approbant, & Episcopus, qui eum ordinat. Ratio clara est, quia hi omnes violant præceptum Ecclesiæ in re graui; vndè *D. Isidorus de summo bono lib. 3. cap. 35.*, loquens de indoctis Sacerdotibus hæc habet. *Sicuti iniqui, & peccatores ministerium Sacerdotale assequi prohibentur, ita indocti, & imperfecti à tali officio retrahantur; illi etenim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt, isti verò sua ignorantia, iniquos corrigere nesciunt. Quomodo docere poterunt,* 4

Tam promouens, quam promotus sine tali doctrina grauitèr peccat.

quod

quod ipsi non dedicerunt. Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. Et Concilium Toletanum IV. cap. 24. in hac materia sic loquitur. *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sacras Scripturas admonet Apostolus dicens ad Thimotheum. Attende lectioni, & Doctrinæ, & semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones, vt omne opus eorum in doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.*

5 *In tali carentia doctrinæ consistit peccatũ radicale, & quomodo.* Hinc in Sacerdote indocto, & ignorante ea, quæ pertinent ad eius munus, agnoscunt DD. peccatum radicale, quatenus, si assumat Sacerdotium cum ignorantia eorum, quæ scire debet, & in exercitio suorum munerum deficiat, ipsi errores omnes sint imputandi ratione eiusdem peccati radicalis.

6 *Pœnæ carentiũ debita doctrina* Pœna eorum, qui cum ignorantia promoti sunt ad Sacerdotium, est impedimentum Canonicum ad exercitium ordinis suscepti, prout habetur *in cap. qui in aliquo distinct. 51.*, & tale exercitium determinatè interdixit illiteratis *Fabianus I. in Epist. 3. ad Hilarium*. Hæc tamen intelligenda sunt cum aliquibus limitationibus; primò, si sit penitus ignarus, adeovt omninò careat notitia eorum, quæ ad proprium munus pertinent, secus, si ignorat dumtaxat aliqua, quæ magis abscondita sunt, & non pertineant ad substantiam; sufficit enim, quod in ijs sciat dubitare, & possit inquirere. Secundò, si sit Sacerdos ruri degens, in quo tanta non requiritur scientia, qualis enim grex, talis & pastor, qualis populus, sic & Sacerdos *Isaiæ cap. 4.* Debet tamen scire ea, quæ pertinent ad ritum, & substantiam sacrificij Missæ, & ad rudimenta, & Mysteria Fidei.

7 *Illiteratus, & indoctus est irregularis.* Sed, an illiteratus, & indoctus sit irregularis? Affirmant *Suarez tom. 5. disp. 51. sect. 1.*, *Vasquez tom. 3. disp. 246.*, *Homobonus tract. 4. de art. circa exam. ad Sacerd. cap. 8. quæst. 72. vers. tertiò, si omninò sint ignari*, *Maiolus de irregular. & can. imped. lib. 1. cap. 32. nu. 2.*, quod probat per textum *in cap. fin. de ætat., & qual.*, nam promoueri non possunt, & promoti sunt deijciendi per textum *in d. cap. fin. de ætat., & qual. cap. omnes dist. 38., & cap. illiteratos dist. 36.*; iuri quippè naturæ repugnat, vt quis munus exerceat, quod ignorat; adeò vt asserat *Innocentius in cap. dilectus de temp. ord.*, quia literatura requiritur de iure Diuino *Cardinalis de Turrecremata in cap. si in laicis dist. 38.*, vndè *Osea cap. 4.* dicitur: *Quia tu repulisti scientiam, & ego repellam te, vt non fungaris mihi Sacerdotio, & Malachiæ cap. 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam.*

ARTICVLVS XI.

De Sacerdotibus, dum initiantur, concelebrantibus cum Episcopo.

SVMMARIVM.

Sententia improbans consuetudinem Sacerdotum, dum initiantur, concelebrantium cum Episcopo ordinante. 1.
Reprobatur talis sententia. 2.
Sententia D. Thomæ asserentis Sacerdotes concelebrantes cum Episcopo siue in consecratione illum præueniant, siue præueniantur validè consecrare, quia referunt suam intentionem ad illud vltimum instans, quo Episcopus profert vltimam syllabam consecrationis. 3.
Marchinus improbat hanc sententiam. 4.
Sententia Ricardi asserentis Sacerdotes concelebrantes non consecrare, sed materialitèr se habere ad indicandam potestatem acceptam. 5.
Reprobatur hæc sententia. 6.
Sententia Marchini asserentis Sacerdotes concelebrantes constituere vnum ministrum moralitèr cum Episcopo, & habere intentionem quasi conditionatam consecrandi, si simul cum Episcopo verba proferant, non consecrandi siue præueniant, siue præueniantur. 7.
Reijcitur idem Marchinus. 8.
Sustinetur opinio prima D. Thomæ, & vindicatur ab obiectis. 9.

NOn defuerunt aliqui etiam inter Catholicos, qui improbarunt consuetudinem, vt Sacerdotes, dum nouitèr ordinantur, simul cum Episcopo celebrẽt, offerant, & consecrent, inter quos numerantur *Durandus in quarto dist. 13. q. 3.*, *& ibidem, Palatius quæst. 4.*, *Sotus quæst. 3. art. 3.*, qui omnes ea ratione mouentur, quod talis consuetudo sit multis absurdis obnoxia; posset enim contingere, quod Episcopus, qui est in tali sacrificio principalis offerens, non consecraret, si à concelebrantibus Sacerdotibus præueniretur, vel quod isti otiosè verba consecratoria proferrent, quod contingeret, si Episcopus ante illos consecrationem perficeret, cum moralitèr impossibile videatur, quod omnes simul maximè in numerosa ordinatione in eodem instanti Physico absoluant eadem verba consecratoria; vndè ad euitanda hæc absurda asserunt huiusmodi DD. non conuenire 1 *Sententia improbans talem consuetudinem*

in

in huiusmodi sacrificio admittere consortium Sacerdotum concelebrantium.

2 Reprobatur talis sententia. Sed non auderem hanc consuetudinem iam diu seruatam in Ecclesia, & in Pontificali Romano præscriptam, à tot Pontificibus per tot sæcula approbatam improbare; quinimmò non eximerem à nota temeritatis, qui modo eandem damnaret. Fateor tamen non leuis ponderis esse obiecta dissoluere, cum plurimum præferant difficultatis, ita vt plures Doctores in plures, & varios dicendi modos abierint.

3 Sententia D. Thomæ exponitur. *D. Thomas tertia parte quæst. 82. art. 2. in corpore sentit*, omnes Sacerdotes recentèr ordinatos concelebrantes simul cum Episcopo siue præueniant, siue præueniantur in prolatione formæ consecrationis consecrare, quia omnes referunt suam intentionem ad illud instans, in quo Episcopus absoluit verba; vndè sic loquitur. *Nec propter hoc iteratur consecratio super eandem Hostiam, quia, sicuti Innocent. III. dicit, debet referri ad idem instans consecrationis*. Hanc opinionem D. Thomæ impugnat *Marchinus tract. 2. de ordin. in particulari part. 8. de Presbiteratu c. 10. num. 7.*, pluribus rationibus primò, quia, quando quis ex Sacerdotibus recenter ordinatis præuenit Episcopum in prolatione formæ consecratoriæ non est amplius in eius potestate suspendere verborum efficaciam vsque ad illud instans, in quo Episcopus verba absoluerit; nam, cum

4 Impugnatio huius sententiæ per Marchinum. iam acceperit potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi Domini posita apta materia, & proportionata forma immediatè debet consequi effectus consecrationis, nec potest suspendi, cum positis omnibus requisitis necessario sequatur. Secundò, quia, si dicatur, quod, quando ipse Sacerdos concelebrans cum Episcopo, & ipsum in prolatione verborum præuenit non habeat intentionem consecrandi, nisi cum Episcopus absoluerit formam; tunc arguit Marchinus, ergo, nec habet intentionem, quando Episcopus verba perficit, quia intentio tandiù durat, quandiù perseuerant verba, quibus absolutis cessat intentio. Tertiò, quia inanis esset illa accurata sollicitudo Ecclesiæ, qua in Pontificali Romano præcipitur ordinatis, vt Episcopum non præueniant, si eorum intentio esset relata ad vltimum instans, quo Episcopus verba absoluit.

5 Sententia Ricardi exponitur. *Ricardus in quarto dist. 13. art. 2. qu. 1.*, sentit concelebrantes Sacerdotes recentèr initiatos cum Episcopo ordinatore solum materialitèr, & recitatiuè consecrare in signum potestatis sibi concessæ; cæterum veram & formalem consecrationem esse solum ab Episcopo ordinante. Sed hanc quoque opinionem reprobat *Marchinus loc. cit. num. 9.*, primò, quia habent præsentem aptam materiam, proferunt proportionatam formam, & intentionem habent consecrandi, ergo non est, cur verè formalitèr non consecrent. Secundò, quia in hoc valet argumentum tertiò loco adductum contra primam sententiam; ad quid enim tam anxia cura, & sollicitudo proferendi verba simul cum Episcopo, si Sacerdotes concelebrantes tantum materialiter proferunt ad indicandam potestatem, quam in ordinatione receperunt. Tertiò, quia incongruum omninò videretur, Sacrosancta illa verba proferre, si nullum effectum consequerentur maximè in Missæ sacrificio, quod certè eueniret, si tantum recitatiuè proferrentur. 6 Reprobatur hæc sententia.

7 Sententia Marchini exponitur. *Marchinus verò loc. cit. num. 10.*, reiectis aliorum opinionibus propriam statuit dicens, quod omnes Sacerdotes recentèr ordinati, constituant vnum moralitèr ministrum cum Episcopo, & habeant intentionem, quasi conditionatam consecrandi, si simul cum Episcopo verba proferant, non consecrandi, si præueniant, vel præueniantur. Sed Marchinus modo approbat, quod in præcedentibus reprobauit. Quid enim aliud est constituere omnes Sacerdotes concelebrantes cum Episcopo vnum moralitèr ministrum, nisi quod omnes referant suam intentionem ad illud instans, in quo Episcopus absoluit formam consecrationis? Ex eo etenim, quod omnes intentiones suas referant ad illud instans, intelliguntur illas easdem intentiones referre, & coniungere cum illa Episcopi, & sic cum illo constituere vnum moralitèr principium, seu ministrum. Deindè argumenta, quæ efformat contra doctrinam D. Thomæ in ipsum recidunt, si etenim, vt ipse asserebat, quando vnus ex Sacerdotibus recentèr ordinatis præuenit Episcopum in prolatione formæ consecratoriæ non est amplius in eiusdem potestate suspendere eius effectum, hoc idem dicendum videtur etiam in casu, de quo loquitur Marchinus, eo etenim ipso, quo quis habens legitimam potestatem consecrandi, & profert verba proportionata existente debita materia cum intentione consecrandi non potest effectum consecrationis suspendere. Quod, si respondeat Marchinus, hæc non subsistere, quia ipse supponit, quod concelebrantes cum Episcopo debeant habere conditionatam intentionem consecrandi, si simul cum Episcopo verba consecrationis absoluant, non item, si præueniant, vel subsequantur; 8 Reijcitur idem Marchinus.

tur; statim dicam hoc idem asserere D. Thomam, dum dicit, quod omnes referant suam intentionem ad illud instans in quo Episcopus consecrationem absoluit, adeo vt intendant solum materialitèr verba illa proferre, si præueniant Episcopum, vel ab eodem præueniantur. Hoc autem quid est, nisi omnes habere intentionem consecrandi, si simul cum Episcopo formam absoluant, non consecrandi, si vel præueniant, vel præueniantur ab Episcopo. Sed hæc clariùs elucescent in solutione obiectorum allatorum contra D. Thomam.

9 *Sustinetur opinio prima D. Thomæ, & vindicatur à contrarijs.* Quamobrem retenta prima opinione D. Thomæ eam ab obiectis vendicamus. Ad primum iam patet ex dictis quid dicendum; intelligi enim debet intentio omnium concelebrantium relata ad illud instans, in quo Episcopus absoluit formam, si pro eodem instanti ipsi quoque perficiant; vbi verò simul non perficiant, sed vel præueniant, vel præueniantur, intelligitur solum forma ab illis materialitèr prolata; nec in hoc discordat Marchinus, dum dicit concelebrantes debere habere intentionem conditionatam consecrandi, si simul cum Episcopo verba absoluant, non consecrandi, si præueniant, vel præueniantur, & hoc quidem congrua ratione, ne principalis minister dicatur sacrificium tunc non confecisse, quod ex dictis in quæstionibus de sacrificio Missæ in sola consecratione consistit, quod certè verificaretur, si aliquis concelebrans præueniendo Episcopum in forma consecrationis validè consecraret. Ad secundum idem ferè respondendum est; non enim potest habere vim, quod prolatis verbis cesset intentio, quando intentio non est, nisi cum verba simul cum verbis Episcopi absoluantur. Ad tertium non esse inanem illam accuratam sollicitudinem requisitam a Pontificali Romano, vt verba omnium simul absoluantur, quia, quantum fieri potest, curandum est, vt omnes consecrent. Cæterum hoc argumentum soluendum est ab ipso Marchino; ad quid enim tanta cura, si concelebrantes debent habere intentionem conditionatam consecrandi, si simul formam perficiant, secus verò, si præueniant, vel præueniantur?

ARTICVLVS XII.

De muneribus, quæ competunt Sacerdoti ex vi ordinationis.

SVMMARIVM.

Munera principalia Sacerdotij sunt conficere Corpus, & Sanguinem Christi Domini, & absoluere fideles à peccatis. 1.
Sententia asserens simplicem Sacerdotem non approbatum posse à venialibus absoluere. 2.
Modo non potest. 3.
Non tamen irritaretur absolutio. 4.
Quæ dicta sunt de peccatis venialibus intelligenda sunt etiam de lethalibus ante remissis. 5.
Simplex Sacerdos non approbatus potest absoluere existentem in articulo mortis à quibuscunque peccatis, & censuris. 6.
A censuris tamen cum reincidentia. 7.
Sententia asserens, quod, si quis fuerit morbo incurabili, & perpetuo affectus constitutus in articulo mortis, & absolutus à censuris reseruatis à simplici Sacerdote, & miraculosè liberatus non teneatur sistere coram superiore, vt ab illis absoluatur. 8.
Simplex Sacerdos præsente approbato non potest absoluere existentem in mortis articulo. 9.
Intellige, nisi pænitens nolit Sacerdoti approbato confiteri. 10.
Præsente Sacerdote approbato in aliena Diœcesi potest simplex Sacerdos existentem in articulo mortis absoluere. 11.
Præsente Sacerdote approbato, sed excommunicato potest simplex Sacerdos absoluere. 12.
Etiam Sacerdoti competit ex vi ordinis munus Baptizandi solemnitèr in actu primo. 13.

IAm patet ex dictis duo esse principaliora munera Ordinis Sacerdotalis; primum conficiendi verum, & reale Corpus, & Sanguinem Christi Domini sub speciebus Panis, & Vini; Secundum, quantum est ex vi ordinis absoluendi fideles à peccatis. Dixi *ex vi ordinis*; nam defectu iurisdictionis nequit ad actum secundum absolutionis deuenire, nisi supposita approbatione iurisdictionem ab Episcopo, vel à Pontifice acquirat, de qua re erit sermo in quæstionibus de Sacramento Pœnitentiæ. 1 *Duo munera principalia Sacerdotij.*

Nunc tamen circa hoc secundum munus absoluendi à peccatis placet aliqua attingere; & primò, an ex vi ordinationis possit Sacerdos ab Episcopo non approbatus à venialibus absoluere. Secundò

an

an à peccatis læthalibus iam ritè confessis, & absolutis in præcedenti confessione. Tertiò, an in mortis articulo possit à quocunque peccato, quantumuis enormi, & reseruato absoluere.

2 *Sententia asserés simplicem Sacerdotě non approbatum absoluere à venialibus.* In ordine ad primum communius asserebant, posse simplicem Sacerdotem non approbatum ab Episcopo à peccatis venialibus absoluere *Viualdus de absolutione num. 18.*, *Reginaldus lib. 1. num. 65.*, *& lib. 8. num. 35.*, *Suarez disp. 26. sect. 5. num. 5.*, *Filliutius tract. 7. cap. 7. qu. 6. n. 186., 209., & 223.*, *Pesantius in addit. ad tertiam part. quæst. 10. disp. 6.*, *Coninchus disp. 8. dub. 2. num. 17.*, *Valentia tom. 4. disp. 7. qu. 10. punct. 2. sub fin.*, *& alij satis communitèr*, qui pluribus rationibus mouebantur; primò, quia in ordinatione Sacerdotis aliqua confertur potestas remittendi peccata, quæ potestas quoad aliqua debet esse absoluta, & in actu secundò, quod congruentiùs non videtur posse intelligi, quam in ordine ad venialia. Secundò, quia peccata venialia non sunt materia necessaria, quæ propterea non videtur exigere iurisdictionem rigorosam in absoluente. Nihilominus modo hæc sententia non videtur admittenda obstante moderno præcepto Sacræ Congregationis circa communionem quotidianam sub Innocentio XI. illud

3 *Modo nō potest* approbante die 12. Februarij 1679., in quo inter cætera sic decernitur. *Non permittant, vt venialiam confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut ordinario.*

4 *Non tamen irritaretur absolutio.* Sed, an hoc præceptum irritet confessionem venialium, si modo fiat simplici Sacerdoti non approbato, an verò solum culpæ subijciat, & pœnæ ipsum Sacerdotem propter transgressionem præcepti? *Vasquez disp. 93. art. 1. dub. 6. num. 5.*, videtur debere sentire non irritam esse huiusmodi confessionem, cum sentiat potestatem absoluendi à venialibus in simplici Sacerdote esse de iure Diuino. Sed, quidquid sit de hoc, an talis potestas sit de iure Diuino, an tantum Ecclesiastico, absolutè sentio, non fore inualidam; nam ibi Sacra Congregatio prohibet sub pœna, nullam autem apponit clausulam irritantem. Ibi- *Si quicunque alij Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, & ordinariorum iustam, & rigorosam animaduersionem in contrafacientes*; nec quid aliud additur.

5 *Idem intellige de læthalibus remissis.* In ordine ad secundum idem fermè sentiendum est, ac de peccatis venialibus, quia etiam peccata semel ritè remissa non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, vndè de vtrisque pariformitèr procedunt *Ioannes Medina, C. de confessione quæst. 36.*, *Suarez tom. 4. disp. 26. sect. 5.*, *Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 10. punct. 2.*, *Henriquez de Pœnit. cap. 5. nu. 4.*, *Graffius consil. 10. num. 15. tit. de Pœnit.*, *& remiss.*, *Coninchus disp. 8. dub. 2. num. 17.*

In ordine ad tertium absolutè sentiendum est, posse simplicem Sacerdotem absoluere existentem in mortis articulo à quibuscunque peccatis, & à quibuscunque censuris etiam Romano Pontifici reseruatis, prout expresè definitum reperitur *in Concil. Trident. sess. 14. de Pœnit. c. 7.*, & congrua quidem ratione attenta summa Dei, & Ecclesiæ benignitate, secundum quam præsumendum est, quod nolint in tanto discrimine constitutum subesse periculo damnationis æternæ, & velint eundem consuetis, & proprijs remedijs institutum, vndè etiam idem Concilium ibidem dicit, quod in tali articulo nulla sit reseruatio, & quod omnes Sacerdotes quoslibet pænitētes possint à peccatis quibusuis, & censuris absoluere. 6 *Potest absoluere existentem in articulo mortis à quibuscunque peccatis, & censuris*

Hoc tamen hic aduertendum est, hoc intercedere discrimen inter absolutionem positam à simplici Sacerdote in tali mortis articulo quoad peccata, quantumuis reseruata, & absolutionem ab eodem positam quoad censuras, quod sic absolutus quoad peccata, si conualescat, non teneatur amplius eadem peccata per talem absolutionem remissa clauibus subijcere; absolutus verò quoad censuras, si conualescat, teneatur se superiori præsentare, vt ab illa absoluatur, non quia illæ censuræ non fuerint remissæ, sed quia hoc statutum est in iure Ecclesiastico, quod, si non se præsentauerit, ob contumaciam reincidat in eandem censurā iuxtà textum *in c. eos de sentent. excommunicat. in 6.* Hoc quoad absolutionem à censuris intellige, si posita fuerit præcisè ob necessitatem vrgente mortis articulo; nam, si fuerit absolutus virtute alicuius Bullæ, seu priuilegij, non esset amplius obstringendus, si conualesceret, ad se præsentandum superiori per ea, quæ tradit *Suarez tom. 4. disp. 30. sect. 3.* 7 *A censuris tamen cū reincidentia.*

Quinimmò tradunt plurimi, quod, si quis morbo incurabili, & perpetuò affectus extiterit in mortis articulo, & fuerit in illo absolutus ab excommunicatione Papali, qua premebatur, à simplici Sacerdote, & miraculosè postea conualuerit, non teneatur sistere coram Romano Pontifice, vt ab illa absoluatur, quia cum antecedentèr supponeretur perpetuò impeditus per illam miraculosam gratiam omnis obligatio sistendi se coram eodem Pontifice sublata videtur *Siluester in verb. Absolutio 4. nu. 3. casu vltimo*, *Naldus verb. Absolutio à censura num. 18.*, *Nauarrus cap. 26. n. 27.*, 8 *Liberatus miraculosè non tenetur sistere coram superiore.*

Toletus lib. 1. cap. 15., Sanchez lib. 2. de praecept. cap. 13., Graffius conf. 15. de Paenit., & remiss., Beia part. 3. casu 2., Henriquez de Paenit. cap. 9.

9 *Praesente approbato nō potest simplex Sacerdos absoluere existentem in articulo mortis.* Sed hic suboritur difficultas, an simplex Sacerdos possit solum existentem in articulo mortis absoluere, quando tunc non adest copia Sacerdotis approbati, an verò etiam, quantumuis ibi fuerit Sacerdos approbatus, qui possit, & velit absoluere? Ex eo, quod Concilium Tridentinum *loc. cit.*, indefinitè statuat omnes Sacerdotes quoslibet paenitentes in mortis articulo à quibusuis peccatis, & censuris absoluere posse sine vlla limitatione, seu restrictione, plures asserunt, quod simplex Sacerdos etiam existentibus alijs approbatis possit absoluere, quia in tali casu ipsi tribuitur potestas absoluta, & quod lex non limitat maximè in fauorabilibus, nec nos limitare debemus *Ledesma tom. 1. tract. de Paenit. cap. 14. difficult. 2.*, atque hanc opinionem probabilem existimat *Diana part. 1. tract. 5. resol. 5., item parte 4. tract. 4. resol. 161., & part. 5. tract. 3. resol. 60.* Contrarium tamen censuit Sacra Cardin. Congreg. apud *Homobonum tract. 4. art. circa exam. ad Sacerdot. c. 8. quaest. 69. in fin.*, & quidem congruè, quandoquidem facultas, quae conceditur in eo casu simplici Sacerdoti, est ratione necessitatis, *ne hac occasione aliquis pereat*, vt loquitur Tridentinum, quae necessitas cessat existente Sacerdote approbato. Limitandum tamen hoc est, quando paenitens ob iustam causam nollet confessario approbato confiteri *Zerola in praxi Paenit. cap. 15. quaest. 6., Leonardus Duardus in comment. in Bulla Coenae Domini lib. 3. §. 2. qu. 2. n. 25., Sanchez lib. 2. de praecept. c. 13.*

10 *Intellige, nisi paenitens ex iusta causa nolit approbato cōfiteri.*

Subordinatè ad hoc veniunt dubia; primò, an existente Sacerdote approbato in aliena Dioecesi cum simplici Sacerdote Dioecesis, in qua est infirmus in articulo mortis constitutus, possit simplex Sacerdos eundem absoluere. Secundò, an existente Sacerdote approbato in eadem Dioecesi, sed excommunicato cum simplici Sacerdote possit hic absoluere.

11 *Praesente approbato in aliena Dioecesi potest absoluere.* Ad primum *Mendoxa vol. 1. de fide disp. 81. sect. 6. §. 163.*, sustinet non posse simplicem Sacerdotem absoluere, sed praeferendum esse approbatum in aliena Dioecesi, ea fortè motus ratione, quod de istius scientia constet ex approbatione in aliena Dioecesi, de qua non constat in simplici Sacerdote non approbato. Verius tamen videtur, quod, & in hac hypothesi possit à simplici Sacerdote absolui cum approbatus in aliena Dioecesi comparetur, vt Sacerdoti simplici in ista; nec argumentum de scientia aliquid euincit, cum simplex possit tanta scientia pollere, quae superet illam approbati. Verum tamen est, quod, si constaret de insufficientia scientiae in simplici Sacerdote praeferendus esset approbatus in aliena Dioecesi.

12 *Praesente approbato, sed excommunicato potest absoluere.* Ad secundum dicendum est praeferendum simplicem Sacerdotem approbato excommunicato. In hoc consentit *Diana part. 5. tract. 3. resol. 60. vers. libet.* Non solum euincitur ex eo, quod excommunicatus non solum caret iurisdictione, in quo casu aequiualet simplici Sacerdoti, sed etiam, si sit denuntiatus, sit vitandus.

13 *Etiam Sacerdoti cōpetit munus solemnitèr Baptizandi in actu primo.* Praeter illa duo principaliora munera, quae competunt Sacerdoti ex vi suae ordinationis conficiendi scilicet Corpus, & Sanguinem Christi Domini, & remittendi peccata, plura alia eidem competunt, solemnitèr scilicet Baptizandi in actu primò, quatenus per ordinationem ad hoc munus habilitatur. Dixi *in actu primo*, quia ad executionem requiritur, vel, quod sit Parochus, vel habeat delegationem à Parocho, vel ab Ordinario, cum ad exercitium talis muneris requiratur iurisdictio, quae in ipso non residet. Item munus est Sacerdotis esse mediatorem inter Deum, & homines; vndè D. Ambrosius in priori Oratione praeparatoria ad Missam dixit: *Quoniam me peccatorem inter te, & eundem populum medium esse voluisti, licet in me testimonium boni operis non agnoscas, officium dispensationis creditae ne recuses.* Rursus ad Episcopum Vercellensem scribens sic ait: *Officium Sacerdotis est pro aliorum offensis interuenire, vndè scriptum est; inter vestibulum, & Altare plorabunt Sacerdotes, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo &c.*

Remanerent hic plura discutienda de muneribus sacrorū ordinum, & signantèr Sacerdotij, sed, quia de ijs occurret sermo latissimè in quaestionibus de sacrificio Missae, in his modo non immoror. Hierarchicam Ecclesiasticam Rempublicam satis explicuimus. Deus Optimus Maximus largiatur, vt Hierarchiae Caelesti adscribamur, vbi sacrificium laudis perennitèr supremo Domino offeramus.

FINIS.

AD LAVDEM OMNIPOTENTIS DEI, DEIPARAE VIRGINIS, DOCTORIS GENTIVM, ET ANGELICI.

IN-

INDEX RERVM.

P. significat Partem, Q. significat Quæstionem, A. Articulum, S. Sectionem, N. Numerum marginalem, P. Paginam.

A

Abbas.

B

Baptismus.

Secus,

Bigamus.

Breuiarium.

C

Caracter.

Sen-

Bis

Nulla

Dubium.

E

Effectus.

Episcopatus, Episcopus.

Ætas Ordinandorum.

Nec

Obli-

I

Ignorantia.

Illegitimi.

Infamia, Infamis.

L

Laicus.

M

Spe-

P

Pactum.

Si

Non

Li-

T

Tempus ordinationum.

Testimonium morum.

Quæ-

Vestes

FINIS.